image
not
available

UN EK GENT

UN … K GENT

UN K GENT

Ex libris J. L. van Weelen

L. Buss 53 a.

Med. S10

Digitized by Google

MISCELLANEA HENRICI SMETII A LEDA RUB. F. ALOSTANI, FLANDRI IN ACAD. HEIDELBERGENSI MED. PROFESSORIS ordinarii,

MEDICA.

Cum præſtantiſſimis quinq; Medicis.

D. Thoma Eraſto apud Heidelbergenſes facult. Medicæ anteceſſore.
D. Henrico Brucæo in Schola Roſtochiana Artis Med. Profeſſore primario.
D. Levino Batto ibidem Medicinam publicè multa cum laude explicante.
D. Joanne Weyero Juliacenſis & Clivenſis aulæ archiatro.
D. Henr. Weyero archiepiſcopi Trevirenſis electoris archiatro.

COMMUNICATA,

ET IN LIBROS XII. DIGESTA.

Quorum argumenta ab xi. pagina ſequuntur.

ADIECTO AD FINEM OPERIS,

Indice copioſiſſimo.

Anno M.DC.XI.

Impenſis Jonæ Rhodii, in cuius Bibliopolio proſtant Francofurti.

Smetius hic ille eſt, gemini mera gloria Phœbi:
Seù melicæ artis obit, ſeù medicæ artis opus.
Cuius item ſi non quanta eſt ſub corde moratur,
Inq; homines pietas, relligio inq; Deum:
Fruſtrà alibi certè quanta eſt quæratur in orbe,
Inq; homines pietas, relligio inq; Deum.

Grut. *Iacobus Granthôme. fe.*

Digitized by Google

SMETIÆ GENTIS
A LEDA INSIGNIA.

IN ANTIQUA SMETIÆ GENTIS A LEDA INSIGNIA CASSIDE AURATA, BUCCULA CANcellata, Scuto rubro, Lunulis aureis, ex pictura veteri Elegidion.

COCCINEO *in clypeo, norma diſcreta nigrante,*
Trina renaſcenti cum face Luna micat.
Fuluus apex galeæ, Cygneas ſurrigit alas,
Quas inter medio eſt fulva Diana ſitu.
Hæc atavum meritis, ad ſeros miſſa nepotes,
Sunt gentilitiis ſigna vetuſta meis.
Planities clypei, cocco cur tincta rubeſcit?
Turpibus & falſis erubuiſſe monet.
Cur clypeus Norma diſtinguitur? acta ſeveram
Iuſtitiæ ad normam noſtra probare docet.
Quid tria creſcentis deſignant lumina Phœbes?
Lucida cur ſurſum cornua verſa gerunt?
Virtutum in ſtudio capere incrementa monemur.
Pectoraq; ad cælum tollere fulta fide.
Cur galea aurata eſt? ſic puræ mentis oportet
Munitum ſemper præſidio eſſe caput.
Sed quid olorinæ ſurgentes vertice pennæ?
Scilicet ingenio, non genere aſtra peti.
Aurea cygneis cur Cynthia clauditur alis?
Moribus ut niteat docta Minerva probis.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO
SALUTEM IN DOMINO
noſtro Chriſto Ieſu.

IAm inde ab Autumno anni 1561. cum poſt acceptum ab Academia Bononienſi publicum de ſtudiis meis, ætatis ann. 24. nondum completo teſtimonium, per aliquot menſes Antwerpiæ nulli obligatus Medicinam facere aggreſſus eſſem: Clariſſimi duo doctrinaque præſtantes viri, HENRICUS BRUCÆUS Aloſtanæ Reipublicæ in Flandria tunc temporis ordinarius Medicus, atque LEVINUS BATTUS in celeberrima Roſtochienſium Schola Philoſophiæ ac Med. Profeſſor publicus, ambo cognationis jure, & ſtudiorum communione mihi cõjuncti,

cæperunt mecum de varia communis artis materia ſubinde per literas colloqui.

Verum Epiſtolarum ἀπόγραφα quædam per occupationes alias interciderunt. Nec minus ultrò citroq́; ſcribēdi officiū per bellicas calamitates in Belgis paulò poſt obortas, adeoq́; meam, ex inteſtini belli patrię impēdentis formidine, ſpontaneam aliò transmigrandi neceſſitatē, ad tempus eſt intermiſſum: dum mihi meiſq́; ſedem tranquillam, Deus opt. max. pro benignitate ſua paterna, inter Vveſtfalos Lemgovij aſſignaſſet.

Illic demum reſumpto in manus calamo, ad mutuas ſcribēdi operas reverſi ſumus: & quidem majori quam ante ſedulitate: cum aliis de rebus, tum verò imprimis de nova Theophraſti Paracelſi Medicina: circa tempus illud, in uſum apud quosdam veniēte: per quam Galenica nōnullis in locis faſtidiri cepit. Quo affectu cum Doctor Lev. Battus correptus eſſet: ipſe quoq́; & mihi, veteris

veteris artis nauſeam movere conabatur. Verum ego, qui veriſimilibus à propoſito dimoveri nũquam aſſueverim: Firmamenta eius ad rationis trutinam expẽdere neceſſe putavi: alterniſque ita ſcriptionib. de veteri & nuper nata Medicãdi arte, inter nos conferri cœptum: auſu ſanè juvenili, & quidem triennio antè, quam mihi de THOMÆ ERASTI Antiparacelſicis certi quicquam conſtaret. Quamvis autem ad eruditionẽ Eraſtinam, ejuſdemque in examinãdis adverſariorũ probationibus ſolertiam, & refutandis judicij acumen, nihil addi poſſe videam: Nihilominus, ut & ab aliis de tali materia aliquid quondam tentatum fuiſſe: noſtramq; ætatem in otio nequaquam diffluxiſſe cognoſcatur: Hos literarios conatus, licet tunc per ætatem fortè præmaturos, non tamen, quod ſperamus, omninò inutiles futuros, à blattarum commercio, poſt XL. annorum detentionem liberatos, lucem videre publicam permiſimus.

Quibus nonnullos clarorum Medi-

corũ tractatus, velut adoptivos interſeruimus, & quidem duas ob cauſas, quarum prior, quod ſint tanquam reſponſiones ad Epiſtolas meas, per quas ipſis talia ſcribendi occaſionem dederam: Altera cum lectu ſint digniſſimi, ac perquam utiles, ut Lectori ad manus eſſent, qui fortaſſis alioquin in obſcuro manſuri fuiſſent, aut ſub cupidi Lectoris oculos, haud facilè perventuri. His itaque fruere, ac vale.

Præmonitum tamen te volo, Amice Lector, ne operis huius lectioni te accingas prius, quam lapſus operarum incuria commiſſos, quos fini operis ſubjunximus, ſuis quoſque locis correxeris: alioquin abſona ſubinde, mentique auctoris diſſentanea, præter opinionem occurrerent. Iterum vale 25. Auguſti 1611. ætatis meæ in annum LXXV. *benignitate Chriſti Ieſu productæ.*

HENRICUS SMETIUS
à LEDA.

JANI

JANI GRUTERI JC. HISTORICI ELECTORALIS, ET BIBLIOTHECARII PALATINI

Ad

HENRICUM SMETIUM A LEDA, VIRUM NOBIL. ET MED. PROFESSOREM SOCERUM SUUM colendum, de ſcriptis eius Medicis

SENARII.

V*Irtus quidem eſſe amica debet omnibus,*
Supraque amicos, atque junctos ſanguine:
Cultoribus ſed maximè Aeſculapij,
Sacram eſſe oportet, immo ſacratiſſimam.
Tanquam quibus jus fasque præſentaneum,
Vitæ necisque traditum humanum in genus.
Bonum ergo factum, immo optimum SMeti tuum eſt
Nullius in Doctoris, ora qui, fidem
Reſolvis, vni veritati obnoxia.
Hinc publico nunc ſcripta publicas tua,
Ad veritatis ſic amuſſim congrua:
Vt ambigat cohors ſacra Aeſculapio,
Hæc num docuerit ipſe te Aeſculapius,
An te magiſtro didicerit Aeſculapius.

IN

MISCELLANEA MEDICA NOBILISS. ET CLARISS. VIRI, HENRICI SMETII, à LEDA, ALOSTANI, Med. D. & Profeſſoris eiuſdem, in Acad. Palat. Elect. Soceri & compatris venerandi

ELEGIDION

LUCÆ STÖCKELII Spirenſis S.S. Theologiæ D.

FLoribus inſignem qui vult nexiſſe corollam,
Quæ recreet nares, lumina quæque juvet:
Colliget in pratis, Narciſſos ac Hyacinthos,
Lilia convallis, Leucoia, & violas.
Non tamen ut lectos nullo diſcrimine flores,
Et violas nulla miſceat arte ſimul
Floribus at violas ſic internectat odoras,
Vt juncta tribuant, accipiantque decus.
Tale tibi ſertum liber iſte dat, optime Lector,
Contextum pulcre floribus omnigenis,
Suavibus & violis, quales Peneïa Tempe
Nec dederint horti divitis Alcinoi.
Quippe Aſclepiadum Medico viridaria cultu,
Has violas, flores hos aluere tibi.
Et quæſita tibi (ne te labor ille gravaret)
Sunt digeſta ſuis ſingula quæque locis.
Hæc tibi collegit venerandi induſtria SMetI.
Rara verendarum gloria Pegaſidum.
Nec minus in medicis Podalirius atq; Machaön,
Sive opus ingenio, ſive opus arte pari.
Plaude igitur Lector, linguaq; animoq; voveto,
Vivat iö, vivat, SMetius ille diu.

AR-

ARGUMENTA EPISTOLARUM ET TRACTATUUM MEDICORUM PER LIBROS XII. DIGEſTORUM.

LIBRI PRIMI.

1. *EPos de Medica Artis antiquitate & præcellentia.*
2. *De purgantibus.*
3. *De roborantibus & aſtringentibus.*
   Tabella de cauſis imbecillitatis virium.
4. *Plenior de virium imbecillitate explicatio, & de roborantibus tractatulus.*
5. *De ructu acido & nidoroſo.*
6. *De ructu acido & nidoroſo, ex calida ventris intemperie nato.*
7. *De acido & nidoroſo ructu, iterum.*
8. *De ſimplicium affinitate cum certis corporis partibus.*
9. *De Helleboro.*
10. *De Hellebori albi & nigri decoctione & infuſione.*
11. *De Helleboro in ſubſtantia ſumendo.*
12. *De Hellebori utriusque decoctione & infuſione ſententia ſtabilitur.*
13. *De diebus criticis, eorumque cauſis.*
14. *Lunæ motum ad criticorum dierum cauſas nihil conferre.*
15 *An in morbis omnibus criſis exſpectanda.*
16. *De egregiis aliquot quæſtionibus Medicis.*

Libri Secundi.

DE occultis pharmacorum proprietatibus, quid & quotuplices illæ ſint; quibus in morbis, quomodo, quando, quem uſum habeant.

Libri Tertij.

EXplicatio trium quæſtionum de medicamentis purgantib. 1. An purgantia virtute occulta; an verò qualitate manifeſta agant. 2. Quomodo & quid agendo purgent. 3. An aliqua bilem ſolam: quædam pituitam tantum: nonnulla bilem atram ſolummodo, aliis humoribus relictis educant.

Libri Quarti.

1. DE ſolutione continui.
2. De hæmorrhagia ex vtero, quomodo curata.
3. De hæmorrhagia eadem pertinace, & hiſtoria Virginis Valetudinariæ mirabili.
4. Poſtulatur ſcriptum ab Henrico Smetio promiſſum, ſuper dicto Hippocratis: Naturæ morborum Medicæ.
5. De Aſtrologia judiciaria tractatulus, cùm Phavorini Philoſophi argumentis XVII, contra Chaldæos. Oſtendens ſimul Planetas plures eſſe, quam ſeptem, aliaq; ſidera plura à Neotericis, hoc ſeculo reperta.
6. Deſcriptio ægrotationis Henrici Smetij.
7. Hiſtoria plena, continuati per menſes XL decubitus ex morbo: variis monſtroſisq; Symptomatibus ſtupendo, in pudica piaque virgine, per obſervationes quotidianas collecta.
8. Flagitatur rurſus ſcriptum de illo Hippoc. Naturas eſſe morborum medicas.
9. De hæmorrhagia per anum.
   Item de animalibus actionibus omnibus in ſeptuagenario ſene graviter læſis.
   Item de parotide infantuli nobilis, in abſceſſum magnum verſa, fœliciter curatis.
10. De Endimio Weſtfalorum morbo, die veren appellato.
   Tractatus Iohannis Weyeri, in aula Clivenſi & Juliacenſi archiatri de varenis, Weſtfaliæ morbo Endimio permoleſto, ex Germanico idiomate in Latinum

num, opera Henrici Smetij converſus.

Libri Quinti.

1. D*E Theophraſti Paracelſi nova Medicina.*
2. *De Theophraſto Paracelſo judicium D. Brucai.*
3. *De Paracelſo & Theſibus de Peſte.*
4. *Petitur ſcripti de occultis pharm. proprietatibus Evulgatio, ſuasque quaſtiones de purgantibus, hydrazgyro & ſtibio explicari. Certamen ſuum cum Paracelſico Erudito indicatur, & adverſarij argumenta producuntur.*
5. *Promittitur ſcripti de occultis Pharm. viribus, & de purgantibus editio.*

Antiparacelſicorum pars una in Autumno, altera mox deinde proditura, & plura adverſariorum argumenta ſuffici petuntur.

6. *Offertur Henrico Smetio medicandi munus in Aula Ducis Mechelburgici Joannis Alberti.*
7. *Renuitur medicatio ab Aula Smetio oblata, Eraſtumque contra Paracelſum ſcribere indicatur.*
8. *Reſpondetur ad objectiones de Peſte, & deſcriptione Eraſti contra Paracelſum.*
9. *Gratulatio de promiſſorum editione, atq; H. Brucai iudicium, cum exſpectatione de propoſito D. Eraſti indicatur.*
10. *Reſpondet ad literas Doct. Hectoris Mithobij, & de mirabili Hilmari Munichuſii morbo ſententiam declarat.*
11. *Primam Antiparacelſ. partem ſe transmiſiſſe: Brucai iudicium ſibi placere, eiuſdemq;, de ſcriptis ſuis ſententiam, ubi perlegerit, liberam ſe poſtulare indicat.*
12. *Antiparacelſicon 1. & 2 partes ſe accepiſſe: & quomodo Brucai ſententia accipi debeat, quantumq; vir ille Eraſto tribuat, ſcribit.*
13. *De diarrhaa & dyſenteria contagioſis.*
    Item de caco per nares vidente.

Theſes

Theſes D. Eraſti de contagio.

14. *Brucai cenſura, de theſibus contagii.*

15. *Adhortatio ad morbos ſubſtantiæ impugnandos.*

16. *D. Eraſti reſponſio, ad D. Brucæi cenſuram de theſibus contagii.*

17. *D. Brucæus ad reſponſionem Eraſti de contagio quædam replicat.*

Libri Sexti.

1. *ANtiparacelſica, theſesq; de morbis in ſubſtantia legendi adhortatio.*

2. *Theſes de morbis in ſubſtantia, in plerisq; placere ſibi quidem, ſuſpendere tamen judicium, donec relegerit accuratius.*

3. *Vrget lectionem earum accuratiorem, quum maximi res ſit momenti.*

4. *H. Brucæi cenſura, de morbis in ſubſtantia.*

5. *Doct. Eraſti reſponſionem mitti.*
Iudicet autem liberrimè. Eraſtum enim velitatione Smetii cum D. Batto perlecta, ſtimulatum, rem ſolidè pertractare ſtatuiſſe.

6. *Eraſtus reſpondet ad cenſuram Brucæi, obiectionesq;, contra theſes de morbis in ſubſtantia, factas.*
Theſes D. Eraſti de putredine.

Libri Septimi.

1. *H. SMETII Commentariolus ſuper illo dicto Hipp. Naturas eſſe morborum medicas.*

2. *H. Brucæi cenſura de eodem Commentario.*

3. *Brucæus de valetudine ſua queſtus, mittit ſuas de triplici hydrope theſes, & judicium petit.*

4. *H. Smetii animadverſiones in D. Brucæi theſes de triplici hydrope.*

5. *Theſes Smetii de humoribus.*

6. *Theſes eiusdem de humorum neceſſitate.*

7. *Theſes Smetii de humorum putredine.*

Libri Octavi.

1. *DE Monocerote eiusq; cornu Einhorn, H. Smetij Commentarius.*

Examinatio Unicornu Electoris Palatini.

2. D. Brucæi cenſura in theſes de humorum neceſſitate, & febre tertiana exquiſita.

3. Smetius reſpondet ad cenſuram D. Brucæi.
Smetii theſes de Epilepſia.

4. D. Brucæi reſponſio ad animadverſiones H. Smetii in theſes ſuas de hydrope triplici, docetq; qua ratione hydropicos duos curaverit. Simul contra Smetianas theſes de Epilepſia quadam adfert.
H. Smetii theſes de calore.

5. D. Brucæus theſes de calore oppugnat.

6. D. Brucæus inſtat latius, calorem nobis innatum non eſſe cœleſtem.

7. H. Smetii reſponſio contra argumenta eorum, qui animas humanas ex traduce eſſe negant: Sed recenter à Deo creatas fœtibus infundi aſſerunt: Ex quo colligitur calorem noſtrum eſſe cœleſtem.

8. Theſes viri docti de loco putredinis in febribus intermittentibus diſputata anno 1599.

9. Examinatio earum à D. Smetio facta.

Libri Noni.

1. In Dioſcoriden H. Smetii præfatio.
2. Dioſcorideæ præfationis explicatio.
3. Odoratorum ſimplicium per XXVII. capita examinatio ab H. Smetio inſtituta.

Libri Decimi.

Rariorum aliquot morborum & ſymptomatum obſervationes per 44. annos medicinam factitando, collecta.

Libri XI.

1. Queſtio, an ſtudia medica Reipublicæ ſint neceſſaria, à D. Smetio ſoluta.

2. De duo-

2. *De duobus inteſtinis nobiſcum natis vitæ noſtræ hoſtibus, puta calore nativo & ſanguine.*
3. *Explicatio Conſilij à Paulo Apoſtolo dati: Ne amplius aquam bibas; Sed utere vino modico, propter ſtomachum tuum, crebraſque infirmitudines tuas.*

De aquarum differentiis earumq; commodo aut incommodo. Item de cereviſia, eiusq; parandæ ratione.

4. *De vinorum differentiis eorumq; commodo aut incommodo.*
5. *De Scholis & Legibus oratio.*

Libri XII.

1. *VElitatio de nova Medicina Paracelſi, inter Doct. Levinum Battum & Henricum Smetium per Epiſtolas* XXII. *ab anno 1569. inchoata.*
2. *De varietate & copia remediorum Theophraſti Paracelſi contra morbum caducum ſeu Epilepſiam.*
3. *Examinatio vitæ Paracelſi.*
4. *Plurimos eſſe morbos incurabiles & lethales fatentur Paracelſus ipſe, ejusq; diſcipuli.*
5. *Ad argumenta* IX. *pro Chymicis de auro factitio producta, H. Smetij reſponſio.*
6. *Theſes D. Lev. Batti de Epilepſia dignoſcenda & curanda, ſecundum doctrinam Theophraſti Paracelſi.*
7. *Examinatio earundem per H. Smetium facta.*
8. *Epiſtola D. Dan. Miverij, Medici, de D. Ioſepho Michelio, Paracelſico celebri.*
9. *Epiſtola Licent. Caroli Batti, Medici de eodem D. Joſepho Michelio.*
10. *Epiſtola D. Ioan. Paludani, de D. Petro Severino Dano Paracelſico celebri.*
11. *Eucharisticon carmen, Henrici Smetij à Leda, vitam ejusdem complectens.*

HENRI-

HENRICI SMETII A LEDA ALOSTANI MED. PROFESS. IN ACAD. HEIDELB.

MISCELL. MEDICORUM LIB. PRIMI EPIST. PRIMA.

De Antiquitate & præſtantia Medicinæ.

EPOS

AD FRIDERICUM IV. ELECTORALIS PALATINATUS HEREDEM, pupillum: Acad. Heidelb. ſecundo Rectorem Magnificentiſſ.

A QUÆ *Medicis prima laudes ab origine rebus*
Accedant: quanti auctoris ſe nomine tollant:
Qualibus ornatæ priſco cultoribus ævo
Claruerint: quantos uſus, quæ commoda vitæ
Communi pariant: quantumque humana medelis
Gens egeat, triſti morborum ſubdita ſemper
Imperio, referam. Chriſte o ter maxime rector
Cælicolum, ſummique Patris mens unica, per quem
Ex nihilo cœpit, perſtatque hæc machina mundi,

 Qui-

Quique bonas aperis terrarum civibus artes,
Annue; & his æquas conatibus adjice vires.
Tu verò præſtans animi, & virtutis avitæ.
Cæſarea de ſtirpe genus, dux inclite, qui jam
Palladii rurſus moderaris ſceptra Lycei:
Vosque ad o, quorum meritis & nomine claro
Gymnaſii ſuccreſcit apex, ſeque erigit altè
Inſignes ô laude viri, quibus ardua virtus,
Ob pulcrum varia ſpectatum robur arena,
Candida Phœbea redimivit tempora lauro: A
Eſte novo vati faciles; lætisque favete
Frontibus. accreſcunt animi virtusque favore.
Si quis ab antiquo ſplendor proceſſerit ævo,
Si decus inventis ullum dedit artibus auctor;
Stat primo Medicina loco, reliquasque vetuſto
Iure ſuperba præit. ſiquidem quum prima futuro
Omnipotente manu jacta eſſent ſemina mundo;
Iamq; recens tellus vernantem condita vultum
Induerat: turpe ante nefas morbosq; nefandæ
Culpæ carnifices, ante ipſa exordia gentis B
Humanæ; Medicina pari mox tempore cœpit.
Quippe ſecuturi lapſus, pœnæque minacis
Præſcius aſtripotens; ut cetera gramina brutis,
Sic etiam querulis hominum languoribus aptas,
Omniparente ſolo, produxit providus herbas,
Primigenæ voluit notas quas eſſe colono.
Ipſa gravis ſacri, venerandaque pagina libri,
Aſſerit à ſummo hanc artem veniſſe Iehova,
Solamen cœlo miſſum mortalibus ægris.
Præterea naſci terrâ quæcunque videmus: C
Præd.cat æterno formata exiſtere verbo

Phar-

Pharmaca; moroſo non averſanda Catoni.
His Medici ſtudioſa fides, occurrere morbis
Advigilat; cui rex ſuperum decernit honores
Arte pia dignos, conjunctaque præmia laudi.
Nam caput artificis, doctrinæ gloria, & amplæ
Subvehit artis honos; magni mirentur ut illum
Heroës; meritumque decus teſtantia, reges
Dona ferant: quippe & Medicum divina creavit
Dextera; quòd nequeat vita illo humana carere.
A *Aſt indiſcretis primus ſua nomina plantis;*
Divini effigies vultus, & ſtirpis origo
Terrigenæ Adamus poſuit: carosque nepotes
A Medico doctus cœli terræque potente,
Pallentes docuit lenire & pellere morbos.
Exinde Aſſyrii dites, Arabesque beati,
Et Pharii populi, ductuque propaginis orta
Poſteritas, artem vigili coluere labore.
Nec ſine judicio rerum ſtudioſa vetuſtas
Inſpectrix, ſtirpesque ſuis uſumque medendi
B *Numinibus tribuit. ſic Phœbo nomen* ἀπόλλων
Ἀκέστωρ καὶ ἀλεξίκακος. *quia dicitur artem*
Curandi monſtraſſe prior, morbosque fugandi.
At crocodiliferi gens dives, & accola Nili,
Grata repertorem Medicæ vocat artis Oſirin.
Sunt qui Mercurium dicant: illique Hygieas
Conjungant ſtatuam: quod multas ille ſalubres
Protulerit plantas: hinc mercurialis & hirta
Fronde philomus, bulboque atrato nobile moly;
Quin etiam ſceptro placidis, belloque ſuperbis,
C *Imperitans latè populis, duxiſſe putatur*
Primus odoratos Medicinam Bacchus ad Indos.

Conſultus, Pharii ſeptena per oſtia Nili,
Præſes Ioſephus; cum jam pius ille Iacobus
Vivere deſierat, vitæ ſatur atque laborum:
Iuſſa ſuis Medicis dabat: ut venerabile patris,
Myrrha & Balſameo condirent unguine corpus.
Sic à diluvio quingentis plus minus annis,
Res Medica in pretio, Medicique in honore fuerunt.
Phillyrides tamdem Chiron, quo juſtior inter
Nubigenas nemo; civesque urbesque peroſus,
In nemora & ſaltus puer abſceſſiſſe quietos A
Fertur; & arboribus fruticumque virentibus umbris,
Et varios illectus humo fundente colores,
Aſſiduum Medicam, longi per temporis uſum,
Doctus opem, ſolas inter coluiſſe Napæas.
Forte pharetratum, fumoſi paupere tecti
Ceperat hoſpitio Alciden (nec is inſcius artis
Nempe ſideritimque, & hyoſcyamum & panaceam
Invenit, docuitque alios) dum grandia verſat
Hoſpitis arma, arcumque trucem, clavæque trinodis
Pondera, Lernæo ſatiataque tela veneno: B
Incauto prolapſa pedes malefida ſagitta
Sauciat. hoc notæ nuper medicamine curat,
Quam de gente ſua dixit centaurion, herbæ.
Cujus ſub ferula (nam multa peritia rerum
Fecerat inſignem, populique per ora ferebat)
Formandum pater Aeäcides commiſit Achillem
Aetatis teneræ; quem ſtrenuus ille magiſter,
Non modo virtutes docuit, moresque, lyramque,
Et grave Martis opus: verum quæ cuique poteſtas
Naſcitur, & teneræ præſens manet inſita plantæ. C
Et quam doctus erat, porrò quoque fidus amicum

Inſtituit

Inſtituit Medica Pelides arte Patroclum,
Teſtis Achillæa eſt, de ſe quam dixit Achilles.
Ille idem multo ante tuum Latonie vates,
Quem cæſa abſtuleras enectæ matris ab alvo,
Nutrierat natum; quique in veſtigia patris
Creſcebat, puero notas monſtraverat herbas.
Inde labaſcentem callens reparare ſalutem
Stirpibus; & profugam defunctis reddere vitam
Corporibus; Phœbi proles, orante Diana
A *Hippolytum Phlegethontæis revocavit ab undis.*
Primus is obductis circumdare vulnera pannis;
Purgataque malos alvo ſubducere ſuccos
Repperit: & putres gingivis vellere dentes:
Vt miſera infandis cruciatibus ora levaret.
Hinc ἀρχιητρὸς dici, numeroque Deorum
Inferri meruit. celebrat panacæa ſecunda
Nominis auctorem, multique aſclepias uſus.
Peſtifer Auſonios vitiarat ſpiritus agros,
Et ſtabula armentis exhauſerat, arva colonis.
B *Iamque horrenda lues, multas graſſata per urbes,*
Denſa dabat paſſim miſerando funera luctu.
Cum feſſi rerum patres, inopesque medelæ,
Supplicibus velis, properisque Epidauria remis
Littora adire jubent: votisque accerſere numen
Phœbigenæ. veniente Deo contagia cedunt.
Eſt locus in geminas ſciſſo qui Tibride partes
Alluitur circum; vulgo tenet Inſula nomen.
Hic illi optato Romanus in amne ſenatus,
Perpetuo ſacrum poſuit de marmore templum,
C *Pro meritis; certosque aris indixit honores.*
Cur verò aſſidua delubrum lambitur unda?

Sæpe quod illimis fontana ſit utilis ægro.
Tradita cur vigili fani eſt tutela draconi?
Nempe quod ægroti Medicum vigilare ſaluti
Par ſit: & ægrotum Medico parere viciſſim.
Ni faciat miſer, & neglecta lege medentis,
Arbitrio vivat proprio; ſæpe injicit atras
Ante diem fera Parca manus inopinaque, vitæ
Stamine præciſo, morbis Libitina medetur.
Cur ſtatua in læva baculum geſtabat agreſti
Aſperitate rudem, crebroſque in cortice nodos? A
Difficiles ſtudii Medici notat ille labores,
Spemque artis dubiam. capiti quoque tempora circum
Laurus erat Phœbi, Phœbei ſanguinis index.
Et ſacer aſtabat criſtati verticis ales;
Sanguine qui tepidas feſtis ſolemnibus aras
Imbuat: infirmo volucris quia cocta cerebro
Convenit: & lapſas revocant ea prandia vires.
Talia Romani tanto pro munere, quondam
Feſta Coronidæ Medico, templumque dicabant,
Huic etiam magno multum debere fatetur B
Cultori Medicina ſuo; quo patre creati
Illuſtres bello gemini, & virtute paterna,
Prodibant fratres: qui Dorica ſigna ſequentes,
Trojam cum Danais, Agamemnoniaque phalange
Delàti, à Phrygiis ſocios mala vulnera paſſos,
Officio ſimul, & Medica pietate levarunt.
Ante ſalutari, falſis mugitibus agros
Implentes (lævi quærunt dum cornua fronte)
Prætidas à furiis curaverat arte Melampus,
Et rabiem lympha primus frenârat Iacchi. C
Iupiter at poſtquam Stygiis redeuntis ab umbris

Hippo-

Hippolyti, invitis (ſunt dura hæc numina) Parcis
Fracta ſemel rurſum integro coiiſſe tenore
Fila videt, vitamque colo manare recentem:
Invidet humano Iovis explorarier artes
Ingenio; ſceleriſque reum depoſcit; & ira
Excandens: i nunc ait, & velut ante pudico
Theſidæ, fugientem animam tibi redde medendo.
Dixit. & ignito proſtratam fulmine prolem
Phœbeam, ſolitas vetat exercere medelas.
A *Sic igitur longo luſtris labentibus ævo,*
Invidia latitare Iovis Medicina coacta eſt.
Quinque ſed emenſo ſimulac volventia curſu
Sæcula tranſierant (tot enim numerantur ab icto
Fulmine Phœbigena, Perſis dum ſceptra geruntur
Septima) non ultra paſſus ſua munera Phœbus,
Informi neglecta ſitu ſordeſcere; Coum
Excitat Hippocratem, qui cæcis illa tenebris
Eruat, ornatuque ſuo producat in auras.
Hic igitur brevibus prior & caligine raptam,
B *Rem Medicam ſcriptis, certam digeſſit in artem.*
Quem non indigno Medicinæ ſera parentem,
Nomine poſteritas dicat; quia nempe latentem
Edidit ingenio, velut alvo pignora mater.
Hic ut ab Illyricis peſtem præviderat arvis
Lethifero infectum manare per aëra tractu,
Actæiſque luem venientem incumbere terris:
Motus amore pio, miſſis per ſingula paſſim
Oppida diſcipulis; juſſo medicamine, totam
Hellada defendit, prohibens lethale venenum.
C *At tantum merito ne fraudaretur honore*
Officium; populi communibus Attica votis,

Herculeas illi ſacrabat liba per aras.
Nec fuit obſcurus fama gelaſinus eodem
Tempore Democritus, rari medicaminis auctor;
Quo volucrum linguas, & præpetis omina pennæ,
Rite queas ultro cognoſcere; ut affluat ipſum
Sponte ſua augurium, doceatque latentia fata.
Ille novas prompta mente ingenioſus ad artes,
(Omnibus optatam ſemper rem matribus) idem
Pharmacon effecit, docuit quo pignora naſci,
Quæ forma & probitas celebret cum ſidere fauſto. A
Inde Caryſtæa nutritus in urbe Diocles
Littoris Euboïci, famaque ævoque ſecundus
Hippocrati, varia ingenii monumenta ſagacis
Edidit, ætati mirè laudata ſequenti.
Quin regi Antigono monſtrans præcepta ſalutis
Servandæ, hoc ipſo ſervatur epiſtola ſæclo.
Tum quoque Praxagoræ auditor, Chalcedone natus
Herophilus; ſectas accuſans doctior omnes
Falſarum hæreſeon; per muſica tempora primus,
Reſpectu ætatum, varios cognoſcere motus B
Venarum docuit: ſed moles dura negoti,
(Quod coluiſſe prius Muſas opus eſſe viderent)
Diſcipulos repulit, ſectamque eluſit inanem.
Cumque ſui primos inter tunc ordinis eſſet:
Pharmaca divinæ vocitabat munera dextræ.
Quippe quod efficiunt, ſolo pia numina tactu;
Pharmaca idem præſtant, fidus quæ comprobat uſus.
Signa venenorum, methodumque venena domandi,
Conſcripſit Colophone ortus Nicander equeſtri.
Mente ſagax tamdem labente Eraſiſtratus ævo, C
Vitali ex vena pulſu, vultuſque colore,

Tor-

Torqueri infando deprendit amore noverca
Antiochum; tacitiſque animum tabeſcere flammis.
Unde mali cauſam miſerante parente Seleuco;
Quæ modo mater erat, nato conceditur uxor.
Hinc Aſclepiades nova per compendia clarus,
Facundi poſita perſona rhetoris, arte
Evaſit Medica! qui dejicientia tollens
Pharmaca, quæque cient vomitus; jejunia ventre
Irato, duramque ſitim, legesque movendi,
A *Mandabat cupidis vitæ dulcisque ſalutis.*
Is conclamati juvenis cum fortè cadaver
Pollinctum, triſtique rogo, cenæque paratum,
Cerneret ad muros, mœſta cingente corona
Depoſitum; doctis oculis, manibusque peritis
Explorans; procul inde faces & funeris ignem
Eſſe jubet; feretroque domum (nam vivere clamat)
Inde reportato; profugam mira arte reduxit
Defunctis animam membris, ſolitumque vigorem.
Quin & Anazarbi egregio Medicina labori
B *Grata Dioſcoridis, meritas perſolvere laudes*
Poſſe negat; qui caſtra ſequens Romana, ſubactis
Armenio Parthoque truci, Medoque Phraate,
Vulnera, languoresque manu curabat & herbis.
Namque papyriferi dum pinguia littora Nili,
Otia lentus agens luſtrat, quo tempore vicit
Prodiga amatorem luxu Cleopatra tyrannum:
Simplicium quæ terra fovet; quæ pervius aër;
Quæ liquor udus aquæ; planta genus omne virentis;
Quadrupedes; volucresque leves, piſcesque ſilentes,
C *Reptantesque feras, & humo occultata metalla,*
Quid proſint, noceantque homini deſcripta reliquit.

Euphorbi Numidæ frater, ſed jure Quiritum
Muſa fruens, & Pæonia celeberrimus arte:
Auguſtum gravis oppreſſum diſcrimine morbi
Eripuit; primos inter quem Cæſar amicos
Pro meritis coluit, cuſtoditaque ſalute.
Et reduci vitæ dilecti Cæſaris, ordo
Tergeminus regni Auſonici gratatur; & uno
Conſenſu, æterni monumentum nominis, aras
Cæſareo Medico, ſimulacraque proxima ponit
Phœbigenæ: ſocii non indignatur honore A
Ille Deus; gaudet ſibi creſcere numina Tibris.
Non etiam Celſi ſublimis gloria, magno
Ceſſerit Hippocrati; qui terſus & ore Latino
Romulidum primus, Medicinam codice totam,
Quæ victu, medicamentis, dextraque medetur,
Tradidit exiguo. dignam quoque cenſuit artem
Ingenuis; & Romana gravitate Quiritum.
Nec verò minimum communi contulit arti
Andromachi ſenioris opus, ſacrata Neroni
Theriace; quæ dira venena, ictusque ferarum B
Frangit, & incautis innoxia pocula reddit,
Securasque dapes; qua vel ſola hactenus auctor
Nobilis, extento famæ decus obtinet ævo.
Sed quis Apollinea magnum virtute Galenum
Prætereat? jus fasque vetant: qui ſemina primum
Hippocratis projecta manu, conamine fido,
Agricolæ in morem coluit; ſparſitque feracem
Ingenii turgente ſui de flumine rorem:
Vnus enim nobis perfectæ tradidit artis
Phœbeæ ſpeciem; quamque ullo tempore Cous C
Se vidiſſe ſenex, fieri quoque poſſe negabat:

Expreſ-

Expreſſit variis per multa volumina libris.
Hic igitur Medicos merito dum viveret inter
Eſſe ferebatur princeps, rerumque potiri:
Tantus in arte fuit: cujus ventura perennem
Officiis ſemper cantabunt ſæcula laudem,
Et nomen populos extendet fama per omnes.
Quin etiam ſtudium Samia tellure creati
Pythagoræ videas, noſtra verſantis in arte.
Qui ne forte patrem, vel avum, vel ſanguine junctum,
A *Impius incautis laniaret dentibus unquam:*
(In corpus tranſire animas de corpore credens)
Suſpectas epulas animantum viſcera vitat.
Et facilis paſſim donat quæ munera tellus,
Nec ſine delectu Medico, non omne legumen
Veſcitur; at fidis ſua prandia tranſigit herbis.
Fertur enim varias ſcripſiſſe volumine plantas,
At cramben proprio, ſcillæque encomia libro.
Quique omnis ſophiæ præcepta minoribus ævo,
Verſibus Empedocles, à ſe conſcripta reliquit,
B *Clarus & arte valens, defunctæ luce puellæ*
Aetherea, vitæ deſertum reddidit uſum.
Quis Stoæ proceres, præceptoremque Lycei,
Quique Academiacis ſophiam tradebat in umbris,
Pæonii neſcit conſperſos pulvere circi?
Acceptas Chryſippe ſuas tibi braſſica laudes
Non negat. & Zeno celebrando in cappare ſudat.
Moſchio mordacis raphani præconia dixit.
Multa Theophraſtus divino Lesbius ore,
Mellifluis avidas cujus ſermonibus aures,
C *Diſcipuli bis mille dabant; verè aurea liquit*
Dogmate de plantis, quæ poſtera ſuſpicit ætas.

Porcius

Porcius ipſe Cato, quamvis ob crimina morum,
Oderat artifices, numquàm tamen oderat artem:
Primus enim ſoluſque diu Romanus in oris
Italiæ, docuit plantas; artemque medendi,
Qua ſibi quiſque domi concredita corpora curet,
Atque eadem multam conſervet ad uſque ſenectam.
Heroa quoties cum fratre Machaona vates,
Qui canit Iliaco bellantem littore Achillem,
Tollit ad aſtra tuba? quanto radicibus atrum
Carmine Moly ſonat? quondam quo lætus Vlyſſes A
Germine non timuit virgam neque pocula Circes.
Et quam Tyndaridi mœrenti incendia Trojæ
Erroreſque maris, Pharii regina Canopi,
Solamen miſeræ dederat Nepentheos herbam;
Hujus enim ſuccus, vino permiſtus amaras
Diſpellit curas, inamœna nubila mentis.
Mille viris idem Medicum pugnacibus unum
Antetulit; gnarum membris hærentia docta
Vellere tela manu, ſævumque levare dolorem.
At facilem malvam paſſim quæ compita circum B
Naſcitur, aſphodelumque infra cui plurima bulbis
Luxuriat radix numero; poliumque capillis
Aſſimile humanis incaneſcentibus; ipſe
Carminibus celebrat vates Parnaſſidos Aſcræ.
Iaſiden quanta divini muſa Maronis
Laude canit Medicum, & dictamni nobile gramen
Gramen in Idæis natum quod montibus, alto
Vulnere defixas tacita virtute ſagittas,
Leniter admotum, nullo cogente, revellit.
Et Macer Æmilius Naſoni gratus amico, C
Sæpe ſuas legit volucres, diroſque nocendo

Serpentes

Serpentes, & quas doctè deſcripſerat herbas.
Quis numeret reges ſummosque heroas in iſto
Verſatos ſtudio? qui ne longæva vetuſtas
Et Lethæa ſui raperent oblivia famam,
Perpetuis inſcripſerunt ſua nomina plantis,
Scilicet hæc certi manſura manentibus illis.
Telephus Alcida gaudens genitore ſuperbo,
Cecropiusque Alcibiades, domitorque leonis
Lyſimachus, memores proprii dant nominis herbas.
A *Fecit idem rex Illyrica quoque Gentius ora.*
Et Syriæ Antiochus ſceptro qui rexit habenas,
Eupator. & Circe Pæanis filia Phœbi.
Et Ledæa Helene; Mauſolique inclita conjux.
Nec fuit artis inops monſtrata teucride Teucer,
Aeacida Telamone ſatus, poſt eruta bello
Pergama, cum ſolus ſine fratre Ajace revertens,
Cogitur irato nova quærere regna parente.
Quid fovet æternos laudem Mithridatis in annos?
Anne, quod eximio nervorum robore præſtans,
B *Fortiter effrenum juga ſex domitarit equorum?*
Viverene extinctum facit oris docta diſerti
Lingua, bis undenas referens idiomate gentes?
Haud equidem, neque de variis victoria bellis
Parta; ſed inſignis medicando dextera nomen
Immortale dedit toti innoteſcere mundo.
Hic anatum quas Pontus habet, miſcere cruores,
Et nocuum primus medicatos ponere virus
Antidotis docuit. namque horum dicitur auctor,
Inventique fidem facient tibi pharmacopolæ
C *Mortifera incautis biberis ſi toxica labris.*
Nec negat auctorem diris hoſtile venenis

Scordion,

Scordion, antiquam ſervans Mithridatia nomen.
Præterea illius teſtantur fata medendi
Notitiam. ſiquidem cum ſævo à Pharnace preſſus
Obſidione, gravis, per lurida pocula, vitæ
Tædia, & infauſtos tentat finire labores;
Perfida deficiunt moriturum toxica; vimque
Neſcivere ſuam; quoniam muniverat ante
Antidotis ſtomachum crebris. ſed ferrea tela
Invenere necem, quam victa aconita negabant.
Et qui Pergameas, auri ditiſſimus, arces A
Legavit moriens populo ſua regna Quiriti,
Attalus; arcendis dum temperat apta venenis
Antidota; ingenti ſumpta & conamine magno,
Singula conquirens didicit. factoque periclo
Simplicium, vitæ ſcripſit communis in uſum.
Quis neget Euphorbi digitis, Atlante revulſa,
Afra Iubam Numidum ceciniſſe Euphorbia regem?
Quantus & hac Arabum regnis qui præfuit Evax
Cognitione fuit, teſtantur miſſa Neroni
Scripta; quibus docuit, quæ cuique potentia gemmæ, B
Nataque vis plantæ; quarum docta iconas arte
Pinxerat artificis vivæ manus æmula formæ.
Aelius ut varios Adrianus Cæſar in orbe
Sedârat paſſim, magna virtute tumultus;
Abdita quo Medicæ doctrinæ arcana teneret:
Tota ſeneſcentis placidus dedit otia vitæ;
Antidotum nobis Adriani nomine linquens:
Dum numero heroas (licet illi ætate vetuſta
Floruerint) haud tertie te Friderice tacebo,
Fide Palatinæ cuſtos & gloria gentis, C
Sancte pater patriæ; quem Maximus Aemilianus

Cæſar

Cæſar honorabat; quem frater uterque timebat
Rex Gallus; tua te pietas, puræque fidelis
Relligionis amor, dubiis exercita rebus
Caſta fides, animi candor, conſtantia prudens,
Terribilem conjurato te reddidit hoſti:
Qui quamvis primos gereres ſeptemvir honores
Imperii, & lata populos ditione teneres:
Attamen ut curis animum mordacibus ægrum
Laxares: te ſæpe manu tractare perita
A *Pharmaca, & ægrotis facilem ſuccurrere vidi,*
Quando tua Medici fungebar munere in aula.
Sed jam ſufficiant peregrinæ nomina turbæ:
Exemplisque mihi liceat gravioribus uti.
Cernis Erythræo deductæ à littore genti,
Legifer ut dapibus dederit diſcrimina Moſes?
Qui potuit dux ille ſuis diſtinguere certa
Lege cibos, niſi Pæonia verſatus in arte?
Et qui Ieſſiadæ ſuſcepit regna parentis,
Mentis opumque potens Salomon: cui conditor orbis,
B *Fundamenta ſui, laqueariaque aurea templi*
Exſtruere, & cælo juſſit ſubducere tecta:
Hunc divina ſacris teſtantur ſcripta libellis,
Materiem Medicam, quamcunque hæc machina mundi
Ampla tenet: jumenta, feras, celeresque volucres,
Et ſquamoſa movent tacitis quæ corpora pinnis,
Reptiliumque genus, mente indagaſſe ſagaci.
Præterea quicquid terræ radicibus hærens,
Incrementa capit, celſa à Libanitide cedro,
Vſque ad lanatum neglecto in pariete muſcum,
C *Ingenio luſtrata, ore enarraſſe diſerto.*
Nec vates Amoziades ignarus haberi

Debeat:

Debeat; afflictum qui lethali ulcere regem
Ezechiam, paſſæ impoſito cataplaſmate ficus,
Reſtituit ſanum, ſævoque dolore levavit.
Squalida Tobiæ leucomata oborta videndi
Obtuderant aciem; damnum quod fortè jacenti
Nocte foris (cum feſſus amici funere mæret)
Excernens calidum, prænuncia veris hirundo
Intulerat, pulſo tollenti lumina ſomno.
Luce ſeni capto, Tigrini piſcis amaro
Felle medebatur Raphaël miſſus ab alto. A
Quin etiam pura genitus de virgine Chriſtus
Filius ipſe Dei, conceptus flamine ſancto,
Verus homo, verusque Deus, ſub imagine ſervi,
Optimus upilio; longis erroribus actas
Collecturus oves, patriæ ſub limina caulæ,
Ex Acherontæi dereptas faucibus Orci:
Hanc decorare ſuo non dedignatus honore eſt.
Dum cutis emendat vitium, quam corpore toto
Dira melancholico fœdarat lepra veneno.
Aut pareſi laxis membris, lentore tenaci B
Impediente vias animæ, tenuesque meatus,
Amiſſas raparat vires, ſolitumque vigorem.
Aut alias ſputo, facili medicamine, miſto
Pulvere, nativa juvenis caligine cæci
Leniter obducens oculos, juſſaque lacuna
Ablutos, ſubita donat virtute videndi.
Fatur enim, non quæ ſolido ſtant robore membra;
Sed quibus infirmo ſublapſæ corpore vires,
Indiga Pæoniæ auxilium depoſcere dextra.
Hinc & Apoſtolicus donoque operaque medendi C
Gaudebat cœtus; peragransque ſalutifer orbem,

Cor-

Corpora ſanabat paſſim pereuntia morbis.
Ipſe quoque æternæ qui nuncia læta ſalutis
Præco tulit Lucas; eaque immortalibus omnes
In populos ſcriptis diffudit; is ante ea Athenis
Pharmaca tractavit, Medicamque exercuit artem.
Quam neque neſcivit, fidei cæleſtia ſanctæ
Semina, qui vanis Aſiæ per rura colonis
Inſperſit Paulus: juveni dum conſulit ægro,
Pocula Gnoſiaco modicè miſcere Lyæo.
A *Præclara ô ſtudia! ô verè data munera cælo?*
Quæ neque cælicolum puduit pia numina divum,
Non etiam magni natum coluiſſe Iehovæ.
Ne mirere igitur Medicinam tempore priſco,
Tantum laudis apud ſummos meruiſſe monarchas.
Viderunt non humanæ per mentis acumen,
Hæc arcana capi: ſublimi opus eſſe vigore.
Volve vices rerum varias, diſcrimina ſexus,
Aetatumque gradus, perſonas, conditiones,
Atque artes hominum, parteſque meabilis anni.
B *Diverſos cæli tractus, diverſa locorum*
Climata; quàm multis conſtet regionibus orbis;
Vtque poteſtates variet mutabilis aër,
Quam variis animi pateant affectibus; & quàm
Multiplices veniant in prodiga prandia lances.
Hæc ſi perſpicias; ad ſingula quæque videbis
Corpora mutari, morboſaque ſemina naſci.
Ex his centuplices morborum ſurgere formas,
Et junctos totidem comites ſymptomata morbis:
Et plures horum ſpecies, nec nomine notas,
C *Nec numero. tot monſtra tamen noviſſe medentem*
Singula; difficiles ortus, cauſaſque latentes

Indagare decet: tum quàm mirabilis iſte
Structuram microcoſmus habet, ſub pelle latentem
Mollicula; quæ ſpermaticæ, quæ nomine partes
Organicæ; quæ forma, ſitus, ſubſtantia, moles,
Quive illis numerus, nexusque, exortus, & uſus.
Præterea refert addiſcere, corporis unus
Temperie qua quisque ſiet, quem ſingula ſuccum
Fercula progenerent: quadrupes licet illa, vel ales
Freta cita pennis, cicur aut fera præbeat; aut quæ
Flumine vel pelago ducunt animantia vitam. A
Et quid eorumdem partes, & viſcera poſſint,
Aut partus etiam; virtus quæ cuique ſit herbæ,
Quæ frutici, quæque arborib. quas ſemina, fructus;
Flos, folium, cortex, radix, coma, germina, ſuccus,
Et lignum vires habeat; quas gemma, metallum,
Glæba putris, durusque lapis, quæque omnia paſſim
Aequore fecundo tellus naſcentia profert,
Viſceribusque eadem penitus, quæ nutrit in imis.
Et quid quæque ferat regio: quam ſpectet ad auram;
Qui venti, qua parte volent; quos ſidera cæli B
Effectus habeant; quid lucidus anguis, & hædi,
Quid Lyra, quid Delphin, quid Pegaſus, Hydra, Bootes,
Stella quid Arcturi moneat; quid Sirius ardor,
Quid triſtes Hyades, quid Pleias & aureus armis
Nunciet Orion, quando mergantur in undas
Aut pelago ſurgant, quid ſignet menſtrua Phœbe,
Quid grave Saturni ſidus, quid dira cruenti
Martis flamma vehat; quid Mercurii vagus ignis
Ingenio verſet vario; quos erret in orbes
Quisque Planetarum. cuncta hæc Medicina requirit, C
Cui ſe tota uni pariter ſapientia debet.

Adde

Adde quod humanum præſtans & nobile corpus,
Aetheriæ mentis ſedes aptiſſima, curæ
Subjicitur Medici; quo non præclarius ullum
Condidit omnipotens animal; cui ſcilicet uni
Omnia ſubjecit, quæ terra, & lucidus aër,
Neptunusque vagis latè complectitur undis.
Gryphas Hyperboreos, horrendos ungue leones,
Vipereos angues, ſcopuloſo corpore cete,
Armatasque feram geſtantem in prælia turres,
A *Subdidit imperiis hominis Deus; hisque potentem*
Conſtituit dominum; quem tantum heroa gubernat
Arbitrio Medicina ſuo, curaque tuetur.
Eſt aliquid validas ductare ad bella cohortes;
Aut ſceptro populos moderari, & legibus urbes.
Majus obit munus Medicus, qui corpora regum
Ductorumque ſua languentia liberat arte.
Imbelles quis ad arma manus; ægrosque lacertos
Afferat? aut leges dicat delirus & amens?
Quis queat emenſum certis rationbus orbem
B *Scribere? divini quis tradere dogmata verbi?*
Denique quid quis agat, membris ſi debita virtus
Deficiat? corpusque ſui ſi deneget uſum?
O decus egregium præclari muneris! à quo
Res humanæ, artes, & publica munia pendent.
Pendet & ipſe animæ vigor; & quod ab æthere pignus
Depoſitum eſt, noſtros agitat qui ſpiritus artus.
Multi prolifico caruerunt ſemine; multæ
Non potuere ſatus udo ſervare novali.
Multos ætheriæ ſubituros limina lucis,
C *Cum natalitios nequeunt evadere nexus;*
In foribus vitæ, mors immatura coëgit,

Non natos Erebi triſtes innare paludes.
Cum verò vitiumque ſatus, vitiumque novalis
Corrigat ars: & Lucinæ levet ipſa labores,
Subveniens Medicina utero, partusque moleſtos
Mulceat; atque alvi luctantem rumpere clauſtra,
Aetheris infantem cupidum, natalibus aptè
Expediat vinclis, laxetque anguſta viarum:
Cujus ab officio fruitur vitalibus auris,
Quis neget acceptæ deberi exordia vitæ?
Rurſus & ad reliquas ævi convertere partes. A
Cerne quot infauſtis humana hæc caſibus ætas
Expoſita eſt! noſtro quot conjurata malorum
Immineant, capitique intentent agmina lethum.
Quale vel immodicus calidi cum ſanguinis humor
Gutture procubuit; ſtrictisque in faucibus hærens,
Aëris interclusit iter; vocisque meatum
Strangulat; & cruda demergit morte cynanche.
Quale etiam, quandò infeſta pleuritide moles
Humorum turgens errat: ſeſeque ſub arctis
Infarcit lateri coſtis; ubi ſæva dolores B
Suſcitat atroces tuſſis; pulmoque moleſtum
Pectore anhelanti ſpirat; putrefactaque gignit
Continuam ſanies febrim; quæ viſcera torrens,
Convocat ante diem diras ad funera Parcas.
Vel quoties læſis ortum pulmonibus ulcus,
Difficili ſputa eructans graveolentia nixu,
Tabida perpetuo conſumit membra fluore.
Vel ſicui nimio pars inflammata tumore,
Vitales arteriolas oppreſſerit; inde
Torpeſcit membri vigor; & putredine virus C
Concipiens letale intus, gangræna minatur;

Quæ

Quæ ſenſum, motumque ſimul, vitæque calorem
Corripiens (niſi ſubſidio præſente reſiſtas)
Intentat ſphacelum; ſolidos qui interficit artus
Vicinasque rapit ſerpens contagio partes.
Iſta ſalutari vitæ discrimina dextra
Fidus ab humanis Medicus cervicibus arcet.
Lugubrisque minas Libitinæ, invitaque tela
Avertit. Lacheſisque iras exercet inanes.
Scilicet in gravibus pietasque fidesque periclis
A *Spectatur Medici; ſi te male peſtifer aër*
Afflarit; pectusque invaſerit anxius ardor:
Cum tua te conjux, cum te tua pignora linquunt,
Cum ſuſpecta tui devitant tecta parentes:
Iſte laboranti fugientibus omnibus, unus
Fidus adeſt: nullos ſubterfugit iſte labores,
Vt valeas, ſanusque tuo reddare vigori.
Quamque negant alii dat opem, & medicamina confert.
Si dedit Alcidæ pietas, qua monſtra per orbem
Edomuit, juvitque homines; accumbere menſis
B *Divorum, dicique Deus: quin juſtius inter*
Indigetes Medicus cenſeri, addique meretur
Cælitibus? nec enim ſolum juvat ille malisque
Sublevat: aſt etiam ſervat quos juverat ante.
Finge vel extremas ejectos orbis ad oras,
Omnes morborum vultus; periiſſe dolorum
Omne genus; terrisque nihil ſævire malorum:
Sed conſtare ſuo mortalia robore membra
Hunc qua tu ratione diu tueare vigorem?
Ni ferat auxilium Medici præſentia; & illum
C *Officio foveat, ſuſtentetque arte fideli?*
Ille docet; quo quemque loco; qua vivere terra

Conveniat; quales cunctis regionibus auræ
Carpantur; quamtum Phœbo quiſque ardeat aër.
Præterea quæ quemque dapes lædantque Iuventque,
Proque ævi ſpaciis, quo tempore & ordine quoque
Cena paranda cibo; cui quælibet hora labori
Debita; qui fines illi; quo corpora fas ſit
Exercere modo; quæ tempora danda quieti;
Quæ ſomnis ratio; quæ ſit menſura ſopori
Carpendo; nimium ne torpida membra veterno
Flacceſcant; neve immodicis exhauſta cerebri A
Temperies cadat excubiis, ſenſusque labaſcant,
Factores operum, non apti rebus agendis.
Vt deceat tumidas relevari ſanguine venas,
Turgentemque habitum ſolvi, morbique futuri,
Succorum vitium vacuando tollere cauſam.
Quin idem explorat non ſollicitudine parva,
Affectus animi; quoniam quos ipſe movebis
Tradit, quosque animo prohibebis ſurgere motus.
His ſine cum nullus valeat, licet omnis abiſſet
Exilio morbus, certos niſi noverit uſus; B
Qui tantum Medico poſſunt monſtrante doceri:
Ecquis tunc etiam Medica queat arte carere?
An non conſilii vacuus, quaſi cæcus oberret?
Non dicam, quod bruta docent animantia, quamtum
Humanæ ſit opus medicandi munere vitæ.
1 *Dictamni foliis Dictææ ſpicula capræ*
Excutiunt tergo; pullis ſua lumina Progne
2 *Cæca chelidonio curat; muſtela venenis*
Serpentum, ruta, pugnas initura, reſiſtit.
Si ſit hyoſcyamum media inter gramina fortè C
Paſtus aper, captos epulatur littore cancros.

Paſcua

Paſcua ſi timidis viroſa phalangia cervis
Infecere: hederæ propulſant pabula damnum.
Niligenam fama eſt ſucco turgente caballum
Egreſſum fluvio, cruri dare vulnus acuto
Stipite arundineo, & certam pertundare venam:
Atque ita morbificum, vacuatis ſanguine vaſis,
Tollere onus, plagamque tenaci obducere limo.
Aſſimile eſt, quod cæruleis inviſa colubris,
Grata tamen Phariis, atque implorata colonis,
A *Ibis agit; quæ qua ſolitus deponere venter*
Excrementa, illa roſtro ſe parte repurget.
Clyſterisque modo, pelagi de gurgite ſalſam
Injiciens, alui remorantia pondera ſolvit.
Ingenita quadam, ſi bruta eguiſſe medendi
Cognitione vides; aliter neque poſſe ſaluti
Conſuluiſſe ſuæ; quanto magis utraque noſtri
Pars illa indigeat, vel mille obnoxia morbis.
Forte ſed utilibus medicandi à quæſtibus artem
Aeſtimat ut ſemper, lucrumque expendit avarus.
B *Haud facile explores, quamtum Medicina ſorores*
Hac poſt ſe diſciplinas in parte relinquat.
Quod vel ſola tibi Martisque & alumna Minervæ
Romula poſteritas perſuaſerit. annua namque
Addita bis centum ad decies ſeſtertia quinque
Largita eſt Medicis; reliquas profitentibus artes
Donavit centena modo; hinc inſigne Medendi
Diſce artis pretium; cenſumque numiſmate noſtro
Sexcentis majus mirabere millibus auri
Munifici nomen Ptolomæi ad poſtera vivax
C *Sæcula fama tulit; collataque munera cantat*
In medicos. nam ſervatam patris ille ſalutnm

Antiochi, centum fertur penſaſſe talentis.
Cous apud magnum quanto in pretio Artaxerxen
Exſtiterit Medicus; locuples eſt littera teſtis
Regia, præfecto miſſa Helleſpontidos oræ:
Qua jubet Hippocrati, quantum vel poſceret, auri
Largiri pondus; donisque in Perſida mitti
Ornatum; ſummisque pares promittit honores.
Sed quid ſoliciti monumentis iſta vetuſtis
Exempla eruimus? præſentia ſæcula abundè
Suppeditant. quis enim numero comprenderit hujus A
Temporis antiquis non inferiora trophæis
Arma ducum? neque Romanis cedentia regna
Imperiis? vel opum Pelopæis æqua talentis
Pondera? qui Medicis ampliſſima præmia pendunt.
Thadæo quem nutrierat Florentia dives,
Sedis Apoſtolicæ poſſeſſor Honorius, auri
Millia dena dedit Medico pro ſoſpite vita.
Nec minor emicuit Petrus; quo, fumifer ortus
Collibus Euganeis Aponus, ſe jactat alumno;
Hunc auri quadringenum mercede diurna B
Nummorum, ſibi demeruit Romanus ab urbe
Felſinea excitum præſul; ſed ſanus eumdem
Mille coronatis Medici mutavit honorem.
Cocterio medico, Lodoïci munere regis
Vndecimi Gallos moderantis, menſtrua merces
Mille coronatum decies decreta dabatur.
Quid miri? incolumes redivivo in corpore vires,
Nullo exæquandam pretio rem, ſuſcipis emtam
A Medico; cui das operæ, non præmia rerum.
Nulla ſui quamvis ſit docta profeſſio tantum C
Cultoris locupletat opes, atque alma medendi

Cognitio

Cognitio; modico rem tempore congerit amplam;
Diviteque exornat domini ſplendore penates.
Aſt alia eximiis niteant niſi cultibus artes:
Vix poterunt modicum ſteriles corradere victum,
Vix arcere famem. Thracem licet Orphea nervis
Muſicus; aut natas Acheloi voce canora
Vincat, egenus erit. cœli qui jura Deum res,
Sideriamque brevi molem deſcribere cyclo,
Aut vaſtum terræ modicis arctare tabellis
A *Molitur ſpacium; Siculum niſi doctior arte,*
Ingenioque ſenem ſuperet; pauciſſima compos
Dona feret; Laribusque exili farre litabit.
Ipſa ſuis ſancti prudentia juris alumnis,
Signati ingentes raro parit æris acervos,
Ducat eos in clara virum doctrina per ora.
Adde quod æterni divina peritia verbi,
Divitias donet tenues; quis enim ſibi ditis
Inferni inviſa mereat pietate favorem?
At Medicina ſuos, doctrina utcumque nitebunt,
B *Vt ſemel in populum fama ſubvexit; amore*
Conſtanti fovet; & magnis rem quæſtibus auget.
His etiam accedit. non ars regionibus omnis
Omnibus in pretio eſt. certo diſtinguere campos
Limite, qui Scythicos paſcunt armenta per agros,
Iuridica fruſtra monſtrabit lege Lycurgus.
Sauromatas, & quos peregrino flumine magnus
Lambit Iaxartes, qui tradit ſacra docebit
Chriſticolam ſermone fidem deriſus inani.
Si reſona blandum moveat teſtudine carmen
C *Muſica; Niliacis exul pelletur ab oris:*
Nempe animos nimium mollire putata [illegible]s.

Quod Medicina tamen, reliquis pereuntibus. hæret
Sola loca miraris? at hoc pietate ſuisque
Officiis confiſa audet, quocumque locorum
Te vertas; quamvis alieno ſole calentes
Inviſas terras; ſeu te Scytha paſtus equino
Sanguine, quem gelida Boreas horrore ſub Arcto
Duravit; ſeu te oppoſito ſub vertice, nuper
Cognitus, ignotus priſcis, immanis & ingens
Orbe novo Patagon videat, qui viſcera cenis
Humana infandis laniat: miteſcit hic ultro A
Et Medico atroces cohibebit ab hoſpite palmas:
Immo etiam donis patriis oſtendet amicum.
Omnis enim Medico, vel inhumaniſſima quæque
Gens eget auxilio. ſemper natura ſalutem
Quærit; & ambabus venientem amplectitur ulnis
Quid mihi opes uſu, quid Perſica gaza negato
Profuerit? rapitur miſeris languoribus ille.
Hos fugat, & lapſas vires inſtaurat, & uſum
Reddit amatarum Medici ſolertia rerum.
Iam verò qui ſublimi cæleſtia mente B
Scrutantes, rebus toti immortalibus hærent,
Aeternæque animæ magis ornamenta requirunt:
Inſultant Medico, quem circa vile cadaver
Exuvias animæ tamtum verſarier ajunt.
At contemplari ſecum prudentius iſti
Debuerant, quid turbati, corpusne, animumne,
Affectus ſpectent hominis; quos corrigit ille.
Non ita Pythagoram Samium, doctumque Platona
Præſcripſiſſe animo leges, vitiisque cavendis
Invigilaſſe putem: menti quam conſulat ille C
Aetheriæ parti; cum mæſtis gaudia, curis

Laxa-

Laxamenta animi ſuadet: lætamque timori
Spem caſtigato recreat: vel quando laborem
Deſidiæ molli imponit, molemque negoti.
Nulli inſanus amor, nulli implacata libido,
Nulli adeo ebrietas, adeoque inviſa voracis
Prodiga damna gulæ: nulli virtutis amanti
Blanda, Epicuræoque gregi deamata voluptas
Diſplicuit tamtum; quisnam magis odit edacem
Livoris rabiem? quæ non ſolum nocet hoſti
A *Inſatiata ſuo; ſed & in ſe dira furorem*
Convertit, propriam devaſtatura ſalutem.
Quis ſtudio gemitus tanto moderatur acerbos
Triſtitiæ? & rapidos irarum temperat æſtus?
Crede ergo & Medicum mentis ſpectare procellas,
Ut regat & ſedet; quoniam defectibus ejus
Afficitur corpus, patiturque dolente magiſtra.
Nemo modum melius ſervare in rebus agendis
Edocuit; nemo tritum ſapientibus illud
Μήδεν ἄγαν *magis inculcat; namque otia, ſomnos,*
B *Vina, cibos, venerem, affectus, mediocria cuncta*
Imperat; ut ſtabilem vitæ tueare ſalutem.
Nemo ipſo melius docet illud, γνῶθι σε αυτὸν,
Elatosque animos reprimens, faſtumque potentum,
Vilia perquirit generis primordia noſtri.
Natus homo duplici cum totus origine conſtet,
Aethere mens venit: corpus genitura parentum
Contulit: hæc melior perfecti ſanguinis eſt pars,
Quem dederant alimenta prius; de quattuor orta
Principiis rerum, quæ mundi elementa vocantur.
C *Ex his materiæ maſſam, commiſta liquori*
Terra, luti mollis ſpecie ſubjecit abunde.

I nunc

I nunc ortus humo; ſatus inter ſordida matris
Excrementa tuæ; natus putente cloaca,
Figmentum luteum, quàm ſit tibi vilis origo,
Diſce miſer; porroque alios contemnere perge.
Hoc medicus monet; & magno mercaberis olim.
En quid agat calidam fervente phrenitide bilem
Cum vacuat; demptoque incendia fomite frangit.
Cumque melancholico deliria triſtia ſucco
Liberat; aut cerebrum rabido exagitante furore.
Vel cum lapſus humi, ſpumante epilepticus ore, A
Mentis inops, ſenſuque carens, convellitur artus;
Et ſæpe horrendum diſploſo pectore mugit.
Aut ſi quis catocho deprenſus, marmoris inſtar
Obriguit (velut intuitos quos Gorgonis ora,
Immotos hæſiſſe ferunt) & ſenſibus orbus,
Et motu obſtupuit, primæ ſub imagine formæ.
Vel quando, obſtructo nervorum fonte, cerebrum,
Frigidus invaſit facto ſimul agmine lentor,
Occupat attonitos vicina apoplexia leto.
Hisne malis ſolum corpus doluiſſe putabis? B
Non mentem communi etiam gemuiſſe periclo?
Hæc ope tolluntur Medica. ſic ægra medendo
Mens quoque ſaneſcit, ſanoque in corpore gaudet.
Aſt alii quos ſalſa juvant dicteria, dictant,
Viventem Medicè miſerandam ducere vitam.
Hoc equidem nec ego inficior; ſed proptereáne
Dignus contemptu Medicus, munusque medendi
Ludibrio? miſer eſt fateor, quem vivere morbus
Ad Medici præſcripta jubet, legesque ſeveras.
Non tamen imperio tali miſerabilis ille eſt. C
Sed miſer eſt, ex quo primùm crudelia morbi

Iura

Iura pati, & mortis ſentire pericula cœpit,
Morbus enim lacerat vires, vitæque minatur
Exitium; Medicus ſervare utrumque laborat.
Tune laboranti, te conſervare volenti
Infelix deeris? blandæ præcepta ſalutis
Abjicies? malis longum ſervire tyranno?
Quàm ſervatori paulùm parere benigno?
Dum ſalvus fias, dum libertate fruaris?
Indignus vita eſt, vitæ qui jura recuſet.
A *Quod ſupereſt te magne Pater, qui flamine ſancto*
Natoque æquævo ſociis, Deus unus & idem,
Omnipotens, individuus, μονὰς & τριὰς una,
Perſonis diſtincta tribus, ſolo omnia verbo
Formaſti ex nihilo ſapiens; firmasque regendo
Aſſiduè, refluum pelagus, terrasque jacentes
Volventesque polos: te ſupplice mente precamur
Per Chriſtum unanimes; cœli qui regna patremque
Conciliat: ſancti cœtus tutare ſenectam,
Quem tibi ſub nati prima incunabula mundi
B *Dilectum: verbique tui per pura refectum*
Pabula; difficili nequaquam negligis ævo.
Ingenuasque artes refove; quibus ille potentem
Omnia, te celebret. ſimul & quæ membra piorum
Officiis minus apta tuis, revocare ſalutem
Iusſiſti; inventumque tuum, cæleſteque munus,
Quamque fuit Chriſtus tractare ſalutifer artem
Non dedignatus Medicam: ſqualore jacentem
Erige, & erectam mærenti redde Lyceo.

FINIS.

EPISTOLA II.

HENRICI BRUCÆI MEDICI Aloſtenſis

AD HENRICUM SMETIUM MED. Antuerpienſem.

De Purgantibus.

A MEDICUM de purgatione argumentum quod nuper abrupimus, & indeciſum reliquimus, repetendum nobis putavi, ut ad ſententiarum collationem per litteras revertamur. Fuerunt autem nonnulli, qui medicandi per purgantia rationem, tollendam omninò exiſtimarunt, eò quod purgantibus non videatur utendum, niſi materia humorum jam concocta exiſtat juxta illud Hipp aph. 22. lib. 1. concocta medicari, atque movere, non cruda, neq; in principiis, modò non túrgeant, plurima verò non turgent. ubi verò materiam natura concoxerit ipſa ad concoctæ expulſionem inſurgit. Quorſum igitur purgatorio opus, cùm longè re-
B ctius, ipſa, quod noxium eſt, ſit ſeparatura. Ideoque ſolùm in viarum apertione, humorisq; viſcidi abſterſione, lenti inciſione, craſſi attenuatione laborandum eſſe arbitrantur.

Et ſanè ſi conſtante una virtute naturali omnes conſtarent: & ubi una ſuo officio fungitur, reliquæ ſimul ſuum munus obirent: procul dubio in concocta materia, quam natura ſit expulſura, fruſtrà nos laboraremus. Nunc autem cum una lædi poſſit, altera valida exiſtente, ut docet Gal. lib 3. cauſ ſympt. cap. 3 & lib. 5. loc. aff. cap. 7. Quid mirum concoctam à natura materiam, ab ea non poſſe expelli, ob debilitatem, & ob id altero indigere adminiculo
C attrahente, quo adjuta ad expulſionem proclivius inſurgat. Nam ſi concoctam materiam ſemper expelleret: quomodo contingeret fieri recidivas, quæ naſci ſolent ex iis, quæ in judicationibus relinquuntur. Reſiduum enim id longè faciliùs expellere debuerat, quum majorem partem jam detruſerit. Verùm ſi eveniat naturam debilitatam in priori motu, non poſſe iterum inſurgere in reſiduum: qui minus concedemus eam aliquando ne aggredi quidem ad expellendum etiam materiam jam concoctam? adde quod in iis humoribus, in quibus non expectatur concoctio, quales ſunt ſeroſi, & ut non nulli volunt etiam bilioſi: ſatis mihi patere vide-
D tur, quantopere (præter attenuationem, inciſionem, abſterſionem eorum, viarum apertionem & quamlibet aliam corporis præparationem) ſit neceſſarius uſus purgantium. In aſcite enim videmus naturam velut nimio humore obrutam ne audere quidem

aggredi

aggredi materiam. Ab aquam ducentibus verò pharmacis ſæpius auxilium latum. Sic in ictero ex cyſtis obſtructione bile non putreſcente, ſi quis expectet naturam expellentem: credo illum febrem ægro acceſſiturum, bile jam per moram longam putreſcente: ubi Galen. exhibens incidentia abſtergentia, attenuantia, aperientia, nec non medicamen cholagogum, ait ſe ictericos eadem die ſanitati reſtituiſſe. Dico itaque (quamvis Naturæ morborum medicæ, ut rectè ſcripſit Hippocr. medici autem miniſtri) illam tamen aliquando ut ſegniorem excitandam, aut ut infirmiorem adjuvandam eſſe, quod cooperantibus natura & medicamentis, facilius evadat, cauſam morbi ejicere. Aliâs de aſtringentibus, quo modo roborent, quid ſentiam, ſcribam. Vale. XIII. Novemb. 1561. Aloſti. A

EPISTOLA III.

HENRICI BRUCÆI MED. Aloſtenſis.

AD HENR. SMETIUM MEDICUM Antuerpienſem.

De Roborantibus & Aſtringentibus. B

IAM verò quid ſentiam de aſtringentibus, & quem in modum corroborent dicam. Aſtringentium natura, in quantum ſunt aſtringentia, eſt partium ſubſtantiam, cui applicantur, unire, & in unum cogere. Si itaque partium robur conſiſtit non ſolùm in juſta temperie partis, naturæ convenienti: verùm etiam in ejuſdem apta unione, debitaque ſubſtantiæ quantitate, meritò ea, quæ laxiorem denſant & defluxuram ſubſtantiam cohibent, hæc robur partis conſervare dicentur; quum ea laxata aut dilapſa, ex parte vires ipſæ etiam imminuantur. Hinc rectè Hipp. aph 16. lib. 5. ait eos qui calida ſæpiùs utuntur afferre ſibi carnis effæminationem aliaque ibi enumerata mala, una & communi ratione; quoniam ſcilicet à calido ſubſtantia diſſolvitur. Ob id itaque in illis partibus noſtri corporis, quarum functio eſt toti communis, ut hepate & ventriculo, ideoque earum robur neceſſarium, quamvis materiæ ratione (quam parti inhærentem diſſipare cupimus) ſolis relaxantibus utendum foret; nos tamen roboris tuendi gratiâ aliquid aſtringentium illis admiſcemus, monente Gal. lib. 11. meth. cap. 15. item lib. 13. cap. 15. quod quidem in aliis partibus ignobilibus non facimus: verùm relaxantibus ſolis, ſi ita uſu veniat utimur, minimè de illarum robore ſolliciti, ut quarum imbecillitas ex ſub- C D

ſtantiæ

Col. 33. lit. C.

ſententia

Cauſa imbecillitatis virium duplices ſunt,

Alia .n. ſpiritu
ſtantiam ſuffoc
extinguunt, ut

ma

Alia viriumſub
tiam diſſolvun tis
diſſipant, idq; v

ans
lvi,

luxum
ptum vel diſſectum
tis emiſſionem

Stomacho, ſi conſentit
- Cor, fit Syncope
- Cerebrum fit
  - Convulſio.
  - Deſipientia.
  - Epilepſia.

Vtero, ſi conſentit
- Cor, fit apnæa
- Cerebrum, fit
  - Convulſio.
  - Deſipientia.
  - Epilepſia.

ſtantiæ diſſolutione, parum damni ſit allatura. Nec hoc quidem volo quamvis imbecillitatem ventriculi, hepatis, cordis, aut alterius, aſtringentibus eſſe reſtituendam: quum ſi id conemur, tantum abeſt, ut membro robur ſimus conciliaturi, ut potius longè imbecillius reddituri, veluti in ſiccis ventriculi intemperiebus eveniret. Tunc enim aſtringẽtia, quomodo tollant imbecillitatem à ſiccitate dependentem, quum eandem adaugeãt? ſed tunc quidem aſtringentia robur addent, quum imbecillitas ex ſubſtãtiæ diffuſione naſcitur. Tunc enim illam uniendo, ſimul vires colligent. Quo-
A niam virtus unita fortior eſt, ſeipſa diſperſa: & in membris principalibus, antequam relaxetur à medicamentis extrinſecus admotis, ea admiſcemus, tum unionis ſubſtantiæ cauſa, tum etiam quo conſervetur nativus calor ſpiritui inſitus, ſive proprio, ſive aliunde influenti, quo anima utitur, ut inſtrumento primo & proximo, ad obeundas actiones ſuas. Hæc pauca pro mea ſententia aperienda ſufficiant. Tu quicquid id eſt, boni conſules. In quo quanto plura damnabis, tanto te mei amantiorem arbitrabor. Vale *Aloſti.* 25. Nov. 1561.

** Vide Tabellam.

EPISTOLA IV.

HENRICI SMETII SENTENTIA & plenior explicatio

De imbecillitate virium, & de Roborantibus

AD HENRICUM BRUCÆUM
Medicum Aloſtenſem.

NIHIL eſt apud illos, qui Medicinam faciunt, magis in ore, ni- A
hil magis uſitatum, quàm de roborando monere, & roborā
tia præſcribere, ut ſi quam corporis partem in ægroto, cæteris im-
becilliorem magisq; afflictam viderint (id, quod poſt morbum
tum factum tum curatione ſublatum ad præcautionem recidivæ,
in quæſtionem venire ſolet) mox roborandam illam eſſe cenſeant,
magnaq; ſolicitudine, ut id ipſum fiat, procurent. Interim tamen ni-
hil apud practicos minus cognitum, quàm roborantium natura.
Exiſtimant enim plæriq; omnem roborationem in aſtringendo po-
ſitam eſſe. Neque eſt illa recens nata opinio, cum eandem olim fo- B
verint Methodici, Themiſonis nimirum, Theſſaliq; ſectatores, te-
ſte Gal. lib. de optima ſecta cap. 51. ubi ad Thraſybulum ſcribens;
Ridenda, inquit, illa eſt ſententia, quæ ex aſtrictoria ratione, firmi-
tatem corporibus conciliari autumat, per quam denſantur & com-
pinguntur corpora. Mox paulò poſt: At ignorant Methodici quo-
nam pacto hominis firmitatem, ac robur dijudicare oporteat. Quo-
circa neque eam præſtare potuerunt. Neque enim (ut in lapide, fer-
ro, ac ligno, id genusq; aliis) duritie ac mollitudine hominum firmi-
tas æſtimanda eſt: ſed eo, quod corpora, ſua ipſorum munia, expedi-
tè obire valeant. Itaque qui ipſis firmitatem comparare voluerit, mi- C
nimè, quomodo durum corpus reddatur cogitare debet; ſed qua
ratione membrorum vires augeſcant, quibus liberè, & facilè pro-
prios uſus exhibeant. Hactenus Gal. Ex quibus Galeni verbis ma-
nifeſtum fit, quanto in errore verſentur illi, qui unà cum Methodi-
cis univerſam corroborandi vim ſolis aſtringentibus aſcribendam
eſſe perſuaſum habent. Nam longè ſecus ſe res habet, quod me bre-
viter dilucideque demonſtraturum ſpero.

Ut itaque res iſta faciliùs dextreque intelligatur, explorandæ pri-
mò ſeſe offerunt vocum roborandi & aſtringendi ſignificationes;
deinde in quo corporis noſtri, aut partium robur conſiſtat. Tertiò, D
an aſtringentia roborandi vim habeant, & quatenus ſeſe illa exten-
dere poſſit.

Robuſtum igitur dicere ſolemus hominem, qui viribus valet. a-
ctionesque ſuas, non ſolùm abſque moleſtia ulla, verùm etiam ex-
peditè atque facillimè univerſas obit, adeoque abſolvit. Præterea

quoque

quoque difficultatibus inter agendum obortis, aut injuriis illatis fortiter reſiſtit δυσπαθὴς Græcis dictus: ut robur nihil aliud ſit, quàm facultas ad actiones obeuudas, injuriasque repellendas ſufficiens (Græci δυσπάθειαν) à robore arborum duriſſima, voce mutuata. Unde Roborare, aut robur addere ῥωμνύειν aut τονόειν Græcis perinde eſt ac firmare. viresque ad agendum atque reſiſtendum conferre. Aſtringentia appellantur Medicis & Græcis στύφοντα, quæcumque ſeu medicamenta ſeu alimenta ſint, ubi guſtata fuerint linguam cum palato corrugandi, contrahendi, exaſperandi fa-
A cultate, prædita eſſe deprehenduntur. Qualia ſunt ſorba, meſpila, mala, & pyra ſylveſtria, galla, cortex mali pumici, quod granatum vocant, cortex quercus, radix pentaphylli, biſtortæ, chalcanthum, quod vitriolum vulgus nominare ſolet, aliaque infinita. Ad roborantia redeamus, quæ ita dicuntur quod robur, virtutem, vires, ſeu facultatem corpori ad agendum, ſeu reſiſtendum tribuant. Conſiſtit autem corporis robur in tribus, putà in ſpiritibus: in partium ſolidarum (quæ à ſemine ortæ ſunt) ſubſtantia, & illa quoque quæ carnoſa (qualis unicuique particulæ ſua ineſt) appellatur. Gubernantur autem tres iſtæ ſubſtantiæ & conſervantur à Gal. lib. 2. Method.
B triplici virium, aut facultatum genere: animali nempe, quæ à cerebro per nervos; vitali, quæ ex corde per arterias: naturali, quæ per cap. 1. & 3
venarum ductus, partibus ſingulis ad functiones edendas præficiuntur. Ex his animalis virtus in principem, ſentientem, & motricem diviſa, ad voluntarias ope-rationes, muſculorum miniſterio (idque per nervos pro judicio mentis, aut arbitrio affectuum) adminiſtrandas animantia exhortatur. Vitalis potentia unica exiſtens, vitalem calorem vitamque ipſam, particulis ſingulis, & minimis, & remotiſſimis etiam impertit, quem pulſationis diaſtole atque ſyſtole continuata fovet & moderatur. Naturalis virtus plures partes
C continet inter quas (ut illud, quod ſubſtantiæ noſtræ, caloris nativi de paſtione, deceſſit inſtauretur) principem locum nutrix obtinet. Huic reliquæ ferè omnes facultates ordine quodam ſerviunt. videlicet aſſimilans, agglutinans, apponens, concoquens, alterans, retinens, attrahens rei utilis, ſecretrix heterogenii, expultrix alieni & inutilis. His omnibus famulatur diſtributrix, huic jecoris potentia, ſanguinem ex chylo generans; cui ventriculi vis, ex aſſumptis alimentis chylum conficiens, ancillatur. Quibus univerſis appetentia morem gerit, ex ſubſtantiæ, quam alimenta cum corpore noſtro habent, orta ſimilitudine, quæ beneficio guſtus (qui ſenſorio
D linguæ ineſt) ex ſuavitate dignoſcitur. His igitur facultatum viribus, quamdiu pollet animal, valetudine fruitur integra, robuſtumque exiſtit. Si qua autem ex illis deficiat, imbecillum evadit. Quo fit, ut Gal. tantopere illas in morbis conſervare commendet. nam lib. 9. meth. cap. 10. inquit; has facultates ſervare, nihil plane eſt "
aliud, quàm vitam ſervare. Siquidem qualibet earum amiſſa, reli- "

„ quas quoque unà perire neceſſe eſt. Et tandem cap. 13. maxima eſt
„ virium dignitas, quando ipſum vivere, ex harum cuſtodia conſtat,
„ utpote cum vitam, aut ipſas vires, aut earum actiones eſſe, neceſ-
„ ſe ſit. Hæc Gal. Hiſce autem viribus pollebit animal, quam diu nativo calore abundanti, primorumque corporum (quæ elementa vocant) temperie vel optima, vel ſaltem ab optima non multùm divaricante, univerſæ eius particulæ, & ſingulæ præditæ erunt, apteque inter ſe unitæ manebunt. Ad talem optimè conſtituti corporis conditionem conſervandam bona victus ratio plurimum facit, quæ in ſex rerum non naturalium adminiſtratione legitima verſatur. A
In quarum numero recenſentur ambiens aer, alimenta, exercitia, ſomnus, excretiones, animique perturbationes. Hæc enim neque negligenter, neque ſcrupulosè accommodata (ſi modò omnis vis externa abſit) corpus, quod bene conſtitutum acceperint, non modò ſanum, ſed etiam robuſtum conſervare poſſunt. In quibus ſi negligentia errorem manifeſtum commiſerit, primùm alicuius mēbri imbecillitatem, tandem illa adaucta, actionis læſionem, à morbo orientem ſuſcitare ſolet. Qui licet induſtria vigilātis medici ſublatus ſit: plerumque tamen aliquid in parte affecta debilitatis poſt ſe relinquere conſuevit. B

Debilitas autem alia eſt univerſalis, alia particularis, univerſalis quidem; in qua omnes corporis partes infirmæ exiſtunt: ut in febri, in animi deliquio, in magna evacuatione, & ſimilibus, idque propter ſpirituum abſumptionem. Particularis verò, quum ſingulare aliquod membrum, ut caput, ventriculus, crus, brachium, pes, digitus, dens aliquis debiliter officium facit. Accidit autem debilitas bifariam, putà vel ſubito, vel pedetentim. Subitanea, fit duobus modis; Aut enim fit per ſpirituum diſſolutionem, aut per eorundem oppreſſionem. Spirituum diſſolutio, variis ex cauſis originem trahit. Sæpè ob dolorum vehementiam, aut continuationem, potiſſimùm in nervoſis partibus; ut ventriculo, capite, C
inteſtinis, in convulſionibus, in tortura Eculii, difficili partu, & ſimilibus. Aliquando diſſolvitur ſpiritus, ab intemperie calida, tum externa tum interna Externa quidem; ut æſtu caniculæ, vaporariis, balneis, thermis. Interna autem; ut febrili ardore, inflammatione, aut eryſipelate viſceris primarii, pulmonis, ventriculi, jecoris, cerebri, cordis, aut vicini alterius. Nonnunquam per ſolutiones continui magnas, ut in profundis ampliſque, aut multis vulneribus. Sæpiſſimè ob immodicas evacuationes, vomitione, vel alvi profluvio, ſeu ſponte, ſeu arte factas, item rupto abſceſſu, emiſſione aquæ intercutis copioſa, in aſcite, aut ſarcite, ſicut etiam ſanguinis effluxu, D
vena vel ſecta, vel rupta, vel aperta, per nares, os, alvum, hæmorrhoides, uterum. Diſſipatur etiam ſpirituum ſubſtantia per copioſos, & toto corpore diu promanantes ſudores, aut evaporationes inſenſibiles, ob cutis raritatem, aut tenuitatem humorum, quemadmo-

dum

dũ etiam propter exercitia nimia, labores pertinaces modum excedentes, ſicut & per multas vigilias, per inediam, per ſitim. Eſt etiam, quum per morborum magnitudinem, & vehementiam, ſpiritus abſumuntur; ut febri continua, acuta, ardente, cum delirio, vigiliis, ariditate linguæ, nec ſecus per affectionis proprietatem, aut per conſenſum cum parte aliqua principe, ut cum cerebro, in ſpaſmo; aut cum ſtomachus ex cardiogino malè afflictus, cor in ſympathiam trahit; aut ob vaporem malignum, ex aliqua particula in cor, aut cerebrum aſcendentem, ut in ictibus venenatorum animalium. Quin
A etiam ob affectus animi, ſpirituoſa ſubſtantia evaneſcit repente; quemadmodum in gaudio immoderato, quo Sophoclem poëtam Chilonem Lacedæmonium, & Dionyſium Siciliæ Tyrannum ſubitò exſpiraſſe Plinius teſtatur.

4. Per oppreſſionem autem ſpirituum, & quidem repentè quoq; vires concidunt, à nimia ſanguinis boni abundantia, ut in plethora ad vaſa vocata & in habitu athletico. Opprimuntur quoq; à frigidorum crudorumque humorum copia, in apoplexia, epilepſia, catalepſi, comate, lethargo, vel in tumore præter naturam per humoris affluxum, ut in angina, vel obſtructione magna meatuum, in
B aliquo viſcere pulmone, corde, hepate, item in ſuffocatione ab utero, aut attracto ſurſum, & diaphragma comprimente, aut venenata aura inde in cor, & cerebrum ſublata. Tale etiam accidit, ab aëre craſſo, in cellis, muſto, aut cereviſia, aut mulſo fervente plenis, ſicut & in fodinis metallicis craſſus & malignus vapor; in peſtilenti autem conſtitutione, pernicioſa aura calorem nativum extinguens, hauritur. Ita quoque animalium venena cùm pleraque frigida ſint, ſerpentumque morſus ſpiritum vitalem obruunt. Nonnullæ etiam animi perturbationes, quales, terror, pavor, timor, metus, formido, imò, & pudor & verecundia, confertim
C adeò ſæpè omnem calorem verſus fontem revocant, ut in anguſtias redactis ſpiritibus, multos oppreſſerint & vita mox ſpoliarint, quod Diodori Dialecticæ ſapientiæ profeſſoris exitu, Plinius teſtatur, & Valerius Maximus Homeri Poëtarum principis morte declaravit. Ut interim alias externas violentaſque ſuffocationum cauſas, à vehementi frigore, ab aqua, à laqueo, ſtragula injecta & ſimiles, quibus mox reſpiratio intercluditur, prætereamus.

Lib. 7. ca 53.
Lib. 9. c. 11

4. Senſim verò aut pedetentim vires diminuuntur, per intemperiẽ quamcunque non vehementem, per atrophiam, morbi diuturnitatem, longum mœrorem, mœſtitiam, triſtitiam, luctum, odium,
D invidiam, ſolicitudinem, curas, amores, & ſimilia animi pathemata inveterata. Hactenus de cauſis imbecillitatis univerſalis. Quare de particulari pauca ſubjungamus.

5. Particularis imbecillitas accidit, culpa vel influentis, vel inſitæ facultatis, vel ſolutionis continui. Influentis quidem facultatis culpa fit; quum aut animalis, aut naturalis, aut vitalis, vel nulla, vel

pauca huic aut illi peculiari particulæ communicatur,idque per interceptionem: nempe obſtructione, compreſſione, aut præciſione nervorum,arteriarum,aut venarum factam. Inſitæ facultatis culpa; quum illa ab intemperie calida, frig. humid. ſicca, vel ſimplici vel compoſita, ſive nuda, ſive cum humoris alicujus affluxu conjuncta (unde tumores præter naturam varii exoriuntur) affligatur. Solutiones continui, quantum valetudini partis alicuius derogent; vulneribus,contuſionibus, luxationibus, fracturis, rupturis, ulceribus, fit manifeſtum.

Hæ ſunt infirmitatis cauſæ, cùm totius corporis, tum partis alicujus ſingularis Quandoquidem autem omnis infirmitas ſui ablationem, ideoque & ſubjecti roborationem indicat; perqui-rendum reſtat, an omnis infirmitatis roboratio, per aſtringentia fieri poſſit? Sin minus: Quibusnam infirmitatis generibus, aſtringentia conveniant. A

Diximus autem ſupra,aſtringentia medicis vocari,quæcumq; linguam, dum guſtantur, contrahere,corrugare ac exaſperare ſolent. Cujuſmodi ſunt omnia acerbo & auſtero ſapore donata,minus quidem iſta; magis verò illa, utraque ſubſtantiæ terreſtris & craſſæ, temperamẽti frigidi atq; ſicci. vim autẽ habent,ea quæ calida ſunt, refrigerandi; quæ humida, ſiccandi; quæ laxa, contrahendi: mollia indurandi; rara denſandi; poros obſtruendi; effluvium vaporum retinendi; ſudores comprimendi; humores parti illapſos exprimendi; affluentes aliunde, repellendi; vomitum, alvum, menſes, hemorrhoides, aut ſanguinem undecumque profluentem ſiſtendi; quin etiam putredinem arcendi; Atque hoc modo quæcumque aſtringendi vi prædita ſunt,ſimul etiam corroborandi facultate rectè donata dicuntur. B

Talia itaque egregiè juvant, adeoque corroborant illos, quos ſpirituum diſſipatio infirmos reddidit; ob ſudores multamque evaporationem, à tenuibus humoribus, per rariorem cutis texturam factos. Commodant quoque unicè immodicis evacuationibus; per vomitiones,diarrhæas,dyſenterias,lienterias: nec minus ſanguinis profluvio, per nares,anum,uterum,vulnera, aut quacumque emananti. Præclarè quoque faciunt aſtringentia,ad ſolutiones continui qualeſcumque, ad humorum affluxiones ſiſtendas; ad intemperiem humidam ad calidos humores incipientes; & accreſcentes inflammationes, eryſipelata, herpetes, tam internos,quàm externos. Quinetiam ad nauſeam, deiectumque appetitum, imò & lipothymiam, ſi ex humorum copia,pravitate,acrimonia,aut corruptela, ut in cardiogmo ſuſcitentur, utiliſſimè illa, quæ aſtringendi potentiam habent,adhibentur. C D

Fruſtra autem,& ſine utilitate ulla præſcribuntur, languentibus, ex intemperie calida, nuda. ſicut etiam iis, quos abſceſſus alicuius magni eruptio; aut aquæ hydropicæ copioſa emiſſio dejecit. Hos enim

enim rectius vino generoſo & ſuavi, aut liquore cinamomi ſtillatitio; illos refrigerantibus unaq; humectantibus recreaveris. Neque proſunt quicquam viribus ob morbi vehementiam, neque etiam ob ſcorpii, viperæ, canis rabioſi aut alterius venenati animalis ictum aut febrem peſtilentem proſtratis. Sunt interim non pauci affectus & imbecillitatis cauſæ, quibus ſi aſtringentia admoveris, manifeſtè nocebis, vires attenuabis amplius. Quales ſunt, dolores, laſſitudo ob labores, & ſpontanea vocata, febrilis calor, ſitis intemperies ſicca, nimia venus, inedia, atrophia. Item intemperies frigida, congelatio, compreſſio nervorum, aut vaſorum, reſpiratio intercluſa, aër craſſus, humorum cruditas, obſtructiones, plenitudo ad vaſa, aut ad vires dicta. Siquidem qui per dolores excarnificati, per labores, duraque exercitia fracti ſunt ij paregorica, id eſt, mitigantia, laxantia, mollientia, humectantia, leniterque calefacientia requirunt. Aſtringentibus læduntur. Si qui ob calorem febrilem, ſitim, intemperiem ſiccam languent: Hi humectantia & frigefacientia poſtulant. Ab aſtringentibus deterius habent. Quos immoderata Venus, atrophia, inedia exhauſit; Aſtringentia deteſtantur, ut quæ plus ſatis attenuatum corporis ſui habitum, multò amplius exſiccatura fuerint. Inſtaurantibus enim opus habent, & facilè nutrientibus, quæ humectant cum ſuavitate ſubſtantiæ, & mediocri tenuitate, ut facilè venas ſubeant, & in univerſa membra diſtribuantur. Non minus incommodi ab aſtringentibus capient, quicumque ab intemperie frigida, aliqua in parte, aut à congelatione malè habent, calor enim nativus, denſata cute verſus centrum repulſus, evocari ad circumferentiam debet: quod calefacientibus poroſque laxantibus ut fiat, neceſſe eſt. Si nervorum aut vaſorum compreſſio virtutem læſit, ſive foris id ligatura, ſive intus tumore aliquo, ſpirituum meatus coarctante fiat, laxando, non ſtringendo libertas illis redditur. Eandem rationem habet ſpiratio intercluſa, ſeu violenta compreſſione, ſeu tumore colli; aut repentino humorum defluxu accidat. Sunt qui craſſo, aut pernicioſo vapore labaſcunt, quod in cellis muſto, aut cereviſia, aut mulſo fervẽte plenis, item in fodinis metallicis, puteis, ſpecubus profundis, aliiſque antris non perſpiratis, ut ſuprà dictum, uſu venire aſſolet. Fatuus ſanè fuerit, qui tales aſtringentibus roborandos judicabit. Libertatem purioris aeris deſiderant, & ſpirituum per ſuaves odores recreationem. Si quos contingat ab humorum vel cruditate, vel pravitate ægrotare, non minus tales ab aſtrictione incommodi accipient. Juvabuntur autem plurimum, hi quidem purgantibus, illi verò attenuandi, incidendi & concoquendi vim habentibus. Quin etiam obſtructiones quorumcumque meatuum, ſeu in viſceribus, ſeu in cute fiant, plurimos & quidem frequenter admodum, ſanitate ſpoliant & viribus exuunt. Quis autem quæſo hos aſtringentibus abſque inſigni incommodo uſuros exiſtimabit? quos ſciat extergenti-

bus, aperientibus, ſolventibus egregiè adjutum iri. Quid denique de plethora, id eſt, boni ſanguinis abundantia dicam? an non ſi periculum viribus minetur, per aſtringentiū uſum magis augebitur? Sin ſubtracto ſanguine vaſa laxaveris, auxilium præſtabis? Sed quid pluribus allaborem? quum vel iis quæ adducta ſunt, ſatis ſuperq; demonſtratum ſit, non levi errore teneri illos, qui nullam, niſi in aſtringentibus roborationem ſtatuunt. Vale.

A

EPISTOLA V.

HENRICI BRUCÆI MED. Aloſtenſis

De ructu nidoroſo & acido.

AD EUNDEM.

NUNC jucundum erit referre, quod nuper in Tralliano animadverti. Scis equidem quàm me torſerit locus ille Galen. libro 8. Meth. cap. 5. ubi vult laborantibus cruditate aut ciborum corruptione cum ructu nidoroſo à calida ventriculi intemperie nata, exhiberi Diatrion pepereon, & id quod ex cotoneis conficitur. Hæc enim curandi ratio primo maximoque apud Medicos axiomati adverſari videbatur: Dum affectui calido piper calidiſſimum adhiberi conſulit. Trallianus itaque libro 12. de febrium curatione ex cruditate ortarum in paragr. de ciborum corruptione ex calido & nidoroſo ructu proveniente: Item illo, qui de acido ructu ex frigida intemperie ſuſcitato tractat, apertè damnat Galeni ſententiam: His verbis: Quæ igitur diviniſſimus Galen. in nidoroſo ructu fieri præcepit, ea ego omnia iis potius, qui ex frigida intemperie cruditatem ſunt experti, convenire, & non aliter habere poſſe arbitror. Gaviſus ſum ubi animadverti tantum virum idem tangere, cæpique cogitare fieri poſſe, ut ita ſit ſcriptum à Galeno; verùm ut plerumque fit, mente ſimul agitantem alteram cruditatem, quæ cum acido fit ructu, remedia eius ei adſcripſiſſe; Nec enim video qua ratione motus, tale quid potuerit præſcribere. Verùm ut Trallianus liberè damnat Gal. ſententiam: Ita non video quam idem rectè ſentiat cap. de cruditate cum acido ructu, ubi vir undiquaque doctiſſimus, vult eam etiam poſſe cauſari à calida intemperie: Non ſecus quàm vinum acceſſit, tum à calore tum à frigore; quum utrumque poſſit nativum calorem extinguere, ut tum ab Ariſtot. libr 4. Meteor tum à Gal. lib. 4. ſimplic. cap. 11. 12. ſimul eſt oſtenſum, & ex iis, quæ dicuntur de cauſ. frigid lib. de cauſis morborum cap. 3. poteſt

3. poteſt deduci. verùm mihi non ſatisfacit ratio adducta. Non enim acidus ructus comitatur cibos adſumptos, quod deſtimantur ſuo proprio calore, ut vinum ſcil. aceſcit. Verùm quoniam non ſatis immutentur à naturali calore ventriculi, & ob id quod ſucci cùm relinquuntur ſemicocti & crudi frigidique, acidum meritò quid evaporãt. At quum calida intemperies eoſdem quodãmodo adurat quodammodo ructus acidi generabuntur perſiſtẽte ventriculi caliditate conjuncta cibo, in quem continuè agit? Diverſum enim eſt à vino & aliis, quæ aceſcunt à calido. Nam iis ſequitur aciditas,
A quoniam proprius calor diſſipatur à calido externo. In corporibus autem noſtris naſcitur ructus acidus, non quod calor proprius ciborum ingeſtorum diſſipetur: verùm quod diminutè immutet noſter calor alimenta aſſumpta. Vult tamen ipſe Trallianus paragr. de his, qui ex cruditate febricitant, humore magis acido proveniente, ſe quendam curaſſe acidum ructantem, frigidis medicamentis. Ego certè quid ſtatuam neſcio. Neq; enim mihi poteſt probari; cenſeoq; ex frigidis rebus aſſumptis potuiſſe ructus acidos in calida ventriculi intemperie accidiſſe, idque potuiſſe Tralliano imponere referentem in ventriculi intemperiem id, quod ciborum erat pro-
B prium.

Habes quæ nunc mihi in mentem venerunt. Aliâs alia. Tu viciſſim noli tibi ſapere ſoli. Vale 26. Novemb. 1561.

EPISTOLA VI.

De Nidoroſo & acido ructu ex calida ventriculi intemperie orto.

C HENRICI SMETII MED. Antverpienſis

AD HENRICVM BRVCÆVM MED. Aloſtenſem Reſponſio.

QUEMADMODUM honorande cognate, in aliis omnibus, ita & in hac re proportio agentis & patientis, meo judicio, conſideranda venit. Niſi enim hoc ſit; fruſtra agens aget, materia non proportionata, ad patiendum à tali agente. In calida ventris intem-
D perie (nulla ibidem bile præſente) niſi cibi ad nidoroſos ructus excitandos, ex ſe non nihil ſint diſpoſiti (utpote qui corruptu faciles, & deterioris ſint ſucci, qualia itria, frixa omnia, ex farina, melle, oleo, butyro, ſaccharo, ſeſamo, amygdalis facta, ova fricta, raphani) non video, quomodo calida ventris intemperies tales ructus ex cibis, tardæ coctionis bonique ſucci, & qui non facilè corrumpan-

tur,qualis panis,& alica, teſtacei piſces, cochleæ, animalium pedes, & ſimilia creabit, verùm ſi manente calida ventris præter naturam conſtitutione, cibi offerantur molles, nimium humidi liquidique, qui ventri innatent, in quibus exiguus ſit & debilis innatus calor, quiq; frigidum, pituitoſum, & viſcidum ſuccum generare nati ſint: aut quorum calor facillimè exſolvatur,quales ſunt (ſicut ipſe Trallianus ponit) ptiſanæ,halicæque frumenti ſuccus :Non videtur mihi abſurdum calorem ciborum debilem à calore ventris vehementi extingui poſſe.videtur enim hujuſmodi cibus, vini cereviſiæ,lactis, aut alterius liquoris aceſcenus rationem habere, nec non calorem ventriculi nimium, caloris externi â ſole,aëre, aut igne provenientis,locum obtinere. Atque ſicut externus calor,debilem vini non generoſi calorem diſſipare, atque acidum reddere ipſum poteſt: ita à ventris caliditate vehementiore imbecillum quorundam ciborū calorem exſolvi poſſe, non eſt à ratione alienum. Vale. 12. Decembr. 61. A

EPISTOLA VII. B

HENRICI BRUCÆI

AD HENRICUM SMETIUM MED. Antuerpienſem.

De acido & nidorulento ructu.

NOSTRAM ſententiam de acido nidorulentoque ructu inveni eſſe ipſius Galeni lib. 8. methodi cap 5. Cum enim in calidis ſiccisq; naturis, eam cruditatis ſpeciem, quæ nidoroſum eructat frequenter inveniri dixiſſet : rarò verò alteram quæ acidum exhalat : ſubjecit circa finem capitis, ſi hæc in calidis naturis incidet,ſupponens etiam, ut opinor,eandem ventriculi intemperiem (videtur enim æqualem intemperiem totius corporis conſtituere) hoc; inquit, eveniet ratione alimenti promptè aceſcentis Gaviſus ſum,me hercule, ubi in illum locum his diebus incidi. Quamvis enim nos ratio eò deduxerit: ſunt tamen quibus nunquam ſatisfeceris, niſi auctoritate adducta idem adſtruas. Porrò & eam conjecturam eſſe probabilem, quà ducimur Galenum meditantem aliam cruditatem, ejus remedia nidoroſæ adſcripſiſſe : teſtatur locus circa medium putà cap. 4. lib. 1. de locis affectis, ubi acido ructu laborantibus conſulit dia triumpepereon:nidoroſos verò vult purgari Hiera picra. Quum autem hic auctor ubique ſit ſui ſimilis, quid aliud eſt cenſendum,quàm in ſcribendo, non in ſentiendo lapſum eſſe. His vale. Aloſti. 25. Januar. 1562. C D

EPI-

EPISTOLA VIII.

HENRICI BRUCÆI MEDICI Aloſtenſis

De Affinitate ſimplicium cum certis corporis partibus.

AD HENRICUM SMETIUM MED. Antverpienſem.

A EGo, dum tu inter gaudia jocoſque conjugij nuperrimè celebrati verſaris, meam ſententiam de ſimplicium cum certis noſtri corporis partibus affinitate explicui. Betonicam enim dicunt capitalem: Eupatorium hepaticum; hiſſopum pectoralem. Dicam hac de re quod ſentio, ſic tamen ut nullam fatear me hujus rei demonſtrationem habere, id eſt, firmam ac certam rationem, qua id, quod volo, confirmem. Univerſus tamen conſenſus veterum & recentiorum ferè practicorum omnium, ſatis me movere debebat, ut in eam deſcenderem ſententiam, certas noſtri corporis partes certa ſimplicia medicamenta reſpicere, ut quos longo rerum uſu id ipſum B deprahendiſſe eſt credendum. Verum oſtendamus nos iis, quæ in univerſa natura apparent, id maximè eſſe conſonum. Si enim totarum naturarum cum totis eſt quædam ſympathia, vel antipathia, ut de braſſica & vite, & olea ſcribit Theophraſtus: hanc enim ob naturæ affinitatem viſam eſſe viteſcere: vitem verò à braſſica ferè extingui. Poſſent multa alia adduci ex eodem auctore & Plinio petita. Verùm malo te eoſdem auctores conſulere. Idem uſu venit in animalibus, in quibus ſimiliter occultam quandam amiciciam, & odium cernere licet, teſte Ariſt. lib. de Hiſt. animalium. Memini quoque me abhinc aliquot annis colloquium quoddam Era- C ſmi de amicitia legiſſe, in quo magnam copiam ſimilium exemplorum congeſſit. Plato certè, ubi amicitiæ & amoris cauſam inveſtigat, inter alias cauſas naturæ conſenſum in medium adducit. Licet id etiam perſpicere in medicamentis proprios humores purgantibus; ut etiam non deſint, quæ ſanguinem eliciant. Si igitur totarum naturarum cum totis diſſidium, vel conjunctionem animadvertimus: medicamenta item certos humores attrahere: cur mirum alicui videatur partes noſtri corporis habere certam quandam cum aliis rebus affinitatem, eaſque ad illas ferri vel trahi potuiſſe, conſentiente in hoc veterum & recentiorum ſententia. D Quin nonnullarum herbarum nomina id teſtantur, à partibus, in quibus earum vis maximè cernitur, appellationem ſortita. Sic hepaticam habemus, aſplenum, pulmonariam, metricariam. Probabilia

babilia hæc quidem: verùm iis, quæ in univerſa natura conſpiciuntur conſentientia. Eoque magis hæc ſententia videtur probanda, quod alia probabilior ratio non videtur poſſe aſſignari. Nam quod à nonnullis aſſeritur in partes affectas medicamenta à partibus ſanis propelli, probabile id quidem: verùm quum partes corporis noſtri non ſoleant incitari ad expulſionem, niſi aut mole gravatæ, aut qualitate à natura aliena irritatæ: ſintque nonnulla ejus generis, quæ certam partem dicuntur reſpicere, nulla valida qualitate prædita; non apparet ratio, cur aliæ partes à ſe propellant, aut pars affecta, hoc potiùs quàm aliud attrahat. Adde hanc rationem locum non habere, in benè valentibus, in quibus unam partem alia, pro aſſumptorum diverſitate, mágis affici cernimus. A

Sunt qui in hujus cauſæ aſſignatione dicant, dirigi à natura non errante, vel, ut dicam apertius, ab ipſo Deo, cuius vis per omnia eſt diffuſa, ſingula adminiſtrans Hanc itaque naturam non errantem ponunt cauſam, quod in diverſis affectibus noſtri corporis, iisque contrariis, medicamenta ex contrariis facultatibus mixta, utrique affectui ſuccurrant, veluti Deo, quod cuique auxilio ſit futurum, diſtribuente. verè hi quidem, ſed minus naturaliter loqui mihi videntur. Ipſius enim nutu reguntur univerſa. verùm nos non hanc cauſam univerſalem quærimus, ſed eam per quam velut ſecundariam Deus, effectus in hæc inferiora producit, propinquam videlicet. ut enim ſi quis cauſam æſtivi caloris Deum Opt. Max. aſſignet. rectè is quidem; non tamen auditori ſatisfecerit; ſed aliam cauſam quærat propinquiorem, eam videlicet, qua Deus talem actionem in hæc inferiora producit, ſolem putà ipſum, vertici noſtro propinquum, radios minimè obliquos in hæc inferiora mittentem. Sunt alii, qui in his exemplis à te propoſitis cauſas naturales conantur explicare. Inquiunt enim cantharidas veſicam potius, quàm alias corporis partes exulcerare, quoniam cum vehementer urinam cieant diutiusq; in veſica, quàm ulla alia in parte corporis hæſitent: ſintque naturæ cauſticæ, ut extrinſecus admotæ declarāt, non mirum eſſe ſi eundem affectum in veſica edant. Et licet ratio hæc non rejicienda: quærat tamen aliquis, cur in ventriculum vel hepar non agant? cùm tamen diutiùs ibi moram trahant: tum cur ſimul cum lotiò non egerantur? & cur veſica robuſta acredine & mordacitate irritata, non eas expellat? verùm ſit ratio hæc in cantharidibus, ingeſtis, probabilis At quod manu detentæ veſicam alterent, quam cauſam adducas, præter naturæ hujus, ad hanc vel illam corporis noſtri partē, proprietatem? Sive enim ſpiritus quidam à cantharidibus derivetur in corpus, per inſenſiles meat' à nobis attractus vel ſubſtantia quædā tenuior: cur nō potius ad ſuperiores corporis partes fertur utpote levis, aut ab iis quæ validiore calore ſunt præditæ potius attrahitur, quàm à veſica? Idem venit mihi di-

B (line: raliter loqui mihi videntur. Ipſius enim nutu reguntur univerſa.)
C (line: cantharidas veſicam potius, quàm alias corporis partes exulcerare,)
D (line: hanc vel illam corporis noſtri partē, proprietatem? Sive enim ſpiri-)

hi dicendum de lepore marino pulmones erodente. Quod enim a-
junt, ob id potius pulmones lædi, quod ii ſanguine nutriantur bilio-
ſo, quem gignit leporis marini ſubſtantia; copioſius itaq; ex huius
aſſũptione bilis genita, eaq; in pulmones delata, facilè eos erodi. Sed
hoc in loco dubitari poſſet, de pulmonum nutrimento, de quo non
video omnes doctos conſentire verùm eo conceſſo, ut hi volunt,
tum bilem generari ex lepore marino: Ergo ne pulmones ſoli ſunt
afficiẽdi? Et cur lepore marino aſſumpto, eroditur ob bilem? Cum
aliis temporibus, licet magna bilis copia in aliquibus cernatur, non
A tamen erodantur. Vides itaque quantò ſit tutius veterum recen-
tiorumque medicorum adhuc ſententiam ſequi. Cuius quidem
fateor me nullam apertam rationem aſſignare poſſe, qualis enim
ſit iſta naturæ proprietas, fateor me ignorare: lubensque amplectar
rationem naturalem, quæ declarat id, quod conſpicitur, aut etiam
ſi fieri poſſit evertat opinionem ab omnibus ferè receptam. Vale.
1. Febr. 1562.

EPISTOLA IX.

B
HENRICUS BRUCÆUS MED. ALOST.
HENRICO SMETIO MED. Antverpienſi

De Elleboro.

LITERAS tuas, quibus meis de elleboro reſpondes, ſerius accẽ-
pi, quas nunc legi. Neutrius autem uſum apud vos eſſe, ob beni-
gniorum medicamentorum copiam, intelligo. Laudo equidem eos,
C qui periculo obnoxia fugiunt, tutiorum uſum ſequuntur: quorum
inſtitutum, ut in Elleboro albo non damnârim: ita minimè probâ-
rim in nigro, benigno omnium tum veterum, tum recentiorum
ſententia. Et ſanè ſi quis animadvertat, quando veteres albo uſi ſint,
non video quin nos in tali ſtatu eos imitemur. Dandum enim his
qui diuturno, ac forti morbo laborant, inquit Aetius, (Tetrab. 1.
ſermo. 3. cap. 121.) & qui in aliis auxiliis ſpem non habent, ubi i-
taque aliis medicamentis morbus non cedit: cur non confugiamus
ad hanc veluti anchoram? niſi quis rectiùs ſentiat, ægrum per-
D petuo morbo premi, aut vivis excedere; quàm eo medicamento
in ſpem aliquam ſanitatis recuperandæ venire. Verùm nimiùm nos
molles ſumus, nimium hominibus ſervimus, ex quorum ferè arbi-
trio ars exercetur, ut ſæpiùs non quod ægritudo, ſed quod æger po-
ſcit, exhibendum ſit. Hinc etiam fit, ut plerique morbis longis con-
flictantes occumbant, dum præter eccoprotica, nulla admittant me-
dicamenta

dicamenta. Sed hæc fruſtra, venio ad nigrum Elleborum, de quo miror te ſcribere, veteres eius diluto vel decocto potius uti, quàm ipſius ſubſtantia, quùm nullus eorum de Ellebori nigri decoctione agat. verùm omnes, tres ſcrupulos in pulverem redacti, plus minusve exhibeant, aut cum jure, aut melle, aut in cataporiis, additis ſemper ſeminibus nonnullis, quo minus os ventriculi offendatur. qua de cauſa, etiam juri ipſi admiſcetur ſic enim nec læditur ſtomachus, & medicamenti utilitate non privamur: cum autem veteres ſcrupulos quatuor in exhibendo Elleboro non excedant, ut cuilibet videre licet: Miror ego Sylvium qui ſcribat Paulum ejus uncias duas infundere, cum in Elleboro nigro Paulus infuſionis non meminerit, & hæc quantitas videatur longè exceſſura, etiam robuſtiſſimi vires: ſi ſaltem quicquid infuſum eſt, id omne ab ægro una vice ſumatur. Non quod me lateat infuſorum majorem eſſe copiam, quam ubi ſolida medicamenta præbentur: verùm nunquam is reperitur exceſſus; nec ferè animadvertas, quæ infunduntur triplo excedere quantitatem ſubſtantiæ in ſolidum exhibitæ. Imò infra hanc proportionem ſubſiſtere plurimum. Quocirca videat, ne pro unciis drachmæ ſint legendæ, ſi ſaltem Paulus uſpiam infuſionis Ellebori nigri meminerit; aut fortè Elleboro albo aſcripta, ad nigrum transtulerit. Id quod verum arbitror, & apud Paulum lib. 7 cap. 10. legere licet. Agens enim de Elleboriſmo, qui per album fit, agit de infuſione duarum unciarum Ellebori albi. vide locum. Porrò licet veteres ejus decocto, aut diluto uſi non ſint. Non negarim commodè ejus decoctum exhiberi, verùm in eo non exceſſero drach. tres, præbens decoctionis uncias quatuor aut quinque. Nam in ſubſtantia, drach una ab omnibus ſtatuitur. His vale, Aloſti 22. Febr. 1564.

A B C D

EPISTOLA X.

HENRICUS SMETIUS MED. Antuverp.

HENR. BRUCÆO MED. ALOST.

De Elleboro nigro & albo decocto, & infuſo.

QUOD ad te nuper de veratro ſcripſeram, id ita accipias velim, ut quod tumultuariè raptimque conſarcinare potui. Præſertim de re dubia ſatis, & paſſim hodie inuſitata. Neque enim per occupationes attentius quicquam conſiderare licebat, imò ne exemplar quidem literarum apud me retinere. Quo factum ſuſpicor, ut ubi me veteres veratri nigri diluto potius, aut decocto, quàm ſubſtantia uſos ſcripſiſſe dicis, fortaſſis aberrarim, & pro albo, nigri ſcripſerim,

rim, feſtinante nimirum diſceſſum ſororio tuo. Nihilominus tamen Oribaſius lib. 7. cap. 27. de nigri decocto ſic ſcribit: Satis ergo erit radices veratri nigri ſiccas incidere, vinoque dulci & oxymelite addrachmas duas perſpargere, & in lentibus aut priſana, aut jure gallinaceo, decoctas ſorbere, Scammonii verò oboli tres uni drachmæ Ellebori miſcebuntur. Hæc ille nihil pulveris meminit. Paulus lib 7. cap. 4. de nigri diluto ſic inquit: veratrum nigrum, flavam potiſſimum bilem, è toto corpore citra moleſtiam educit, quam ob cauſam iis, qui non graviter febricitent, magisque febri carentibus,
A inſtar denarii exhibetur radicibus in aquâ aut mulsâ maceratis Dioſcorid lib. 4. cap. 146. veratrum nigrum purgat ventrem, detrahit bilem, pituitasque datum per ſe, aut cum camonia & tribus obolis ſive drachma ſalis, decoquitur & cum lente & juſculis. quæ purgationis cauſa ſumptitantur: Meſuæus lib 2. cap. 30: filius Zezar manna melli ſimili tepida. quantitatem corticis radicularum Ellebori nigri aptam, horis octo macerat, colatum dat in quo virtus eſt Ellebori. Habes Oribaſii, Pauli, Dioſcoridis, Meſuæi de veratri nigri decocto, & maceratione ſententiam, quam & recentiores imitati ſunt, putà Manardus, Sylvius, Mathiolus & plerique alii, idque magno
B ſucceſſu. Non negârim tamen intereà quoſdam ſubſtantiam ipſam, & pulverem in uſum vocaſſe. Inter quos & ipſe Aetius ſermone 3. primæ tetralibus cap. 27. ubi expreſſe habet, ſiccetur in umbra, tundatur ac cribretur, datur cum paſſo, aut aceto mulſo. Actuarius tamē lib 5 Method. cap. 8 hoc modo; Modus exhibitionis ſunt ſcrupuli tres plus minus, tenuium fibrarum è radicibus dependentium, in aqua paululum maceratarum, deinde cortice detracto: ac in umbra ſiccato, projectaque tenui, quę ipſi ſubeſt medulla, datur ex paſſo & oxymelite. Nihil hic de confuſione, neque cribratione, neque pulvere, qui tamen totum hunc locum, alioquin ex Aetio ad verbum in
C ſuum opus tranſtulit. vides igitur quod plures ſint ex veteribus, ac recentioribus, qui decocti potius, quam pulveris meminerint, contra atque tu odinaris? Silvii nullum ego in me patrocinium ſuſcipio, qui Paulum nigri ℥ ii diebus quinque infudiſſe tradas. Diverſum enim habet Pauli lectio, quæ clariſs. de albo ſic loquitur, lib. 7. cap. 10. veratri albi optimi ſextans, in aquæ ſemina diebus quinque maceratus, ad aquæ tertias incoquitur, ubi expreſſum veratrum eſt, aquæ, tantumdem mellis miſcetur, excoctum usque ad ſpiſſitudinem prædicto modo laboranti, &c. Eandem proportionem obſeruat Aetius ſermone 3. tetrabibli 1. cap. 130. præterquam quod triduum tan-
D tum macerat, & ad mellis compagem percoquit. Oribaſius lib. 8. cap. 3. parum diſſentit ab illis in Ellebori albi decocto. Verum de nigro nihil tale dixiſſe, neque Paulum neque ullum alium comperio. Quare viderit Sylvius ut ſe tueri poſſit, qui Paulum minus verè citarit Niſi fortaſſis nimium credulus Manardo fuiſſe videri queat, cuius annotationes in Meſuæi ſimplicia, ferè pleraſque tranſſcripſit.

Manar-

Manardus enim cap. de Elleboro ſimplicium Meſuæi prior Sylvio, Paulum infudiſſe aquæ nigri veratri ℥ ii per dies quinque annotavit, quod quàm verè & qua ratione fecerit non video Perparum tamen Sylvium Manardi error excuſarit Vale. Nonis Martiis. 1564.

EPISTOLA XI.

HENRICUS BRUCÆUS MED. Aloſtenſis. A

HENR. SMETIO MED ANTVERP.

De Elleboro, in ſubſtantia ſumendo.

LITERÆ tuæ cognate humaniſs. mihi gratiſſimæ fuerunt, eo quod de veratro nigro plenius agerent, & explicarent ex veterũ inſtituto magis decoctum exhibendum, quàm ſolidam eius ſubſtantiam, ſive ea in pulverem ſit redacta, ſive alio modo præparata. Ego enim de ſubſtantiæ ſolidæ exhibitione egi, non laborans quonam modo ingeratur. Reſpondebo breviter quid ſentiam de locis à te adductis, ubi prius aperuero meam de decocti exhibitione ſentẽtiam. Ego decoctum medicamenti exhiberi intelligo, quum humore, in quo ebulliit transcolato, is præbetur; rejicitur autem craſſior medicamenti ſubſtantia reſidua, ſic etiam de infuſo, ſive macerato ſentio. Subſtantiam autem ſolidam dari, quoties eius tam craſſior, quam tenuior pars ingeritur, ſive in pulverem redacta, ſive in minutiores particulas conciſa, ſive levigata, ſive contuſa, aut alio quocumque modo ad tranſglutiendum parata, eaque aut per ſe, aut cũ mulſa, ptiſana, lente, aut alio quovis jure, vel humore. cum quo plerumque ſumitur, ut poſt decoctionem injiciatur. Nonnumquam verò ſimul cum ptiſana, aut lente, aut alio jure decoquitur, neque eximitur poſt decoctionem verùm ſimul cum ipſo jure editur. De qua decoctione arbitror veteres ferè ſemper locutos: non in veratro nigro ſolum, verum etiam in aliis ferè omnibus medicamentis: ut apud Aetium cernere licet, qui decocto injicit poſt decoctionem factam, pulveres, quibus facultas maximè ineſt purgatrix. In macerationibus autem ad purgandum factis, ſecus habet. In his enim eximebant ſubſtantiam ſolidiorem, transacto infuſionis tempore, ut hodie quoque fit, & apud illum legere eſt in vinis purgatoriis. Arbitror itaque veteribus prioris decocti modum, quem hodie paſſim uſurpamus, & de quo eſt controverſia, non admodum fuiſſe uſitatũ. Nec obſtant autoritates de veratro nigro à te citatæ. Nam Oribaſius vult radices Ellebori. uti refers nigri, inciſas & juri incoctas ſumendas eſſe. Quod ego ita intelligo, ut radices ipſæ minutim conciſæ minimè

minimè eximantur de jure jam cocto: verùm ſimul cum eo ſumãtur: atque hunc in modum tota veratri nigri ſubſtantia ſumitur, licet in pulverem non ſit redacta. Hoc enim neceſſarium non eſt. Quod ſi quantitas videbitur juſto major: ut quæ ſcrupulos quatuor excedere non deberet: dicam ob id inciſas præbuiſſe. ſic enim minus ſunt efficaces, ut Paulus de Elleboro albo teſtatur, qui locus planè mihi ſuſpicionem movit, ea quæ ab Oribaſio ſunt relata, ad Elleborum album ſpectare. Paulus enim lib. 7. cap 10. eadem de albo recenſet: inquiens, efficaciſſimus verò omnium modus eſt talis:
A Diſſectis veratri (de albo autem loquitur) radicibus in ſeſanii magnitudinem (nam in tenuiſſimum redactæ pollinem, virium efficacia, ſtrangulationem pariunt) veratri plurimùm denarios duos, modicè unum, imbecillioribus priſanæ cremori, aut alicæ aut id genus alicujus incoctum, potui dabis: valentioribus, ex aqua calida aut mulſa, &c. verum hæc conjectura ex Paulo deſumpta ſit, cum Oribaſium non habeam. Porro Paul. lib. 7. c. 4. macerationis non meminit: verùm levigationis. ſic enim habet Albani Torini translatio: veratrum nigrum radicibus in mulſa, & aqua levigatis, his qui ante jejunarunt, vel cum melle, forma pilularum præbetur, &c &
B puto omnino levigatis legendum eſſe, eo quod ſubdat: vel cum melle, &c. verum dictio Græca controverſiam facilè diremerit, quæ poſt inſpecta, habet τῶν ῥιζῶν λείων. Dioſcorides verò quum dixiſſet, veratrum ſumi per ſe, vel decoqui cum lente: non indicat an poſt decoctionem veratrum eximi voluerit, nec ne. Actuarium autem idem ſenſiſſe, quod Aetium, cui dubium eſt? quum locum Aetii in opus ſuum tranſtulerit, quanquam & verba ejus ſatis indicãt, ipſum agere de ſubſtantiæ ſolidæ ſumptione; Dum ait; ex paſſo dari, vel aceto mulſo: nulla decoctionis mentione facta. Doſis etiam ipſa teſtatur. At Meſuæn inter veteres non numerabam. Nec enim late-
C bant, quæ ille ex ſententia filii Zezar de nigro veratro retulerat. Trallianus autem ipſum exhibet pleuriticis cum priſanæ cremore circa finem lib. 6. ubi agit de pleuritide. Cito autem lubentius hunc locum, quod oſtendat veteres in decocto exhibere, & ſimul aperiat, non eſſe ejus generis medicamentum, quod ſæva inducat ſymptomata; Dum pleuriticis exhibere non formidat: licet Meſuæs difficilem dicat, perperam citans Hippocratem, qui de albo egerat. Et quid mirum ſanis difficilem? cum medicamenta longè mitiora ſanis exhibita, difficultatem ſint allatura, teſtibus aphoriſ. 36. & 37. lib. 2. adeoque ratio convincit. His itaque non puto quempiam adduci
D poſſe, veteres uſos eſſe veratri nigri decocto, quin potius ſolidam ſubſtantiam præſcripſiſſe ſumendam. Non quod negem, commodè in uſum venire decoctum ejus, cum recentiores (quos citas) magno ægrorum emolumento id præbuerint. Verùm quærebatur, quid veteres egerint, apud quos raro offendes alicujus medicamenti purgantis decoctum commemorari, ut hodie recentiores in uſum trahunt,

qui liquorem, in quo ebulliit, offerunt, ſublata medicamenti ſubſtātia craſſiore. Quod ſi me roges: quid eos moverit, ut decoctum negligerent, cum infuſum probarint? dicam quod ſentio, gaviſurus, ſi acutius quid reperias quod magis ſatisfaciat. Arbitror itaque magis infuſionem, ſive macerationem pharmacorum probaſſe, quod macerando ob longiorem moram, medicamenti vis purgatrix magis traducatur in id, cui eſt infuſum; quod non æquè fieri poteſt decoctione, quæ exiguo tempore quum abſolvatur: fieri nequit ut virtus medicamenti transferatur in humorem, cui incoquitur. At inquies, diuturna ſit decoctio: verum illam non patitur id, cui incoquitur. Nam longiore coctione, aut abſumetur, aut corrumpetur. Ne interim dicam, pharmacum à calido humido velut diſſolvi, qua diſſolutione fiet, ut univerſa ferè ejus ſubſtantia ipſi decocto inhæreat: periculumque erit, ne nimis purget decoctum. Non enim dubium eſt, decoqui medicamentum majori doſi ad purgationem quā exhibeatur in ſubſtantia ſolida. Cum igitur decoctioni difficile eſſet præſcribere tempus, quod conveniret & medicamento, & rei cui incoquitur; puto decocti ob id veteres non frequenter meminiſſe. Hæc mea ſententia, à qua deſciſcere turpe non ducam, ſi aperti veterum loci à te adducantur, qui forte ipſa lectione incident, quos velim nobis, ſi quando occurrent, communices. Gratum enim erit veterum ſententiam intelligere. literas tuas de Elleboro priores, diu quæſitas non reperi: Arbitror alicubi inter libros deliteſcere. Bene vale. Aloſti XIII. Martii. 1564.

A

B

EPISTOLA XII.

HENRICUS SMETIUS MED. Antuverp.

HENR. BRUCÆO MED. ALOST.

C

De Elleboro decocto, & infuſo ſententia ſtabilitur.

EPISTOLAM tuam legi cognate honorande, qua locis veterū de hellebori decocto à me adductis reſpondes: prius tamen quid per decocti, per macerationis, quid item per ſubſtantiæ ſolidæ exhibitionem intelligas, prudenter declaras. In quibus trium vocum acceptionibus ego tecum acquieſco. verum illud non probo: quod veteres purgantium decoctis, à quibus, nempe poſt decoctionem peractam, purgantium incoctorum ſubſtantia eximatur, nequaquam aut raro uſos exiſtimas. Diverſum aliquot ego apertis veterum teſtimoniis oſtendam. Meſuæum prætereo, quod in veterum cenſu illum non habeas. Sed Oribaſio, Aetio, Paulo, ipſam hellebori albi decoctionem

D

coctionem in uſu fuiſſe manifeſtabo. Oribaſius enim lib. 8. cap. 3. ex Herodoti libro de præſidiis purgantibus, ita ſcribit: Helleborus (de albo loquens) decoctus dari apud nos minimo periculo ſolet. Cujus apparandi hæc eſt ratio: Hellebori libram, ſenis aquæ heminis triduo maceratam, lento igni decoquimus, usque dum tertia pars aquæ conſumpta ſit. Deinde helleborum exprimimus: tum mellis heminas duas decocto addimus, itemque decoquimus donec inquinet. Ex hoc damus iis, qui non admodum purgandi ſunt, cochlearia duo: robuſtis verò myſtri quantitatem. Purgatio quæ per hujus-
A modi fiat, neque ſtrangulationem, neque ullum alium metum quē nimia purgatio ſolet incutere, ut quam nobis attulit. Hæc ille. His conſentit Aëtius tetrab. 1. ſerm. 3. cap. 128. Ex Antylo & Poſidonio in hæc verba: veratrum album diverſimodè datur. Alii veratri decoctum exhibent, alii cremorem, alii ipſam ejus ſubſtantiam. Deinde cap. 130. decocti uſum formamque parandi tradit hoc modo: veratri albi libram unam conciſam, in aquæ pluvialis ſextariis duobus macerato ad triduum, deinde ad prunas mitiores, coquito ad tertias. Poſtea colato, & adjicito ad decoctum mellis deſpumati primarii lib. duas, coquens usque ad mellis compagem, & cochlearium magnū
B dato delingendum. Licet etiam aqua calida miſcere, & dare cum ſorbitione quadam. Hoc neque convulſiones neque contractiones, neque nimiam purgationem facit. Hæc ille. Neque ab his diverſus eſt Ægineta lib. 7. cap. 10 veratri decoquendi modum ſic docens: veratri decoquendi modum ſic docens: veratri albi optimi ſextans in aquæ hemina, diebus quinque maceratus, ad aquæ tertias incoquitur, ubi expreſſum veratrum eſt: aquæ admiſce tantundem mellis, excoctum usque ad ſpiſſitudinem, prædicto modo laboranti exhibetur. Sic ille. Ex quibus tribus vetuſtis ſanè ſcriptoribus luce meridiana clarius patet, veteribus etiam ante ipſorum tempora, Elleborum
C album decoqui non inſolens fuiſſe, tutumque decocti uſum: quem tu periculoſum nimia purgatione metuebas fore. Si itaque albi decoctio ita commendata illis fuerit, quid & quanto magis de nigro cenſebimus? Neque decocta hellebori ſolum; ſed & aliorum ſimplicium purgantium occurrunt apud Dioſcoriden, Oribaſium, Actuarium & alios. Dioſcorid. enim lib. 4. cap 143. Oſiridis inquit decoctum potum juvat arquatos. Item ejuſdem lib. cap. 151. veratrum nigrum datur per ſe, aut cum ſcammonia & drachma ſalis. Decoquitur vero & cum lente & juſculis purgandi cauſa ſumendis. Idem cap. 191. de Mercuriali agens, cocta in aqua, epoto jure bilem aquas-
D que detrahit. Sic quoque ſequenti cap. 192. de cynocrambe loquens: Ius decocti, & pituitam & bilem aquamque ſubducit. Oribaſius lib. 7 cap. 27. Sambuci inquit & Ebuli radix in vino coquenda, & hydropicis ſæpe danda. Mercurialis decoctum, ſi vino admixtum bibas, valentius alvum dejiciet. Polypodii radix etiam in ptiſana aut Gallinaceo jure cocta citra moleſtiam purgat. Braſſica marina datur co-

cta,& ut aliud quippiam olus præparata, ſtomacho peſſima, ſtatim perturbat. Actuarius Græcus auctor Methodi lib. ·.c.8. Centaurium tenue, inquit, bilem craſſiſſimam, ac mucoſam educit. Bibiturque hujus decoctum aqua fervefactum. Sit autem centaurii pondus ſcr. ſex & aquæ hemina, quæ ad dimidias coquantur. Item de Tithymallo ſic ſcribit. Tithymalli characiæ erutam radicem in umbra ſiccato, poſtea uſu poſtulante, detracto prius cortice tuſam cribrato, & in paſſo veteri quatuor ſcrupul. pondere conjectam, per noctem & diē madeſcere ſinito. Deinde per linteum detritum præcolatum, ac leviter calfactum vinum potui dato. Item Cnici ſeminis levigati drach. A quinque, in gallinacei decocti jus, vel priſanæ cremorem injicito, colatumque propinato. Item mercurialis decoctum, ſi cum vino bibatur, mediocriter alvi excrementa promovet. Item Bulbus Vomitorius, ſi per ſe eſtur radix, decoctumve ejus potatur, vomitum provocat. Sic quoque Sambuci atque Ebuli folia decocta pituitam bilemque educunt. Et radix vino incocta, atque exhibita, aqua intercute laborantibus ſuccurrit. Sed iſta pro pluribus ſufficiunt, ut purgantia etiam ſimplicia, apud veteres decoqui, & colatum jus exhiberi ſolere manifeſtum fiat. Ne quid de compoſitionibus purgantibus dicamus, quarum aliquot formas, & decoquendi modos Actuarius lib. 5. B Methodi ſuæ. cap 9. proponit. Ad argumenta & rationes tuas jam veniam 1. decoctione, quia exiguo tempore abſolvitur, vim purgatricem in humorem transferri non poſſe. 2. ſin diuturnior decoctio fiat, tunc, abſumetur, aut corrumpetur, aut à calido & humido diſſolvetur medicamenti virtus. 3. & tota in humorem aut jus tranſibit, 4. metuendam inde nimiam purgationem, quia majorem doſin decoctio, quam ſolidæ ſubſtantiæ exhibitio requirit. 5 Difficile quoque eſſe, tempus, quod & medicamento, & humori, cui incoquitur, conveniat, præſcribere: Ideoque veteres à decoctorum purgantium uſu abſtinuiſſe. Ad primum itaque reſpondeo, non omnes decoctiones exiguo tempore abſolvi, ſed pro materia coquenda, aliàs exiguo C aliàs longo tempore opus habere, docente illud re culinaria. Ea enim quæ ſicca, dura, craſſa, denſa, ſunt ſubſtantia: tardius; quæ verò humida, molli, tenui, rara, aut friabili eſſentia ſunt prædita, celerius percoqui videmus. Simili ratione in purgantium genere, multum differunt lapides, ligna, radices, ſemina, à fructibus, herbis, ſuccis, & floribus. De quorum ſingulis quantum in coquendo ferre poſſint oſtendit Meſuæus. Ad alterum reſpondeo, ad coquenda purgantia, artifice peritoque coquo non minus opus eſſe, quam ad opſoniorum apparatum. Non ignorant famulæ culinariæ, quantum liquoris, tēporis, & ignis requirat vitulina, aut bovilla caro: quantum ſalpa, aut D mullus, quantum ceraſa, aut cotonea. Ideoque pro materiæ coquendæ differentia, coctionem moderantur, ne vel liquor ante tempus abſumatur, vel opſonium corrumpatur. Quod autem metuis, ne à calido & humido per coctionem diuturniorem medicamenti vis diſſol-

diſſolvatur, totaque in liquorem tranſeat: Hujus objectionis prius membrum redarguit, tamen uſus veterum, in exemplis ſupra citatis, tum experientia poſterioris ævi, & hodierni temporis. idque in Syrupis & electariis ſolutivis, quæ ex violariæ, roſarum, perſici & pruni Sylveſtris floribus, nec non ex fructibus pruni Damaſceni, caſſia fiſtulari, thamar. Indis, mirobalanis, manna, rhabarbaro, & ſimilibus ad compagem debitam percoquuntur diuturno lentoque igne, neque diſſolvitur interim facultas purgatrix, ſed in annum aut amplius vigens perdurat. Ad alterum verò objectionis membrum, metui nempe, ne vis purgans tota in juſculum tranſeat; Reſpondeo illud nequaquam metuendum, ſed optandum eſſe eoque, ut in jus illa transmigret, allaborari. facilior enim eſt liquoris medicati, quèm ſubſtantiæ ſolidæ deglutitio, cum purà & condimenti aliquid ſi opus ſit, facile immiſceri poſſit. Rurſus inſtas, metui tali modo nimiam purgationem, quia majorem medicamenti doſin decoctio, quam ſolida ſubſtantia poſtulat. Reſpondeo: non metuiſſe illud veteres, ut ſupra etiam de Elleboro albo dictum, Addo quod à minori doſi incipi poſſit. At inquis, difficile eſt, ad decoctiones tempus, quod & pharmaco, & liquori ſuo exactè conveniat, præſcribere; Reſpondeo hoc ab arte atque uſu doceri, adeoque ex ſubſtantia, & quantitate medicamenti colligi poſſe. Hæc ſunt quæ contra argumenta tua ſuccurrebant. De quibus tu pro ingenio tuo, judicioque cogitabis. Vale. Antuerpiæ 10. Aprilis. 1564.

EPISTOLA XIII.

LEVINUS BATTUS MED. ET PHILOſophiæ Doctor Profeſſor Acad. Roſtochienſis.

HENR. SMETIO MED. ANTVERP.

De diebus criticis eorumq; cauſis.

QUOD mihi chariſſime cognate commentarium in dies decretorios miſeris, plurimam habeo gratiam. Quod autem in poſteriore epiſtolæ parte doctrinam de criticis diebus non modo arduam ac difficilem, verum etiam incertam aſtruere conaris, ex Galeni loco lib. 3. cap. 10. ubi ſic ſcriptum reliquit: Nos ſiquidem hæc paucis planè, iiſque invitò ſcripſiſſe affirmamus. vos o dii immortales noviſtis, vos in teſtimonium voco: hæc me amicorum quorundam precibus vehementer adactum, ſcriptis mandaſſe. Item ex cap. 12. Statim initio; ſic inquit, A me itaque veritatem ipſam, quantùm homini licet, inventam eſſe puto, quam quidem & Hippocrates prius

cognoverat, ſicut & præſcriptis verbis indicavit, &c. Agnoſco ex his magis animi tui erga me benevolentiam . qua me cupis ad ea, quæ proponi poſſunt, diſſolvenda, excitare, quàm quod revera ita ſentias. Non enim Galen. ibidem de certitudine dubitat. verum ait ἀκούσματα non eſſe δημόσια ,ac propterea timet, ne in reprehenſionem & calumnias incidat. Reprehendit enim ea plerumque vulgus, quæ ante nõ audivit. Sicut apud Terentium dicitur, homine imperito nihil eſt quicquam injuſtius, qui niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat. velim autem te diligentius expendere cauſam dierum criticorum efficiẽtem. Ego tantum τὸν οὐρανὸν & præcipue Lunæ motum eſſe ſtatuo. A
At Gal. libr. 3. cap. 1. videtur etiam fluxum materiæ inferioris vocare in ſubſidium, cum inquit, ἐφαίνετο δύο ἀρχὰς θέσθαι χρῆναι τὰς πρώτας ἁπάντων τῶν γινομένων· ἄτακτον μὲν τὴν ἐκ τῆς ἐνταῦθ' ὕλης ὁρμωμένων. &c. Cum autem hac cauſa relicta, alteram perſequatur, nec minimo quidem verbo ejus deinceps meminerit: Bieſius apud Lovanienſes cum motu Lunæ conjungit humorum motum, cum tamen ratione motus humorum, nulla ratio reddi poſſit: cur decimus quartus criticus exiſtat. video etiam ambigi de morbis, quinam per criſes judicentur commentator in dies decretorios, B
aſſignat criſes morbis acutis; verùm nec hi ſolùm ad criſes pertinẽt, cum etiam ἐκ μεταπτώσεως acuti in 40. deſinant. At dies criticos numerat Galenus usque ad 120. non obſcure innuens, etiam χρονικοὺς κρίνεσθαι. Galenus . alicubi inquit expectandam criſin, ſi morbus ſit magnus. verum non omnes magni morbi, ut magna vulnera, magnæ fracturæ, nec alius ullus affectus, qui ex humore non cõſiſtit, has mutationes ſuſcipit, & non tamen omnes, qui ex humore fiunt, ut inflammationes multarum partium. Hæc velim pro tua prudentia conſideres. Bene vale, conjugem verò tuam meo, uxorisq; nomine officioſe ſaluta. Datæ Roſtochii die 14. Auguſt. 1564. C

EPISTOLA XIV.

HENRICUS SMETIUS MED. Antuerp.

LEVINO BATTO MEDIC. Profeſſori Roſtoch.

D

Lunæ motum nihil conferre cauſis dierum decretoriorum.

S. P. LOcus ille Gal. ex lib. 3. decretoriorum cap. 10. quem poſtremis noſtris ad te literis citavi mi cognate, nequaquam de criſibus

criſibus agit, neque de diebus criticis; ſed cauſas decretoriorum dierum, quas Gal. in Lunæ motum retulit, elevare videtur. Neque enim ipſe ignoravit, arbitror, quam incerta fuerint, quibus rem aggreditur, principia, cujus incertitudinis conſcientia, in verba illa loco citato prorupit Nolim tamen ita exiſtimes, me tanti viri ingenium ſua laude defraudare velle; qua ſanè quàm maxima dignus eſt, qui tam ſubtili artificio Hippocraticas obſervationes de criſimis diebus in cælum referre conaretur Nec verò ipſe tantum autoritati ſuæ tribuendum velit, ut veritas deſeratur. Amicus enim Galenus, amicus
A Hippocrates; magis tamen amica veritas. Neque enim principiorum, quibus utitur, alterum ita ordinatum eſt, ut illud, quod ex materia proficiſcitur, prorſus inordinatum dici debeat. Sic alioqui elementorum ipſorum, omniumque inferiorum ex illis miſtorum ἀταξίαν quandam inducemus. An unquam non ignis aërem, aër aquam, aqua terræ globum complexus eſt? Semper profectò terræ viſcera metalla obtinuerunt. Semper ex terra fontes ex fontibus fluvii in mare proni defluxerunt. Semper ſurſum ramos plantæ, deorſum radices egerunt; per quas ex humo alimentum attrahentes in omnem dimenſionem auctæ ſunt, jamque perfectæ ſemina, qui-
B bus ſuæ ſpecies conſerventur, produxerunt. Quis Politiæ, Oeconomiæ, doctrinis, artibus, ſcientiis, diſciplinis, numeris, ætatibus, rerum naturis, ſpecierum productionibus; quis inquam his ordinem abrogarit? Quid ipſa hominis natura aliud eſt, quam perpetuus & cōſtans actionum naturalium ordo? Quid ſolum ordine caret, quàm quod præter naturam eſt? Dicemusne hæc è cæleſtibus corporibus pendere? nequaquam profectò; nam quocumque modo illa volvantur; hæc perpetuo ſuo tenore, tam hieme quàm æſtate; tam nocte quàm die; tam dormientibus, quàm vigilantibus conſtant; perinde ac ſi illorum opera non egeant Attamen aliunde habent. A-
C liunde profectò, nempe à divina illa mente, à qua & ipſa cæleſtia corpora conſtantem ſuum motum acceperunt. quæ tam ſuperioribus, quam inferioribus juxta imperat. Quare immeritò, meo quidem judicio, Galenus (pace tanti viri dixerim) principium illud, quod ex materia oritur, ἄτακτον, ideoque ſibi inutile ad criſimorum cauſas inquirendas exiſtimavit. At ſi concedatur, nos à ſuperioribus aſtris regi, Soleque & Luna præcipuè: quomodo hæc conſtent, videamus. Sol ſane hunc orbem exornat, omniaque continuè diſponit: Annū in ſuas partes quatuor diſtribuit; animalia generat; fruges maturat; animantia omnia ad generis propagationem, excepto homine pro-
D vocat; hæc equidem perpetuò agit. At non propterea morbi peculiari Solis poteſtate, vel bene vel male judicantur. Si qui à Sole morbi curari dicantur, id ſane vivifico ipſius calore fieri dicendum eſt, quo cætera peragit, prout illum plus minusve vario motu & lumine nobis impartitur. Vnde ægritudines æſtate, Solis ad nos propinquitate captæ, hyeme, ipſius à nobis elongatione terminantur. Contra

verò quæ hieme ceperunt,æſtate ſolvuntur. Sed velut illæ operationes ſtabiles ſunt,ita hi circa morbos, effectus Solis, non ſunt perpetui: quod tamen haud dubiè eſſet,ſi inferiora hæc à ſuperioribus in certum ordinem redigerentur,& ab illis omnia in orbe decus, ornamentumque ut Galenus inquit) capeſſerent. Fere enim æſtivi morbi ante hyemem, & hyemales ante æſtatem finiuntur. Aliquando quoque,quamvis rarò,ad longius quam menſium ſex tempus, nullo vel ægrotantis vel medici vel aſſiſtentium errore intercedente, extenduntur. At ſi jam Solis actiones,qui aſtrorum princeps eſt, in morbis operationes certæ non ſunt; quid de Luna dicemus? Hæc certè omnium conſenſu Solis tantum vicaria eſt, à quo mutuatam lucem,diverſo modo,mundo ſubminiſtrat, quo fit, ut in actionibus ſuis longe illo infirmior reperiatur. Huc accedit,quod in movendo celeritas,permultum ipſius virtuti in agendo detrahat. neque enim tanto tempore moratur. ut ſtabiles effectus edat. Dum enim Sol orbem ſuum ſemel peragrando cunctatur; illa tredecies ferè curſum ſuum iterat. Adde quod modo acclivior, modo declivior nobis,breviſſimo fit tempore. unde & operatio modo efficacior nonnihil; modo languidior evadit; adeoque imperceptibilis ſæpe. Sed objecerit fortè quiſquam effectus Lunæ, nequaquam ex motus ejus tarditate & celeritate,nec ex ſitu vel ad auſtrum, vel ſeptentrionem,aut ex epicycli ſui hábitu colligendos eſſe: verùm ex eo, prout ſe ad Solem habeat Conjuncta enim & ex adverſo oppoſita, maximas alterationes parit,Dimidiata non ita magnas falcata ſanè multo minores.Id enim ipſe Galenus aſſerit. At jam occultata Luna (quo tempore diuturnior & vehementior actio ipſius exiſtit) omnes incidere in morbos deberent.Ita enim ſeptimo die διχότομος magnam: decimo quarto πανσέληνος maximam vim nacta,morbos acutos judicaret,verum perquàm rarò id contingit. Incerta enim ſunt morborum initia,quo fit,ut quolibet Lunæ tempore, inchoari morbi poſſint,adeoque quovis morbi die, quilibet Lunæ ad Solem reſpectus incidere Cœperit enim ægritudo tertio die à conjunctione (id enim fieri poteſt,tetragona ſanè Lunæ figura, quintum morbi diem,non ſeptimum occupabit.Oppoſitio verò non ſanè decimũ quartum,ſed duodecimum habebit At duodecimum, inter ſubito ſolventes non numerari nemo dubitat. Si itaque criſes ex certa Lunæ figuratione pendere dicantur,non video quare ſeptimum magis, quam quintum; décimum quartum magis quam duodecimum criticos ſubitò ſolventes cenſere debeamus. Hæc tu pro ingenio tuo conſidera,ut,quantum in reddenda criſimorum dierum ratione,Lunæ motus conferat, ſciri poſſit. Lege de hac re Ioh. Manardi Epiſtolam 5. lib. 15. Vbi copioſius hæc proſequitur. neque ſanè ſine judicio.

A B C D

Transmitto Brucæi noſtri ad te reſponſum ſuper quæſtione tua; An in omnibus morbis criſis expectanda ſit, quam alii acutis ſolis

(ut ais)

(ut ais) alii morbis ex humore conſiſtentibus tribuunt, nec iis quidē omnibus. Miſerat ipſe mihi illud apertum, ut legere poſſim, lectum verò obſignatumque ad te darem. Feliciter vale, cum ſalutatione uxoris tuæ, & amicorum omnium. Antuerp. 7. Novemb. 1564.

EPISTOLA XV.

HENR. BRUCÆI MED. ALOST.

A

RESPONSUM AD LEVINI BATTI MED. Profeſſ. Roſtoch. quæſtionem.

An in omnibus morbis criſis expectanda. Alii enim morbis ex humore generatis ſolum, criſes concedunt, quin ne iis quidem omnibus; alii acutis ſolummodò.

B SATISFACIAM quæſtioni, eo prius animadverſo, te morbis ex humore conſiſtentibus, acutos opponere, quaſi illi ex ſola intemperie dependeant. Cum tamen acuti nulli ſint, quin ex humore originem trahant.

Duplex enim acutorum natura, vel enim in humoribus calidis ſolis, qui nullum obſedere locum, ſed in venis per corpus vagantur, generari contingit. vel loco aliquo affecto, in quo humor detinetur, fiunt: ut in pleuritide, angina, &c quod & febres continuæ omnibus ferè acutis conjunctæ declarant. Exiſtimo itaque à te vocari in quæſtionem. cum morborum alii ex ſola intemperie ſint; alii ex C humorum vitio, & putredine naſcantur, utrum ad poſtremos hos ſolum ſpectet criſis; an priores etiam reſpiciat. Tum utrum in omnibus morbis ex humoribus conſiſtentibus, criſis ſit expectanda? Dicam quod ſentio. Tu hanc ſententiam, ſi rationi conſentanea videbitur, amplecteris; aut ſi aliam potioribus rationibus nixam habebis, in eam & ego lubens deſcendero.

Criſim vocant ſubitam ad ſalutem, vel ad mortem mutationem, aut in melius pejusve permutationem. Quæ fit decertante natura, cum ipſo morbo; quæ ubi ſuperior evadit, ad ſalutem mutatio tendit; ſin ſuccumbit: ad mortem declinat. Talem igitur ſubitam mu-D tationem, in qua victrix natura diſcedit (de hac enim ut potiore nūc loquar) incidere in morbis à ſola qualitate pendentibus non arbitror; quod ii ferè externorum auxiliorum ope, vel intrinſecus aſſumptorum auxilio curentur, natura tantum ſi ſit neceſſe, medicamenta quæ ſcilicet poteſtate calida ſunt, in actum deducente, aut ea dirigente, ad locum intemperie laborantem; quod poſterius à na-

tura intelligente, naturam animalium gubernante, fieri ſtatuunt
doctiſſimi naturæ interpretes. At verò criſis eſt ſolius naturæ actio,
medicamentis potius eam impedientibus, quàm juvantibus. quod
ubi eam expectamus, tunc ceſſandum ſit ab omni opere; niſi fortè
ob attenuationem & inciſionem humorum, & viarum apertionem,
quam nos parare poſſumus, quis dixerit externis actionibus criſin
promoveri. Concoctio certè, & ſubita, quæ hanc ſequitur mutatio,
ad eam ſolam referenda, quæ ſola conſequi poteſt, in morbis ab hu-
more conſiſtentibus; quod humor jam victus à natura, qui morbi
erat auctor, ſubito expelli queat; ad cujus expulſionem repentina A
mutatio ſequitur. In morbis à qualitate pendentibus, cum in iis ni-
hil ſit quod expellatur, ſed quod immutandum ſit; criſis minimè
ſequitur; quod alterationes cum ſint motus ad qualitatem, paula-
tim fiant, deducta qualitate inimica naturæ ad temperiem quandã.
Nam cum calor noſter ſit in temperie quadam, partis alicujus intẽ-
periem ſubito vincere nequit; imo nequaquam victurus unquam,
alicujus partis, aut etiam totius corporis intemperiem; niſi exter-
nis auxiliis adjuvetur plurimum, à quibus nonnunquam videmus,
inmenſum febris ardentis calorem extingui. hauſta ſcil. magna a-
quæ frigidæ copia, & ſtomachi quoque magnas intemperies ſic vin- B
ci. Eas autem ſubitas ſanationes, nos non vocamus criſes, quod ea ex-
terni ſolius auxilii ope perficiatur. Non negem tamen aliquando e-
venire, quod in febribus ardentibus ſubſequantur excretiones co-
pioſę frigidæ aquæ potu. quod eo corroborata natura humores bilio-
ſos expellat. Cum igitur caloris noſtri ſit quædam temperies quæ
in parte affecta imbecillior eſt, & reliquæ partes minimè ad læſam
ſublevandam concurrere poſſint, nec univerſus calor eò confluat mi-
rum non videbitur, ſi repentinis mutationibus non conſpiciantur
judicari; ſed paulatim potius ſolvi, paulatim facta mutatione. in
morbis verò acutis, qui in venis habent cauſam morbi vagantem, C
aut alicui parti infixam, criſes cernuntur; ſeparante, & expellente
natura noxios humores ab utilibus. ad quorum excretionem ſequi-
tur mutatio ad ſalutem. Cum enim hi morbum tanquam cauſæ cõ-
junctæ in corpore foverent; meritò his depulſis, morbum omniaq;
Symptomata, aut planè auferri, aut mitigari eſt neceſſe. Perturbatio-
nes quoque illæ, quæ ſemper criſim præcedunt, ut ſunt vigiliæ, de-
mentiæ, graves ſomni, vertigines, difficiles reſpirationes, & alia ab
Hippocrate in prognoſticis & Gal. lib. de criſibus enumerata: nõ poſ-
ſunt, niſi ab humoribus prodire, quos dum natura ſegregat, & ob id
agitat: fit, ut varia, & diverſa conſequantur accidentia, pro ratione D
humoris, & loco affecto, & via, & modo evacuationis, quam natura
molitur. Ejus autem generis perturbationem in morbis à nuda qua-
litate prodeuntibus, imaginari vix poſſumus; quod in his, una ſit &
ſimilis perpetua diſpoſitio, eadem ſymptomata ab initio ad finem
conſervans; differentia ſolùm ſecundum majus & minus, prout in-
tempe-

temperiem aut increſcere, aut diminui contingit. Planum enim eſt ab eadem cauſa eoſdem in ſimili ſubjecto effectus prodire: ſed eos vehementiores evidentioresque è majori validiorique cauſa. verum quid ego in re manifeſta prolixior ſum? cum tota hæc quæſtio lib. 3. criſ. apertiſſime diffiniatur, & aphoriſ 12 13 lib 2. & aphoriſ. 20. lib. 1. idem evidenter tradatur. Nunc oſtendendum, utrum in omnibus morbis ab humore pendentibus criſis ſit expectanda? Cum itaque morborum ex humore exiſtentium alii acuti, alii longi ſint: Ad acutos, quibus & peracutos complector, maxime ſpectat criſis, quod
A hi cum ad ſtatum celerrimè progrediantur, ab humoribus calidis plerumque fiant; qui tenues, fluxiles & ad ſeparationem expulſionemque apti, naturæque moleſti; & ſævitia ſymptomatum maximè infeſti ſunt: neceſſe eſt, dum in hos incumbit natura, aut vincẽtem, eos expellere; aut victam, opprimi. In longis verò non ita frequens; quod hi à craſſis, lentis, frigidiſque fiant humoribus qui naturam ſævis ſumptomatibus non ita laceſſunt. cum fixi ſint, & frigidum ad actiones tardum exiſtens potius ſopiat vim ſentiendi, quam eandem vellicet. Nam humor naturam laceſſens, niſi ſua quantitate nimia id efficiat, aut motu ſuo, aut ſua qualitate id præſtabit, quæ
B duo poſteriora in morbis longis deſunt; quod hi plerumque fixi, & minimè habeant qualitates vellicantes; Natura itaque cum ab his non ita exagitetur: poteſt incumbere eorum concoctioni, paulatimque quæ concoxit, expellere, ſicque morbum ſolvere; quod evenit, ubi optimam & multam ſubſidentiam urinæ habent. Evenit tamen criſis nonnunquam, ubi ſcil. nobilis quædam pars ab humore frigido preſſa, eum in ignobiliorem per abſceſſum depellit. Sic plerumque criticas cernimus parotidas, & ædemata in pedibus, accidũt interdum quoque, in longis morbis criſes per excretiones, ut teſtatur Galenus lib. 1. decretoriorum circa medium, & etiam ab Hippo-
C crate obſervatum eſſe dicit, cum ſexageſimum, octuageſimum, centeſimumque inter decretorios recenſeat. De cauſa vero criticorum dierum, ut ingenuè fatear, nondum mihi ipſi ſatisfacio. Quare hanc tractionem in id temporis differam, dum dies me amplius inſtruat. Bene vale. Aloſto calend. Novemb. 1564.

EPISTOLA XVI.

HENR. SMETIUS MED. ANTVERP.
D THOMÆ ERASTO MED. Profeſſori primario Haidelb.

De aliquot egregiis quæſtionib. medicis.

POSTREMÒ obſervande præceptor, per IOA. Hydropalæum ad te ſcripſeram ſcripturus iterum per Oliverium Bockium, niſi opinione mea citius diſceſſiſſet. Iam ſeptimò reſcribo, ut reſponſi

ſaltem

ſaltem aliquid eliciam ad ea, quæ ante annos tres ſtatim artis faciendæ initio, in quæſtionem duxeram, videlicet;

1 An medicamenta ſint, quæ abdita quadam vi certis corporis partibus præcipue ſic proſint, aut noceant, ut ab illis apte denominari valeant.

2 Deinde ſi talia exiſtant: an methodo aliqua in illorum cognitionem pervenire poſſimus. Turpe enim videtur talia ab imperitis idiotisque addiſcere.

3 Vtrum, quæ roborare partem aliquam ſcribuntur, aſtringendo ſolum ſemperque, an alia potius ratione id faciant. A

4 Vtrum, quæ alia medicamenta ad certas partes deducere creduntur; eadem ſint cum juvantibus, ac roborantibus? an vero alia deducant, alia juvent.

5 De purgantibus quoque, non quidem an certum aliquem humorem educant (quod inconfeſſo apud omnes eſſe video) ſed an ex certo membro, peculiari quadam poteſtate, noxia expurgent.

6 An purgantium quæ à longinquo trahunt, uſus probandus ſit, (qualia ſunt hydrargyrum & ſtibium, hoc antimonium, illud mercurium vocant, quorum in difficilibus morbis frequens hic eſt uſus) ut quæ vires violenta agitatione nimiopere dejiciant. An non potius humorum expectanda ſit concoctio, juxta aphoriſ. 22. ſect. 1. At concoctam materiam natura per criſin conabitur ſecernere, cujus motus impediri nequaquam debet. Sin huic illa operi non ſufficiat tum demum conatus eius imbecillior adjuvandus erit, idque obſervãdo, quonam natura vergat, & quidem per loca convenientia, juxta præceptum aphoriſ. 12. ſect. 1. At quælibet pars vel minima vel remotiſſima, quocumque humores protruduntur, ſuos habet meatus putà, ſaltem venas, arterias, aut cutis ſpiracula, per quæ excrementa ſua non incommodè ſecernere ſuo tempore poſſit. Quare medicamẽtis illis violentis, & à longinquo trahentibus minus opus eſſe videtur. De his jam pridem quid ſentias, expecto. Pudet enim audire, quæ inepti quotidie medici de rebus hujusmodi interrogati deblaterant, quibus ſi quis rectius inſtitutus paulum reluctatur; mox pro ſcholaſtico, artis imperito, arrogante paradoxologo rejicietur. feliciter vale. & uxorem amicosq; communes ſaluta. Antuerpiæ 25 Feb. 1565. B C

Ad literas quæſtionesque meas reſponderat D. Eraſtus prolixè libello juſto menſe Auguſto 1563. me ignorante. illius enim exemplar manu deſcriptum, valdè tardè: putà in vere anni demum 1566. ad me perlatum eſt, quod licet utcunque magnum ſit, tandemq; typis publicatum: titulo de occultis pharmacorum poteſtatibus. Item de purgantium facultate: in 4. Baſileæ apud Petrum Pernam 1574. excuſum: putavi tamen opus eſſe, ut hiſce adjungerentur, D

LIBER

LIBER SECUNDUS DE OCCULTIS MEDICAMENTORUM PROPRIETATIBUS: QUID, ET QUOTUPLICES EÆ SINT: quibus in morbis, quomodo, quando, quem uſum habeant.

AVTHORE THOMA ERASTO MEDICO.

Caput I.

Proœmium tractationis.

A VT meam tibi, D. Henrice Smeti doctiſ. &
&chariſſime, de hac diſputatione, qua haud ſcio
an ulla in arte noſtra inveniatur obſcurior & diffi-
cilior, (ut vel ex eo conjectare licet, quòd vix alia
in re Medici præſtantiſſimi magis diſcordes fuiſſe
videntur) ſententiam aperirem, multa effecerunt.
Primùm quòd tibi cupio, quibuscunque modis poſſum, grati-
ficari : Deinde quòd ſum veritus, ne ſilentio meo egregium
inſtitutum tuum, quo ſupra vulgares medicos eminere, & non ma-
nifeſtarum tantùm, verùm etiam abditarum rerum cauſas inveſti-
B gare ſtudes, improbare viderer: tuque de ſtudio ob eam cauſam
aliquid remitteres. Tertiò, quòd author lib. ad Piſonem huc nos
vocaret: dum boni medici officium ſtatuit, rerum omnium, quoad
fieri poteſt, cauſas ſedulò ſcrutari. Nec Empiricos ſolos accuſat, qui
idiotarum inſtar illa duntaxat admirantur, quæ fiunt, cauſas autem
ne inquirendas quidem cenſent: verùm illos etiam vituperat, qui
per-

perveſtigandas judicant, ſed de inventione deſperantes indagare nunquam tentant. Poſtremò, quod futurum ſperavi, ut vel tu, vel aliquis ex amicis tuis viris doctrina, ingenio, judicio me præſtantioribus, melioreque otio fruentibus, anſa hinc arrepta, totam hanc diſceptationem diligentius examinet: ac quid in ea rebus conſentaneè dictum ſit aut non ſit, planius nobis demonſtret.

CAPUT II.

Propoſitio præſentis diſputationis. A

1 ERGO ut ad rem ipſam veniam, prima tua quæſtio hæc eſt: Utrum medicamenta exſtare putem, quæ abdita quadam vi certis corporis partibus præcipuè ſic proſint aut noceant, ut ab illis denomi-

2 nari aptè valeant? Deinde, ſi rem ita habere perſuaſum habeam, audire ex me cupis, an methodo aliqua in eorum cognitionem pervenire poſſis? Valdè enim dedecere medicum, rectè judicas, talia

3 ab imperitis & idiotis addiſcere. Præterea, utrum, quæ roborare aliquod membrum ſcribuntur, adſtringendo id præſtent, an alia

4 quadam potius ratione? Item, utrum quæ alia deducere ad certas partes creduntur, eadem ſint cùm juvantibus ac roborantibus? an B

5 alia deducant, alia verò juvent? De purgantibus etiam dubitas, non quidem, an certum aliquem ex corpore humorem educant, (id quod teſtatum confeſſumq; omnibus cenſes,) ſed an ex certo mem-

6 bro, peculiari quadam virtute, noxia expurgare apta nata ſint? Poſtemò rogas, ut quid de viribus hydrargyri & Antimonii ſentiam (quorum in morbis difficilibus frequens iſtic ſit uſus) tibi exponere non graver. Ad has tuas quæſtiones, clarè & perſpicuè reſpondere vix potero, ſi non prius declaravero, quid de occultis medicamento-

1 rum viribus ſeu proprietatibus appellatis ſentiam. De hac igitur re primum dicam aliquid, ſcilicet, an talis aliqua in rebus facultas inſit? C

3. 2 Deinde, quid & qualis ea ſit invenire tentabimus. Poſthæc, quem in curando uſum habeant: quomodo, quando, & quibus in morbis adhibenda ſint medicamenta his viribus prædita conſiderabimus.

4 Poſtremò, qua poterit fieri brevitate ad tuas quæſtiones omnes reſpondebimus.

CAPUT III.

De nominum diſtinctione. D

ANTEA verò quàm ad ipſam cauſam aggrediar, admonendus mihi es, (ne fortè nominum te homonymia turbet) nihil aliud me per occultam proprietatem intelligere, quàm latentem poteſtatem, qua res agunt patiuntúrve aliquid, cujus ratio reddi à nobis

vel

vel nulla, vel non facilè poteſt. Occultum enim dicimus eſſe, quod vel ſciri non poteſt: vel non facilè intelligitur: vel non cuivis innoteſcit. Quidam cæcam hanc vim ſpecificam proprietatē vocarunt: alii, quod idem propemodum eſt ſubſtantiæ propriam facultatem nominarunt: alii Naturam, qua res eſt hoc ipſum, quod eſt, (Hæc autem forma eſt.) appellarunt. Galenus quæ hoc pacto agunt, aliquando à ſubſtantiarum qualitate ſeu proprietate, aut eſſentiæ ſimilitudine: frequenter à ſubſtantiarum familiaritate, ſimilitudine, amicitia: plerumque à tota agere ſubſtantia dicit. Quod poſtremū
A perinde eſt, ac ſi à Natura agere diceret. Nam in 3. de Temper. cap. 4. per Naturam ait, ſe univerſam ſubſtantiam atque temperiem ex elementis conflatam intelligere. Videntur ſanè omnes eandem ſemper rem intellexiſſe? quantumvis admodum nominibus eam diverſis expreſſerint Nos etiam quocunque tandem nomine appellaturi ſimus, candem te, rem penpetuò intelligere jubemus.

CAPUT IV.

An detur occulta proprietas.

B HIs ita poſitis, haud magno cum labore ex prima nos quæſtione extricaverimus, qua quæritur, utrum talis quædam poteſtas in rebus lateat, cujus naturam animus noſter plenè concipere nequeat? Etenim compluribus jam ſeculis, (ne omnibus dicam,) perpauci exſtiterunt homines docti, qui eſſe negarent. Quòd ſi reperti ſunt, qui effectuum omnium, quos ab occulta vi proficiſci dicimus, cauſas in apparentibus ac notis elementorū qualitatibus invenire tentarunt, nihil aliud conſecuti ſunt, quam quòd ab omnib. veritatis ſtudioſis, & rerum naturalium ſcientibus meritò deriſi ſunt. Ex horum numero Pelopem præceptorem ſuum fuiſſe narrat
C Galenus. Ac viſus eſt nonnullis Ariſtoteles quoque hanc opinionē tenere: propterea quòd in ſua philoſophia ad cauſas notas omnia referre ſtudet. At ſi, quid Ariſtoteli quovis in loco propoſitum fuerit, attentius conſideremus, facilè perſpiciemus, eum non debuiſſe aliter illis in locis de propoſitis rebus diſputare. Hinc tamen minimè ſequitur, eum negaſſe plurima reperiri, quorum cauſas nemo reddere poſſit. Quin apertè hoc ipſum confitetur, cùm rerum cunctarum cauſas non perquirendas eſſe docuit: propterea quòd multa ſint, ad quorum naturam penetrare acies humani ingenii nō queat. Quò illa etiam ſententia pertinet, quæ in 2. lib. de Cœlo & mundo,
D cap. 5. exſtat. ἴσως μὲν οὖν τὸ περὶ ἐνίων ἀποφαίνεσθαι τὶ πειρᾶσθαι, καὶ τὸ περὶ πάντων, καὶ τὸ παραλείπειν μηθ' ἐν τάχ' ἂν δόξειεν εἶναι σημεῖον ἢ πολλῆς εὐηθείας, ἢ πολλῆς προθυμίας. Etſi enim hæc de alia re ſunt dicta, non invenuſtè tamen in eos etiam dicentur, qui tales

tales nullas in rebus eſſe potentias aſſerunt. Quid Alexander Aphrod. & Averroes, pertinaciſſimi Ariſtotelis ſectatores, hac de re ſenſerint, minimè obſcurum eſt. Libenter illi has proprietates ex Præceptoris ſui ſententia admittunt. Sed fruſtra quid ſenſerint ſummi & acutiſſimi philoſophi quæratur, ubi nos ſenſus noſtri erudire poſſunt. Ut enim de multis, imò verò infinitis, pauciſſima commemorem, quis non Magnetem ad ſe ferrum attrahere aliquando vidit? Quis acum ferream eo temperatam ad polum ſe convertere in navigatoria pixide non eſt intuitus? Ferrum & lapillos à certorum animalium ventriculis atteri cernimus: quos ne ignis quidem tam brevi tempore atterat & comminuat. Quas dicemus, quæſo, qualitates admirandorum talium effectuum cauſas exſiſtere? An elementorum caliditate Struthio devoratum ferrum comminuit ac conficit? Si ita ſit, vincere eam in miſtione oportet. Apparere igitur in hac actione caloris natura neceſſariò debebat. Sed quid habent cum aliæ omnes recenſitæ actiones, tum ferri deglutiti conſumptio, ſimile caloris? Ignis certè hoc pacto ferrum non comminuit, quo Struthionis venter abſumit. Taceo quòd liquefieri ferrum oporteret, in partium conſimiliũ coactione & diſſimilium ſeparatione: quam ignis efficit. At verò quò pacto ab igneo calore liquefiat ferrum, nec igniatur tamen, intelligi nequit. Quod ſi ignitur, quomodo tandem non urit? Ut igitur hanc partem conconcludam, ſic exiſtimo: facultates in rebus omninò plurimis reperiri, quas ob id, quòd animorum noſtrorum acies eas attingere atque comprehendere vel nullo pacto, vel difficilimè poteſt, occultas nominare ſolemus. Neque probatione alia opus eſſe præterea cenſeo, quàm ea, quam nobis ſenſus noſtri ſuppeditant. Attamen non hîc factum eorum probo, qui ferè quorum cauſas non percipiunt, à cæcis omnia mox cauſis profecta dictitant. Verùm hac de re poſtea, cum ad tuas quæſtiones reſpondebo, plura dicam;

(margin letters: A, B, C)

CAPUT V.

De quæſtionis propoſitæ difficultate.

QUOTIES mecum cogitare incipio, cujusmodi quid ſit iſta proprietas, in immenſo mihi eſſe videor labyrintho: ex quo nullus pateat exitus. Tot enim ex omni parte apparent difficultates, ut quid tutiſſimè ſequar propemodum ignorem prorſus. Non eo tantum nomine intricata eſt & obſcura diſputatio de cæcis illis facultatibus, quia ad eas animi noſtri cogitationes vel nullo modo vel obſcurè pertingunt, verum etiam quia clariſſimi viri plurimum in earum explicatione, ut nemo ignorat, diſſident. Auget difficultatem, quod relegendi & diligentius examinandi, quæ hac de re multis ſcripta ſunt, non datur ocium atque poteſtas. Quantum memoria tenere D

ria tenere potui, & verum eſſe aliàs putavi, tantum pro hoc tempore ad te ſcribam.

CAPUT VI.

De varietate opinionum circa præſentem quæſtionem.

PUTANT alii latentem hanc vim nil aliud eſſe, quàm ſubſtantiam: vel ſubſtantiæ effectricem formam. In hac ſententia Avi-
A cenna fuit: ſicut non uno tantùm teſtimonio probari poteſt. Naturam eſſe, ait, quæ ſit principium motus & quietis. At hæc forma eſt. Quippe materia per ſe conſiderata principium non eſt actionis ullius. Quin explicatis verbis formam eſſe dicit, in 2. Fen. cap. de eo quod bibitur ac editur. Hunc tu locum ſi libet, & præterea cap. 10. libri, quem idem de medicamentis cordis ſcripſit, inſpicito. Alii qualitatem affirmarunt eſſe, quæ ſubſtantialem in compoſito formam abſque medio comitaretur: cujus opinionis tum Veteres tum Recentiores propè omnes fuerunt. Quanquam & fuerunt olim & ſunt hodiè, qui accidens ſtatuunt propter certam elementorum
B miſtionem in compoſitis conſiſtens. Huic ſententiæ favere viſus eſt Averroes dum aliud nihil, quàm menſuram complexionis, ut ipſe loquitur, affirmavit eſſe. Galenus ita eſt hac in re varius, ut, quomodocunque loquamur, ſemper nobis conſentientem habituri videamur. Vix enim aliud, quàm Avicenna, ſenſiſſe judicari poteſt: cùm actiones tales à tota ſubſtantia promanare ſcripſit. (Niſi minus rectè tota ſubſtantia, quæ materiam quoque complectitur, pro forma poſita putetur.) Rectius paulò tunc loquitur, cum ab eſſentiæ ſimilitudine proficiſci aſſerit. Nam eſſentia ei nihil eſt aliud, quàm temperamentum ex qualitatibus ortum: quod & for-
C mam aliquando appellavit: ut ex infinitis locis oſtendi, ſi res flagitaret, poſſet. In libro & cap. octavo de Comp ſecundum locos dilucidè admodum, quid has proprietates eſſe velit, exponit. Nec minus apertè in 4 de ſimp. fac. cap. 9. & 15. ſeſe declaravit. Certum eſt, ſententiam ipſius omnibus recitatis opinionibus accommodari poſſe: ſiquidem in purè vegetabilibus formam aliquam ſubſtantiæ præter temperamentum poſuiſſe concedatur. Si alii præterea ſint, qui aliud quippiam velint has facultates eſſe, de illorum mente non erimus hoc loco multum ſolliciti. Aut enim ad aliquam enumeratarum reduci poterit, ut Meſuei opinio: aut manifeſtam
D falſitatem continebit, qualis eſt Genethliacorum Aſtrologorum imaginatio. Quam quia alibi validè confutavimus, & deinceps etiam data occaſione atque ocio confutaturi ſumus, hoc loco refellere operoſius neceſſe non habemus.

CAPVT VII.

Occulta rerum poteſtates non ſunt à cœlo.

VNVM hoc in præſentià dicam, ipſos in cœlo rationem adhuc nullam invenire potuiſſe, cur omnis Magnes quocunque loco, tempore, modo generetur eruatúrve, ferrum ad ſe pertrahat? Si à cœleſti aliqua virtute hoc toti aliquando ſpeciei datum nugentur, non liquet tamen quomodo aut unde individua, quæ tunc nondum erant, ſed poſtea orta ſunt, eam acceperint. Non enim qui tunc e- A
rant, per propagationem vim iſtam in alios omnes continuare, ac veluti transfundere potuerunt. Quippe non ex ſemine, ut animalia & plantæ, naſcuntur. Deinde ſi recentiores ſemper à ſuis eam, ut ſic dicam, parentibus accepiſſe fateantur, fruſtra cœlorum certas converſiones nobis proponunt. Etenim ſic non à cœlo, non ab ulla creatura, ſed ab ipſomet omnium factore ſive creatore vires naturasque ſuas res ſingulas obtinuiſſe, & eaſdem ipſius juſſu nunc quoque retinere, concludendum erit. Summa eſt: proprietates ſpecierum non è cœlo derivantur, ſed à formis proficiſcuntur. Quod ſi & formas ſpecierum à ſideribus infundi auſint affirmare, à Philoſophis ridebuntur: à Chriſtianis etiam execrabiles rectè judicabun- B
tur. Non à cœlo, ſed à creatore formæ ſpecierum originem ſuam traxêre: ſi creationis hiſtoriæ credendũ cenſent potius quàm mendacibus fabulis. Iuſſit ergo Deus quamque ſpeciem ſe individuorum eiſdem viribus præditorum multiplicatione propagare: non imperavit ſideribus, ut vel formas vel earum vires proprias creatis rebus imprimerent. Equidem prudentes Aſtrologi omnes non hoc agunt, ut utrum homo hominem ſit generaturus, an leporem, vaticinentur: ſed num talem ſit paritura mulier gravida maſculum aut fœminam, ingenioſum aut rudem, robuſtum aut languidum, vivacem aut moribundum, &c: præſagire conantur. Abſurdius eſt. C
quàm ut refelli debeat, quod quidam dicunt, à certo ſiderum poſitu vim iſtam jam diverſiſſimis terrarũ tractibus natis demiſſam omnibus fuiſſe. Quare non eſt, ut perſuadere nobis ſtudeant abditas, de quibus agimus, vires cœleſtes eſſe qualitates, quæ à ſuo quodam aſpectu, (quem ne illi ipſi quidem, qui talibus fabulis gaudent, cujusmodi ſit, definire unquam potuerunt) rebus impreſſæ ſint. Hac igitur & ſimilibus imaginationibus miſſis, in tres enumeratas opiniones inquiremus diligentius, ut quid verum in hac re ſit, planius cognoſcatur. Etenim quod quidam ex Aſtrologis Meſuem ſuæ opinipni favere putant, refutatione minimè indiget, Quippe ſi ve- D
rum ſit, eadem ratione confutabitur. Si non ſit, ut non eſſe ſcio, non patrocinabitur ipſis.

CAPVT

CAPUT VIII.

Proprietates Latentes non ſunt idem quod forma.

1 QUod ἄῤῥητοι ἰδιότητες iſtæ non idem ſint cum forma ſub-
ſtantiali, multis ac firmis videtur argumentis commonſtra-
ri poſſe. Primum quidē, quia forma nec intendi nec remitti poteſt:
quod de proprietatib. iſtis dici nequit. Conſtat enim eas modo me-
liores, modò deteriores eſſe. Quin & aboleri prorſus eas apparet:
A forma nihilominus integra & incolumi permanente. Probant u-
trunque multæ plantæ in alienum locum translatæ quarū aliæ vires
ſuas penitus amittunt, aliæ multò quam antè imbecilliores retinēt.
Illuſtre exemplū habemus in Perſea arbore: quod nemo ferè neſcit.
Aridæ quoque plantæ frequenter facultates, quas, antequam ſicca-
rentur, habebant, amiſerunt. Loquor autem non de illis quas, dum
viverent, obtinebant, ſed quas emortuæ poſſederant. Unde poteſt
cognoſci, ne cadaveris quidem formam hic nobis objici poſſe.

2 Præterea docet nos experientia, arte facultates iſtas plurimum
debilitari, adeoque tolli poſſe. Aloe namque ſæpius lota, non natu-
B ram, ſed purgandi poteſtatem perdit. Idem hoc multis aliis evenire,
(cum aut teruntur exactè: aut macerantur in liquore aliquo: aut
uruntur: aut alia ratione tractantur:) vulgò notum eſt Medicis.
At formam nec amitti, re, cujus eſt forma, ſalva permanente: nec
remitti poſſe, ex confeſſis eſt. Fruſtra quoque excuſare aliquis co-
netur quaſi inſtrumenta amiſerit: eaque de cauſa ſimiliter, ut antè,
agere non poſſit. Et enim ſucci, plantæ, metalla, & hujus generis
medicamenta alia non talibus indigent inſtrumentis, ut in noſtra
corpora agant, qualibus ad inceſſum & ad cæteras vitæ actiones per-
ficiendas egent animalia. Quod de animalibus dico, de plantis et-
C iam intelligi debet. Magnes certè non videtur ullo corporato in-
ſtrumento, ſed incorparea ſive ſpirituali quadam poteſtate, quaſi
manu quapiam, ferrum ad ſe pertrahere. Profectò pars maxima
talium medicamentorum non antè agunt in corpus noſtrum quam
à congenito nobis calore quodammodo corrupta, hoc eſt, attenuata,
diſſoluta, & in corpus deducta, ſive diſtributa ſint. Deinde quo
pacto credi poſſit formam in miſto inhærere, inſtrumentis ad agen-
dum deſtituto? Nullum hic aliud ſomniare inſtrumentum oportet,
quàm temperiem. Intelligere id facilè poterit, quisquis partes o-
mnes medicamenti examinare volet. Et enim aqua, in qua aloe
D abluta eſt ſæpius, purgabit: quæ relicta eſt ſubſtantie, non purga-
bit. Quod ſi ablutæ ab aqua partes inſtrumenta ſolum fuiſſe vir-
tutis purgatricis, aut formæ aloes, putentur, quomodo forma jam
carentes purgare poterunt? Non arbitror aliquem opinaturum eſſe,
formam aloes unà cum pulvere quem aqua abſtulit, abiiſſe. Sic e-
nim partes relictæ, aliud quippiā factæ eſſent Nemo non ſcit pleraq;

medicamenta minutiſſimè teri, antequam ſumenda ægris proponantur. Quo fit, ut perfacilè partes quædam à cæteris avellantur: & forma quæ in reliquis inſidet, privata inſtrumentis credi poſſit. Sic omnis ferè forma inſtrumentis deſtituetur: & rarò aliquid efficiet illorum, propter quæ exhibetur. Verùm abſurdiora ſunt iſta, quàm ut confutatione verboſiore digna cenſeri debeant.

3 Illud etiam non minus, quàm modo dicta, apertum notumq; eſt, formam ſæpe interire (quo modo perire formæ poſſunt) & facultates iſtas nihilominus illæſas in miſto conſervari. Rhabarbari radix non minus bilem ex corpore educit, cùm forma, per quam vivebat alebaturque, privata eſt, quàm dum ea prædita eſſet. Idem hoc, cum in aliis omnibus fere plantis, tum verò maximè venenoſis accidit. Non enim minus necant, cùm leviter areſactæ ſunt, quàm cùm nuper ex terra extractæ, aut de ſua radice decerptæ virentes adhuc exhibentur. Neque hic objici poteſt, à cadaveris forma, quæ altrici animæ ſucceſſerit, hæc effici. Etenim viventes idem poterant. Quin etiam ſunt, quarum, vel odor ſolus, vel umbra dicatur pernicioſa: idque tum maximè, dum vivunt ac vegetæ ſunt. Tantùm porrò abeſt, ut formæ illæ duæ, viventis ſcilicet plantæ & mortuæ ſive cadaveris, idem agere poſſint, ut maximè contraria operentur. Sunt enim ipſæ quoque eſſentiis maximè inter ſe contrariæ: eo ſcilicet modo, quo adverſæ ſibi formæ eſſe poſſunt. Hoc ſanè confeſſum arbitror, non poſſe tam diſcordantes formas ejuſdem illius effectus cauſas per ſe exiſtimari. A B

4 Conſiderandum illud quoque eſt, poteſtetes tales in re una nonnunquam plures & diverſas inveniri. Reperias apud nos plantas, (ne de nuper cognitis & perluſtratis Inſulis exempla petere cogamur) quæ ſuccum habent noxium, carnem innoxiam. Et multò facilius quæ una parte purgent, altera purgationes cohibeant: ut Aloe, ut Rhabarbarum, & alia. Certè utrunque diligenter lotum ſi exhibueris, non tam purgabit, quàm cohibebit. Sic roſæ quoq; utrumque faciunt. Nec eſt difficilè hic quoque partes, quibus purgant, ab aliis ſeparare: præſertim cum ſua ſponte exhalare ſoleant: & inſuper infuſam aquam calidam exactè eas deponant. An duas dicemus in talibus eſſe medicamentis formas ſubſtantiales? Atqui nō niſi una ineſt. Neq; hæc in ablutis particulis inſidet, quæ pauciſſimæ ſunt, in cæteris non eſt quæ plurimæ ſunt: formamq; priſtinam externè retinent. Nec poteſt in utriſq; partibus æquè ineſſe. Quare non poterit hic forma ſubſtātialis poni pro cauſa vera & proxima taliū actionū. C

5 Reperias etiam ſæpè ejuſdem ſpeciei individua tales habere poteſtates omninò contrarias. At contrarias in eadem ſpecie formas fingere is tantùm poteſt, qui ratione caret. Præſtantes Philoſophi à nulla in naturali effici poſſe cenſuerunt, ut individuum aliquod ea privaretur facultate, quam ſpeciei forma ex ſe profert: & à ſe informatæ materiæ contribuit. Multò certè minus fieri poteſt, ut unius D

ejus-

ejuſdemque ſpeciei individua formas obtineant contrarias. (Loquor de formis ſubſtantias efficientibus: non de accidentibus.) Porrò invenias in hominum genere, quovis ferè in loco, plurimos, qui natura à cibo ac potu aliquo abhorrent, quibus alii impensè delectantur. Sunt quibus ſudorem exprimat felis, abſconditus etiam, quantumvis abſconditū ibi eſſe prorſus ignorent. Poſſē alia præterea argumenta multa ad hanc rem probandam adferre, (ut illud eſt, quod ſæpè res diſpares ſive diſſimiles eandem virtutem poſſederunt: quòd aliquando poſt ortum ſpontè acquiruntur: quòd non raro
A cum ætate permutantur: & hujus farinæ alia) niſi judicarem valide ſatis demonſtratum eſſe opinionem primam conſiſtere non poſſe.

CAPUT IX.

Abdita poteſtates non ſunt formarum ſubſtantialium potentia.

IAM an facultas ſit, quæ formam ſubſtantialem ſine medio in re miſta comitetur, videndum eſt. Ideo autem hanc ſententiam à
B jam dicta ſeparare ac ſeorſum examinare placuit, quod plurimi arbitrantur, tales poteſtate non eſſe ſubſtantias, ſive partes, ut ſic loquar, eſſentiæ formarum: quam controverſiam hoc loco explicare non eſt animus. Ergo qui formæ δυνάμεις ſubſtantias credit, is nos in jam dicta ſententia refellenda inhærere exiſtimet. Qui qualitates eſſe atque accidentia earundem putat, is hanc refutari opinionem ſciat. Ut ut res habeat in hac parte, certum ſemper hoc eſt, admodum finitimam eſſe utramque ſententiam: eiſdemq; argumentis ambas vel confutari vel comprobari. Quam ob rem rectè concinneque argumenta enumerata vel omnia vel quædam hîc repe-
C tentur. Quippe certum omninò eſt, quæ hoc modo à forma pendent, perque eam in compoſito inſunt, ea præſente forma adeſſe, eademque abeunte, neceſſariò ſimul cum ea abire. Quia ſi in ſubjecto aliquo ea forma non informato inhærere poſſent, ab illa forma omninò non dependerent. Quod enim certæ formæ proprium eſt accidens, & peculiaris in compoſito effectus, id alibi ne fingi quidem poteſt. Quod alibi eſſe conſervarique valet, cauſam in re, cui ineſt, habere oportet. Quare non erit ullius alius rei differentis proprium. Porrò monſtratum ſupra evidenter eſt, ex talibus facultatibus quaſdam frequenter, non aboleri tantum, forma ſuperſtite, verum eti-
D am hac depulſa & corrupta integras & efficaces in ſubjecto ſervari. Ad hoc oſtendendum, exempla adducere alia à ſupra recenſitis placuit: ut propoſitæ cauſæ veritas magis pateat. Medicamentum ſumito purgatorium, ut Rhabarbaricum, & per Chemiam aquam ex eo aut oleum, elice: aut aliud ſi libet. Eandem ſpecie purgandi virtutem in partibus arte ſeparatis deprehendes, quam in toto ante

ineſſe expertus fueras: licet ea non ſit in cunctis partibus ſimiliter efficax & vehemens. Tantùm verò abeſt, ut animã in aqua vel oleo (ea, qua dixi, induſtria concinnè ſegregato,) contineri auſis credere, ut ne cadaveris quidem formam in eo imaginari poſſis. Plures enim de toto medicamento partes ab oleo ſeparatæ ſunt, quàm ut formam in eo reſervari potuiſſe aliquis non rerum omnium ignarus exiſtimare velit. Siquidem ſuperſtes manſiſſe cogitetur, in aliis potius partibus quærenda fuerit, quàm in aqua vel oleo. Ergo facultatem purgandi Rhabarbaricum non à forma ſua accepit. Etenim ſi per formæ præſentiam compoſito adfuiſſet, per ejuſdem abſentiam A eidem adempta fuiſſet. Adfuit verò & viventi & mortuo: quinetiam partibus adeſt, in quibus ne cadaveris quidem prima illa forma ſervata fingatur. Ratio eadem valet, in aliis quoque multis complurib. Poteſt in nõnullis purgatrix facultas minore labore utiliſſimè ſimul atq; pulcherrimè ſeparari, maceratione nimirum, de qua hoc loco diſſerere non eſt tempeſtivum. Satis eſt in præſentia, ſi intelligas, vires iſtas in certis partib. ſervari, in quibus totius formam ſervari nemo ſanæ mentis putaverit. Quod ſi formæ poteſtates fuiſſent, ab ea ſeparari nullo unquã ingenio, nulla arte, nulla vi naturali potuiſſent.

2 Deinde quòd ſupra quoque recitatum fuit, oportet facultates iſtas in cunctis ejuſdem ſpeciei individuis inveniri. Ubi namq; for- B ma eſt, ibi quæ ipſam conſequuntur, adeſſe quoque oportet: quemadmodum humana forma ſive anima nuſquam reperitur, ubi non ſimul etiam ridendi poteſtas reperiatur. Atqui multa ſunt individua, quæ abditas illas facultates quas ante habebant, amiſerunt, ut exemplis ſupra perſpicuum fecimus. Quinimò nec omnibus adſunt individuis eædem ſemper proprietates. Reperias qui vehementer ab ovillis carnibus purgentur: ſicut non modo Galenus ſcribit, verum etiam certiſſima experientia ipſe verum eſſe cognovi in compluribus. Reperias haud multò pauciores, qui abſque omni incommodo ipſis jucundè veſcantur: quantumvis antè nunquã deguſtaverint. C

3 Quid, quod non ſemper nobiſcum naſcuntur iſtæ proprietates? an non apertè id probat, à forma non ita eas dependere, uti multi credunt? Interdum adultis accedunt: ſæpè cùm ætate permutantur. Etenim inventi ſunt omnibus temporibus, quibus quod aliquando ingratiſſimum fuiſſet, ætatis decurſu redditum ſit jucundiſſimum. Qua ratione factum eſt, ut aliqui cibis quibuſdã ſeneſcentes magna cum voluptate ſimul & utilitate veſci potuerint, quos adoleſcentes non ſine certo periculo uſurpaſſent. Taceo quod non prorſus nulli fuerunt noſtra etiam memoria & patrum noſtrorum, qui aliquo D temporis ſpacio edere nihil potuerunt: quantumvis antè non ſecus atque alii omnes cibo ac potu gauderent. Nota eſt hiſtoria Spirenſis puellæ. Nota quoq; eſt Nicolai illius Helvetii, qui per annos circiter 20. ſine omni cibo vixit. Qui vel non credit antedicta, vel non capit ſatis, attentè perlegat, quæ à Galeno de conſuetudine perſcripta ſunt.

Ad quam

Ad quam rem itidem faciunt, quæ in 18. cap. lib. 9. de hiſtor. plant. diſputavit Theophraſtus Item quod quidam venenis ſe ipſos aſſuefeciſſe creduntur, quæ nemo non novit tota ſubſtantia nobis contraria & pernicioſa. Ergo ſi per formam ſubſtantialem hoc nobis ineſt, ut à venenis perimamur, & conſuetudine aſſequi poſſumus, ut ea nobis non noceant, ſed nutrimenta potius fiant, neceſſe eſt ut fateamur, alicui individuo poteſtatem ineſſe, quo ſimpliciter pugnet cum eo, quod eidem à tota ineſt ſpecie. Hoc perinde eſt, ac ſi quis dicat, hominis aliquod individuum poſſe eſſe irrationale & brutum.
A Deinde poterit conſuetudine facultas, quæ ex ſinu formæ ſubſtantialis prodit, mutari & ſuperari. At neutrum credi ab homine ſano debet. Quare confitendum nobis erit, neminem, quatenus homo eſt, id eſt, quatenus humanam formam habet, nutriri veneno poſſe. Quòd enim ſpeciei alicui natura ineſt, hoc omnibus ejus individuis ineſt.

4 Verùm enimvero individua cujuslibet ſpeciei non illas duntaxat facultates poſſident, quæ formam ſubſtantialem conſequuntur, ſed alias prætetea quæ temperamenti cujusque comites ſunt. Hinc peculiares iſtæ hominum proprietates ἰδιοσυγκρασίαι appellatę
B exoriuntur. Ab hac ſententia non diſcordat Averroes ille: cùm in materia accidentia ineſſe concedit, quæ formæ præſentiam non conſequantur. Hiſce qualitatibus diſcriminata ferè ſunt uniuscujusq; ſpeciei individua. Quamobrem fieri poteſt, ut materiales iſtæ qualitates in certis hominibus reperiatur, per quas veneno aliis hominibus pernitioſo paulatim aſſuefieri poſſint. Certè Rex Mithridates, longo ſuæ antidoti uſu, non ſubſtantialem formam, ſed temperamenti ſui proprietatem immutavit: ut venena ei nocere nulla potuerint: tum etiam, cùm maximè cuperet. Quòd ſi temperamenti proprietas venenis reſiſtere hoc pacto poteſt, valdè probabile eſt, ſi
C non neceſſarium, veneni quoq; vim non tam formæ ſubſtantialis, quàm temperamenti naturam & proprietatem ſequi. Simili propemodum ratione contingerere videtur, ut, qui ab ovillis carnibus antè vehementer purgabantur, poſtquam aliquandiu ipſis uſi ſunt, illisque aſſueverunt, non amplius, ab illis purgentur: tanquam diſſimilitudo per crebrum & longiorem uſum earum expuncta deletaque fuiſſet. Hac ratione affirmat Theophraſtus lib 9. cap. 18. de hiſtor. plantarum quaſdam Elleboro ſic aſſueviſſe, ut deinceps non amplius ab eo purgarentur. Sed quid hac in re verum ſit, in præſentiarum non maximoperè laboro, dum illud conſtat, facultatem
D qua certi homines venenis reſiſtunt, non à ſubſtantiali hominis forma, ſed à peculiari quadam materiæ temperie proficiſci. Ex quo ſequitur extra omnem controverſiam, iſtam proprietatem, qua apti homines ſunt. ut à veneno interficiantur, non à forma ita pendere ut proprium ejus accidens, aut propria facultas exſiſtat.

5 Non video quid objici contra hæc rectè poſſit. Formã rem eſſe

ſimplicem, nec niſi in ſubjecto concinnè præparato recipi conſtat. Quod ad recipiendam formam idoneum eſt, idem ad ſuſcipiendas formæ facultates aptum etiam eſt. Equidem corpus quod humanam recipit animam, idem illud vim quoque ridendi pariter cum anima neceſſariò ſuſcipit. Illarum autem facultatum, quas materiæ ratione compoſitum habet, longè diverſiſſima eſt ratio. Forma nanque in puncto conſiſtit. Unde Ariſtot. numeris eam comparavit: qui quàvis vel adjectione, vel ſubtractione ſpeciem mutant. Alia ratio eſt præparationis materiæ: quæ magnam habet latitudinem. Quippe individua unius ſpeciei nō ſimiliter prorſus temperata ſunt: A ſed inter ſe plurimum hac in re differunt. Nam inter ſummam perfectionem & extremam imperfectionem, cum qua forma in ſubjecto hærere non poteſt, quaſi gradus quidam ſunt, depravationes videlicet ſeu diminutiones partium materialium aut qualitatum: quibus fit, ut individua inter ſe diſcrepent: licet formam ſubſtantialem eandem participarint. Formæ etenim, ut dicebamus, hiſce gradibus non minus carent, quàm numerorum ſpecies. Quamobrem cùm ſuis facultatibus forma nunquam & nuſquam deſtituta ſit, non hujus, ſed materiæ vel ſubjecti præparationem ejuſmodi poteſtates conſequi fatendum eſt. Quod ſi non quævis in materia mutatio B facta ineptam ipſam efficit pro formæ ſuſceptione, maximas omninò eas eſſe oportet, quæ materiæ proprias vires permutant vel abolent. Cujus rei exempla cum in aliis rebus cunctis ferè, tum in illis, quæ per Chemiam fiunt, plurima nobis occurrunt. Sæpè namque aqua vel oleum ex planta quadam elicitum, odorem, ſaporem, viresque penè omnes retinet, quæ in tota reperiebantur planta. Hoc inde accidit, quod in ea totius plantæ particula, totius miſtio certo quodam modo eſt reſervata: in qua formam totius conſervatam eſſe nemo, arbitror, ſanus dixerit. Non neſcio, aliquando, imò plerunque totas plantas ratione unius partis odorem aut ſaporem poſſidere: C quam ſi à reliquis ſepares, ipſas ſine eo odore ac ſapore ſis inventurus. Sive hoc ſive illud credas (accidit enim utrunque: in diverſis ſcilicet rebus,) haud eſt difficilè cognoſcere, non quamvis mutationem materiæ vires tollere, aut etiam hebetare, ſed prorſus maximam eam eſſe oportere. In cauſa eſt, quod latitudinem magnam habet, intendi remittique plurimum poteſt, antequam vires ſuas omninò perdat. Hac de cauſa, poſt varias nonnunquam mutationes, qualitates ipſa ſuas adhuc ſervat. Qui exemplo rem planius cupit ſcire, legat Galenum, 2. libro de alim. fac. cap. 6. de cucumere, Item expoſitionem horum Hippocratis verborum, Mulier, capra, D elaterium aut cucumerem ſilveſtrem edentes, pueris purgatio. Quare non eſt neceſſe, materiam hactenus mutatam, ut formæ domicilium aptum porrò eſſe nequeat, unà cum forma vires ſuas proprias amittere. Non .n. aut rationi, aut ſenſui, aut experientiæ, aut deniq; doctorum hominū ſententiæ conſentanea eſt illorum opinio, qui in qua-

qualibet corruptione, diſſolutionem ad primam usque materiam procedere diſputant. Tam eam refutant manifeſtè ſenſus, quàm certò nos docent ignem calidum eſſe. Quamobrem ne refellenda quidem ejuscemodi imaginatio, ſeu potius ſomnium fuerit. Teſtimonium quod ex Ariſtotele ex libro de Generatione ac corruptione proferunt, vel eſt de ſimplicium corporum ortu accipiendum, vel alia expoſitione molliendum. Ita namque intellectum, ut hi intelligunt. verum eſſe nullus unquam homo probabit. In præſentia ſufficit indicaſſe, materiam, quæ pro formæ ſuſceptione & conſervatione
A concinnè præparata ſit. nullo alio præterea apparatu indigere ad ſuſcipiendas facultates, quas eadem ſecum adducit imò in ſua eſſentia comprehenſas tenet.

6 Hoc in libro illud etiam prætereundum nequaquam fuerit, vires ſeu poteſtates, quas certo generi à forma ſubſtantiali contributas ajunt, aliis nonnunquam rebus natura & ſpecie diſtinctis communicari. Exempla paſſim obvia ſunt. Vnum atque alterum noſtro inſtituto idoneum adſcribam. Meſues pruna purgatura bilem aſſeverat, ſi perforatæ pruno ſcammoneæ particulæ inſerantur: & foramina luto probè obturentur. Idem quoque affirmat, arboris fructus pur-
B gare, ad cuius radices Elleborus provenerit. Audivi lupum ſalictarium purgatorium evadere, ſi ibi creſcat, ubi magna ſit tithymallorum, aut Ellebori copia circum radices eius. In decocto Ellebori & colocynthidis macerari triticum jubent aliqui, eoque pullos ſaginari. Horum carnem purgare ſtrenuè aſſerunt. Quam ſæpè forma in tantis & tam multis permutationibus corrupta ſit, cæcus etiam perviderit Galenus in tertio de alimentorum facultatibus, cap. 18. & in 5. de tuenda ſanitate, cap. 7 affirmat, (& quidem ferè) lac capræ, quæ ſcammoneam & tithymallos vel marinam braſſicam depaſta fuerit, purgatorium evadere. In quinto commento ſexti Epidem. in expo-
C ſitione penultimæ ſententiæ. (In qua idem Hippocr. non de capra modò, verum etiam de mulieribus affirmat,) de coturnicib præterea addit, quod huc etiam pertinet. Illud inſuper quoſdam aſſeruiſſe ait, (quorum ipſe probare videtur ſententiam) comeſtorum vires non in ſanguine tantùm & lacte animadverti, ſed etiam in ſudoribus deprehendi, aliiſque excrementis quod etiam Hippocr. lib. de morbis, 4. affirmavit. Hinc eſt, quod non parum referre putet, quo ſive mulier, ſive animal cibo uſum ſit, cuius lacte ſalubriter uti velis. Ita oſſibus canes nutriri præcipiebat, qui ipſorum ſtercore utiliter uti ſolebat. Hac etiam de cauſa lupinum ſtercus non ſimiliter valere quod-
D libet putatur: ut reliqua omittam. Ergo ſanguini atque adeò lacti communicata virtus purgatrix eſt ab illis plantis, quas perederant capræ Ex quo neceſſariò concludetur, vim purgandi in talibus plantis, non fuiſſe, aut etiam nunc eſſe, formæ ſubſtantialis proprium accidens. Quomodo enim quod certæ alicuius formæ propirum eſt, in alia ſubſtantia, non ſpecie modò, verum etiam genere diſtincta,

conſiſtere ac vigere poſſit? Eſſet hoc nil aliud, quàm proprium facere non proprium Siquidem quod in diverſis natura ſubjectis reperitur, id non poteſt unius eorum proprium cenſeri. Caliditas, quia in multis rebus ineſt, nullius earum propria exſiſtit. At ſumma caliditas, quia in ſolo igne invenitur, ſolius quoque ignis propria eſt & dicitur. Quod ſi formam communicatam ſimul cum facultate cogites, erunt duæ res diverſæ, una. Quæcunque enim unam numero formam obtinent, unum ſunt: non plura. Niſi unam formam in duas diſtrahi putes: quod perquàm abſurdum videtur eſſe in propoſito noſtro. Sanè proprietates iſtæ, cùm aliud non ſint, quàm formarum vires quædam nõ ita in ipſa inſunt, ut nos in domo habitamus, (quod rectè & eruditè Galenus monuit,) ſed ita in ea inſunt, ut non niſi ratione ab eadem diſtinctæ ſint Ex quo facilè perſpicitur, eas nõ poſſe alibi, quàm in formis, quarum ſunt poteſtates, cogitari ac fingi Quare ſi hæ communes fiunt rebus aliis, formam quoque communem fieri omninò oportet Si dividuæ forent ſubſtantiarum effectrices formæ, fides fortaſſe talia aſſeverantibus haberi poſſet. Iam cùm dividua nulla ſit, non poterunt tales potentiæ ſeparatæ inveniri. At hoc uſu venire oportet, ſi derelicto ſuo fonte, ex quo pullulabant, alieno in ſubjecto inhærent. Non debet hoc in loco inſtitui comparatio cum palmitib. aut ſtolonibus plantarum: in quibus anima plantæ ſimul cum viribus ejuſdem ſervatur. Non enim hic vires plantæ abſque anima, cuius potentiæ ſunt, alii cuipiam rei attributæ intelliguntur Deinde non ſervatur forma in illis rebus de quibus nos loquimur, ut in palmite conſervatur. Quis enim ſcammoneæ animam in ſanguine aut lacte caprino ineſſe opinetur? Adde quod in palmite non eſt eadem numero anima, quæ eſt in trunco, à quo abſciſſus eſt palmes Sed nec pars eſt hæc illius animæ quædam: ſed ſpecie, nõ numero eadem. Proinde nulla poterit inter hæc, & ea, quæ nuper de propriarum potentiarum ſeparatione dicebamus, collatio inſtitui. Nec propagare ſe has facultates quiſquam temerè arbitrabitur: ut caliditatem ſeſe in aquam promovere cernimus. Generat enim ignis caliditas ſimilem ſibi caliditatem, non ex igne in aquam trãſit, vel tota, vel ſecundum ſui partem aliquam. Poteſt ſe ipſam quaſi in aquam introducere, quia materia aquæ apta nata eſt, quæ igniatur: & deſiderat ignis, quæ attingit, ſibi aſſimilare. Quare aquæ materiam, quoad poteſt, tranſmutare tentat: quò tandem ignem ex ea generet. Illæ autem qualitates quibus hoc eſt negatum, ut ſibi ſimilem qualitatem in proxima materia generent, nullum ſui veſtigium in alieno ſubjecto relinquunt, ſed cum forma ſua accedunt ſimul ac recedunt inſtar luminis cum corpore lucido. Solis lumen à ſole ſeparari nulla vi poteſt. Non enim intercipi à corpore quantumvis denſo valet, ut non continuatum ad ſolem, & in eo tanquam ſubjecto inhærere videatur Nec in aere ſole occidente ullum ſui indicium relinquit: quãtocunque tempore eum illuſtrarit Vt igitur hoc non ita poteſt imprimi

A B C D

primi in aërem,ut in eo abſque ſolis præſentia ſubſiſtat, ita occultæ
iſtæ vires nunquam in alieno ſubjecto perſiſtent: propterea quod ſe
ipſas promovere inſtar caloris nequeunt Si enim poſſent,formas etiam ſuas introducere in proximam materiam eadem ratione poſſent. Quod enim formæ vim in ſe ſuſcipere eo poteſt modo,ut tanquam formam in ſe ſervet,ipſam quoque formam recipere poterit.
Quod ſi etiam detur,non continuò formam recipi, cum facultas ipſius recepta ſit,falſum tamen foret,tales potentias ex formæ ſubſtantialis ſinu prolatas fuiſſe,ejusdemque proprias & peculiares facultates exiſtere. Hinc perſpici poteſt, quam non verè & non benè
Fernelius affirmet,tales vires interdum eousque penetrare in materiam & partes craſſiores, ut abeunte forma illiusq; temperamento
diſſoluto adhuc in ſubſtantia & materia inhæreſcant. Quanquam,
ut aliâs vir ille ſolet,paulò antè idem hoc apertè negaverit.

7 Ad hæc omnia accedit, quòd frequenter in alicuius ſpeciei individuis perpaucis,certa talis deprehenditur facultas. Quæ ſi à forma
ſubſtantiali orta fuiſſet,neceſſariò in omnibus reperiretur. Quod enim per formam ineſt,natura & per ſe ineſt. At hæc ſemper & in omnibus inſunt Non enim individui unius forma eſſentia differt aut
B virib. à cuiuslibet illius ſpeciei forma. Quare quod uni ineſt non alteri, aut non eſt à forma profectum, hoc eſt, ſolius formæ non eſt
potentia,aut univerſa philoſophia falſa eſt. Poſſent hic quoque plura adduci contra ſecundam opinionem,ſiquidem res poſtularet. Quę
prolata ſunt,validiſſimè,quod erat propoſitum,demonſtrant.

CAPUT X.

An proprietates occultæ ſint temperamenti vires.

C CUM ergo nec ſubſtantiales formæ ſint iſtæ facultates,nec eiusdē
potentiæ eſſentiales ac propriæ,conſectarium eſſe videtur prorſus,ut eas vel temperamēta ſive miſtionis terminos putemus, (quos
τ̃ μίξεως λόγȣς Ariſtot ſcitè alicubi appellavit) vel temperamentorum proprietates. Etenim quod alicui proprium eſt ac naturale,à natura derivatum oportet Natura autem uniuscuiusque rei forma eſt
in materia,per certum temperamentum præparata. Ergo cum proprietates iſtæ ſint naturales quædam vires, ſi non ſunt ipſamet forma, aut huius potentia propria, conſequetur omninò, ut materiæ
ſint accidentia,hoc eſt,ut ſint quædam temperamenti vires. Sanè
D ſpecificæ dicuntur à pleriſque,propterea quod propria ſint certarū
ſpecierum accidentia. Principia verò ſubſtantialia ſpecierum ſunt
materia decenter apparata & forma. Quod igitur non à forma oritur,à materia proficiſcatur eſt neceſſe. Quare cum formæ potentias
non eſſe oſtenſum ſit,materiæ apparatum conſequi eas oportet.

CAPUT XI.

Proprietates occultæ non ſequuntur temperamenta.

VERUM enimverò hæc quoque ſententia ingenti difficultate non caret. Etenim negari nequit, quin res naturales omninò plurimæ (imò fortaſſe omnes) unà cum efficiente ſubſtantiæ forma poteſtates, quas occultas appellamus prorſus amittant. Vivens torpedo tangentem ſe, imò ne tangentem quidem proximè tremulum reddit: (ſicut aliqui ſcribunt) mortua non modò nihil horum poteſt, ſed etiam in cibos ſine ulla noxa venit. Echeneis piſcis, cum vivit, navem remoratur: (ſi fides habenda eſt Ariſtoteli de hac re dubiè loquenti) mortuus verò, ne ſi totam quidem navem talibus operias externè, & repleas, imò etiam oneres, internè, vel minimum impedit Struthionis viventis venter ferrum conficit: Mortui venter nihilo plùs agit, vel in ferrum vel in aliud quodlibet corpus, quàm alterius animalis mortui venter. Ratio eadem eſt complurium aliorum. Hæc exempli tantum gratia recenſere libuit, ut quæ totam cauſam planiſſimè declarent, illuſtrent, probent. Qui his non eſt contentus, animi oculos circumferat, & nullo non in loco reperiet, quæ eum erudiant. Ab eadem fieri cauſa perſpiciet, quod animalia vix dū nata inter familiarem & noxium cibum diſtinguunt: quod ovis lupum nunquam viſum fugit: quòd grunnitu ſuis terretur Elephas: quod ad cantum galli expaveſcit leo (ſi tamen utrunque hoc verum eſt. Cauſas certè ut dubitem, de poſteriore præſertim, habeo minimè leves;) quod anas aquam petit, in eaque natare cum non didicerit unquam novit: & tandem quod res omnes admirabilia quædam edunt opera: quorum cauſæ intelligi à nobis nequeunt. Et ut ſol oriens lumen nobis adfert ſecum, & occidens idem illud à nobis aufert, nullo poſt ſe indicio eius relicto, ita facultates iſtæ cum formis ſuis adveniunt, & cum iiſdem recedunt, ut ne animadverti quidem veſtigium aliquod poſt earum abitum poſſit. Horum quia plurima quotidiè fieri videmus, non admiramur: ut prudenter Avic. in libello de medicamentis cordis ægritudinibus occurrentibus, (quem locum ſupra citavimus,) admonuit. Certum nihilominus eſt, non minus admirabili virtute fieri nonnulla ex iis, quæ quotidiè aſpicimus, quàm quæ raro fieri cernimus. Ex jam commemoratis liquidò apparet in plurimis rebus, ſi non in omnibus, occultas poteſtates ineſſe, quas a forma ſubſtantiali verè naſci dependereq; judicandum ſit.

A B C D

CAPUT XII.

Duo ſunt genera occultarum proprietatum.

IN tanta rerum ſimul atque opiniònum diſcrepantia quid dicemus? Argumenta rectè diſſolvi non facilè poſſunt. Vtrinq; ſunt, quæ

quæ ſenſuum teſtimonio veriſſima comperimus: quæque negari nec debēt nec poſſunt. Sæpè quid aliud verè ac rectè dicere poſſimus, quàm non unius generis, modi, naturæ, tales facultates eſſe non video. Ergo ut res fiat clarior, ſummatim quædam de rerum viribus hic me attingere oportet. Actionum in rebus naturalibus principia ſunt, ipſæ primum formæ rerum: deinde habitus: poſtea potentiæ naturales appellatæ: demum qualitates primæ: & quas παθητικὰς nominavit Ariſtoteles. Sub his temperamenta contineri nullus neſcit. Quia verò habitus rectius creditur actionis modum quendam
A efficere, quàm actionem gignere: (Nam per habitum non agimus ſimpliciter, ſed facilius & rectius agimus) cumque in rebus anima carentibus, quales ferè ſunt medicamenta, locum nullum habeat, non eſt, cur de eo plura nunc dicamus. Nec de qualitatibus primis ſeu παθητικαῖς longior nobis ſermo habendus, dum non inquirimus notas facultates, ſed occultas & abditas perveſtigamus. Reſtat igitur, ut vel in forma, vel in temperamento, vel in utriſque, vires latentes illas quæramus. Cum formam nomino, proprietates ſive potentias ejus ſimul intelligo. Duo proinde ſunt abſtruſarum poteſtatum genera: quorum alterum formæ tribuitur: alterum temperamenti
B proprietatem conſequitur. Quoniam enim formarum potentiæ rebus ſalvis abeſſe non poſſunt, ac multas nihilominus occultas vires aboleri contingit abſque rerum, in quibus inſunt, corruptione: plurimas quoque poſt formæ ablationem remanere cernimus, omninò tenendum nobis eſt, non omnes ejuſcemodi facultates formarū eſſe poteſtates. Nam quæ tales ſunt, certæ ſpeciei individuis omnib. ſemper adſunt: qualia propria quarto modo Dialectici: eſſentiales potentias (δυνάμεις οὐσιώδεις) Phyſici vocant. Quæ in paucis ſolum ſpeciei individuis inveniuntur, non è forma, ſed è peculiari temperie, quæ ἰδιοσυγκρασία Medicis nuncupatur, manant. Quæ in pleris-
C que vel omnibus reperiuntur, nec cum formis abeunt tamen, temperamenti ſoboles, & accidentia quædam, cenſeri debent: non pro ſubſtantiis aut ſubſtantiæ partibus, ut ſic loquar, habendæ ſunt. Manifeſtum ergo nunc fecimus, abditarum potentiarum duo eſſe genera: & earum alteras rebus eſſentialiter & propriè ineſſe, cum ſint formarum ſubſtantialium δυνάμεις, & veluti partes: alteras qualitates exiſtere, quæ propter temperamenti proprietatem in rebus inhæreant. Magnum porrò inter utraſque diſcrimen eſt: quod partim ex jam dictis, partim ex dicendis, unicuique perſpicere licet. Etenim eſſentiales facultates à rebus, quarum ſunt facultates, ſeparabiles nō
D ſunt. Quamvis actus earum ſecundi poſſunt impediri: tamen primi tolli nequeunt quin res ipſa corrupta ſit. Non vim videndi ab homine, quantiſper homo permanet, abſtuleris unquam: ſed ne rideat variis cruciatibus aliiſque modis facilè perfeceris. Herculei lapidis tractionem præpediri ajunt, ſi is allii ſucco perungatur: aut Adamantis interventu. Verùm his fidem habeat, qui velit Nos interim in

cunctis rebus miſtis eſſentiales poteſtates Elementorum non tolli ſcimus, tametſi actus eorum ſecundos vehementer retundi & impediri compertum habeamus. Ignis certè in vino actu non calefacit: tametſi potentiam calefaciendi nequaquam amiſerit. Aerugo etjam cum oleo & cera permiſta carnes non erodit: licet erodendi poteſtatem integram conſervarit. At aliæ poteſtates cùm temperamẽti certum gradum comitentur, nonnunquam deleri poſſunt, rebus, quibus inſunt, incolumibus permanentibus. Non enim pereunt res continuò, ac mutatum quovis modo eſt temperamentum: ſed cùm fines & latitudinem exceſſit, quæ formæ propria eſt. Quælibet enim A
forma temperamentum requirit certum quidem, attamen ſub latitudine quadam: quæ in plurimis rebus tanta eſt, ut quamvis formæ adhuc congruat, illo tamen gradu careat, propter quem certæ actionis cauſa exſiſtit. Equidem inter privationem & habitum, ſeu formæ perfectionem, diminutiones ac depravationes partium materiæ plurimæ ſunt: nec quælibet materiæ qualitatumve ipſius auctio vel diminutio formam ex ſubjecto pellere apta eſt. Hanc ob cauſam non eaſdem quovis in loco enatæ plantæ vires retinent: tametſi naturam & ſubſtantiam neutiquam mutaverint. Hinc eſt, quod qui vinũ prius ferre non poterant, poſtea utiliter & jucundè eodem utantur. B
Altera differentia eſt, quod ſubſtantiam conſtituentes potentiæ, præſertim verò animatæ plerunque actus ſecundos promunt, quoties convenienti objecto occurrunt, aqſque externo adminiculo Magnes certè actu ſemper eſt, ſemperq́; ferrum ex juſto intervallo; ſi à re nulla externa impedimentum objiciatur, ad ſe pertrahit: nec eget ad id opere illius rei extra ſe poſitæ. Sic oculus naturaliter affectus in medio illuminato præſentes colores videt abſque eo, ut extrinſecus adjuvetur. Sic plantæ familiares ſibi ſuccos præſentes virtute inſita perpetuò attrahunt, alterant, concoquunt, mutant: modo ſecundum naturam habeant. Sic ignis ſimplex continuè calefacit a- C
qua ſimplex ſemper humectat: nullius externæ rei impulſum expectant At facultates occultæ (De notis aliter loquendum eſt, quæ materiæ ac temperamenti proprietatem ſequuntur, externo principio indigent ad hoc, ut actus ſecundos proferant: quod cum in aliis, tum in pharmacorum viribus maximè eſt evidens. Quanquam enim aliæ aliis actui ſunt propiores, pleræque tamen non prius agunt, quam ab inſito calore ſubjecta eorum ſoluta & corrupta ſint: ut remotis & ſecretis partibus alienis, à quibus efficientia earum obtundebatur, liberius agant. Quemadmodum vis ignis, quæ in vino eſt, ab admiſta aqua eo uſque hebetatur, ut obſcurius multò calefaciat, quam cùm D
per diſtillationem aqua ſeparata eſt (quis inficietur manifeſtiorem eſſe ignis facultatem in vino diſtillato quod aquam vitæ nominant, quam in integro?) ita fermè occultæ poteſtates actus ſuos tunc exerunt evidenter, cum à congenito noſtro calore velut ex profundo ad ſuperficiem protrahũtur. Ergo licet omnes abditæ poteſtates, quæ
in rebus

in rebus naturalib inſunt,reſpectu actuum ſuorum potentia ſint,nō
actu (ſunt enim vel actus vel qualitates in materia) ingens tamen eſt
inter ipſas diſcrimen. Etenim ſubſtantiales quantiſper ſecundum na
turam affectæ ſunt,ab externis cauſis nullis impediuntur,& objectū
habent præſens,ſemper agunt.materiales a tunc etiam cùm natura-
liter conſtitutæ ſunt res ſubjectæ, in ſe ipſis cauſas tenent propter
quas agere non poſſunt: & ob id principio externo, à quo in actum
perducantur,omninò indigent. Ex modo dictis alia emergit diſcre-
pantia. Nam formarum poteſtates tantò agunt illuſtrius, quāto ſub-
A jecta perfectiora meliusque diſpoſita poſſident. Materiæ autem fa-
cultates actus ſecundos tunc ferè ſolum perfectiſſimè proferunt, cū
ſubjecta ſoluta & quodammodo corrupta ſunt. Equidem pharmaca
occultè aliquid agentia vix agunt, niſi vel in pulverem trita, vel ali-
ter corrupta propinentur: quò in corpore ocyus actum recipiant. In-
tegra profectò nulla intra corpus ſumenda proponuntur quomodo
nonnulla fortaſſe foris admoveri haud ineptè poſſint. Diſtinguun-
tur hac etiam ratione,quod ſubſtantiales in omnibus ſpeciei indivi-
duis neceſſariò inſunt: quod de materialibus non item affirmari
debet. Vt n ex his aliquæ omnibus adſint,non tamen neſſariò ſem-
B per adſunt. Plurimæ quoq; reperiuntur in paucis quibuſdam, non in
tota ſpecie Patet ex prædictis duo eſſe occultarum virium genera
quorum alteræ ſubſtantiales vocari poſſunt ac debent: cùm ſubſtā-
tiam conſtituant, hoc eſt, formarum potentiæ ac velut partes exſi-
ſtant: alteræ accidentales & materiales rectè nominantur:cum ma-
teriæ qualitatem ſeu temperamenti(quod ſubſtantia non eſt) ac mi
ſtionis ſequantur modum. Tertium genus nullum habetur: aut mi-
hi ſaltem incognitū eſt. Etſi n. admirabiles illæ vires, quæ in materia
& veluti cadaveribus plantarum rerumq; aliarum deprehenduntur,
propter formam in eis procreatæ ſunt,non ſunt tamen formarū par-
C tes: cum ea perempta in materia remaneant In Rhabarbari ſemine
(exemplo iſto libet rem declarare) vis ineſt ſubſtantialis talem tan-
tumque ſuccum ex terra attrahendi, qualem quantumque certo
modo alterare & coquere poteſt: ut ex eo tale corpus,ex tot ac tali-
bus particulis,ſuo ac certo modo temperatis & miſtis, conſtans pro-
generetur: quale ſine hac ingenerari non potuiſſet. Verum in hu-
jus generatione corporis forma Rhabarbari effectoris habet ratio-
nem. Quare à re effecta ſeparari non minus poteſt, quàm opifex ab
opere ſeu ædificator ab ædificio ſejungi valet. De occultis poteſtati-
bus effectricibus (συνεργητικὰς ſive ποιητικάς.) huc usque præcipuè
D locuti ſumus: quæ quia facilè παθητικαῖς accommodari poſſunt,
labore eo ſuperſedebimus. Illud monuiſſe ſufficiat, ex prædicta
declaratione & diſtinctione nullo labore tum ad ſupra propoſitas
rationes aptè reſponderi, tum problemata alia huic diſputationi affi-
nia rectius diſſolvi. Hinc enim cauſa peti debet,quod quidam homi-
nes , non omnes, à caſeo, alliis, cæpis, vino, & ſimilibus rebus,
natura

naturâ abhorrent. Hæ proprietates ætatis decurſu, pro varia corporis ac temperaturæ mutatione: pro conſuetudine, victu, & ſimilibus, aliquando permutantur. Quod quomodo fiat, à Galeno cùm in aliis infinitis fermè locis, tum in libro de conſuetudine ſcitiſſimè expoſitum eſt. Hujus generis illa quoque fuit qualitas in Mithridate, quæ ſe tutum ab omnis veneni noxa reddiderat. Talis & illa exiſtimanda eſt, qua Athenienſis anus cicutæ aſſuevit. Huc etiam pertinet, quod aliqui feles, (catos appellatos,) ita habent exoſos: ut niſi è loco in quo ipſi ſunt, expellantur, in animi deliquium incidant. Exempla hujus farinæ infinita quotidiè nobis occurrunt. Nec mirum alicui videri debet tales qualitates materiam conſequi: cùm præſertim colores, odores, ſapores, tam varios, tamque admirabiles hinc gigni cuncti ferè ſciant. Hæ proprietates licet occultæ & ſint & dicantur, atque à nobis vix, imò ne vix quidem percipi queant, non tamen perinde ſunt imperſcrutabiles, & remotæ ab intellectione hominis, ut priores. Verum de hac re poſtea fortaſſe plura dicemus. A

CAPUT XIII. B

De occultarum proprietatum definitionibus.

NUNC quia definitio aptè ac breviter rerum naturas comprehendit ac declarat, tentandum eſt definitione, ſeu potius deſcriptione aliqua, utrumque genus adumbrare. Prioris generis occulta facultas nil eſt aliud, quàm vel ipſamet ſubſtantialis forma, juſſu Dei compoſito concinnè præparato inhærens, itaque agens, ut cauſa reddi actionis ipſius nequeat: vel certè potentia ſeu virtus quædam formæ, per quam illiuſmodi agit patiturve. Poſterior autem qualitas quædam eſt temperamenti ac materiæ ferè proprietatem conſequens. Dixi materiæ ac temperamenti proprietatem comitari, quia non ambigo certas individuorum hominum proprietates, non tam humani corporis temperaturam ſequi, quàm materiæ, ex qua in utero facti, & tum intra tum extra uterum nutriti ſunt, peculiarem naturam atque facultatem. Quanquam non nego, ad temperamentum hanc etiam aptè reduci poſſe. Addidi in deſcriptione, juſſu Dei, ut, unde iſtæ facultates originem ducant, obſervetur. Etenim idem eſt utriuſque ortus, cùm cauſam efficientem quærimus. Quod enim formam dat, ſimul quoque univerſa illa contribuit, quæ formam in compoſito neceſſariò comitantur. C D

CAPUT XIV.

De formarum origine.

DE formarum porrò natura & ortu, variè diſſeritur à philoſophis

phis tum antiquis tum recentioribus. Et in hac diſceptatione, incertis principiis, quæ animos noſtros explere nequeant, plerique omnes hodie quoque niti malunt, quàm apertam ſolidamque profiteri veritatem. Credo quia verentur, ne parum philoſophi putentur eſſe. Imò verò ſi Ariſtoteles veram formarum originem, ita, ut nos novimus, percepiſſet, philoſophiam nobis haud paulò concinniorem, puriorem, melioremque reliquiſſet. Alii cum Platone Ideas formarum effectrices cauſas ponunt. Eo poſteriores Animam, neſcio quã, mundi introduxerunt. Avicenna decimam intelligentiam quan-
A dam, (quam ſua lingua, puto, Cholcodeam appellavit.) excogitavit, cui hoc muneris imponeret. Galenus anceps eſt: nec ſatis quid ſtatuat novit. In fine libri de fœtus formatione, ut alia omittam in Platonicorum caſtra iturus videbatur, niſi impium cenſuiſſet, mundi Animam authorem muſcarum, culicum & ſimilium animantium facere. Præterea parum ei credibile viſum eſt, materiæ Animam tantam artem, quanta in rebus creatis cunctis conſpicitur, aſſequi potuiſſe. Thomas Aquinas cum recentioribus ferè omnibus ſtatuit, ſeparatas ſubſtantias ſive intelligentias apud ſe intellectas formas, corporum cœleſtium virtute, rebus imprimere. Vtriusque veſtigia
B principii in omnibus apparere ajunt. Cœleſtium quidem corporum, quod per motum & in tempore producantur. Subſtantiarum verò abſtractarum, quod ordine certo ad determinatum cuncta finem progrediantur. Hujus ſententiæ Ariſtotelem fuiſſe quidam perhibent: quidam aliter judicant. Cum eadem ferè faciunt, qui neſcio quem ſpiritum cœleſtem rebus omnibus permiſceri fingunt: à quo naturam vimque ſuam omnem univerſa mutuentur. Ariſtotelei modò in connexum quendam cauſarum inferiorum & ſuperiorum: modò in naturam quandam univerſalem referunt. Propius ad rei veritatem, (ſive ita ſenſerit Ariſtoteles. ſive aliter,) accedunt, qui eum
C virtutem formatricem in ſemine cum calore, quo tanquam inſtrumento utatur ad corporum fabricam poſuiſſe ajunt. Hanc vim, quæ potentia ineſt, in actum à conveniente calore (in apto & idoneo loco) produci oportet: ut ab ea mox reliqua perficiantur. Abſurdius Aſtrologi certis aſtrorum figurationibus, & fictitiis quibuſdam imaginibus, adſcripſerunt hanc functionem. Hos non valdè miror delirare: quippe qui mirificè fabulis delectentur. Minus etiam antiquos miror anxiè principia harum rerum inveſtigaſſe, nec invenire tamen, quod ſatisfaceret, potuiſſe. Carebant enim luce quæ cælitus nobis affulſit: & certiora de his rebus docuit. At noſtros homines
D vehementer demiror, qui, cum illuſtriora firmioraque multò haberent, antiquorum obſcuris incertisq; veſtigiis inſiſtere nihilominus maluerunt. Obſcuritatem incertitudinemq́ rei authorum ſentẽtiæ diverſæ plus ſatis probant. Tentandum nihilominus eſt aliquid hîc etiam certi adferre. Vix enim, quæ de proprietatib. occultis diximus, percipi poſſunt, hac re non declarata.

F j.

CAPUT XV.

Quis formarum dator ſit.

SI quid id ſit,quod formas rebus omnibus impertit,per quas hoc i-
pſum ſunt,quod ſunt, ex me interroges, planiſſimè reſpondebo,
nil aliud eſſe quàm vim poteſtatemq; divinam cunctis rebus creatis
ab initio inſitam. Hæc non ex cœlo aſtrorum converſionibus rebus
ſingulis acquiritur. Non ab intelligentiis creatis materiæ inſeritur: A
Non deniq; aliunde infunditur:ſed juſſus Dei eſt ab initio rebus ſin-
gulis inditus. Quin nil aliud eſt Natura,quàm juſſus ille Dei,per quē
res omnes hoc ſunt,quod ſunt & hoc agunt,quod agere juſſæ ſunt.
Hic,inquam,non aliud quidquam,cuiq; rei ſuam dedit ſpeciem atq;
formam. Per hunc non agunt modò pro ſua natura, hoc eſt, prout
præceptum ipſis eſt, res creatæ omnes, ſed per eundem reguntur,
conſervantur,propagantur:& nunc etiam quaſi creantur. Non enim
ut exſiſterent duntaxat juſſit Deus,verum etiam ut ſe ipſa ita propa-
garent, ſicut ab ipſo condita fuiſſent imperavit. Nec fuit inanis ille B
juſſus,ſed prorſus efficax. Dum enim juſſit, vim ſimul contribuit ſuā
ſingulis:qua,quod juſſa eſſent,perficerent. Quare non aliude formā
naturamq; accipiunt,quæ gignuntur etiam hodiè, quàm à Deo ſive
divina poteſtate: qua exſiſtunt univerſa Neque minus jam mandato
ejus parent,quàm ab initio,cum non eſſent,ac eſſe juſſa ſtatim exſi-
ſterent. Scitè ergo à quibusdam eſt dictum,Deum hodie quoq; crea-
re,dum creata conſervat: propterea quod conſervatio non re, ſed
[illegible] ſolum à creatione diſtincta eſt. Non enim aliud eſt conſer-
vatio,quam perpetua ſive continuata creatio. Quod ab initio, cùm
inchoatum repenteque ex nihilo productum eſſet, creatum diceba-
tur idem illud nunc,dum continuatur,vocatur conſervatum. D. Au- C
rel. Auguſt. minimè veritus eſt dicere, creaturas non ſolum creatas
eſſe,verum etiam continuè creari. Cujus poſtea ſententiam multi
ſequendo probarunt,probandoq; ſecuti ſunt: & exemplis ac ratio-
ne illuſtrarunt, Vt à Sole,inquiunt,aerem non illuminatum modò,
ſed etiam illuminari verè ac rectè dicimus, ita hic etiam res quodā-
modo habet Etenim ſicut abſq; ſolis præſentia lumen in aere perſi-
ſtere non valet,ita creatura ſine creatoris ſui conſervatione nullo tē-
poris puncto conſiſtere poteſt. Item ſicut rei gravis ſublatio de terra
in altum differt à ſuſtentatione ejuſdem in alto, ſic propemodum
creationem à creatorum conſervatione differre putandum eſt. Quē- D
admodum n. res illa ſubtractis manibus repentè deorſum cadit, ita
ſi poteſtas divina,qua cuncta Deus creavit,erepta rebus fingatur,ſta-
tim & in non tempore ad nihilum omnia reverti, ſeu radacta iri. Huc
& illud Chriſti apud Ioannem rectè accommodant, ὁ πατήρ μου ἕως
ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι. Neque cogitandum eſt diſcrimen eſ-
ſe,qua-

ſe,quatenus iſta comparamus. Nam probabilius videbitur rem at-
tentè,& ſubtiliter conſideranti, lumen abſq; lucido corpore conſi-
ſtere poſſe,& rem gravem in aëre ſublimem abſq; ſuſtentaculo pen-
dere,quàm,quæ ex nihilo facta ſunt,non in nihilum abire, niſi ab eo
ſuſtineantur, qui, cum non exſiſterent, exſiſtere infinita virtute re-
pentè fecit. Nemo tam eſt rudis,qui non norit ac intelligat,quod ni-
hil fuit,in nihilum abiturum, cùm primum ea facultate deſtituetur,
per quam productum fuit. Nulla philoſophia negat,res omnes à
Deo ut authore omnium,pendere:& ab eodem habere,ut ſint. Quod
A ſi ſibi relictæ conſiſtere adhuc poſſent,non à Deo penderent. Qua-
re cum non minus ſit difficile res ex nihilo factas conſervare, quàm
eaſdem ex nihilo producere ſive creare,neque alia vi Deus fecerit, a-
lia conſervet, rectè ſanè dicitur,conſervationem eſſe quandam con-
tinuatam eorundem productionem.

CAPUT XVI.

An rerum formæ ab aſtris pendeant.

B NIHIL igitur ad horum conſervationem, interroget aliquis, a-
ſtra conferunt? Nihil omninò: quod ad hanc rem pertinet. E-
quidem ut ſine cœlorum, & hiſce aſſiſtentium (ſecundum philoſo-
phos) intelligentiarum miniſterio univerſa creavit, ita abſq; eorun-
dem famulitio creatà ſuſtinet atque conſervat. Loquor de natura
eorum inſitiſque ab eo viribus cuique rei propriis non de diſpenſa-
tione eorundem. Non enim nego Deum, quæ fecit diſpenſatione
quadam cœlorum conſervare ac tueri, univerſali videlicet ratione.
Quod ut pateat magis, obſervandum eſt, herbas ac plantas omnes,
ante aſtrorum creationem fuiſſe perfectas. Non ergo cœlum for-
mam,& quas ſecum ipſa trahit vires,iſtis,ut nec animalibus cæteriſ-
C ve rebus,dedit. Pendent enim è ſuperioribus inferiora,ut ab univer-
ſalibus & æquivocis cauſis,non ut à cauſis univocis. Aliter enim ſol,
& aliter homo,generat hominem. Non Sol,ſed homo, naſcenti præ-
bet homini formam: tametſi ſolis efficacia ut cauſa univerſalis non
ſit prorſus ocioſa. Non enim Soli dictum eſt,ut hominem genera-
ret, ſed homini præceptum eſt, ſicut & cæteris rebus viventibus, ut
ſe multiplicaret. Quocirca non cœlum,ſed Deus homini vim gene-
randi dedit. Formæ igitur omnes à Deo ſunt rebus cunctis primum
datæ. Quod ſi cœlum principiò formas non dedit,ne nunc quidem
dat. Is enim qui dedit, ut ſe propagarent, juſſit non cœlo ut multi-
D plicaret, præcepit. Etenim ſemen proferre voluit,quo ſe propaga-
rent,& in omne tempus promoverent. Quod ſi quæ ſunt vel animã-
tes vel plantæ,quæ non aut per ſemen aut ſtolones & ſurculos mul-
tiplicatæ generatæque ſunt,earum ſemen proculdubio, juſſu ipſius,
ita nunc quoq; terra in ſe continet,ut ab initio continebat. Quead-
modum enim tunc,cum juberetur veſtire ſeſe omni plantarum ge-

nere,paruit,ac certo cùm cæteris elementis modo ſe miſcens ,illas, quas videmus,produxit,ita poteſt hodie etiã juſſa producere. Quid, quod jam quoque non eſt facilius ulli creaturæ ex ſemine aliquid facere,quàm fuit Deo facilè ex terra evocare? Quare ſi præter Deũ nihil potuit plantas ex terra educere,ne ex ſemine quidem jam ulla creatura gignere poterit. At formam rebus indere, nihil aliud eſt, quàm gignere: aut certè parum ab eo differt. Quibus fit,ut meritò ridenda ſit Aſtrologorum vatum ineptia,qui hanc aſtris poteſtatem attribuunt: præſertim cùm nullibi legamus Deum aliud mandaſſe cœlis,quàm ut diem,noctem,menſes annos,& hujus tempora calore & lumine diſtinguerent indicarentque. Juxta hanc mutationem, res ſingulæ pro natura,quam non à cœlo ſed à creatore accepere, oriuntur,mutantur,occidunt.Etenim Deus iſta omnia cœlorum cõverſionibus,nõ quidem facit,ſed conſervat ac tuetur. Nam fiunt ac generantur pleraque à cauſis univocis,non ab æquivocis quales cœli ſunt,hiſce noſtratibus rebus comparati.Aequè ridiculum videtur, ſuccenturiatas conſtituere intelligentias: quarum ſervitio res jam antè creatas conſervet,atque ſuis formis exornet. Quid hoc aliud eſt,quàm Deunculos fingere Platonicos,quibus operis incepti partẽ demandarit Deus? A B

CAPUT XVII.

Philoſophiæ ſtudio nihil detrahi, ſi Deus ponatur rebus cunctis formas indere.

SED cogitabis tecum fortaſſe,ſi rebus omnibus talibus eſſe juſſit Deus: tali forma & viribus dotavit: inutile eſt philoſophiæ ſtudium.Satis erit dixiſſe,quod Galenus etiam Moſi parum piè ac rectè objecit,Deum ita voluiſſe. Ad hanc objectionem,non eſt difficile reſpondere: præſertim cùm idem objicere aliis quoque omnibus, quamcunque tandem ſententiam probent,poſſis. Idem enim Platoni Ideas ponenti rectè objeceris. Idem Platonicis mundi Animam per omnia diffuſam ſtatuentibus.Idem Avicennæ decimam ad hoc officium intelligentiam fabricanti: aut potius fingenti. Idem cæteris omnibus ſive abſtractas formas,quas intelligentias nominant: ſive cœleſtem ſpiritum: ſive aſtrorum poſitum: ſive imagines fictitias cœli,neſcio quas: ſive rationes ſeminales: ſive denique naturã univerſalem pro cauſa ponant. Omnes etenim, quam ſibi cõfinxerunt,cauſam,cuncta hoc pacto perfeciſſe aſſeverabunt. Qui cum nihil melius reſpondere ad propoſitam objectionem poſſint, quàm quod nos reſpondemus,quomodo,ſi pro falſo dogmate ſtatuendo ipſis utilis eſſe poteſt,eadem illa,non multò magis nobis pro veritatis defenſione proſit? Quid enim aliud pro reſponſione adferant quàm quod Galenus immeritò Moſen arguens lib. de uſu part. 11. cap. 14. reſpondit? Vnusquiſq; n.quam credit cauſam eſſe formam, hãc rebus o- C D

bus omnibus formas atque facultates cum ea tales inſeruiſſe ac donaſſe, quales recipere aptæ eſſent, affirmabit. Hoc inter nos & illos intereſt, quod illi præparationem materiæ præcedere oportere opinati ſunt: nos verò unà cum forma ipſam quoque materiam ejuſdẽque præparationem ex nihilo exſtitiſſe, Deo ita mandante ac volente, cum ſcriptura affirmamus. Nec dubitamus omnia poſt illud initiũ ita generari & fieri, ut tunc juſſa ſunt: (ſcil. non ſine præeunte præparatione ac motu,) niſi ſi aliter præter & contra ordinem naturæ efficere aliquid vult Deus. Cujus rei indicium aliquod in ipſis ſcripturæ verbis elucet. Cum enim quæ non erant, eſſe juberet Deus,
A mox atque eſſe juſſit, exſtiterunt. Poſtea factis rebus præcepit, ut creſcerent, multiplicarentur, & terram replerent. Hoc perinde eſt, ac ſi juſſiſſet res certis mutationibus præcedentibus generari. Qui mundum aliquando incepiſſe nobiſcum confitentur, idem hoc, velint nolint, concedere coguntur: quibus quib. tandem verbis atq; modis factum eum deſcribant. Avicenna certè aliter non loquitur, quàm nos loquimur: id quod ex toto ejus opere de medicina facilè apparet.

B
CAPUT XVIII.

De mundi æternitate nonnulla dicuntur.

ATQUI Ariſtoteles, inquies, factum aut initium habuiſſe negat: ſed æternum eſſe contendit. Eſto, ſenſerit hoc Ariſtoteles. An ideo credendum adhærendumq; ei magis fuerit, quàm veritati? quàm rerum omnium opifici & conſervatori Deo? ipſemet in Top. ſuis fatetur, rationes, quas ad probandam mundi æternitatem excogitaſſet, probabiles, non neceſſarias eſſe. Et tales quidem eas nihilò firmiores eſſe, philoſophorum aliqui, dum eaſdem refellere conati
C ſunt, jam olim declararunt. Averroi certè perſuadere illis, quas tum in lib. de Phyſ. auſcult. tum alibi protulit, minimè id potuit; quantũvis in ſummo eum honore ſemper habuerit: & tantum non pro Deo adorarit & coluerit. Non niſi invitus ab ejus ſententia diſcedit. Lenit igitur hic quoq; Præceptoris ſententias: & ingenerabilem eſſe mundum concedit: ſi per mutationem, qua jam naſci natura cõſtantia cernimus, factus putetur. Profectò qui non prorſus mente caret, aut incepiſſe eum, aut Deum ipſum eſſe concedet finitum & palpabilem: magnaq; inſuper ex parte corruptioni obnoxium. Quid quod Ariſtoteles ipſemet ita frequenter loquitur, ac ſi factum à Deo
D credidiſſet? Tale eſt, quod multoties dicit naturam & Deum nihil fruſtra facere. Alibi ſic ſcriptum reliquit: συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεὸς, ἐνδελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν. Et quidem in ipſius philoſophia plurima ſunt, quæ ſatis explicari & intelligi nequeunt: niſi perinde ea exponamus, ac ſi factus aliquando ſit. Neceſſe eſt aliquid poni primum, aliquid ſecundum, & tertium & quartum: ex quib. deinceps

omnia alia certo quodam ordine ac modo fiant. Poſt cœli & terræ creationem, aquæ & terræ ſeparationem, juſſit Deus ex terra omnis generis naturæq; plantas cum ſuis ſeminib prodire. Deinde animalia terreſtria, aquatilia, & volatilia exiſtere juſſit: ſuumq; omnib. alimentũ deſtinavit. Hiſce omnib ut ſeſe propagarent, creſcerent, multiplicarentur, ſuo unumquodq; modo præcepit: & præcipiendo, ut ita facere poſſent, effecit. An non Ariſtot. ſimiliter ferè imaginatur primam materiam contrariorum ſuſceptivam, ex quibus elementa primum, ex his verò alia deinceps ordine quodã nata ſint? Et ut materiam iſtam cum contrariis ab æterno extitiſſe fingatur, diſſerere de iſtis nihilominus ita nos oportet, ac ſi facta aliquãdo fuiſſent: ſi modò, quæ de naturalium rerum omnium ortu diſputantur, intelligẽtia aſſequi volumus. Quare ne ſic quidem diſcrepabit noſtra ſententia à vera rectaq; Philoſophia ſi benè æſtimetur. Quid igitur nos impediet, quo minus ex effectib. cauſas, ex compoſitis ſimplicia, ex objectis actiones, ex his facultatẽs, & cætera, quæ ad Philoſophiæ conſiderationem pertinent: eodem cum aliis philoſophis modò inveſtigemus? Deus etenim qui talib. eſſe juſſit, nõ ea vult mutari amplius: ſed permanere tantiſper talia vult, dum ordinaria ſua poteſtate, quã naturam nos appellamus, mundum conſervatum volet. Vt igitur homo ab initio factus fuit talis ut eſſet, ita quod tale eſt, fit, fiet, homo eſt, ac erit. Ratio ſimilis eſt aliarum omnium rerum. A B

CAPUT XIX.

Ariſtoteles nullibi explicatè docet, quid putaverit virtutem formatricem eſſe.

QUOD ſi Ariſtot. per univerſalem naturam, ut quibuſdam placet, hanc divinam vim rebus in prima creatione inſitam, qua omnia fiunt, ſunt, agunt, conſervantur intellexiſſe judicetur, nihil inter nos erit diſcriminis quod ad hanc rem attinet. Sin virtutem formatricem in ſemine poſuit, ut alii quidam judicarunt, propius etiã ad noſtram ſententiam acceſſerit. Hoc principium alicubi ψυχικὴν θερμότητα nuncupaſſe, ideoq; animorum quodam modo plena eſſe omnia dixiſſe cenſeri poteſt. Quanquam nunquam ſatis explicatè ab eo dictum invenimus, quid nam id ſit, quod ſuo certo definitoq; modo cuncta fingit ac format. Etenim quæ in Metaph. diſputat, valdè ſunt generalia & indefinita. In fine 4. Meteor. dubitat, an naturam, an aliam potius cauſam vocet. Quo loco eſſe eam credidiſſe ipſum ſatis apparet: quantumvis quid eam eſſe crediderit, non expoſuerit. Quæ de calore in ſemine calori ſiderum reſpondente alibi ſcripſit, parum explent animos noſtros. Quod aliàs formam dicit hanc eſſe cauſam, non explicat omnes nodos: tametſi propius ad veritatem & ſcopum accedat. Sicut non eodem ſemper modo de hac re locutus videtur C D

detur Ariſtoteles, ita neque Græci neque Latini ipſius interpretes prorſus inter ſe conveniunt. Quid Averr. & Albertus ſenſerint, in Metaph. expoſuerunt. Quæ fuerit Alexandri & Simplicii opinio ex 2. Phyſic. cognoſci poteſt. Si ita ſenſit, ut ſupra dictum eſt, non multum à vero abfuit. Si aliter ſenſiſſe comprobetur, cur illi magis, quàm apertæ veritati adhæreamus, cauſam nullam ſatis gravem perſpicio. Ex jam dictis, quid formæ rerum ſubſtantiales ſint: unde originem ſuam trahant. quo modo & per quem rebus inſint, intelligi utcunq; poteſt. Accuratius & planius exponere hoc loco non potui. Quātum
A intelligi ab homine poteſt, tantum penè ex propoſitis intelligetur. Plura quidem hac de re, quàm propoſitum haberem, dixi: non tamē omnia, quæ in mentem venerunt, adſcripſi. Nos omnib. ſequi, quod volent, permittentes, ita de proprietatum ortu naturaque ſentimus, ut multis huc usque expoſuimus.

CAPUT XX.

B

Epilogus ſupradictorum.

CÆTERUM quia his probè cognitis reliqua facilius percipiētur, ſummatim repetam, quæ dicta hucusq; ſunt. Duas occultarum poteſtatum ſpecies eſſe dixi. Harum prior vel ipſamet forma vel hujus quædam potentia, quæ unà cum forma adveniēte accedat, & cum eadem abeunte recedat, exſiſtit. Altera materiæ & temperamenti in re qualibet proprietas eſt. Non pugnabo cum eo, qui plures ponere ſpecies volet Haud enim ignoro, nonnulla inveniri, quæ neutri ſpeciei aptari poſſe videantur: in quorum numero præcipuū mihi
C locum habere Magnes ſemper viſus eſt. In præſentia ſatis habeo duas iſtas ſpecies generales poſuiſſe. Qui utramque partiri in alias ſpecies volet, fortè nihil deſiderabit.

CAPUT XXI.

Occulta primæ ſpeciei vires non magnum habent in medendo uſum.

PRIORES ſeu primi generis latentes facultates, hoc eſt, eſſentia-
D les formarum proprietates vix habent uſum aliquē in medēdo: propterea quod rariſſimè utimur pharmacis intra corpus recipiendis, De his præcipuè diſputamus: licet, quæ dicimus minimè difficile ſit etiam externis aptare) formam ſuam adhuc retinentibus. Etenim mortua duntaxat, ut ſic loquar, devoramus: hoc eſt, contuſa, in pulverē contrita, exſiccata, elixa, toſta, macerata, abluta. cocta, frixa,

fermentata,diſtillata,& aliis conſimilibs modis præparata ſumimus. Et ſi qua fortè integra,nulloq; ex prædictis modis mutata, & velut occiſa,ingerimus,in ventriculo tamen ea transmutari formisq; ſuis ſpoliari contingit,priusquam actu agant:cũ pleraq; (ne dicã omnia) potentia ſint,non actu:quod eſſe perhibentur. Quæ propter ſubtiles & valdè mordaces particulas ſtatim mordere nudatas cute carnes ſolent,nota id poteſtate faciunt,non occulta:& proinde ad hunc locũ non magnopere ſpectant. Galenus aliquando experiri voluit,an viva torpedo in capitis dolore prodeſſet, cum mortuã periculo facto minimè ſtupefacere comperiſſet. Sunt qui viventium gallinarum podicem vulneri à venenato animali inflicto,ac peſtiferis bubonibus admovent:ut ſic venenum extrahant. Verum hoc nõ tam ab occulta, quàm manifeſta, ut, ego quidem puto, virtute fieri putandum eſt. Moriuntur n gallinæ,quæ hoc modo venenum proliciunt. Videntur id cucurbitulæ inſtar exſugere extrahereq;: non propter qualitatem aliquam ignotam Auget ſuſpicionem hanc,quod imperant Medici talibus Gallinis ora ſeu roſtra occludere: ut reſpirare nequeant. Quæ Fernelius lib. 2 de abd. rerum cauſis cap. 18. de corde hirundinis palpitante,de corde turturis & corvi: de araneis incluſis in teſta juglãdis: ranarum oculis: anate viva refert,indigna ſunt,quorum fiat mentio. Aut n. ſuperſtitioſa ſunt aut ementita & falſa: quod de aliquib. ipſe periculo facto certiſſimè affirmo: aut certè propter manifeſtam cauſam proſunt Si quid anas efficit,calore ſuo efficit. Hujus periculum nec dum faciendi occaſio data eſt. In ſcorpionum ictu,& viperarum morſibus ſcribitur maximũ auxilium adferre animal quod momordit,ſi ſuper vulnere conteratur. Sunt qui de veſpis & ſimilib. aliis idẽ affirmant. Sed hæc omnia externè ſic admoventur: non deglutienda dantur: de qualib. nos imprimis agimus. Quanquã rectè dicere poſſimus,hæc etiã non prius juvare,quàm mortua fuerint. Videtur quidem Galenus aliquid tribuere torpedinis vitæ ſed ſi quando profuit vivens,qualitate manifeſta potius,quàm occulta,contulit. Non me latet,quanto cum conſenſu ab omnibus fermè prædicetur admirabilis potentia hujus piſcis. Verùm de his rebus ſumma diligentia & ſtudio inquirens,nihil invenire certi potui. Piſcatores Veneti complures negarunt olim tantam ineſſe vim huic animali ſtupefaciẽdi. Qui vivas contrectare volet, de veritate hujus rei plurimum certè cogetur dubitare. Sed hoc extra inſtitutum ſit dictum. Nam hoc ſolum propoſitũ fuit monere,medicamenta intra corpus ſumpta non niſi mortua,h. e. forma ſua priore ſpoliata agere poteſtate occulta. Quocirca non huc pertinet morſus viperarum canum rabioſorum, & ſimilia. Etenim manifeſta vi vulnera infligunt. Non inficiamur interim venenum,quod inter mordendum in vulnus infuderũt ſeu impreſſerunt abdita vi lædere: ſed vivere conſtanter negamus. Non enim magis vivunt, aut animalis forma informata ſunt illiuſmodi venena,quam alui & veſicæ recrementa.

CAPUT

CAPUT XXII.

Occultæ pharmacorum vires à temperamento ſeu materia ferè proveniunt: non ab eſſentiali formarum proprietate.

MANIFESTE patet ex dictis, abditas medicaminum poteſtates non debere attribui formis aut eſſentialibus earum proprietatibus. Quare materiæ proprietati adſcribere cogimur. Equidem
A forma ſubſtantiali incolumi permanente pharmacorum, de quibus principaliter diſſerimus hoc loco, vires occultas augeri, minui, mutari, acquiri, extingui, cernimus. Quamobrem ejus partis proprias eſſe confiteri cogimur, quæ forma non mutata mutari habilis eſt. Quod ſi jam in una materia, quæ formas ſpeciei diſcrepantes ſibi ordine quodam ſuccedentes receperit, eandem ſpecie proprietatem conſervatam perſpiciamus, qua ratione putabimus formarum, quæ non exſiſtunt amplius, facultates fuiſſe proprias? Certum eſt hujusmodi vires tam non manere in ſubjecto, in quo forma talis non inhæret amplius, quàm eſt certum ſolis lumen in aere non permanere
B poſt ejus abitum aut occaſum: aut ſimulacra rerum in ſpeculis apparentium non conſervari in ſpeculis, cùm res, quarum ſunt imagines, auferuntur. Quocirca cogimur ejuſcemodi poteſtates, non formis, quæ perierunt, ſed ei, quod remanſit, aſſignare: Hoc autem eſt materiæ ſuis quibusdam partibus peculiariter conſtantis proprietas. Pro exemplo ſupra attuli Scammoniam à capra comeſtam: inque chylum primum, deinde in ſanguinem, poſtremo in lac, permutatam. Sic Ellebori radix in aqua cocta aquam reddit purgatoriam: Ellebori animam ſeu formam in aquam non transfundit. In tali aqua maceratus panis ſi à gallinis comedatur, & in eis
C in chylum, in ſanguinem, in carnes, permutetur: denique ſi hæ occidantur, coquantur, & ab homine edantur, purgandi vim ab Elleboro acceptam, per tot ſubſtantiales mutationes conſervaſſe deprehendentur. Quis hactenus inſanit, ut in tali carne formam Ellebori aut hujus eſſentialem poteſtatem quærat? Ergo quæ dicentur deinceps de viribus accipienda ſunt, quæ in temperamenti aut materiæ proprietate conſiſtunt.

CAPUT XXIII.

D *Quænam qualitatibus manifeſtis & quæ viribus occultis ſive totis ſubſtantiis in nos agere dicantur.*

SUPEREST nunc, ut quot modis medicamenta materiæ ſuæ viribus in nos agant, ac à nobis patiantur, breviter indicemus. Quæ in corpus noſtrum recepta, vel in nos agunt, vel à nobis patiun-

tur, ea omnia vel ſolis notis duntaxat qualitatibus: vel totis ſolummodo ſubſtantiis: vel utrisque ſimul agunt aut patiuntur. Ex his aliqua ambabus potentiis tantummodo agunt: quædam utraq; ſolum partiuntur, plurima juxta unam agunt, & juxta alteram patiuntur. Et vel ſecundum latentem virtutem agunt, ut juxta manifeſtam patiuntur: vel hac agunt, & illa patiuntur. Nota qualitate agentia vel unica ſola agunt, vel duabus: pluribus non poſſunt, niſi totis ſubſtantiis agant. Etenim fieri non poteſt, ut plures in temperamentum qualitates duabus exſuperent. Quippe duas ſimul primas qualitates vincere impoſſibile eſt. Nam ſi æquè valentes ſint, mediam generabunt: ſi altera prævaleat, ſola in agendo imperium obtinebit. Quare cùm non poſſint plures quatuor conjugationibus excedere, non poterit ulla res pluribus nos primis qualitatibus alterare. Cæterùm illa dicimus ſolis qualitatibus alterare, quæ exſuperantibus in miſtione qualitatibus alterant. Quæ namque non his ſolum atque aliis notis viribus agunt, totis ſubſtantiis agere Galeno dicuntur: à cujus ſententia nunc non diſcedimus. Etſi enim non probamus, quod formam ſubſtantiæ extra temperamentũ plerunque nullam agnoſcere videtur, in hoc tamen loco, in quo non formarum δυνάμεις, ſed materiæ potentias inquirimus, id nobis nihil officit. Tota igitur ſubſtantia dicimus agere, quod non una duntaxat duabúsve qualitatibus in miſtione cæteras ſuperantibus agit, ſed totius materiæ ex tot ac talibus partibus concretæ & miſtæ viribus nos afficit. Sic & totis ſubſtantiis pati affirmamus, quæ non tantùm calefiunt, frigefiunt, humectantur, exſiccantur, dividuntur, ex tenuantur, aut ſimile quippiam ab inſito in nobis calore patiuntur: ſed quæ ab eodem tota permutantur & in aliam ſpeciem ſeu familiam transplantantur. In quibus enim aliquid manſit, nomen & definitionem prioris ſpeciei retinens, qualitatibus quibuſdam ſolis, non totis ſubſtantiis perpeſſa ſunt. Sufficit in præſentia ſingulis ſpeciebus exemplum ſubjeciſſe. Ergo abdita potentia ſolum agunt tum venena tum pharmaca purgantia: quæcunque virtute calefaciendi aut frigefaciendi, &c. manifeſta carent. Patiuntur autem hoc modo alimenta poſtquam in ventre calefacta & diviſa ſunt: quæ medicamentoſi nihil in ſe continent. Agunt autem occulta pariter & manifeſta virtute purgantia propriè vocata: quæcunque apertè calefaciunt. Patiuntur utroque modo alimenta: dum & alterantur & transmutantur. Cæterùm agunt qualitate manifeſta, & totis ſubſtantiis patiuntur, alimenta medicamentoſa appellata: quæ ſcilicet manifeſtè calefaciunt, ac nihilominus in ſanguinem converſa nutriunt. Contra patiuntur notis qualitatibus atque totis agunt ſubſtantiis medicamenta purgantia, quæ vel temperata ſunt, vel frigefaciendi virtute prædita.

CAPUT

CAPUT XXIV.

Quid per totam ſubſtantiam intelligere conveniat, plenior expoſitio.

VT planiora ſint omnia, rurſus monere hic libet, nos per totam ſubſtantiam totumque temperamentum non tantùm temperiem ex mutua primarum qualitatũ actione & perpeſſione ortam, & in abſtracto, ut vocant, conſideratam intelligere, ſed unà cùm hac ſubjectam quoque materiam comprehendere: hoc eſt, temperiem in tot & talibus materiæ partibus inſidentem, ſive ex tot ac talibus partium temperamentis conflatam ſic nominare. Quis ignorat alimenta propter ſimplicem temperiem non eſſe alimenta? Lapides, ligna, &c. ſi ad primas tantùm qualitates reſpicias, temperiem habere poſſunt alimentis ſimilimam: alimenta ob id eſſe non poſſunt. quod ex longè aliis partibus coaluerunt. Componat aliquis fortè medicamentum in caliditate & frigiditate ſimile Theriacæ, ex ſimplicib. non modo diverſis natura ab iis, ex quibus Theriaca conficitur, ſed etiam numero longè paucioribus: at virtute ſimile prorſus non componat, niſi ex eiſdem pharmacis concinnet. Facilè fiat, ut duo corpora, quorum alterum ex elementis, alterum ex partib. jam antè miſtis conflatũ ſit, æqualiter vel calida vel frigida ſentiantur, nec pares tamen, ſed omninò diſpares habeant in agendo vires. Hoc modo in capris lac generari ex certis plantis temperie non diſſimile poterit, ei, quod ex ſcammonea vel tithymallis genitum ſit: ſi guſtus conſulatur. Nihilominus tamẽ purgabit hoc, illud non purgabit, idque propter materiæ proprietatem: licet in primis qualitatibus diſcrimen percipi non admodum poſſit. Hoc inde evenit, quod non idem eſt totius atq; partium ſingularum temperamentũ. Haud ſcio, an ex lactis exemplo non omnes facilè, quod dico, intellecturi ſint. Hoc compoſitum eſt ex aqua, caſeo, butyro: partibus notis. Ex his miſtis naſcitur temperamentum lactis. At ſingulæ partes dictæ ſuum poſſident peculiare temperamentum, diverſum à temperamento totius lactis compoſiti. Cùm ergo lac agit, quatenus lac eſt non corruptum, ſuo temperamento, quod ex prædictarum trium partium temperamentis inter ſe confuſis conflatũ eſt, agit. At cùm ſeparantur partes, jam pro ſuo nativo & proprio temperamento tantùm, quælibet earum agit. Vt igitur aliquid reperias, quod temperamentum ſimile obtinuerit totius lactis temperamento, non tamẽ neceſſe eſt, ut ex totidem partibus & ſimili temperie præditis compoſitum quoque ſit. Poteſt enim ex pluribus vel paucioribus conſtare. Poſſunt eædem alia proportione convenire, ut nihilominus omnes ſimul non diſſimilem efficiant miſtionẽ qualitatum, ei, quæ in lacte deprehenditur. Si, quæ ſit inter temperiem & totam ſubſtantiam differentia, melius cupis intelligere, attentè legito, quæ Galenus de hac re 4. de ſimplic. facultatib. cap 15. ſcripta reliquit.

CAP.

CAPUT XXV.

Quæ à tota ſubſtantia agunt, non omnibus materiæ partibus ſemper agunt.

ADMONENDUS mihi es hoc loco, nos, quando cum Galeno dicimus pharmacum à tota ſua ſubſtantia certam habere vim, ſeu certi aliquid agere vel pati, non id ſignificare velle, ipſum cunctis ſimul totius ſubſtantiæ ſuæ partibus agere vel pati. Hoc enim in medicamentis non fuerit verum. Etenim Rhabarbaricum, Aloe, A ac hujus generis alia plura, manifeſtè ſententiam refellunt. Quippe non omnes Rhabarbaricum partes ventrem ſolvunt: aut purgandi facultatem participarunt: cùm nonnullæ ex eis cohibere ventrem ſolitæ ſint. Idem de Aloe ſentiendum: & quibuſdam aliis. Quis neſcit quædam ex purgantibus utilem & naturæ gratum ſuccum ſortita eſſe? Roſam, violam Martiam, & ſimilia, expendat: qui nondum credit. Adde, quòd alimenta maximè familiaria non omnibus ſubſtantiæ partibus in ſanguinem transmutantur. Singula namque aliquid continent, quod in excrementum mutatur: in ſanguinem verti non poteſt. Cum ergò Rhabarbarum dicimus virtute B à tota ſubſtantia manante purgare, hoc indicare volumus, ipſum non caliditate aut ſiccitate ſua ventrem turbare: ſed quia in ſe habeat partes ex tot ac talibus particulis concretas, quæ id præſtent. Quamvis enim certæ quædam partes ſolum, non omninò omnes, purgatrice virtute donatæ ſint, ſine tamen his tot ac talibus illæ pro naſci nunquam potuiſſent. Etenim ipſa Rhabarbari forma ea eſt, quæ talem ex terra ſuccum attraxit, hoc modo mutavit & coxit, taliterque ſingulas finxit ac temperavit, ut aliquæ purgare taliter poſſent. Quoniam igitur hæ particulæ extra Rhabarbarum, & citra alias omnes ejus particulas pronaſci, itaque temperari & componi C non potuere, (cujus etiam rei cauſa non ſeorſum conſtitêre: ſed unà cùm cæteris generatæ ac miſtæ fuerunt.) meritò dicimus, non particulas Rhabarbari haſce, ſed totum Rhabarbarum vi purgandi dotatum eſſe. Quod ſi tales particulæ, ſeu talia corpuſcula, ex tot ac talibus temperata partibus ſeorſum provenirent, jam non Rhabarbari, ſed harum duntaxat particularum proprietatem affirmaremus. At nec extra Rhabarbarum, nec in una ejus parte diſtincta producuntur: ſed per totam radicis ſubſtantiam ſparſa generantur. Quamobrem non malè dicitur, Rhabarbarum ſic purgare: cùm, quod hoc pacto purgat, in eo ſolo reperiatur: quamvis in omnibus D ejus partibus inæqualiter inhæreat. Hoc eſt ſatis, quòd partes, quæ id præſtant, nec ſine reliquis oriuntur, nec ſine eis in plantæ parte una aliqua reperiuntur. Quanquam ſi jam dicto modo ſeparatim invenirentur, nihilominus rectè Rhabarbaro toti ea poteſtas adſcriberetur: dum extra ipſum gigni non poteſt. Et hoc præcipuè differunt

ferunt partes materiales perfectorum miſtorum ab elementis, quòd non fuerunt ante compoſitum: nec extra ipſum naſci potuerunt: ſed propter formam in materia exſiſtentem ſimul omnes in compoſito generatæ ſunt. Aliâs inſtar Elementorum poſt compoſitum remanent: atque ſeparabiles à ſe invicem eodem modo exſiſtunt. Quod ſi ante compoſitum exſiſtere poſſent more Elementorum, nullum eſſet hac in parte diſcrimen inter partes miſtorum miſtas & & ſimplices. Omnes igitur abditæ potentiæ ſeu proprietates rerum propter formas & à formis in propriis ſubjectis producuntur: at non A ob id omnes ſunt formarum eſſentiales poteſtates. Nam in materia multæ poſt formæ interitum, ſicut expoſuimus, permanent. Ex jam dictis rurſus intelligitur longè aliud nos dicere, cùm facultatem ejusmodi aliquam à ſubſtantiali forma ortam aſſerimus, quàm cùm ejuſdem eſſentialem proprietatem affirmamus. Illa enim in materia, forma permutata, remanet, hæc cum forma accedit pariter ac recedit.

B

CAPUT XXVI.

Duo ſunt hepaticorum medicamentorum genera: occultum & manifeſtum.

TEMPESTIVUM jam eſt, ut quem uſum in curationibus habeant ignotæ ſecundi generis facultates explicemus. Quod ut faciam commodius, pro exemplo ea mihi ſumam, de quibus tu præcipuè interrogaſti, hepatica ſcilicet aut ſplenica vocata medicamenta. Ac primum quidem ſcire expedit, duo eſſe medicamentorum genera hepaticorum, quorum altera nota, altera ignota nobis qualitate prodeſſe dicuntur. Prioris generis ſunt, tenuia, incidendi ab-C ſtergendique facultatem citra vehementem calorem, & præterea nonnullam vim adſtringendi poſſidentia. Incidendi facultate atq; abſtergendi, qualis in nitroſis & amaris reperitur, prædita eſſe oportet, ut vaſa, quæ ad hepar pertinent, farctu liberent. Non enim valere hoc viſcus aptè poteſt, vaſis ipſius quoquo modo obſtructis. Obſtruuntur autem facilimè & frequentiſſimè propter craſſos lentosque humores, qui quotidie ex ventriculo & inteſtinis per ipſa ad hepar deferuntur, & per ipſum vel in totum corpus diſtribuuntur, vel ad inteſtina & ventrem deponuntur. Calore moderato opus habent, ne intemperiem in viſcere excitent. Adſtrictione carere non D debent modica, ut viſcus corroborent, aut certè laxari prohibeant. Similia genere medicamenta ait Galenus, lien quoque poſtulat, ſed valentiora: propter craſſiora ipſius excrementa. Eadem proſunt aliis partibus ferè omnibus, quæ deterſione opus habent: ac vel propter ſitum, vel alias cauſas, facilè obſtruuntur Aliter tamen atque aliter miſcere ea oportet, pro cujusque partis conditione ac natura.

De talibus non ſcio an quiſquam, non rerum medicarum rudis, ambigat, quin alia hepati, alia ſpleni, alia aliis partibus, magis minuſque commodent. Galenus in 5 de ſimplic. facult. cap. 13. meritò Theſſalum hoc nomine reprehendit, quod medicamenta quædam hepatica, ſplenica, nephritica, eſſe negarit. Quæ hoc modo ſunt hepatica aut ſplenica, in præſentia non curabimus: ſed de illis ſolis, quę occulta virtute agunt, quatenus ita agunt, loquemur. Fieri namque poteſt, ut quædam utroq; modo agant, quod de cantharidib. à nonnullis proditum eſt. Abdita facultate peculiariter veſicam erodere affirmat Galenus. Eaſdem cuti impoſitas, vi cauſtica veſicas exci- A
tare notiſſimum eſt. Quatenus ergo iſto pacto agunt, non conſiderabimus hoc loco.

CAPUT XXVII.

Quot ſint differentiæ ſeu ſpecies pharmacorum abdita virtute agentium.

DE uſu generis hepaticorum poſterioris, quæ nimirum à totius ſubſtantiæ proprietate dicuntur, vix aliquid rectè dici poterit, B
priuſquam cognitum ſit, quod medicamentorum talium ſint genera ſive diſcrimina. Galenus in 6. de ſimplic. facultate libro, cap. de Abrotono, tria horum genera recenſet, Deleteria Alexiteria, & purgantia. Et quidem tot eſſe ſpecies, non plures, videntur, cùm à medicamentis cibos diſtinguimus. Totidem etiam recenſet, cap. 1. lib. 5. ejuſdem operis. Quod enim hoc in loco ἐπισπαστικὰ non diſtincta velit à purgantibus, cùm ex aliis plurimis, tum ex illis, quæ 17. cap. pòſt ab eo ſcripta ſunt, colligi poſſe videtur. Cæterùm quod cibos etiam ſive alimenta exiſtimaverit à tota ſubſtantia hoc habere, ut cibi & alimenta ſint, tam crebrò ab ipſo dictum eſt, ut ambigere ne- C
mo poſſit. Quamobrem ſub finem comment. in 6 Epidem. quatuor materiis omnia cõtineri ſcribit, quæ nobis occulta facultate vel obſunt vel proſunt. Proprietates namque, inquit ex tota ſubſtantia progenitæ aut congruentes noſtris corporibus aut alienæ. quatuor materiis continentur. Aut enim purgatoriæ medicinæ ſunt: aut alimenta: aut ad hæc tertiò ea, quæ hic malefica Hipp. appellavit: aut quartò ipſorum remedia. Ex quatuor enumeratis generibus tria nobis ſunt inimica, ſcilicet purgantia, malefica horum remedia. Maleficorum genus eſt duplex: & ſuum etiam cuique generi medicamentum habetur. Deleteriis, alexipharmaca, venenatis beſtiā- D
rum morſibus, Theriaca nominata remedia ſunt. Quanquam verò hæc, uti purgantia quoque, non recenſet inter malefica, aliena tamen adeoque mortifera, ſi largius paulò ſumantur, eſſe conſtat. Equidem Alexiteria, non quia adverſentur venenis, ſed quia his amica ſunt, juvare creduntur. Hinc eſt, quod Theriaca viperæ

carnes

carnes recipit: ut perſuaſum nonnullis eſſe video. Hinc Mithridates, teſte Gellio, ſanguinem Ponticarum anatum, quia venenatis rebus veſcerentur, Antidotis miſcuit. Galenus certè in 5. de Simp. fac. cap. 18. medio ſe modo habere alexiteria ſcribit, inter verè deleteria, & corpus noſtrum. Simul quoque rationem addit, cur talia eſſe oporteat. Etſi verò ibi non de omnibus, ſed de illis tantum, quæ vacuare deleteria & venena poſſunt, loqui cenſeri poteſt, in hoc tamen loco nihil facit diſcriminis, ſed omnia inimica & pernicioſa nobis eſſe aſſerit: quantumvis ſub certa quantitate quædam ex ipſis u-
A tilia nonnunquam eſſe fateatur. Et purgantia nominatim, non in hoc ſolum loco, ſed etiam in 2. com. de ratione vict. in morb. acutis in expoſ 12. niſi fallor, ſententiæ, inter malefica enumerat. Ergo ſi non niſi quatuor ſunt enumerata genera eorum, quæ corpori noſtro commodum vel incommodum per occultam nobis vim adferunt, certum eſt hepatica & ſplenica vocata ſub iſtis generibus comprehendi. Porrò cum iſtis nominibus ferè utilia medicamenta, non autem noxia, ſignificentur, ſub alimentis contineri ea neceſſe eſt. Hoc ſi ita habet, non eſt cur uſum eorum exponere pluribus cogitē. Ac de purgantibus quidem, quæ huc pertinere videntur, poſtea di-
B cam, cum ad tuas quæſtiones perventum erit.

CAPUT XXVIII.

De uſu medicamentorum maleficorum & Alexiteriorum.

DE tertio genere illud ſufficit monuiſſe, ſummo cavendum eſſe ſtudio, ne intra corpus ullo unquam tempore recipiantur: niſi perpuſillum eorum aliis multis medicamentis permiſceamus, ut ad affectum locum citius perducant cætera: illiſque robur aliquot ad-
C dant. Hac de re Gal. in 3. de Simp. fac. cap. 23. legere poteris. Quod ex his quædam utiliter externè corpori & ulceribus admoveantur, illud quoque admonitione minimè opus habet. De quarto etiam genere fruſtra dicere aliquid coner. Non enim uſurpamus, niſi maleficam in corpore materiam contineri cognoverimus: quam aut alterando impedire, aut vacuando tollere volumus. Cum ob alias cauſas talibus utimur, non ut alexipharmacis, ſed ut notis medicamentis, & nota qualitate agentibus utimur. Non enim neſcire aliquis poteſt, Theriacæ & aliorum ſimilium contra venena compoſitorum pharmacorum crebrum in aliis etiam morbis uſum eſſe. Sed
D quando, quomodo, quibus in morbis utilia ſint hoc modo uſurpata, cuncti norunt.

CAPUT XXIX.

Plura eſſe genera quàm quatuor virtute occulta agentium.

RESTAT ſecundum genus, Alimentorum ſcilicet, de quo tam multa

multa Galenus, & poſt hunc Græci, Arabes, Latini, Veteres, ac Recentiores, ſcripſerunt, ut, qui aliquid addere velit, meritò actũ agere credatur. Proinde ſi enumeratis quatuor materiis omnia continentur, quæ occulta potentia operantur, nihil, quod præterea de his dicam, habeo. At verò cum mecum ſtudioſè omnia examino & pondero, aliquid deſiderari adhuc mihi perſuadeo, Etenim hoc ipſum genus medicamentorum, quo de hoc loco agimus, non videtur ſub ante recitatis generibus comprehenſum. Quippe reperiuntur quædam, ut cum Galenus tum alii quidam ſtatuunt, (Quid hac in parte probem, ex reſponſione ad tuas quæſtiones intelligentur) A
quæ certis partibus earumq́ue morbis peculiariter commoda ſunt: nec tamen ſic ut alimenta uſum hunc præſtant. Non hic de illis loquor, quæ Phyſica vel περίαπτα (quia de collo vel alia corporis parte ſuſpenduntur) nuncupata ſunt: ſed de talibus, quæ inſtar aliorum affectis partibus admoventur: maximè verò quæ intra corpus ſumuntur. Prioribus nemo admodum confidere auſus eſt. Quid Galenus, cùm de lupino ſtercore diſſerit, ſcripſerit, non ignoro. Quantum aliâs talibus tribuendum judicarit, id quoque non neſcio. Ego pleraque ejus generis ad decorem ornatumq́ue, vel etiam ad fallendum rudes excogitata fuiſſe exiſtimo à doloſis. Horum poſtea B
multitudinem imperiti auxerunt, ac celebriora reddiderunt. Sed de hiſce poſtea aliquid dicetur. Quæ intra corpus ſumpta & admota etiam certis partibus peculiariter prodeſſe creduntur, non videntur, ut alimenta, prodeſſe omnia. Hujus generis ſunt, quæ ſecundum opinionem ferè omnium à ſubſtentia tota vel renum veſicæq́ue calculos comminuunt: vel Epilepſiam tollunt: vel colicis proſunt: vel alia talia efficiunt. Galenus certè exiſtimaſſe videtur inveniri medicamenta, quæ ignota quadam contrarietate certarum partium morbis à tota ſua natura adverſentur. Intelligi id ex eo poteſt, quod lib. 2. de compoſ. ſecundum locos cap. 2. de ſanguine paluſtris teſtu C
dinis loquens, ſcribit. πλὴν εἰ μὴ τοῦτο φησὶν, ὡς ἅπασαν ὀνίνησι κεφαλαλγίαν κατὰ πάντα καιρὸν. οὕτω γὰρ καὶ ἡμεῖς ἀντιπάθειαν αὐτῷ μαρτυρήσομεν, οὐκ ἐνέργειαν ἧς ἔχει κράσεως. Siquidem Archigenes hoc voluit, inquit Galenus, ſignificare ac dicere, cùm paluſtris ſanguinem teſtudinis dolori capitis mederi dixit, omnem ab eo capitis dolorem quovis tempore tolli aut mitigari, non verebimur nos quoque teſtari, per ἀντιπάθειαν ſive occultam quandam vim & proprietatem, non per notam ſeu temperamenti qualitatem, hoc ab eo effici. Quod ſi verò ita res non habebat, debebat Archi- D
genes diſtinctè magis docere in quo capitis dolore, & quo tempore hoc remedium uſui eſſe poſſet.

CAPUT XXX.

Ad quod genus hepatica, ſplenica, nephritica, &c. referenda ſint.

SI quis jam eſt, qui alimentis hæc ſubjicienda contendat, is me neque ſuffragatorem habebit, neque adverſarium. Facile namque ei aſſenſero: modò qua ratione aptè accommodare poſſit, intelligam. Sed ſuo loco plura. Si verò, qui à contrarietate Galeno
A dicuntur juvare, ſub deleteriis ea complecti quis malit, is triplex eorum genus, non duplex ſolum cum Galeno, conſtituat oportet. Unum venenoſarum beſtiarum morſus comprehendens Alterum deleteria continens. Tertium, quod ea, quæ contrarietate quadam certis partibus vel earum morbis plurimum proſit complectatur: ſua natura tamen pernicioſum non ſit. Commodius ſub qarto genere ponantur: ſi omnino ad aliquod ex dictis reduci oporteat. Quo facto triplex horum erit ſpecies conſtituenda. Vna eorum, quæ venenatarum beſtiarum morſibus medentur. Altera eorum, quæ deleteriis adverſantur. Poſtrema eorum, quæ abdita latenteque contrarietate certos morbos in peculiaribus corporis membris excita-
B tos, oppugnant. In præſenti loco, perſpicuitatis gratia, quæ hoc modo juvant, ab Alexiteriis atq; Alexipharmacis ſeparabo: & quem uſum in medendo habeant, breviter commemorabo. Ut autem planiora ſint omnia, paulò altius repetere nonnulla cogor: omiſſa Galeni partitione.

CAPUT XXXI.

C *Enumerantur ſpecies medicamentorum occultorum particularium: & quis eorum in curationibus uſus ſit indicatur.*

DUO ſunt, juxta proximè dictam ſententiam, genera eorum medicamentorũ quæ à totius naturæ proprietate in certas corporis partes præcipuè peculiariterq; agunt. Quædam enim nocent illis partibus, à quibus nomen mutuata ſunt. ut cantharides veſicæ, lepus marinus pulmonibus. Hæc ex deleteriorum genere eſſe ſupra monuimus Quare non eſt, ut plura de ipſis hic dicamus. Quædam verò iiſdem illis partibus proſunt: id quod bifariam accidit Aut enim quod in affecta parte, ut hepate, aut renibus, collectum eſt,
D expurgant: Aut inſitum ejus temperamentum caloremque fovent atque conſervant: & hoc ipſo alienam inimicamque temperiem oppugnant. In horum numero ea quoque ſunt, quæ alere partem jucundè poſſunt. Quæ expurgando juvant, nemo eſt, qui non tunc ſolum utilia exiſtimet, cum in affecta parte aut ei vicinis aliquid

continetur, quod educi oportet. Aliter vix illis utatur Medicus. Neque tamen hæc uſurpanda temerè ſunt antea, quàm totius corporis excrementa ſive copia ſit vacuata: quod ubique te intelligere jubeo. Non enim quæ hic dicuntur, univerſali methodo adverſari debent. Per purgantia hic non ea intelligo, quæ per excellentiam ita vocantur: ſed quæ occulta vi, quod in partem aliquam præter naturam collectum eſt, exturbant: quocunque id modo alio fiat. Si ad primum genus pertinere contendas, in promptu eſt reſponſio: ſcilicet eò referri poſſe, quatenus purgant. At quatenus certam corporis partem à naturæ ſuæ proprietate vel ſolam vel maximè purgant, ad propoſitum genus referri debent. Etenim purgantia propriè vocata, non purgare certas ſolum corporis partes, ſed æqualiter omnes (quod ad ipſa attinet) infra copioſius demonſtrabitur. Ad hoc genus, de quo in præſenti loco diſſerimus, ea quoque pertinent, quæ ſimili facultate calculos in renibus & veſica frangunt. Item quæ lienem incognita vi eliquare ſive conſumere dicuntur. A

Parte perpurgata, ſi qualitas quædam relicta eſt, quæ tolli per manifeſtas qualitates nequeat, (qualem in Comitiali morbo deprehendimus) aptiſſimè, quæ occulta vi eam tollere poſſe creduntur, adhibeantur. Hoc enim tempore imprimis commodant, quæ inſitam partis temperiem atque facultatem augere & conſervare: debilitatam confirmare: collapſam erigere ac fovere poſſunt. Quanquã non hoc tantùm tempore iſta ſint exhibenda, ſed omnibus temporibus offerenda, omnibusque medicamentis videantur permiſcenda. Semper enim, quicquid agatur, illis eſt opus, quæ inſitas vires conſervare ac inſtaurare poſſunt. Hiſce collapſis fruſtra omnia adhibentur. Deligenda quoque ſemper ea ſunt, modò fieri poſſit, quæ cum hoc, quod propter naturæ & ſubſtantiæ familiaritatem partis robur ſervare poſſunt, etiam qualitates morbo contrarias habent: aut certè tales, quæ lædere corpus nequeant: prodeſſe tantummomo queant. Idem hoc ſenſiſſe Galenus videtur, cùm lib. 8 de comp. med. ſecund. locos cap. 7. de uva paſſa hoc modo ſcribit. Et ultra hæc ſecundum totam ſubſtantiam viſceri ipſi familiaris eſt, & propria. Didicimus enim quod alimenta ſecundum totam ſuam ſubſtantiam, proprietatem ac familiaritatem habent ad ea, quæ aluntur: quod maximum eſt in hujusmodi affectionibus curandis, quæ juxta intemperiem fiunt. Optimè enim in ipſis faciunt, quæ unà cum hoc, quod intemperiem curant, etiam alere poſſunt. Et mox cap. 8 Videntur autem hæc juxta totam ſubſtantiam efficacia eſſe, non ſecundum unam aut alteram qualitatem. Quale eſt & lupinum hepar, cujus abundè experimentum habemus. Uſus autem ipſius conſimilis eſt cochleis. Teritur enim exactè hepar lupinum, & datur ʒ. 1. cum vino aliquo dulci: qualia ſunt Theræum, Creticum, & Scybelite, ac dulce protropum. Benigna enim hæc ſunt viſceri ipſum nutrire potentia: & media juxta calidi & frigidi oppoſitionẽ:

& ob id talia pharmaca omnibus temperamentis convenire videntur: ut quæ ex ſubſtantiæ proprietate commoditatem de ſe exhibent, & neque calidas neque frigidas temperaturas lædunt. Hos ex Gal. locos tranſcribere placuit, quod non modo ad inſtitutum præſens faciunt, verum etiam tum ad antedicta, tum ad dicenda utiles ſunt. Hoc genus medicamentorum, tunc quoq; uſurpabimus cum fructu, cùm pars aliqua parum probè officio fungitur: nec ullum ei tamen ineſt ſenſibile pathema. Quod quomodo contingat, non eſt hujus loci exponere. Poteris Galenum ea de re in 5. de Simpl. fac.
A cap. 19. conſulere. Iſta generatim hoc modo declaraviſſe ſatis ſit. Speciatim omnia perſequi nec poſſum nec debeo. Si quid deeſſe videbitur, poterit ex ſequentibus compenſari: ubi plura nobis adhuc explicanda reſtant.

CAPUT XXXII.

Reprehenſio eorum, qui in quovis morbo ſtatim ad occultas vires confugiunt.

B NON eſt difficile ex dictis intelligere, quàm præpoſterè, ne dicam imperitè, illi faciant, qui ſtatim in quibusvis morbis ad medicamenta occulta confugiunt. Non enim ſemper quibuslibet utendum eſt: tum etiam, cùm certo experimento cognitum habemus ea prodeſſe poſſe. Niſi ſuo tempore & modo exhibeantur, aut cum noxa, aut certè abſque fructu proponuntur. Scitè ſanè Galenus tales 10, de Simp. fac. lib. de Ciconiæ ſtercore, quod quidam orthopnœam perſanare dictitabant, loquens, his verbis reprehendit, Haud ſcientes, quod pituitoſus viſcoſusque ſuccus bronchia pulmonis obſtruens, hujus affectus (orthopnœæ) ſit cauſa: & quod in eo
C evacuando conſiſtat curatio: & quod evacuatur, dum per tuſſim exſcreatur: & quod id fieri nequeat abſque crebro epoto medicamento acriore. At hi adeo ſunt nugaces aut præſtigiatores, aut quo illos appellem nomine neſcio, ut dicant, abſurdorum poculorum iſtorũ unumquodq; epotum à diſpnœa liberare: quod fieri non poſſet, ne ſi vel ſpecillum fas eſſet alicui in pulmonem demittere, quo infixum humorem tolleret, ſemel duntaxat demiſſo. Quæ de orthopnœa Galenus hic dixit, in aliis omnibus morbis, quos humor aliquis excitavit, ſuaque in præſentia fovet, locum habent. Fruſtra talibus remedia, quacunque tandem poteſtate prædita ipſa cogites, admo-
D veas, ſi non vacuare humorem eum poſſint. De Comitiali morbo tam multa circumferuntur & prædicantur talia pharmaca, quot de morbo alio nullo. Sed quantum illis confidendum ſit, dum vitioſo ſucco cerebrum oppletum eſt, ex modo citatis Galeni verbis facilè perſpicitur.

Caput XXXIII.

De occultis Comitialium remediis nonnulla.

Quanquam non neſcio omnia propemodum, quæ pro hujus morbi curatione commendata ſunt, non tam abdita vi, quam manifeſta qualitate aliquando profuiſſe. Quotusquisque eſt, qui non perſuaſum habeat, humani pulverem cranii comitialem morbum perſanare? At Galenus lib 11 de Simpl. fac. cap. de oſſibus, digerenti exſiccantique virtuti adſcribit: multorum tum Epilepſiam tum arthritin oſſa combuſta percuraſſe aſſerens: nec oſſa cranii oſſibus aliis præferens. Multa ſua ætate falſa Galenus comperit, quæ celebrabantur ab aliis. Quod qui non credit, libris de Simp. fac. aut non perlegit, aut parum attentè, quid in illis ſcriberetur, obſervavit. Exemplum in hoc ipſo, quem paulò antè citavi, loco, de Ciconiarũ ſtercore habetur: quod falsò ait commendatum, ac ſi Comitialibus mederetur. Plura poſterioribus temporibus Medici fruſtra experti ſunt. Plurima nihil eorum præſtare, quæ ipſis attribuerunt ex veteribus etiam nonnulli, quotidiè cum dolore noſtro cernimus. Si quid utilitatem attulit, non niſi incidendo & exſiccando humiditatem redundantem in cerebro juvit. Sic enim Galenus diſertè ſcribit in 10. de ſimplic. med. facult. cap. de ſanguine veſpertilionis, cùm agninum malè commendatum aſſerit, tanquam utilem Comitialibus. Quæcunque, inquit, utilia Epilepticis ſunt, facultatem habent incidendi. Si poſteriorum ætatum experientia verum compeririſſet, quod de Pæoniæ radice Galenus ſcripſit, merito magni æſtimanda foret. At nullus eorum, qui periculum ejus fecerunt, multum de tanta hujus radicis vi & potentia gloriatur Ego ſanè præter adultos puerulos omnis ferè ætatis curari partim vidi, partim curari ipſe aggreſſus ſum, nec improſpero, Deo laus ſit, ſucceſſu: quibus nihil de collo ſuſpenſum fuit. Iuſſi aliquibus recentes eaſque veras & legitimas collo appendi, ubi prius humores per alvum perque urinas expurgaſſem, & capitis inunctionibus uſus fuiſſem: ſed nec citius nec melius aliis liberati ſunt. In adultis, niſi per conſenſum partis alicujus laborarent, fruſtra omnia appendimus: quæ virtute naturali citra ſuperſtitionem juvare credebantur. Poſt corporis totius primum, deinde capitis quoque exquiſitam vacuationem, mitior plerunque factus eſt morbus Prorſus in ea ſum ſententia, ſi peculiari quapiam vi proſit radix hæc Comitialibus, perparum prodeſſe: nec niſi vacuato corpore vim ſuam exerere poſſe. Si non aliter, quam Galenus credidiſſe videtur, juvet, minus ei ſit confidendum, dum de collo ſuſpenſa hæret.

Caput

CAPUT XXXIV.

Cur quidam tantopere abominentur feles.

HÆc omnia ob eam cauſam à me dicuntur, ne, quod aliquos facere memini indoctos Medicos; ſtatim ab occulta vi profectum ſtatuas, cujus non ipſe mox cauſam perſpicis. Sunt quàm plurima, quæ aliis aperta & plana videntur, mihi autem obſcura & incomprehenſibilia judicantur. Cur quidam à catis ſeu
A felibus tantoperè abhorreant, ut ad eorum præſentiam animo linquantur, non facilè dixerim, Dicam quid mihi acciderit. Novi Principem fœminam omni virtutem genere ornatiſſimam Heroinam, quæ valdè ab iſto animali terretur: quantumvis cordata mulier aliâs ſit. Cauſam iſtius terroris referebat ipſa aliquando in caſum matris hunc, quem narrare hic volo. Matrem ajebat, dum ab ea in utero geſtaretur, ab hoc animali quodam die ita fuiſſe exterritam, ut animo linqui cæpiſſet: ac ab eo metu ſeu pavore ægrè admodum, nec niſi poſt multos dies recolligere ſe potuiſſet. Tametſi enim non expaveſceret aliâs ad conſpectum felium, ſed ferre eos
B potuiſſet, nihilominus cum repentè quidam de alto loco propè ipſam decidiſſet, ita, ut dixi, præteritam fuiſſe dicebat. Hinc illa eveniſſe ratiocinabatur, quod ferre eos ipſa nunquam potuiſſet. Ita quæ mihi inperceptibilis viſa eſt cauſa, hanc ſe ſcire arbitrabatur Heroina, de qua dixi. Profectò non minus probabile eſt, ab ejuſmodi pavida cogitatione ſpiritus ac temperamentum fœtus, certo modo immutari poſſe, quàm poteſt appetibilis ſive plurimum expetitæ rei imaginatio, ſpeciē rei vehementius deſideratæ tenello adhuc infantis corpori imprimere. At hoc frequenter fieri cernimus. Mirum itaque non ſit, ſi & illud aliquando fiat. Rarius accidit, quia
C cauſæ, quæ hoc poſſunt efficere, non tam crebro accidunt, atque gravidæ vehementius aliquid appetunt. Cæterùm licet pavor iſte animi potius quam corporis affectio exiſtimandus ſit, ideoque à matris imaginatione in animum fœtus nequaquam imprimi potuiſſe videatur, non tamen ita res prorſus habet. Poteſt tamen temperamenti immutatio talis accidere, propter quam occulta quædam diſſenſio exoriatur. Quin etiam ſæpenumero audimus matres certorum affectuum morborumque in pueris cauſas in pavorem aut affectum aliquem referre, quo, dum eos in utero habuerunt, correptas ſe fuiſſe dicunt. Nec ſemper falluntur, dum iſta narrant: id
D quod nemo inficias ibit, puto. Non infrequenter illud etiam videmus, non modo liberos ab eiſdem parentibus ortos propter temperamenti ſimilitudinem ſimilibus ferè moribus & ſtudiis deditos eſſe, verum etiam in totis familiis compluribus annis familiaria quædam vitia, virtuteſque peculiares ſervari. Cur quidam à vino, à caſeo, cæpis, vel aliis quibuſdam cibis & potibus abhorreant ſta-

tim ab ineunte ætate, non omnibus fortaſſe incognitum ſit, ſi inveſtigare tentent. Non omninò aberraſſe illi videntur, qui in picam gravidarum, & vitioſorum humorum in ventriculo & aliis in locis acervatorum qualitatem referre ſtuduerunt. Sanè multum poteſt vehemens nauſca alicujus cibi per illud tempus à malis humoribus procreata Ab hac & ſimilibus aliis cauſis multa fortaſſe proficiſcuntur, non prorſus imperſcrutabilia. Quis non ſummè admiretur, ſi mulieris aut capræ lac audiat purgatorium evaſiſſe? Idem ſi purgantia medicamenta ab eadem depaſta audiat, admirari deſinet. Quid igitur miri ſit, ſi certo alimento nutriatur infans in utero, vel propter pravum matris ſanguinem, vel præpoſteram ejuſdem victus rationem, vel alias cauſas tales, propter quas poſtea certos cibos abominetur bonos, aut appetat malos? Profectò non quicquid imperitis & rudibus, aut etiam doctis, ignotum eſt, occultum omnibus judicari debet Anniti bonus Medicus debet, ut quantum cujusque conditio patitur, ſupra vulgares aliquid norit ac intelligat, ſicut in principio ex Galeno monuimus: quo certiore methodo ac meliore conſcientia in artis operibus verſetur. At nihilominus, inquies, abdita & incognita nobis eſt talium cauſa. Eſto enim oderit aliquis ob id felem, quod ejus mater, dum in utero geſtaretur ipſe, vehementius ab hoc animali conterrita fuit. An propterea ego cauſam hujus odii rectè intelligo? Num ob id ſcio, quomodo terror ingeneret in infante talem qualitatem? Gravidas ſcimus territas ſignare ſuos fœtus: at quomodo fiat neſcimus tamen. Si maximè verum eſſe nobis conſtaret, nauſeam ab humore certa corruptionis ſpecie imbuto procreatam odium vel caſei vel alius rei generare in prole. quid amplius aliis ſciremus? Quantiſper incomperta nobis manet corruptionis ſpecies, nihil fermè eſt, quod ſcimus. Et hac etiam cognita ignotus nihilominus permanet modus, quo propter ejuſmodi corruptionem nauſeans mulier odium ejus rei, cujus illa qualitatem aut odorem refert, fœtui imprimit Quare occultas tunc etiam cauſas habere jure optimo dicerentur, ſi quàm maximè exploratum haberemus recitatas à te cauſas aliquid ad harum Proprietatum generationem conferre. Quanquam ita fermè res habet, ut jam dictum eſt, ac veras proximasque cauſas talium affectionum neſciamus, plus tamen aliis novimus: propriusque ad rei fontem penetravimus Cùm aliquem morbum pronatum ſcimus vitio hepatis, (exempli cauſa) calidioris & ſiccioris, licet exactum ejus intemperiei gradum concipere animo non poſſimus, non tamen prorſus cauſam mali nos latere putamus. Si cauſam proximam ignoramus, ſaltem propinquā cernimus. Et ubi modum generationis videre non poſſumus, cauſam tamen generationis perſpicimus: ut effectus illius cauſa occulta quidem cenſeri poſſit, planè ignota dici non poſſit. Sed hæc extra propoſitum conſecutionis gratia dicta nobis putato. Huc uſque occultas proprietates in compluribus rebus, ut ne dicam in omnibus

omnibus inveniri probavi: & præterea quale quid ſint declaravi: ſpecies quoque earum perſpicuè diſtinxi: ac demum quis earum uſus ſit in curationibus expoſui. Obiter etiam, & quaſi per tranſennam, perverſam quorundam in iſtis rationem, indicavi. Jam rès & cauſa flagitant, ut ad tuas quæſtiones tibi reſpondeam.

CAPUT XXXV.

A *Reſponſio ad primam quæſtionem.*

AD primam tuam quæſtionem facilis videtur eſſe reſponſio. Etenim ſi verum eſt, quædam medicamenta eſſe, quæ certis partibus peculiariter, imò ſolis, obſint, nihil prohibebit, arbitror, quin alia reperiantur, quæ certis partibus præcipuè àc ſolis conveniant & proſint. Equidem Galenus inveniri medicamenta putavit, quæ certis partibus præcipue ac ſolis obeſſent, ut ex primo cap. libri primi de compoſit. medicamenta, κτ̀ γένη, cognoſci poteſt. Hoc in loco, poſtquam oſtendit, quomodo riſerint quidam Medicos affir-
B mantes alia hepati medicament. alia ſpleni, alia aliis partibus præcipuè auxiliari, ità ſcribit. τοῦτό γε τὸ σκέμμα δηλοῖ, τοὺς ταῦτα λέγοντας εἰς τοσοῦτον ἀπείρους εἶναι τῶν φαρμάκων δυνάμεως, ὡς ἀγνοεῖν, ὑπὸ μὲν τῆς θαλαττίου λαγωοῦ, μόνην, τῶν πάντων ἐν τῷ σώματι μορίων, ἑλκόμενον πνεύμονα: κύστιν δ' αὐμένην ὑπὸ τῶν κανθαρίδων: ὑπ' ἄλλων δὲ τοὺς ἐν νεφροῖς λίθους θρυπτομένους, ὑφ' ἑτέρων δὲ τὰς ἐκ πνεύμονός τε καὶ θώρακος ἀναπτύσεις εὐπετεῖς γιγνομένας, ὥσπερ ὑπ' ἄλλων ἄλλα, καθ' ἕν τι μόριον ἐξαιρέτως ἐπιτελούμενα. Idem ferè invenies ad Piſonem cap. 4. Ex citatis teſtimoniis liquet, Galenum utrunque verum judicare. Primum quædam certis partibus ſolis
C inimica & pernicioſa eſſe affirmat Ex eo deinde probat alia quædam aliis partibus ſingulariter prodeſſe. Non eſt opus, puto, aliorum de hac re opinionem proferre. Quoniam pars maxima, nulla inquiſitione facta, aſſenſit huic ſententiæ Galeni: ut de ejus veritate perpauci, quòd quidem ſciam, dubitarint. Quinimò reperti ſunt, qui plura etiam adjecerint, ſcilicet cantharides in manu detentas ſanguinis mictum efficere. Mirum eſt pleroſque hoc ipſum crediddiſſe, cùm abſque inſigni aliquo periculo quotidiè experiri poſſent, quàm ſit à veritate alienum. Audivi etiam qui acriter defendere, ut verum, auderent: propterea quod aliquando legiſſent, nonnullos à
D purgantibus medicamentis fuiſſe purgatos, quæ in manibus ſolum geſtaſſent. At longè eſt alia hujus rei cauſa: nec ita urinæ citantur, ſicut alvus commovetur: ut poſtea ſuo loco dicam.

Caput XXXVI.

Refellitur Galeni nuper citata ſententia.

Sane cum, quæ hic à Galeno dicuntur mecum conſidero diligentius, facere non poſſum, quin de veritate eorum addubitem. Nam ſi, quid alii authores cùm de lepore marino, tum de cantharidibus, ſcriptum reliquerint, intueor, non magis pulmones ac veſicam illis hauſtis offendi erodique video, quàm omnes alias corporis partes ad quas pertingunt. De qua re valdè velim legas tum Plinium, tum Dioſcoridem, tum Nicandrum, tum ex Recentioribus etiam Actuarium in quinto libro Methodi ſuæ: & ſi quis præterea de hiſce ex antiquis ſcripſit. Referam hoc loco, quæ Ant. Muſa Bruſavol in expoſit. Aphoriſ. 17. lib. 2. ſcripſit. Vincentius Grema, inquit, nuncupatus, inſignis Chirurgus, medicamentum bibit, cujus pulveres in mortario pinſi fuerant: in quo prius Cantharides in pulverem redegerant. Hic vir ab ore uſque ad anum excoriatus eſt: & miram veſicæ excoriationem habuit. Decem & octo menſibus ſanitati reſtitutus eſt. An ſolam veſicam hic habuit offenſam? Non puto. Manifeſtè conſtat Galeni verba non conſonare cum perpetua omnium ſeculorum experientia. In cæteris medicamentis, quæ non lædunt, ſed juvant, minor eſt fortaſſe difficultas. Satis namque apparet in 5. de ſimpl. facult. cap. 13. & præcedentibus, quænam hepatica, ſplenica, nephritica, pus & humores ex thorace educentia medicamenta appellarit. Non opus hic nobis eſt occulta virtute, cùm ratio omnium reddi aptiſſimè queat. Sed hac de re ſupra quoque aliquid dixi: jam aliud eſt perquirendum, ſcilicet an dentur medicamenta, quæ occulta poteſtate uni tantum parti ſint aut ſalutaria aut pernicioſa.

A B C

Caput XXXVII.

An pharmaca inveniantur vi occulta certis ſolum partibus vel amica vel inimica.

Medicamenta quæ certæ alicui parti aut prodeſſe aut nocere dicuntur, vel ei ſolum nocent aut proſunt, vel aliis ſimul omnibus. Et quæ omnibus nocent aut proſunt, ea vel omnibus æqualiter ſive proſunt ſive nocent, vel aliis magis, aliis vero minus. Ad quod medicamenta, quæ à certis partibus denominationem adepta ſunt, non ſolis illis partibus, à quibus nomina ſortita ſunt, vel noceant vel proſint, primum Galeni teſtimonio oſtendi: deinde ratione quoque corroborare poſſe videor. Et enim Gal id in 5. lib. de ſimplicib. fac. cap. 24. diſertè teſtificatur. Quinetiam pollicetur in meth. Theraph. oſtendere cauſas, cur alia aliis partibus magis D

minusq;

minusque commoda incommodave ſint. Porrò frequentiſſimè in methodo aſſeverat, ſe ea tantum tractare ibidem conſtituiſſe, quę ratione inventa ſunt, omiſſis illis, quæ per ſolam reperta ſunt experientiam. Quare videri poteſt crediddiſſe, ſe talium cauſam reddere aliquã probabilem potuiſſe. Si locum inſpexeris attenteque obſervaveris ſingula, non me falſum eſſe affirmabis. Quamvis enim hic illorum nullam facit mentionem, quæ propter abditam facultatẽ talia ſint, ita nihilominus loquitur, ut talia nulla putaviſſe reperiri videatur. Quinetiam in 4. lib ejuſdem operis cap 19. viſus eſt rationem aliquo
A pacto attingere voluiſſe, cur lepus marinus ſolus pulmones, cantharides autem præ cæteris partibus veſicam exulcerent: quod in loco ex 1. lib. de comp. med. ſecundum genera ſupra à nobis citato affirmavit. Vnde ſuſpicari cogor, eum crediddiſſe talia quoque non ſine nota cauſa, ut ſuperiora, in certas partes magis agere poſſe. Sed verũ non eſſe, quod jam iterum nominata ſcilicet medicamenta ſolis prędictis partibus, aut his præcipuè latente poteſtate noceant ex Dioſcoride aliiſque authoribus perſpici poteſt. Sanè quia videmus quotidie cantharides externæ cuti & parti cuilibet corporis admotas, eandem vi ſua cauſtica erodere & exulcerare, minus nobis erit difficile fidem
B adhibere Dioſcoridi, qui neminem vidimus hæc mendicamenta haurientem. Nihil certè dubito, ſi occaſio ferat, ut aliquid horum videas, quin noſtræ potius ſententiæ ſis adhæſurus, quàm in Galeni opinione permanſurus. Ergo ſatis liquet, enumerata medicamenta non uni ſoli parti aut commoda aut noxia, ſed omnibus ex æquo vel utilia vel pernicioſa exſiſtere. Quod ſi unam aliquam partem magis offendere videntur, id fit ideo quia ea injuriæ magis eſt obnoxia: vel quia medicamentum non eſt integrè ad actum ſuum perductũ, niſi poſtquam illò pervenit. Tale quid videtur Galenus in loco paulò ante ex lib. 4 de ſimplic. med. fac. cap. 19. citato indicare voluiſſe.
C Ac de his quidem medicamentis, ubi & authoritas & ſenſus pro nobis ſtant, fruſtra diſputemus verboſius Quare ad generalem rationẽ deducenda iterum erit oratio exemplo horum ſervato.

CAPUT XXXVIII.

Nullum pharmacum occulta vi, qua actu in eo inſit, in unam partem ſolam, aliis prateritis agit.

D MEDICAMENTA quæcunque latente & cæca poteſtate certas duntaxat corporis partes lædere aut juvare dicuntur, vel habent actu eam vim in ſeſe, vel potentia ſolùm. Quod ſi actu hujuſmodi eſſe putentur, in objectum obvium quodvis pro ſua vi naturaque agent. Etenim quæ natura agunt, nec impeditam habent ab externa re aliqua actionem, ea ſemper agunt, quantum omninò poſſunt: non jam agunt, mox agere deſinunt, eorum more, qua ratione

agunt. Eadem in omnia agunt, quantum poſſunt ad quæ virtute ſua pertingunt. Non enim diſcernunt objecta, ut in alia agant, aliis parcant. Quanquam verum hoc eſt, ea in propinqua ſemper objecta pri atq; etiã efficacius agere quàm in remotiora: licet interim non hæc quidem prætereant, illa verò aggrediantur, inſtar hominum ratione duce agentium. Sicut ignis nulli rei parcit, ſed in res cunctas, quas attingit ex æquo invadit, omneſq; ſimiliter quantum in ipſo eſt, ſibi aſſimilare nititur: ita res aliæ naturales quoque faciunt. Quod ſi à talibus aliæ partes magis offenduntur aut juventur cæteris, non ob eam cauſam evenire putandum eſt, quod in has ſolum partes talia agant: ſed quia iſtæ, quam aliæ, magis mutari aptæ fuerint. Hinc Philoſophorum illud indubitatæ veritatis axioma natum eſt: quod actionem agentis cauſæ recipiat, id eam non pro agentis natura, ſed pro ſua propria recipere. Hac etiam ratione, nonnulla alia, idem calor eodem tempore alia indurat, alia liquefacit: quædam hoc modo, alia quædam aliter afficit: prout paſſurum cum eo, quod acturum eſt, convenit. Nam ut agens agat, atque patiens ab agente patiatur, convenientiam inter ipſa certam oportet eſſe: perquam illud certo modo agere, hoc autem certo modo pati queat. Quamobrem ſi medicamentum aliquod actu vires ſuas obtinens, in ventrem devoratũ ſit, & ex eo per inteſtina venaſq; portæ ad hepar, & ab hoc in venas diſtributum cogitetur, ut nullas in hac via partes læſiſſe affirmetur, ex eo accidiſſe putandum erit, quod partes, per quas pertranſivit, lædi ab ipſo non potuerint. Ergo ſi Cantarides, ut in exemplo maneamus, erodendi potentiam ſeu facultatem actu poſſident, ac neque ventriculum, neq; inteſtina & hepar, neq; ullas poſt ipſum partes uſque ad veſicam erodunt, certum eſt ex ſupradictis id ideo fieri, quia enumeratæ jam partes ab ipſis pati nequeant: non autem, quia nihil in ipſis egerint. Etenim quæ natura, non intellectu, agunt, ea ſemper & in obvium quodvis ſubjectum agunt ſine omni delectu. Si non eundem ſuæ actionis effectum ubiq; poſt ſe relinquunt, in cauſa fuit, quod non eodem modo pati omnes potuerunt. Quæ omnia in hunc finem tam multis dicuntur, ut apertè liqueat, non in agente, ſed in paſſo actionis ſive effectuum diverſitatem quærendam eſſe. At verò vix poteſt vero conſentaneum judicari, tantum inter unius corporis partes quæ unica omnes anima ſeu forma informatæ ſunt, diſcrimen inveniri, ut quod uni ſit lethale & perniciosum, id cæteras offendere nihil poſſit. Si verè Galenus alicubi affirmavit, medicamenta, quæ à tota ſubſtantia corpori aut parti hujus alicui familiaria ſunt, omnibus temperaturis convenire, dubitare nullus poterit, quin magis omnibus unius corporis partibus conveniant, quàm uni diverſorum ſpecie corporum parti. Quod dico eſt hujuſmodi. Si pharmacum hepati amicum & familiare, convenit omnium hominum hepatibus, quomodocunque temperamenta ſint, multò magis conveniet etiam ventriculo & cæteris in uno & eodem corpore partibus.

tibus. Vix eni mihi perſuadeo, tantum differre temperaturam ventriculi à temperatura hepatis in uno & eodem homine, quantum in diverſis hominibus differunt jecorum temperaturæ: niſi omninò inæqualiter temperatum ſit corpus. Adde quod idem Galenus fatetur, omniſque experientia comprobat, videlicet medicamenta hepatica, ſplenica, bechica, diuretica, &c non in illas duntaxat partes, à quibus denominata ſunt, ſed in reliquas omnes omninò, quas attingunt, agere. Quod autem in alias magis, in alias verò minus agere cernuntur, aliam rationem fortaſſe habet, de qua dictum jam aliquid
A eſt: & mox iterum dicendum aliquid erit.

CAPUT XXXIX.

Diſſolvitur objectio, quæ adverſus modo dicta adduci poſſet.

VERUM, dicat aliquis, iſta non cogunt aliter ſentientes cedere. Nam & Magnetis virtutem, quam occultam eſſe nullus ambi-
B git, concedimus & paleas, & plumbum, & res alias in eadem cum ferro propinquitate poſitas, virtute ſua attingere: ipſum tamen non hæc, ſed ferrum ſolum trahere dicimus. Eodem modo Galenum ſenſiſſe putandum eſt, cum Cantharides ſoli veſicæ nocere aſſeruit. Quin pro viribus ſuis in omnes partes, quas attingunt, agere conentur, nunquam dubitaviſſe videtur. Hoc ergo ſenſit, reliquas partes non eſſe aptas ab eis pati: quemadmodum neque paleæ & plumæ: neque plumbum & argentum, &c. idonea ſunt, ut à tractrice Magnetis potentia commoveantur. Ad hanc objectionem jam antea reſpondi, cum dixi, corporis partes omnes ab una eademq; anima ſive
C ſubſtantiali forma informari. Quod ſi eadem eſſet ſpecie forma palearum, plumarum, cupri, plumbi, argenti, &c. cum forma ferri, ab eadem potentia, à qua hoc trahitur, illa traherentur. Cæterùm formæ illorum non ſpecie ſolum, verum etiam genere differunt: cùm corporis membrorum & ſpecie & numero forma ſit eadem & una. Quare quod pharmacum inſigniter unam aliquam mutat, etiam alias vel ex parte aliqua mutare poterit.

CAPUT XL.

D

Pharmaca actum à nobis accipientia non agunt in partem unam ſolam.

QUOD ſi autem non actu, ſed potentia ſolum talia ſint, hoc eſt, ſi pro inſita ſibi facultate (ſive amica ſive inimica ponatur,) operari ante nequeant, quàm à corporis noſtri calore actū receperint, eadem propè ratio erit. Nam confiteri prorſus oportet, ea in ventre ſtatim,

ſtatim, (ut cætera quoque pharmaca omnia) ad actum deduci. Quare & in ipſum ventrem & in alias quoque partes ſimiliter agent. Ac ſi tum demum ad actum perducta imagineris, cùm expellenda mox ſunt, inteſtinis ſaltem, meſenterio, hepati, & vicinis partibus adhæreſcentia proderunt oberuntve pro ſuæ naturæ modo. Si de cantharidibus, quas pro exemplo poſui, privatim ſermo ſit, certum eſt, brevi admodum tempore actum has in ventre accipere. Nam cuti impoſitæ, haud multas poſt horas erodere incipiunt. Equidem non probabile modo, ſed planè verum indubitatumque eſt, omnes ex æquo partes à cantharidibus corrodi exedique. Diſcrimen ſi quod eſt, in eo ferè videtur conſiſtere, quod aliæ ſunt compactiores ac duriores, ideoque minus injuriæ obnoxiæ: non quia ad unam magis partem medicamentum pervadat, quàm ad aliam. Non enim ſua ſponte ullum medicamentum ad partem aliquam præcipuè contendere videtur, ut eam lædat. Quin nec attrahi noxia à partibus per ſe conſtat. Appeterent enim ſuum ipſarum interitum: quod perquam abſurdè dicatur. Omnes partes, amici & familiaris ſucci attrahendi facultatem potius à Deo acceperunt, quàm noxiorum deſiderium. Hoc certum eſt, repellendi virtutem partes omnes obtinuiſſe, qua noxia & pernicioſa atque adeo moleſta depellant: non ut ad ſe talia attrahant. Itaque non aut vadunt cantharides ad veſicam, quaſi familiaritas ipſis cum ea ſit aliqua: nec ab eadem attrahuntur, ut à quibus ipſi pernicies impendeat. Nihil ergo reliquum eſſe video, quàm ut non ſua ſponte eo properare declarem. Quod de his dico, de omnibus intelligi debet talibus pharmacis. Non enim video, quomodo non ratio aptari univerſis poſſit ac debeat. Quæ principium motus in ſe ipſis habent tale, ut mutare locum poſſint, ea fortaſſe conſpecto hoſte ad eum feſtinent, cùm ſe ſuperiores fore videant. At in quibus tale principium non ineſt, de illis hoc non rectè credatur. Certum verò eſt, mortuas cantharides, ne plantæ quidem vitam in ſe continere. Præterea cum in ventriculo attritæ comminutæq; ſunt, & quaſi in pulverem quendam redactæ, vix alias vires poteſtatesque retinent, quàm eas, quas ab Elementis acceperunt. Quare admodum probabile eſt, ipſas ad veſicam ſua ſponte non magis tendere, quàm ad partem quamlibet aliam. Notum quoque eſt, motum omnem fieri propter indigentiam. Nihil enim ad aliud accedit, niſi aliquid ibi ſentiat eſſe, quo ipſum indiget. Qua verò re egeant Cantharides quã in veſica requirant, vix, imò ne vix quidem, fingi poteſt. Sed hoc ut manifeſtum relinquamus: & illud conſideremus, quo pacto & cur hauſtę vel caſu quodam vel conſilio cantharides, tam citò ad veſicam perferantur? Quid ſentiam, facilè dixero: quid certum verumque ſit, non æquè facilè pronunciavero. Utut autem res habeat, certus ſum, nullo ex prædictis modo contingere.

CAPUT

CAPUT XLI.

Modus explicatur, quo Cantharides tam velociter ad veſicam perferuntur.

ERGO ſic potius evenire ſentio, ut propter tenuitatem aliquid ex inteſtinis in hepar transgreſſum, eiq; erodendo moleſtiam adferens expellatur tanquam noxium: atque ſiccum ſero celeriter ad veſicam perveniat, cui adhæreſcens ulcus antè creet, quàm inde exturbetur. Vix enim, imò ne vix quidem, credat aliquis, medica-
A menta tum primum actum accipere, cùm hepar prætergreſſa, vel ad renes vel pulmones devenerint, quod tamen Galenus lib. 4. cap. 19. de Simp. facult. exiſtimaſſe videtur. Niſi fortaſſe illud ſenſerit, in vẽtre & hepate pluribus aliis humoribus permiſta vim ſuam exerere nondum poſſe. At ubi ſecreta jam quodammodo ſint, & partibus adhæreſcere ſola incipiant, tum demum etiam præcipuè ipſa nocere. Profectò non eſt obſcurum, talia promptius lædere, cùm aquoſæ ſubſtantię duntaxat permiſta ſunt, quàm ſi cum craſſioribus humoribus confuſa ſint. Nam in urina facilè ſegregata ſubſident, faciliusB que penetrant & adhærent. Niſi, inquam, tale quid ſenſiſſe putetur, vix video, quomodo vera ipſius ſententia eſſe queat. Etenim in ventriculo primum fit ingeſtorum diſſolutio: ut terrena in inteſtinis diſcreta maneant: &, quod ſuccum habet utilem, ſolum ad hepar penetret. Non tamen hoc ſentio, non admiſceri huic etiam ſemper aliquid mali: id quod ſi nihil aliud, excrementorum in hepate generatio perſpicuè probat. Quod inimicum & inutile eſt, mox in hepate ſeparatum à bono excernitur vel per urinas, vel per ſudores: vel ad inteſtina, ſplenem, & fellis veſicam: vel retrocedit: vel retrahitur. Hac de cauſa non utile tantum ad hepar pertingere dixi, ſed illud ſo-
C lum, quod utilem in ſe ſuccum habeat. Nam quod nihil tale continet, ne attrahitur quidem. Ex enumeratis patet, valdè incertum eſſe, quod de talibus pharmacis dicitur. Nam ſive actu, ſive potentia talia exiſtant, intelligi nequit, quomodo certæ alicui parti ſolum vel noceant vel proſint. Non enim aut ſponte ad eas tranſeunt magis, quàm ad alias, propter occultam poteſtatem: præſertim cùm vim obtinent nocendi: nec attrahuntur ab eis. Providit enim natura maximè rebus univerſis hac in parte, ut noxia ſibi caverent. Et ſi quę talis in medicamento integro facultas ineſt, eam in diſſolutione & corruptione ſua in ventriculo perire neceſſe eſt. Quanquam in ve-
D nenis & maleficis res videatur aliter habere. Cor enim pleraque petere putantur: ipſumque præcipuè affligere. Attamen non ita fortaſſe eſt. Sed damnum quod cæteris partibus inferunt, minus præſentitur: atque tunc ſolum manifeſtè percipitur, cùm ſpiritus cordis injuriæ magis opportunos corrumpunt. In præſentia de his non admodum loquimur, ſed de illo tantum genere ſermo nobis maximè eſt, quod

quod extra quatuor à Galeno commemorata genera ſupra ponebamus: & quod inter ea, quæ ſumuntur, connumerari poſſit. Quod ſi benigna quædam ſua natura cum una aliqua parte magis conveniunt, quàm cum aliis, id à temperamento ferè à qualitatibus materiæ obtinent. Certũ eſt, ex aliis cibis carnes ex aliis nervos & oſſa, ex aliis alias partes felicius nutriri. Omnes tamen omnibus partibus convenire aliquo modo oportere non minus conſtat. Ita penè res in aliis, medicamentis ſcilicet appellatis, quoque habet. Nam cũ pars quælibet corporis cum cæteris omnibus familiaritatem habeat evidentem, neceſſe eſt, quod uni eſt familiare, cæteris non ſit inimicũ: A
& quod uni inimicum perniciosumque eſt, cæteris non ſit ſalutare.

CAPUT XLII.

Pharmaca noxia non ducuntur à facultate corpus regente ad partes injuria obnoxias.

QUOD aliqui hoc loco dici poſſe judicarunt, videlicet medicamenta hujusmodi nec ſua ſponte ire ad partes certas, nec à partibus illis attrhi, ſed à facultate corpus regente illò propelli, mihi nequaquam veriſimile videtur. In cauſa eſt hoc primum, quod hæc facultas de corporis ſalute ſolicita, ut ſic loquar, hoc potius aget, ut ne ad locum ſeu partem pati habilem perveniant pharmaca pernicioſa: ſed circa eas partes diſſolvantur, quibus nocere non poſſunt. Aliter ſi faceret, non provideret ſaluti corporis, ſed interitum ei procuraret. Deinde quod aliæ corporis partes nihil à ſe repellunt, & ad vicinas partes protrudunt: niſi quod moleſtiam ipſis aliquam exhibet. Et cum noxia medicamenta ea copia non exhibeantur unquã, aut certè rariſſimè, ut ſola quantitate moleſta fieri credive queant, C conſectarium eſt, qualitate ſua moleſtiam adferre. Id ſi verum eſt, ut revera eſt, omnibus partibus ex æquo ſunt pernicioſa, quantum in ipſis eſt. Quòd ſi aliis plus adferunt incommodi, quàm aliis quibusdam, inde evenire neceſſe eſt, vel quòd minus his adhæreſcant, quàm illis: vel quòd hæ minus oportunæ ſint injuriæ, quàm illæ. Agunt ergo tum utilia tum noxia medicamenta in unam partem plus, quàm in reliquas, non quia potentia quadam abdita magis ei inimica aut amica ſint: ſed quia vel diutius ipſis adhærent, vel minus reſiſtere quædam poſſunt: vel quia ſinceriora cum ad ipſam perveniũt facta ſunt, quàm cum aliis adhæreſcerent. Sic multa ventriculo non D ſunt moleſta, quæ partibus poſt ipſum ſitis admodum gravia ſunt.

Non ergo videtur verum, quod videbatur, quædam virtute quadam latente certis obeſſe partibus, cæteras nihil lædere.

CAPUT

CAPUT XLIII.

De medicamentis pectus purgantibus.

QUOMODO ergo interroget aliquis, aliqua medicamenta humores ex pectore educunt? in cæteris autem partibus nihil tale operari cernuntur? Duplicia ſunt medicamenta expectorationi conferentia. Alia humores craſſos lentosque incidunt & abſtergũt: A alia contrà eoſdẽ craſſiores magisq; cohærentes efficiunt: ne humor vel propter tenuitatẽ ſpiritus impetu ſubterfugiat, vel propter craſſitudinem efferri nequeat. Utraq; vel in ore & ſub lingua continenda dantur, ut aliquid inde paulatim in pectus deſtillet: vel devorantur. Priore modo ſi utenda exhibeantur, quis miretur, ſi in alias partes nihil agant? Nusquam enim aliò pertingunt. At ſi altero modo ſumantur, in ventre primùm concoquuntur: deinde in hepate in ſanguinem convertuntur. Hinc in pulmones ſanguis inde genitus distribuitur: & humores ibi contentos aut compingit, aut diſſecat inciditque; Jam ut talia medicamenta, dum in ventriculo & hepate B permutantur, plurimisque cibis & humoribus permiſta ſunt nihil notatu dignum agant, in aliis tamen partibus efficaciter pro ſua natura agent non minus quàm in pectore. Non enim ex his genitus ſanguis vel omnis in pectus, vel in ſolum pectus diſtribuitur: ſed in alias quoq; corporis partes diſpertitur: ut jam copioſè oſtendimus. Cur igitur ex ſolo pectore ſputa educunt? Multiplex poteſt eſſe reſponſio. Nam vel non eſt in aliis partibus pituita eo modo collecta: vel non tam diu alibi ac in pectoris cavitate permanent: vel non tãta copia in aliis partibus, quanta in pectoris cavitatem illabi poteſt, reperitur: vel non advertimus nos quod idem alibi etiam operen- C tur: vel denique non eſt æquè apta ad inciſionem materia alibi collecta, ut quæ in pectore exſiſtit: vel non habent reliquæ partes inſtrumenta ejiciendi inciſam diſſectamque pituitam, qualia thorax habet. Nihil noſtra hoc loco refert, quid reſpondere unusquisque malit. Vera & brevis reſponſio hæc eſt, medicamenta ſputum propriè non educere, ſed tantum materiam præparare, cùm lentam abſtergunt, craſſam incidunt: aquoſam & tenuem incraſſant & compingunt. Idem hoc ubiq; faciunt, quantum in ipſis eſt. Quod ex aliis partibus nulla exſpuitur, in cauſa eſt, quod à natura non ſunt ad id factæ: ſicut neque oculus ad generandum ſanguinem, quod hepa- D tis munus eſt, ſed ad viſionem creatus eſt. Certum eſt, Galenum in 5. ſimplic. pharm. cap. 2. omnium horum certas notasq; cauſas, non occultas poteſtates attuliſſe. Qui ſimiliter in cæteris facere tentabit, haud difficulter intelliget, reddi cauſam poſſe omnium ferè, quæ uni parti magis obſunt aut proſunt, quàm aliis: ut non ſit neceſſe ad occultas iſtas potentias recurrere tam crebrò.

CAPUT

CAPUT XLIV.

De ſanguine hircino: qua vi calculos rumpat.

DE hircino ſanguine calculos renum & veſicæ comminuente, major videtur eſſe quæſtio. Non deſunt, qui cervinum æquè efficacem aſſeverant. Sunt qui vulpinum ſimiliter commendant: nec affirmare verentur iidem lapidem in eo per triduum maceratum frangi. Quinetiam calculoſi hominis pectinem eo perungi docent: calculumque inde rumpi ajunt veſicæ. Multi leporino eandem facultatem attribuerunt. De lepore in aceto ſuffocato, inque pulverē redacto: præterea de uſta pelle, eadem jam olim narrata ſunt. Ego de his, quia periculum non feci, alios ſine fructu feciſſe aliquando memini, nihil habeo, quod conſtanter affirmem. Hoc auſim dicere, ſiquidem hircinus ſanguis ſpecifica virtute, non temperamenti qualitate aliqua, renum veſicæque calculos rumpat, non debere eum diverſi generis ſaxa vel lapides frangere. Certè dicitur non minus efficaciter, (& quidem tali facultate, quam à forma obtinuerit,) Adamantem frangere: quem ſpecie diverſiſſimum eſſe à renum calculis nemo neſcit. Similiter alios cujuscunque generis lapides comminuere poſſe à quibusdam creditur. Cæterùm inter quæ poteſtas occulta intercedit, non reperitur inter diverſi generis res alias. Sic Magnes non metalla omnia, ſed ferrum tantummodo trahit. Plus eſſe inter lapides diſcriminis, quàm inter metalla, nullus, puto, ambigit. Quocirca non poſſet occulta iſta facultate in res tam diverſas eodem modo agere. Etenim hanc ipſam ob cauſam occultæ vocantur, quod in unam aliquam certam rem vires ſuas ita exercent, ut in alias nihil tale poſſe videantur. Adde, quod non ſolus hoc facere creditur: quod jam dictum eſt. Poſtremò ne frangere quidem ſemper omnesq; calculos poteſt. Si enim hoc ſemper poſſet, felices forent calculoſi: ut qui non neceſſe haberent tanto vitæ periculo ſectoribus iſtis ſe ſubjicere. Medici quidam hircos antè nutriunt herbis tenuantibus, & calculos ſponte ſua interdum rumpentibus: quod efficaciorem potentiam ejus ſic reddi perſuaſum habeāt. Hæc ſi vera ſunt, valdè probabile eſt, à temperamenti qualitatibus talia ab ipſo nonnunquam fieri.

CAPUT XLV.

De Galerita viribus in colicis ſanandis: & Lupino ſtercore.

LAUDANT Galenus & Aetius, (neque hi ſoli) alaudæ aviculæ criſtatæ uſum in doloribus colicis: eamque hos dolores, ſi frequenter comedatur, perſanare aſſerunt. Ego colicis ſæpenumerò plurimis

pluribus & longo tempore exhibui: fructum inde nullum perſenſi.
Galenus commendat etiam in eodem morbo, lupinum ſtercus in olla parva appenſum: quaſi mirificè opituletur. Si quando experientiã
ſuffragari ſenſero, cùm rationem intelligere vel audire nullam hactenus quiverim, perlibenter credam. Si à tota ſubſtantia colicos juvat ſtercoris lupini appenſio, omnem colicam omniq; temporis occaſione juvabit. (Sic enim Galenus juvare ſcribit, quæ tota ſubſtantia, non autem temperamenti viribus proſunt: cùm teſtudinis ſanguinem dolori capitis à tota ſubſtãtia mederi negat.) Quare liberabit à doloribus colicis appenſum ſtercus tunc etiam, cum materia
A dolorem faciens multa præſens adhuc eſt. At hoc quis credat? Sanè Galenus non multò poſt, cùm de ciconiarum ſtercore loquitur, in ea videtur opinione fuiſſe, morbos tales curari, ſive dolores tales ſedari mitigarique non poſſe, non ablata materiali cauſa, quæ eos primum effecit: ac deinde fovit. Quare neceſſe erit, ut hoc pacto ſuſpenſum ſtercus, vel pituitoſam materiam, vel flatulentum ſpiritum extendentem vacuare cogitemus: ſi multum prodeſſe ſperemus. At verò quomodo materiam inteſtinorum vacuare ſuſpenſum duntaxat valeat, nemo facilè dixerit. Quid quod hunc ipſum locum
B in quo iſta ſcribit, attentè conſideranti facilè ſuſpicio oritur, ipſum non vehementer laboraſſe, ut aliis talia perſuaderet, quibus ipſe non ſatis fortaſſe confidebat? Nam obiter ſe tantùm ea dixiſſe ait: pro illis, ſcilicet, qui ſic ſuſpenſis fidem habere velint. Sed nec cauſam ullam adducit aliam, cur hiſce plus virium inſit, quàm aliis quibusvis, quæ appendi tum ſolebant: quàm quod hic ſubſtantia, non vel barbaræ dictiones vel characteres, appendatur. Quaſi verò plus agat in corporis noſtri humores ſubſtantia nullum ex ſe vaporem emittẽs, quàm aliud quidvis. Si vapor ex ipſa effluens in profundum deſcendere cogitetur, & humores ibidem contentos diſcutere, non ſine ra-
C tione fides talibus habebitur. Quanquam tardè admodum, quod volumus, perficietur: præſertim cùm materia multa coiit, infarctaque amplius eſt. Tardius multò juvabunt, quæ non vapore, ſed qualitate ſola in profundum penetrante humores collectos diſſipare creduntur. Ex quibus cognoſci poteſt, ſi quid ex appenſo lupino ſtercore, & ſimilibus aliis in morbis quibuslibet à materia excitatis.) in doloribus colicis præſidii & auxilii expectandum ſit, perexiguum omninò, (ut ne dicam prorſus nullum) id neceſſariò futurum. Ex devorato, aut ſaltem cataplaſmatis modo impoſito, plus ego ſperem. Non eſt obſcurum, quid de canino ſtercore, & aliis præterea Galenus eodem
D libro ſcripſerit: nempe quantum ſumpta ejusmodi proſint. (Caninũ ſtercus per clyſterem infuſum profuiſſe ſcio: at non occulta, ſed nota virtute.) Atque de eventu tunc dubitare nullus poteſt. cùm manifeſta ratio verum docet, experientiæq; conſonat. Haud inſcitè mihi videtur in præſenti negotio pronunciaſſe Theophraſtus lib. 9. de plantarum hiſtor. cap. 21 de περιάπτοις & ſimilibus loquens, τὰ μὲν

οὐ τοιαῦτα, inquit, καθάπερ καὶ πρότερον ἐλέχθη. συναύξειν βουλόμενοι ἐπὶ τὰς ἑαυτῶν τέχνας. Sed de talibus in diſputationibus Antiparacelſicis copioſius egimus. Verboſius iſta nunc expoſui, ut non prorſus nullis rationibus negari poſſe cerneres, quod à compluribus creditur, medicamenta certis partibus quædam amica, quædam vero inimica eſſe, cæteris non item: idque per occultam vocatam proprietatem. Quod omnia ferè uni alicui parti magis quàm reliquis vel commodent vel incommodent, ſatis notum & à me antea explicatū eſt. At non per incognitam, ſed per notam qualitatem id evenire certum eſt in pleriſque omnibus. Facilius ſtramina leveſq́; arundines, quàm denſæ trabes ab igne comprehenduntur. Nec difficile eſt homini nō prorſus rudi, eventus iſtius videre cauſam. Ita frequenter certæ corporis partes à quibuſdam medicamentis facilius, citius, amplius, vel juvantur vel læduntur nec cur id fiat non ſcitur. Unde liquere jam arbitror quid ad Galeni locum ex 1. de compoſ. med ſecundum gen. ſupra productum reſponderi queat. Equidem ſi de omnibus eâdem habuit opinionem, res plana eſt. Nullus enim neſcit & expectorantium & Nephriticorum, diureticorum, & ſimilium, cauſas non prorſus ignotas eſſe. Si verò aliter intellexit cantharides, veſicam, leporemq́ marinum pulmones exulcerare, impedimento ſunt quæ diximus: & quæ præterea rectè dici poſſunt. Ad alia teſtimonia non eſt opus, ut quidquam præterea dicatur. Quippe ſatis manifeſtum eſt, cur, & quomodo medicamenta quædam hepatica, ſplenica, Nephritica, &c. ſint & vocentur. A B

CAPUT XLVI.

Quatenus medicamenta à tota ſubſtantia certis partibus præcipuè prodeſſe aut nocere putandum ſit.

QUOD ad me attinet, non prorſus nego inveniri medicamenta, quæ certis partibus præcipuè proſint à tota ſubſtantia, (ut Galenus hanc rem exponit) ſive ab inexplicabili temperamenti proprietate. At eadem aliis quoque partib. paulò minus convenire puto. Non tamē eodem modo prorſus de nocentib. judicandum arbitror. Nam illa à partib attrahi rationi conſentaneum eſt: hæc attrahi non poſſunt. Probavi autem ipſa nec ultrò ad eas partes accedere: nec ab aliis partibus eò depelli, niſi iiſdem moleſta ſint. Nec in unam magis partem hæc à ſingulis detrudi, quàm alia omnia moleſtiam adferentia, notum confeſſumq́; eſt. Quæ amica ſunt, vix unquam medicamenta ſunt ſolum: ſed inter nutrimenta reponuntur. Quæ verò cōtraria ſunt, medicamenta tantum exſiſtunt. Quæ ſi plus nocent uni parti, quàm aliis, ad quas pervenerunt, in cauſa eſt illorū aliquid, quæ ſupra expoſui: non occulta proprietas. Sequuntur a. diverſi effectus noxii medicamenti læſionē pro natura partis, quæ ab eo læſa eſt. Quæ C D

aures lædunt, ea viſum non hebetant: ſicuti neq; quæ oculos mordēt, gravem auditum pariunt: niſi aurib. etiam incommodum adferant. Ita fieri poteſt, ut læſio, quam hepati, exempli gratia, medicamentū aliquod attulit, non ſit intellecta: at quam vel pulmonib. vel veſicæ idem illud creavit, omninò viſa cognitaq; ſit. Non jam rectè hinc cōcluſerit aliquis, ſolos pulmones ab eo læſos, quia hepatis læſionem minus commodè notare obſervareq; potuit. Quare tandem ad tuam quæſtionem tibi ſic reſpondeo, reperiri medicamenta, quæ ſimul ſint etiam nutrimenta, uni magis parti, quàm aliis convenientia. At me-

A dicamentum aliquod inveniri tantum, vix credo. Si quod reperitur pharmacum, quod per os ſumptum tale quid poſſit à ſubſtantiæ familiaritate efficere, quomodo idem illud non nutriat, haud facilè perſpici poteſt. Poſſunt quidem duæ ſubſtantiæ familiares inveniri fortaſſe, quarum natura alteri ſit nutrimentum: ſi cui libeat ſic vocare ſubſtantiam, quæ magis apta ſit in unum quàm alium humorem verti. Qua ratione Rhabarbarum choleræ flavæ, cnicum pituitæ cibum aliquis eſſe dixerit: quia in hos humores alterata facilius vertātur. (De qua re alibi noſtram mentem aperiemus.) Hoc autem in corporis partibus quæ nutriuntur, & facultatem poſſident admota

B tranſmutandi, ſibiq; aſſimilandi, locum habere nequit. Quo fit, ut, quæ juvant, omnia ferè in ciborum genere eſſe putem. Quæ nocēt, venena quodammodo eſſe cenſeam.

CAPUT XLVII.

Duo ſunt alimentorum genera certis partibus convenientia.

ET convenientis quidem duo genera facit Galenus, tum alibi tū in 6. de tuenda ſanitate: alterum à notis qualitatibus: alterum à

C ſubſtantia tota. Illud autem omnib. intelligi, hoc ſola experientia cognoſci ait. Ac maximam hæc vim habere, ut non in ventre modò, ſed etiam in toto corpore conficiantur. Hujus ratione nutrimenta animalibus & varia & speciеb. inter ſe plurimum diverſa haberi: quod nulla ſit ſimilitudo ejus, quod ex palea & herbis accedit, cū eo, quod ex carnibus & oſſibus, ex pane, & cicuta, ex veratro gignitur. Hæc ita ſe habere cùm quotidie experiamur, dubitare non multum poſſimus, quin, quemadmodum reperiuntur cibi, quos venter majore minoreq; voluptate appetit, recipit, complectitur, conficit: ita inveniantur etiam, qui hepati aliiſq; partibus familiariores, quàm cæte-

D ris viſceribus exſiſtant. An autem præter hæc alia quoq; ſint juvātia, latente ſcil. facultate, non facilè dixerim. Oportet namq; talia, Galeno teſte, ſemper & omni tempore juvare & in omni morbo prodeſſe: nec tamen nutrire. De nutrientib. nulla excellenti qualitate præditis, nullus, arbitror, dubitet, quin ſemper proſint. At de non nutriētib. vix tale quid fingi poſſe video. Nec admittendum aliquid cenſeo,

quod non à probatis authoribus rectè vereque comprobatum fuiſſe conſtet. Tutiſſimum mihi ſemper viſum fuit,parum talibus fidere: neque ante experiri,quàm in aliis nihil ſpei eſſe putaretur reliquũ: ſicut author de affectibus renum conſuluit. De nocentibus ſatis multa ſupra diximus.

CAPUT XLVIII.

Reſponſio ad ſecundam quæſtionem: & quid Artifex imperito in his præſtet. A

CUM porrò ſecundo loco methodum tibi à me indicari deſide-
ras,qua noxia ab utilibus dignoſcere,& quod cuique parti opti-
mum aut peſſimum ſit perdiſcere queas,plus à me petis, quàm præ-
ſtare poſſim. Sola experientia inveniri cognoſcique poſſe, quæ hoc
modo vel proſunt vel nocent, omnes veteres pariter & recentiores
confitentur. Nam nocentia (ſub his etiam purgantia & Alexiphar-
maca ſeu Alexiteria nunc comprehendo in venenorum genere, ju-
vantia autem in ciborum numerari debere oſtendi. At utraque ex-
perientia cognita ſunt: & methodo comprehendi nulla valent. Nõ B
nego tamen in his etiam artificem præſtare imperito & empirico.
1 Primùm,quia non ſtatim credit,quæ ex occaſione qualibet profuiſ-
ſe videntur,hoc ipſum effeciſſe,quod hi temerè credunt. Novit enim
multis modis illos falſi potuiſſe, qui primum periculum talium fe-
2 cerunt. Deinde poteſt artifex inter ea,quæ per accidens eveniunt, &
quæ per ſe à ſingulis efficiuntur,diſtinguere: imperitus non poteſt.
3 Præterea ſuo tempore,loco, modo, ſingula adhibere artifex didicit:
ut proſit ſemper,aut ſaltem nunquam noceat. Conſtat deleteriorũ
aliqua eſſe calida, aliqua verò frigida. Et hactenus quidem cogno-
ſcuntur, quod alia calefaciendo & putrefaciendo interimant, alia C
ſtupefaciendo occidant. Quæ verò iſta ſint,ſciri nequit,niſi experiẽ-
tia demonſtraverit. Sic in curatione adhibebit,quæ & poteſtate la-
tente contraria ſint: & ſimul etiam vel refrigerent vel calefaciant.
Sed & hæc non aliter,quàm per experientiam cognoſcuntur. Hæc &
hujus generis alia videt artifex,quæ imperitus artis ignorat. Quam-
obrem ſæpe ſua ſpe fruſtratur: ac obeſt ſæpenumerò dum prodeſſe
cupit,omninò plurimum. Multò frequentius,quæ maximè condu-
cere putabat nihil juvant: propterea quod virtute illa carent, qua
prædita opinatus fuerat. Quod inde accidit,quia per accidens aliquã-
do profuiſſe vidit. Ergo virtutem & facultatem uterq; per experien- D
tiam invenire cogitur:nec iſta in re imperito multum præſtat peri-
4 tus:tametſi aliqua parte hic etiam præſtet: ut ſupra docui. Præter id,
quod ſupra diximus, hoc etiam antecellit artifex, quod rectè de ex-
perientia judicare,aptè diſtinguere,& cognitis rectè uti poteſt. Aliã
tibi methodum hic præſcribere nequeo.

CAPUT

CAPUT XLIX.

An occulta vi agentia ſola experientia inveniantur.

SI verum eſſet,quod aliquando audivi à non indoctis hominib.
affirmari,latẽtes iſtas poteſtates temperatura ſui ſubjecti, in quo
inſunt,ita pro inſtrumento in omni operatione uti,ſicut anima inſi-
to calore ad nutrimenti concoctionem utitur,haud longe ab ea fœ-
licitate abeſſe alicui videremur,ut arte inveſtigare utriusq; generis
abditas poteſtates poſſemus. Non enim aliud agerent, quàm quod
A per qualitates elementares perfici poſſet. Sicut artifex malleo, exẽ-
pli gratia,non terebrare,non ſecare,ſed tantum percutere & tundere
poteſt: ita ferè hic quoq; eveniret. Tunc prudens,eruditus,exercita-
tos ſenſus habens Medicus, juxta artis noſtræ præcepta, ex primis &
ſecundis qualitatibus propè conjicere poſſet, quid de ſingulis exſpe-
ctandum foret. Tametſi nàmque non exactè temperaturam cogno-
ſcere poteſt quiſquam, poteſt tamen, qui judicium & uſum adfert,
propius accedere,quàm ut omninò ignoret. Verum nec fingi nec di-
ci poſſe exiſtimo, quomodo & per quam qualitatem notam Stru-
B thionem ferrum putemus conficere? Calore ne? Atqui tunc vel i-
gnis vel Leonis ventriculus multò magis hoc opus perfecerint. Nec
refert, quod non eſt utrobique eadem cauſa primò movens,ſi nõ ſe-
cus agere quàm calefaciendo(ſive per calorem) poteſt. Ut enim ſerra,
quiſquis ea utatur, non aliud quàm ſectio fit: ita calore non aliud,
quàm calefactio fit: quæcunque cauſa ipſo ut inſtrumento utatur.
Deinde ſi calor eſt qui ferrum atterit,calefieri ipſum oportet. Si eo-
usque calefit,ut jam etiam conſumatur, quomodo non ventrẽ per-
urit? Si absque tanto calore ferrum comminuitur & conſumitur,
quantus ipſum ſolvere poſſe videatur, habemus quod volebamus:
nempe alia potentia alioq; inſtrumento quàm calore id perfici. Cer-
C tè Ariſtoteles, ubi accuratè de his rebus diſputat,haud aliter loqui-
tur,quàm formam ſubſtantialem primum eſſe agendi principium:
ac temperamento ipſam ut inſtrumento uti. Ergo ſi absque tempe-
rie nihil agit forma,meritiſſimò non alibi quàm in qualitatibus no-
tis,cauſas actionum omnium quæremus. Ego ſanè, ut non neſcio,
quasvis actiones à commodo temperamento adjuvari, ab incõmo-
do impediri aliquatenus, (quippe qui mihi perſuaſi, ne adeſſe quidẽ
rebus ſuas formas poſſe ſine apta temperie, (ita non concedo, ſub-
ſtantiales formas in compoſito nihil agere,cujus cauſa in elemento-
D rum qualitatibus non reperiatur. Rationem hujus rei ſupra expo-
ſui,cum quæ & proprietatum & formarum principia eſſent docerẽ.
Concludo igitur,abditas iſtas poteſtates nulla poſſe ratione ac me-
thodo perquiri, ſed ſola experientia & ἀλόγῳ τριβῇ, (ut author de
renum paſſionib. loquitur,) inveniri. Quod de illis tantum accipien-
dum eſt,quæ per ſpecificam proprietatem,h.e. per virtutem ſubſtã-
tialis formæ agunt: quorum in arte noſtra nullum,aut certè nõ ma-
gnum uſum eſſe oſtendimus.

CAPUT L.

Proprietates occultas ſecundæ ſpeciei conjectura indagari poſſe.

IN altera proprietatum ſpecie, quæ temperamentum & materiæ proprietatem comitantur. τεχνικὸς ςοχασμὸς locum fortè aliquē habeat. Quamvis enim τὸν τῆς μίξεως λόγον menſuramve, ut appellat Ariſtotel arte inveſtigare & comprehendere non modo difficile ſed etiam impoſſibile eſt, attamen, quia ſine qualitatib. notis talia vix agunt aliquid, poterit ſagaci ingenio præditus ad ſcopum propius accedere: & de ea facultate quibuſdam conjecturis quaſi divinare. Certum nihilominus eſt omnia hic quoq; tam obſcura eſſe, ut nemo facilè multum ſibi polliceri auſit: de qua re ſupra diſſerui: ac nunc etiā breviter aliquid dicam. Galenus occultam hanc proprietatem, ſive totius ſubſtantiæ qualitatem nobis apertè admodum deſcribit lib. 4. de Simpl. fac. cap. 15. Ex quatuor elementis, inquit, particulatim corporib. omnibus conſtant generationes, impares miſtura ac diverſæ. Siquidem quædam ignis, quàm aliorum elementorum, in ſe plus continent: quædam aquæ: ſicut alia, ſi fors ita tulit, terræ: nonnulla aeris. Ex ejuſmodi itaq; imparitate proprietates corporum particularium ſunt perfectæ. Ex elementis quidem plantarum, ex his autē animalium, ſicut in lib. de Elementis demonſtratum eſt. Ex his Galeni verbis, non videtur impoſſibile occultas iſtas proprietates aliqua ex parte Methodo inveſtigare: quanquam multis partibus facilius ſit temperamentum propoſitarum rerum quarumlibet invenire. Huc accedunt aliæ etiam ejuſdem ſententiæ, quas brevitatis cauſa tantum indicabo non explicabo. In eodem libro cap. 18 ait, ſe herbam à Centurione quodam Lycoperſium vocatam, ex ſolo odore conjeciſſe lethalem eſſe. Simile quippiam cap. 22. etiam reperitur. Præterea lib. 5. ejuſdem operis, cap. 23. rationabile eſſe ait, ut Nymphæa, quia frigida ſit & ſicca, tota ſubſtantia ſemini contrariè affecta judicetur. Jam quod cibi, ratione totius ſubſtantiæ cibi & alimenta ſint, non à Galeno ſolum, ſed ab aliis etiam ſcriptum creditumq; eſt. Quis verò neſcit eundem Galenum ex odore & ſapore docere judicare de cibis, utrum videlicet utiles ſint an noxii? Certè in quarto libro prædicti operis, non ſemel dictum ab eo comperies. Nec multū à ſe ipſo diſſentit in lib. de aliment. fac. in quibus odoratui & guſtatui prorſus multum confidit. Quinetiam bruta videmus odore & guſtu ſolis dignoſcere inter utilia & inutilia: quib. certè homo, ſi cum ſenſib. rationem conjungat, non eſt inferior: quamvis ex brutis quædā ſenſus aliquos acutiores obtinuerint. Poſtremò quis non novit, certos imò omnes ferè homines, per odoratum & guſtū judicare cibos potusq; ſolere? & à noxiis medicamentisq; diſtinguere? Ex omnib. iſtis videmur propè huc penetrare poſſe, ut tales proprietates (quas ſolas agnovit Galenus) methodo perveſtigare & cognoſcere valeamus. Cur igitur ſola experientia, nulla autē methodo cognoſci poſſe

ſcribit?

ſcribit? Certū eſt odores & ſapores non prorſus nihil conferre: at exactè facultates has indicare nequeunt. Quare ad perfectā & certam notitiam, qua res aliqua tali quapiam facultate prædita affirmetur, neceſſaria imprimis eſt diligens obſervatio ſive experientia. Rectè ergo in 3. de aliment. fac. de oxygalacte loquens, manu duci nos per ſapores & odores ait: ſed alia quoq; obſervanda monet. Idem lib. 2. c. 61. & 1. lib. c. 1 ſatis apertè dixit. In 6. de Simp. fac. cap. de Abrotono ait, in quibusdam, non tamen in omnib. ſuſpicionem tantū probabilem inveniri: certi per rationem cognoſci nihil poſſe. In cauſa eſt, q̄ A propemodū omnia ex diverſis natura partibus conflata ſunt & quod multarum ſæpe partium ſapores à guſtu non percipiuntur. Quæ ut dilucidius intelligas, ad locū ex Galeno ſupra ex 15. c 4. lib. de Simp. fac. citatum recurrere te convenit, atq; citatis ea adjicere, quæ de trāſmutatione mutua miſtorū ibidem eruditiſſimè, ſed breviſſimè, diſſerit. His conjungere te velim, quæ ab avicenna 1. Canone cap. de complexionib. diſputata ſunt. Vt hæc inter ſe conferre facilius poſſis, quæ ſupra de eadem re dixi diligentius ac ſæpius relegere poteris.

CAPUT LI.

B *Qua via Veteres rerum vires occultas inveſtigaſſe videantur.*

RECITATAM à nobis viam inceſſiſſe illi mihi videntur, qui primi ejuſcemodi tentare & experiri aggreſſi ſunt. Cogitaſſe videtur primum, quæcunq; ſaporem, colorem, odorem, ſubſtantiæque modum non diſparem haberent, eorum temperamenta non admodum diſſimilia eſſe. Deinde cùm ſimilia ſimilibus amica eſſe accepiſſent, facilè inde confecerunt, hepar hepati, oſſa oſſibus, renes renib. præcipuè convenire. Poſtremò cùm facto periculo non infœliciter conatum aliquando cediſſe viderunt, probabile eſt ipſos confidentius ad reliqua progreſſos fuiſſe. Hoc modo ſuadet Galenus, ut qui C cognoſcere deſiderat, an ſanguis humanus utilis ſit alicui morbo, in ſuillo periculum faciat: quem humano perſimilem eſſe prorſus conſtat. Eandem ſecutus eſt is, teſtante Galeno, qui, cum in cranii perforatione columbæ ſanguinem ad manum non haberet, palumbis uſus eſt. Similiter is quoque, qui, cum ne palumbis quidem haberet, turturis ſanguinem felici uſurpavit eventu. Quippe ſimilia, inquit Galen. efficere ſimilia poſſe experti ſumus. Et lib. 7. de plac. Hipp. & Plat. cap. 5. de nervorum & cerebri ſimilitudine verba faciens, hæc ſcripſit. Natura enim ita comparatum eſt, ut ſubſtantiarum proprietates facultatum etiam ſibi convenientium proprietates ſecum ha- D beant. Unde fit, ut quantum unusquisq; nervus, ex iis, qui propriè ſenſifici appellantur, à natura cerebri receſſerit, tantum etiam ſit à virt facultateq; ejus remotus. Huc usq; Galenus. Hinc fortaſſe factū eſt, ut humanū craniū epilepticis: (& marium quidem marib. feminarum autē feminis,) cerebra gallinarum & aliarum quarundam

avium, cerebro pulmones vulpis & eritii pulmonib. interiorem vẽtriculi gallinarum mergorumq; tunicam, ventriculo: lupinum hepar, hepati: inteſtina & excrementa lupi, inteſtinis eorumq; dolorib. uſta hominis oſſa, oſſibus: renes, renibus horum calculos eorundem calculis: & membrum ferè quodlibet comeſtum ſui generis mẽbro conducere exiſtimatum ſit. Notum eſt quid de combuſtis oſſib. Galenus lib. 11. de Simpl. facult. ſcribat, multorum tum Epilepſiam tum arthritim horum uſu percuratam fuiſſe. Eadem ferè Avicenna, (ſive ex Galeno ſive aliter didicerit,) affirmavit. Hujus generis & illa ſunt, quod in veſica procreati lapides, veſicæ calculos in potu exhibiti rũpant: quod rabioſi canis jecur comeſtum, à rabie liberet: & alia propemodum infinita. Eadem ratione pronunciaſſe Galenus videtur, purgantium pharmacorum unumquodque humorem ſibi ſimilem ex corpore educere. Et ſi purgatione fruſtretur, in illum ſæpè humorem, cum quo ſimilitudinem habere putetur, permutari. Ex omnib. enumeratis quædam commendat ac probat Galenus, ut ſtercus lupinum: de quo multa ſatis ſupra diximus. Alia nec probat multũ, nec ſeriò improbat: ut oſſa uſta. Alia prorſus abjecit, ut falſa: cujus generis eſt interior pellicula ventris gallinæ ac mergi: hepar lupinum: calculi veſicarum & ſimilia. Quàm multa comperiuntur hodie inutilia eſſe, quæ multorum antiquorum ſcriptis ſunt celebrata? Nõ de illis tantum loquor, quæ repudiavit Galenus, ſed quæ approbavit. Lupinum hepar alibi dixit medicamentum hepaticum nihilo melius reddidiſſe: alibi à tota ſubſtantia plurimum conferre aſſeruit. Sed ideo benignum viſceri eſſe judicavit, quia nutrire ipſum poſſit: & nec calidum nimis ſit nec frigidum. A B

CAPUT LII.

Cranium humanum, &c. malè propinari Epilepticis. C

QUOD ut de hoc verum ſit, de cranio humano uſtiſque oſſibus quis credat? Non enim aut cerebrum aut cranium aut alia capitis pars, cranii oſſiumve uſtorũ cinere ſeu pulvere nutritur. Quod ſi juvant, ideo nimirum juvant, quia humorem, morbi cauſam, exſiccant; nullus videtur alius modus eſſe reliquus. Certum eſt, cùm uruntur, inq; pulverem hoc modo rediguntur, formam ſubſtantiæ ipſa amittere: & aliud nil supereſſe, quàm elementares materiæ qualitates. Vtut iſta habeant, oſſa humana hominib. devorãda exhibere, abominandum ac impium ſemper cenſui. Scio quoq; cranii humani pulverem, etiam bene præpurgatis, ſine ſucceſſu aliquoties præbitũ fuiſſe. Vtilitatẽ fortè attuliſſet, ſi lõgo tẽpore ægri eo uti potuiſſent. At quis humana cremet oſſa aut devoret cremata, ſi ſciat, nõ crudelis & inhumanus? Quanquam nõ neſcio repertos eſſe, qui repentem ex decollati hominis cadavere promantem ſanguinem bibere ſuſtinuerunt. Sed id vix ſemel. Si de mea experientia dicere aliquid jubeas, D

auſim

auſim affirmare, me deprehendiſſe cornua cervina uſta non minus efficaciter exſiccare poſſe, quam oſſa uſta: in doloribus colicis dyſenteria, & ſimilibus. Sed iſta pluribus jam perſequi non vacat. Non opus etiam eſt. Nam ex recenſitis facilè intelligitur, haud rectè ſemper illos ratiocinatos fuiſſe, qui quæ ſimilia videntur, ſimile quoque temperamentum nacta eſſe opinati ſunt. Cur & quomodo decepti ſint, ex ſupra dictis colligi poteſt ſine magno labore. Deinde liquido oſtenſum eſt quoque, illa non ſemper juvare, quæ ſimilia quodammodo viſa ſunt: propterea quod non omnia nutrire talia poſ-A ſunt: & quod partes ſæpe noxias habent conjunctas: quas nullo ſenſu comprehendere poſſumus.

CAPUT LIII.

An & cur Braßica vitibus inimica ſit.

PLACET hoc loco, quo res magis illuſtretur, monere obiter, non tantum in Medicina hujusmodi falſa eſſe pleraque, ſed etiam extra eam penè infinita talia inveniri. Vt cætera, de quibus re-B ctam me certamque habere experientiam novi, omittam, braſſicæ duntaxat exemplum adſcribam: præſertim cùm tale ſit, quod quilibet videre & cognoſcere poſſit. Seritur aut plantatur ea in his locis, ut tu ipſe vidiſti, frequenter admodum in vineis & antiquis & novellis. Adnaſcitur majoribus minoribusque propaginibus. Imò inter nuper plantatos palmites aut defoſſos tantum, ut radices nec dum egiſſe potuerint, plantatur in magna copia: & nihilominus utraque feliciſſimè proveniunt: odium certè nullum alterius erga alterum animadverti poteſt. Nihilominus à Theophraſto, Plinio, Varrone, aliiſque compluribus ſcriptum legimus, implacabili odio, C & occulta antipatheia hactenus inter ſe laborare, ut vites à braſſica proximè plantata ſe veluti avertant. Quid hic aliud putabimus, quàm præſtantes hoſce viros, quæ ab aliis acceperant, credidiſſe, ac operibus ſuis inſeruiſſe? Quod cum hodie quoque fiat à pleriſque, mirari non debemus, quod tanta enumeretur horum medicamentorum ſylva: & nihil tamen proficiant, qui illis crebrò & ferè ſemper utuntur. Quid eſt abſurdius dictu aut creditu, quàm arefactum pulegium de tectis ſuſpenſum brumali tempore florere? Quamvis non neſcirem naturæ vi fieri non poſſe, ut verè mortua herba revireſceret (abſque ſemine dico,) ac floreret, experiri tamen placuit. D Et cum ejusmodi experiri poſſimus omnes, meritò mirabitur quilibet, quomodo major in talibus rebus Plinio aliiſque authoribus ex aliis ſua tranſcribentibus, fides habeatur à doctis etiam, quàm propriæ experientiæ. Obſtupeo quoties tales nugas ab eruditis recenſeri pro veris lego. Minus miror eos de illis addubitare, de quibus periculum facere non æquè facilè poſſint. Innumeri lapilli ſunt,

quibus admirandas vires multi adſcripſerunt. Si experiri velis, nihil illorum quæ promittunt plurimi de ipſis ſcribentes, præſtare cognoſces. Hoc ſi objeceris harum rerum admiratoribus & aſſertoribus, reſpondent adulterinos eſſe Et cùm hoc non poſſunt reſponſo in veris eludere, Albertum Magnum, (in iſtis rebus mirè ſuperſtitioſum philoſophum) adducunt aſſerentem, ſenio confectos occultas iſtas vires amittere. Alii ineptius fabulantur, ideo nihil eos agere, quia qui ipſos geſtant, ſcelere flagitioque aliquo polluti ſint. Efficaciores reddi, ſi aqua frigida per multos dies abluantur, quaſi peccatum illis adhæſerit: & inquinatio per aquæ ablutionem crebram detergi tandem poſſit. Rectè profectò ille monuit, eum qui præclarus eſſe Medicus cuperet, non hiſce, ſed agentibus per qualitates cognitas, confidere debere Facilè credo, viribus aliquando nocere Braſſicam poſſe: quia nutrimẽtum attrahat ad ſe copioſum. In ſterili ergo & exſuccata terra non ſit mirum, ſi ita contingat. Quam copioſum ex terra ſuccum ad ſe alliciat, facilè perſpici ex eo intelligique poteſt, quod tam celeriter tamque vehementer augetur. Habent & vites opus multo ſucco. quod vinum ex uvis expreſſum abundè docet. Quare mirum non eſt, ſi non in quavis terra utraque feliciter creſcat, dum alteri altera nutrimentum ſubtrahit. Porrò ſimili ferè utranque ſucco nutriri, cum alia multa, quæ hic libenter prætereo, tum deſtillationes oſtendunt. Certum eſt, non Braſſicam modo, ſed & alias herbas, niſi evellantur, augmentum vitium & uvarum retardare ob eandem cauſam. Unde vinitores diligentiores, ex vineis omnis generis plantas exſtirpant. Quæ ideo dico, ut videas, non rarò occultæ nos tribuere qualitati, quæ minimè à tali fiant: ſed à nota potius cauſa efficiantur. Neſcio an non cucurbitæ multò magis nocituræ ſint. Quippe celeriter hæ quoque adoleſcunt, maximeque creſcunt. Sed quia neque ſcio an ſimili cum viribus ſucco nutriantur, nec periculum, niſi ſemel, feci, nihil affirmo. In horto juxta vites plantatam vidi cucurbitam. Quo in loco vites pauciores multò uvas produxiſſe certiſſimum eſt, quàm omnes alias paulò remotiores. Hactenus, niſi fallor, perſpicuè declaravi, quatenus methodus in his medicamentis locum habeat, aut non habeat.

A B C

CAPUT LIIII.

Reſponſio ad quæſtionem tertiam de Roborantibus.

QUOD tertio loco quæris, an roborantia omnia adſtringendo roborent: vel alia quoque ratione: ad id reſponſio non videtur admodum eſſe difficilis Quando cum vulgo loquimur, roborare dicuntur, quæ moderata aſtrictione tonum membri ſeu partis alicujus conſervant. Sæpenumerò ita etiam loquimur, ut quæcunque partem quovis modo laborantem juvant, corroborare eandem dicamus. D

mus. Hoc modo roborare dicentur, quæcunque vel intemperiem 2
corrigunt: vel humorem vitioſum extergent & educunt, vel per 3
nutrimenti familiaritatem nativam temperiem inſitumque calorē
fovent atque augent, vel adſtrictione non ſinunt laxari: vel alio quo- 4
vis modo proſunt. Omnia autem hæc notis qualitatibus perficiun- 5
tur: excepta nutritione. Nam quæ vel nutriunt partes ſolidas, vel
ſpiritus recreant inſtaurantve, occulta virtute id efficiunt: ſicut de
his jam ante diſputavimus. Roborare illa quoque dicuntur, quæ 6
diſſolutionem aut diſſipationem ſeu reſolutionem ſpirituum prohi-
A bent. Sæpe namque aut à doloribus aut aliis cauſis per apertos mea-
tus ſpiritus vacuantur, quos cutis adſtrictione qui retinet, cor con-
firmaſſe dicitur: quantumvis ad cor medicamentum nullum perve-
nerit. Sic & qui laſſitudinem tollit, roborare dicitur. Quocunque
modo loquamur, perparum referat: ſi modo alia aliter juvare ac ro-
borare intelligamus. Quæ venenis reſiſtunt, ea valde impropriè ro- 7
borant. Nam pleraq; talia (loquor de illis quæ occulta vi reſiſtunt)
partibus aut nihil proſunt, cùm venena nulla adſunt, aut plurimum
eas præterea lædunt. Roborant igitur quia hoſtem pellunt aut ar-
cent: non autem quia partibus, ut cordi, robur aliquod ſive utilita-
B tem adferant. Ergo ſi loquamur minus accuratè & propriè, quæ
quovis modo juvant, ea corroborant atque confirmant: illa etiam
quæ laxationem partium tantummodo prohibent, hoc eſt, quæ
moderata adſtrictione tonum earum ſervant. Hoc in omni ventri-
culi & hepatis, imò cujusvis partis affectione, cujus actio toti cor-
pori aut utilis aut neceſſaria ſit, ita obſervandum in curationibus
eſt, ut oblivisci ejus nunquam oporteat. Semper igitur roborantia,
hoc eſt, adſtringentia cæteris medicamentis in talium partium mor-
bis admiſcere jubemur ratione planè optima. Cum verò propriè ex-
quiſiteque loquimur, tunc roborare nobis dicentur, quæcunque par-
C tibus amiſſum robur, ſive naturalem conſtitutionem aut diſpoſitio-
nem reſtituunt. Jam conſtat virium eſſentiam conſiſtere in juſto
caloris ac ſpirituum temperamento in convenienti ſolidarum par-
tium atque etiam carnoſarum ſubſtantia, ſicut Gal. cum alibi, tum
in 11. Therap. Meth cap. 1. & 3. & 12. ejuſdem operis libro, cap. 5.
monuit. Ergo cum vires collabi cœperint propter intemperiem par-
tium, hæc medicamenta tollunt, quæ ſuum parti ſtatum naturalem
ſuumque robur reddunt. ſi per defectum vel carnoſæ ſubſtantiæ vel
ſolidæ pars aliqua ſit imbecillis reddita, vel etiam propter ſpiritus va-
cuationem, confirmare partem, vireſq; reſtaurare ea dicentur, quæ
D quod deeſt, reſtituunt. Sæpe ergo nutrimenta, ſæpe intemperiem e-
mendantia, ſæpe ſpiritus generātia corrobare dicuntur non peſſima
ratione, ſed prorſus juſtiſſima de cauſa. Nihilominꝰ tamē ita ferè uſus
obtinuit, ut quæ adſtrictione ſua vel ſpiritus intra corpus cohibent,
vel membrorū tonū ſervant, præcipuè dicantur (licet minus propriè
id fiat, roborare & confirmare. Porrò nō meum eſſe hoc figmentū

aut

aut ſomnium aliquod, minimè opus eſt ut pluribus oſtendam. Quippe ratio valida in ipſa rei naturæ conſideratione reperitur. Hic tantum Galeni authoritatem pro firmamento ſententiæ noſtræ adduxiſſe ſuffecerit. Is lib. de opt. ſecta contra Methodicos diſputans, circa finem libri, apertè ait, adſtringentia non roborare. Tandem in ultimo cap. quæ nam propriè robur & firmitatem corporibus noſtris concilient, docet his verbis: At ignorant Methodici, quonam pacto hominis firmitatem ac robur dijudicare oporteat. Quocirca
,, neque etiam eam præſtare poterunt. Non enim ut in lapide, ferro,
,, ac ligno, & id genus aliis, duritie ac mollitudine hominum firmitas A
,, æſtimanda eſt: ſed eo, quod corpora ſua ipſorum munia expeditè
,, obire valeant: Itaque qui ipſis firmitatem comparare voluerit, mi-
,, nimè quî durum corpus reddatur cogitet, opus eſt: ſed qua ratione
,, vires membrorum augeſcant, & ipſa liberè atque explicitè proprios uſus exhibeant. Galeni verba hæc ideo adſcripſi, ne cum vulgo Medicorum fallaris: & quoties debile membrum corroborandum eſt, adſtringentia admoveas. Horum uſus eſt, quoties repellere ac repercutere humores volumus: aut laxata corpora denſare: & ne facile humores aliunde influentes recipiant: & denique cùm ne laxentur præcavere ſtudemus. Si aliter imbecillæ ſint partes, tunc robo- B
rabuntur rectè, cùm imbecillitatis cauſa ablata, partes in naturalem ſtatum ſive habitum transmutatæ fuerint.

CAPUT LV.

Reſponſio ad quæſtionem quartam.

EX his & ſupra dictis elucet reſponſio ad quartam interrogationem tuam, an juvantia & roborantia eadem ſint cum deducentibus. Etenim nec juvantia omnia, nec roborantia propriè dicta
ad affectas partes deducunt ſemper, & per ſe. Quid per accidens fiat, C
explicatione hic non eget. Quæ tota ſubſtantia amica ſunt vel maximè familiaria nutrimenta alicui parti, ea cum à partibus attrahuntur, unà ſecum fortaſſe alia quoque ad eandem perducunt: propriè verò loquendo non deducunt, ut, quæ ne ipſa quidem ſua ſponte quoquam eant, niſi quò trahuntur. Etenim viventium eſt trahere, medicamentorum eſt trahi: non ſua ſponte aliquas ad partes ire. Porrò tota ſubſtantia amica ſupra docui eſſe, quæ nutrimentum partibus certis accommodatum præbere poſſunt. Quæ verò inimica ſunt, illa ſæpe ocyus & commodius multò deducunt, ut de
cantharidib. ex Galeno ſupra declaravi. Ergo nec deducentia omnia D
vel juvant vel roborant: nec juvantia vel roborantia omnia deducunt medicamenta admiſta ad unam magis partem, quàm ad aliam quamvis. Quomodo cantharides ad veſicam potius, ut diuretica alia quoque, quàm alio feſtinare, aut potius à Natura huc propelli putem, ſatis verboſè expoſitum ſupra fuit.

CAP.

CAPUT LVI.

Reſponſio ad quæſtionem quintam, de purgantibus: quæ in ventre manere, non ad affecta loca ire oſtenditur.

DE purgantibus medicamentis, illud duntaxat exponi tibi à me petis, an ex certis membris occulta facultate humores educant magis, quàm ex obvia qualibet parte: veluti ex capite tantum, ex
A pedibus & articulis ſolis, ex hepate, pectore, &c. Quod ſingula certum humorem electivè (ita enim loquuntur) extrahant, pro confeſſo ponis, idque non imprudenter. Etenim perpauci hodie ſunt, qui aliter exiſtiment: aut quomodo, ſeu qua facultate id faciant, inquirendum arbitrentur. Egregiè ſuo ſe perfunctos munere cenſent, ſi ab occulta quadam poteſtate ad ſe tales humores attrahere aſſeverent. Proinde cum hic nihil requiras, facilè hanc quæſtionem prætenbo in præſentia, ac breviter tibi ſic reſpondebo. Si verum eſt cantharides ſolam exulcerare veſicam abdita quadam virtute, non videbitur à veritate alieni quippiam affirmare, qui ex purgantibus
B quædam, ex una parte magis, quàm ex cæteris, humores ſimili poteſtate elicere dicat. Nullus arbitror, negabit unquam, purgantia medicamenta magis vacuare unam aliquam partem, quàm alias. At hoc non latente poteſtate, ſed aperta & cognita faciunt. Nos de occulta ſolum tecum quærimus. Cæterùm quia non ita rem habere de cantharidibus ſupra oſtendi, aliter tibi reſpondere omnino cogor: ita nimirum ut ſentio. Puto autem purgantia ex omnibus ſimiliter partibus educere, hoc eſt, nulla virtute latente determinari ad certam duntaxat partem. Primum quidem neminem video Ariſtotelis ſententiam probaſſe in problemat. quo in loco videtur
C ſenſiſſe, medicamentum diſſolvi, & in totum corpus ad ea uſque membra diſtribui, ex quibus attraxiſſe judicetur. Equidem experientia rerum optima magiſtra huic opinioni refragatur. Sæpiſſimè namque catapotia poſt purgationem integra plane adhuc revomuntur: ut nulla ex parte imminuta videantur. Si quid ablatum putetur, tantum non eſt, quod ad remotiores à ventriculo partes extendi exporrigive cum poteſtate aliqua trahendi potuerit: quantumvis in tenuiſſimum vaporem converſum diſſolutumque fingatur. Sunt etiam medicamenta, quæ propter lapidoſam duritiem (inter quæ flos æris, aut ipſum æs uſtum, vel ejuſdem ſquama numerari
D poterit) ſuperari à calore noſtro hactenus non poſſunt, ut concoquantur, diſtribuantur, aut in fumos vaporeſque ſolvantur. Talia ſæpe cum dejectionibus excreta vidi: ut nullam in ipſis ſenſibilem mutationem factam cœderes. Deinde non eſt quiſquam, qui epoto medicamento non eroſionem in ventriculo viciniſque ei inteſtinis percipiat: in alio loco nullo. Ex quo certè non levis ſuſpicio oritur,

oritur, hoc aut his in locis ea hærere, non aliò abire. Et ſi quando
penetrant, in corpus, aut nihil, aut parum certè ſtrenuè purgant:
quod in Rhabarbaro & Caſſia evidenter obſervavi. Urinam tunc
profluere copioſiorem, & pro medicamenti natura tinctam, mani-
feſtè animadverti Fruſtra video multis probare velle, quod propter
experientiam præſtantiſſimi quique Medici aſſeruerunt. De Arabi-
bus ut probem, non exſpectas, ſcio. Non enim neſcis Avicennæ,
Meſuæ, Serapioni & Averroi placuiſſe, in ventre aut inteſtinis hæ-
rentia ad ſe humores attrahere. Hos ſuperiorum ætatum Medici
penè omnes ſecuti ſunt: varias licet ſuper hac re diſceptationes inſti- A
tuerint. Galenum in eadem fuiſſe ſententia non eſt difficile oſten-
dere. Qua enim ratione alia excuſabis, quod in 4 de tuenda ſanit.
cap. 7. præcipit, ut, quæ purgare volumus exactè non teramus, ne
in corpus diſtribuantur? Author problem. quæ ſub Alexan. A-
phrod. nomine circumferuntur, non aliter ſenſit: ut ex 30. pro-
blem 2. lib. cognoſci poteſt. Videtur ſanè hic author Medicarum
rerum non imperitus fuiſſe. Certum eſt, quæ diſſolvuntur, in cor-
pus diſtribui, atque ſic urinam potius ciere quàm alvum ducere: ſic-
ut paulo ante monebam: & experiri quiſque poterit. Ea de cauſa
Galenus, ut jam dicebam, medicamantum, quod dioſpoliticum ap B
pellatur, craſſius apparavit, quoties alvum purgare in animo hebe-
ret. Nam ſi exactius teratur, in corpus digeri minimeque purgare,
ſed urinas citare affirmat. Hac de cauſa Meſues quoque docuit, me-
dicamenta purgantia laxa & rara non impensè & ſuperſtitiosè in
pulverem eſſe redigenda: ſi purgare ipſa optemus. Quibus admo-
nemur, quæ in venas traducantur, purgare ſimiliter non poſſe. Fa-
cilè verò traducuntur, quæ ſuccum non omnino naturæ contrariū
continent, niſi craſſiuſcula ſint, ideoque in ventre neceſſario diutius
hæreant. Quare cum vel apud Galenum vel alios legimus. (Nam
author de renum affect. eodem modo loquitur,) purgantia in cor- C
pus differri, liberius locutos exiſtimare debemus. Ac Dioſpoliticū
exactius tritum facilè iu corpus rapitur: quia non eſt omni ex parte
nobis inimicum. Quæ verò totis naturis ingrata & inimica nobis
ſunt, ea nec trita facilè ab hepate attrahuntur: præſertim cum per ſe
exhibentur. Sanè cum talia ſumimus, toto plerunque corpore ex-
horreſcimus & contremiſcimus: ita abhorret ea natura, antequam
probarit & ſenſerit. Ac reperiuntur qui ab horum odore ingrato ad-
eò commoventur, ut alvus illis turbetur: & copiosè, non ſecus, quàm
ſi pharmacum aliquod ebibiſſent, purgentur. Quin etiam eſſe non-
nullos, qui ad horum atque aliorum quorundam medicamentorum D
mentionem ſolam nauſeent, atque aliquando etiam vomant. cun-
ctis hominibus propemodum notum eſt. Quæ benignum ſuccum
admiſtum habent priusquam in ventriculo primum, deinde etiam
in hepate mutationem acceperint non minimam ſuę facultatis par-
tem amittunt. Unde Urinas potius promovent, quàm alvum tur-
bant.

bant. Videntur hic prudentes Medici rectè judicare, non multum excrementorum per ventrem deſcenſurum, quoties poſt epotum pharmacum urinæ copioſius fluunt. Hinc fortaſſe lapidoſa & duriora quædam pharmaca, quæ in ſuccum non facilè converti poſſunt, ſtrenuè ſemper corpus purgant: aut ſaltem validè ipſum exagitant: quæ verò molliora ſunt, præſertim verò cum utilem etiam ſuccum, licet exiguum, continent, ſæpe nihil purgant, leniterque corpus exagitant. Ergo ſi in ventriculo vel inteſtinis permanere ipſa, tum ratio tum experientia probat, non poterunt à partibus remotioribus trahere.
A Non enim fingi facile dicive poteſt, qua ratione humores ad ſe ex pedibus, manibus, capite, pertrahant: præſertim cum per contactum actionem omnem fieri oportere pleriq; omnes judicent. Sanè Galenus in poſtremo capite librorum de potentiis naturalibus aſſerit, quæ convenientia qualitatibus trahant cominus duntaxat, non eminus, trahere. Quare oportebit ipſa uſque ad partem, in qua humores redundant, pervenire, aut non longè ab ea ſubſiſtere. Utrunque, præterquam quod abſurdè cogitatur, manifeſtæ experientiæ adverſatur. Totum diſſolvi & per corpus diſpergi medicamentum, non affirmabit, qui modo purgari homines aliquoties vidit.

B

CAPUT LVII.

Purgantium partem nullam in fumos verti, qui adverſus affectum locum progreſſi purgationem efficiant.

QUOD ab aliquibus de partis diſſolutione & converſione in fumos dicitur, qui aliquo uſque progreſſi virtutem ſuam, ſpeciei cujuſdam multiplicatione longius videlicet ad affectam uſq; partem extendant, tam eſt ridiculum maleq; conſutum, ut ne diſſuere quidem conari debeam. Diſſolvitur enim & corruit ſua ſponte, cum explicatur ſolum.
C Attamen quia operæprecium videtur hanc rem rectè cognoſcere, aliquid dicam. Quis neſciat particulam iſtam, quæ in fumum converſa fingitur, non purgare attrahereq; poſſe? Equidem ſi tertiam partē de medicamento quolibet exhibeas (ejus ſcilicet quantitatis quæ commovere hominis ventrem poſſit,) nihil purgabit, etiamſi totum in venas cū ſuccis ei admiſtis pertrahatur. Multò certè minus fumi iſti, quos paucos omninò eſſe oportet, aliquid, quod animadverti queat, efficiāt. Jam dixi, (quod nemo nō videre aliquando potuit) ita interdū medicamenta, præſertim duriora, per vomitū rejici, aut etiam cum excrementis excerni, ut ne decima quidē pars
D deceſſiſſe perſpiciatur. Cæterum ut hæc res excutiatur melius, ponamus jam partem medicamenti aliquam diſſolvi: & cum ex pedibus humor educendus ſit, ad genua uſque procedere. (Ratio prorſus eadem erit, ſive propius accedere ſive longius ab eo loco ſubſiſtere putes.) Quo pacto vitioſis humoribus onuſti fumi iſti ad

inteſtina retrocedēt? Certè niſi aut ſponte ſua redire eò, unde diſceſſerant, aut ab alio quodam retropelli ipſos cogitemus, falſa erit imaginatio. Atqui non ultrò redibunt ad ventriculum ſive inteſtina: niſi rationem eis tribuamus, qua quouſque progrediendum, quo & quando remigrandum ſit, intelligant. Hoc ſi ea pars habet, quæ progreſſa eſt, mirum videatur, ſi non in toto medicamento ratio & intelligentia inſit. Deinde quærendum hic etiam eſt, quomodo illo uſque proceſſerit illa pars medicamenti, ſponténe, an ablegata fuerit à toto? an potius ab affecta parte ſit attracta? Quod non ſua ſponte deſcenderit ad affecti pedis genu, facilè videt, qui rationem dari non poſſe intelligit, cur pars aliqua non potius, quàm totum eò proceſſerit. Si ideo factum imaginemur, quia pars tantum ſolvi in halitum potuerit, rurſus percunctabimur, cur non in ſanum pedem potius deſcenderit, quàm in ægrum, altero videlicet pede ſolo laborante? vix dicere audebit aliquis, in utrunque ex æquo deſcendiſſe: at ex altero tantum extraxiſſe: quia in altero nihil invenerit. Non enim tanta eſt horum fumorum copia ut diviſi virtutem ſuam ſervare queant. Quod melius intelliges, ſi in utrumque brachium diſpertitos etiam cogites. Supra quoque monui, medicamentorum eſſe trahi, non ſua ſponte aliquò procedere: niſi quatenus vel levitate ſurſum, vel pondere ſuo deorſum feruntur. Si attractos ab humore reſpondeat aliquis, Medicis omnibus contradicet: qui medicamentum fortius eſſe affirmant humore: ideoque hunc trahi, non autem trahere poſſe. Sed nec à membro quidem attrahi fumi iſti potuerunt. Primum, quia æquè ab utroque pede attrahentur: & validius ab eo, qui robuſtior eſt. Deinde cauſa erit reddenda, quomodo fumos iſtos pes à ventriculo uſque ad genua attrahere potuerit, propius ad ſe protrahere non valuerit. Certum eſt, facilius aliquid ex propinquo, quàm ex longinquo attrahi. Adde quod hoc etiam certum eſt, partes nullas medicamenta purgantia attrahere: ſed potius repellere, utpote ipſis inimica, noxia, & pernicioſa. Quod pars non ſit à toto ablegata, per ſe notum eſt. Non enim apparet cauſa, propter quam ablegari debuerit. Ac eſt rebus naturalibus inſitum, ut uniri & conjungi potius velint, quam ſeparari & disjungi. Nihil certè ſe ipſum per ſe dividit ac ſejungit. Et ſi aliud quippiam partem quamvis diviſerit, idem illud ne conjungatur iterum facilius multò efficiet. Minore multò labore, quæ natura unita ſunt, ac deinde ſeparata, ſervari ſeparata poſſunt, quàm ſeparari potuerunt. Neque partes inter pedes & ventriculum interjectas, ad pedes detruſiſſe facilè dixeris Si namque moleſti ipſis fuerunt, ideoque in vicinas partes protruſerunt, ut ab ipſis liberarentur, ad urinæ vias potius depuliſſent, quàm ad pedes. Quod tantò eſt probabilius, quantò renibus viciniores fuiſſe oportet: antequam vel ad utrunque vel ad alterum pedem perveniſſent. Nam ex ventriculo ad hepar: ex hoc in venam cavam: per hanc ad emulgentes tranſire ea oportet. Has ubi

ubi tranſierunt, ad pedes delabuntur per cavam venam diviſam, inque utrunque pedem diſtributam. At verò ſi pedem non ad genu tantum, ſed ad ſe uſq; attraxiſſe fumos iſtos cogites, ſciſcitabor non immeritò, quomodo ex eo, ubi ſe humoribus oneraverunt, abire queant. Etenim membra familiaria non attrahunt modò, ſed attracta etiam retinent: ut videmus Magnetem ferrum non attrahere ſolum, ſed etiam retinere. Profectò nihil trahit propter ipſum trahere, ut rectè Galenus ait: ſed ut retineat: non ſtatim à ſe dimittat. Et videtur facilius eſſe attractum retinere, quàm, quod abeſt, at-
A trahere: præſertim quod procul ſitum eſt. Intelligi de naturaliter trahentibus & tractis debet, quod dicimus. In cæteris enim ſæpe ſe trahi patitur, qui ſe retineri non patitur. Nec videtur retentio aliud eſſe, quàm tractionis continuatio. Quod quidem dum diſtaret, attrahebatur: idem illud cum propius accedere nequit, eadem illa poteſtate detinetur. Ergo ſi attrahere ex ventriculo per fumos potuit, facilius multò retinere attractos potuit. Non enim dicet quiſquam medicamentum & ire & redire cum libet: tractumque eſſe cum vellet: retineri quoque diutius non poſſe, quia retineri amplius nolit. Non enim ratione præditum eſt. Proinde ut ſua ſponte non rectè eò
B abiiſſe dicentur, ita nec redire dici poterunt. Ab alio igitur quopiã retrahuntur, aut certè ex affecto loco pelluntur. Non à parte pelluntur, quia familiaris ponebatur ei fumus iſte eſſe. Aliâs non fuiſſet ex ventriculo attractus. Non ab humore vitioſo in ea contento. Quoniam is trahitur, non trahit aut pellit: pellendoque ſequitur hoſtem aut amicum. Non ab alia quavis parte. Omnes enim odio habent: & accedentes ad ſe omnibus modis arcere ſtudent. Nec ſponte ſua redire ipſos humores onuſtos docui. Nec retrahi eos conſtat. Non ab aliqua parte, per quam antè tranſierant. Retinuiſſet enim eos antea, quàm ad pedes perveniſſent, ſi grati ipſi fuiſſent. Nec à medicamẽto
C in ventriculo inteſtiniſque relicto. Non enim ſiviſſet abire, ſi ad ſe revocare voluiſſet, niſi inſtar legatorum ſeu miniſtrorum amandatos putemus. Certè ſicut pars aquæ in vaporem ignis vi converſa nõ retrahitur à reliqua aqua, ita pars medicamenti actione caloris naturalis in fumum ſoluta, non repetitur ab integra. His adde, quod Gal. affirmat, idem non trahere idem: ſed ſimile. At fumi iſti, qui è pharmaco exhalaverunt ejuſdem ſunt cum toto pharmaco naturæ & ſubſtantiæ. Quid igitur hos fumos retropellet? partis affectæ natura? Quærenda eſt ratio. Reſpondebis in cauſa eſſe, quod moleſtiam exhibeant? Scio: aliud reſpondere non potes. Atqui eandem
D exhibebant cum accederent: ac fortaſſe majorem. Deinde cum trahere primum inciperent, cur non tum pellebantur? Cur exſpectatũ eſt donec ſe inſtar aſini oneraſſent? Cur non acceſſum potius prohibuit? aut cum mordere primũ incepere, ſtatim expulit? Adde quod retrocedentes iſti fumi cum attactorũ humorum ſarcina ſive copia, arcebuntur à partibus intermediis. Non enim facilè ad ſe patientur

accedere, ſed ad ægram partem repellent. Etenim in omni morbo
ita evenire videmus, ut noxia omnia ex omnib. aliis partibus trans-
mittantur ad ægras partes. Præcipuè autem partes propinquæ, quic-
quid habent ſupervacanei, id deponunt in partem infirmam. Nec
noxiis eam humorib. ſolum replent, verum etiam utilibus, ſangui-
ne & ſpiritu: quaſi opitulaturæ accurentes: ut à Galeno expoſitum
novimus. Quare quantò medicamentum purgans aut fumi ab eo
profecti magis affectam partem exagitabunt, tantò minus vicinæ
partes ad ſe admittent humores inde abeuntes: & ad ventriculum re-
gredientes. Pars ægra etiam facilius repulſos propter imbecillitatẽ A
recipiet, quàm ſanæ admittant: quibus vis expultrix minimè ignava
eſt. Quòd ſi retractationis fumorum & expulſionis pariter ex affe-
cta parte unà cum vitioſis humorib. cauſam ponas mordicationem,
(quàm medicamentum in ventriculo & inteſtinis derelictũ primis
venis inferat) non opus erit iſta fumorum dimiſſione. Deinde non
purgabant medicamenta certas partes, quia cum ipſis ignota qua-
dam virtute conveniant, (aut diſſentiant, ut alii quidam voluerunt)
ſed quia venarum principia vellicant: ac virtutem expultricem hoc
modo ſuſcitant.

B

CAPUT LVIII.

De nimia purgatione, quam ὑπερκάθαρσιν Græci vocant.

SI hoc loco perpendere volemus, quæ Galenus de ſuperpurgatio-
nibus ſcripſit, haud inficiabimur omninò plurima purgare abs-
que illa amicitiæ familiaritatiſve neceſſitudine incognita: quia ſci-
licet venarum principia acrimonia ſua vellicare nimis queant. Val-
de probabile eſt, ita fieri purgationes, ut ſuperpurgationes fiunt.
Harum Galenus non unam cauſam adfert: licet in unam mordica- C
tionem non malè omnia præcipuè referantur. Quod de apertis va-
ſis dicit, in homine vivo non habet magnum momentum ad præſen-
tem cauſam. Semper enim iſtæ venæ ita ſunt recluſæ, ut humores
prorſum retrorſumque ferri, & quidem craſſos admodum exſiſten-
tes, certum ſit ſive trahantur, ſive pellantur. Nec imbecillitas quo-
que earum, cauſa eſt alicujus momenti; Non enim vacuantur hu-
mores, quia non retinentur in ſuperpurgationibus: ſed quia vis me-
dicamenti non deſinit irritare. Præterea vacuarentur ob hanc cau-
ſam illa duntaxat, quæ in loco debilitato continentur. His expulſis,
nihil exiret amplius. Cæterùm ex univerſo corpore, quo debilitas D
non facile potuit exporrigi, vacuantur primum noxia: cùm facultas
expultrix excitata eſt. Si non ceſſet irritatio his vacuatis, ſuccedunt
etiam mox utilia. Sanè ut debilitas vaſorum, quæ ad inteſtina per-
tinent, & eorundem recluſio, ad rem aliquid faciant, ut facere non
nego, præcipua tamen cauſa eſt, vel ipſo Galeno teſte, medica-

menti

menti acrimonia, vaſorum principia vehementius mordicans, & veluti erodens.

CAPUT LIX.

Plurima purgare eroſione & mordicatione ſola.

AC eſſe talia plurima, quæ eroſione & mordicatione tantum purgent, vix quiſquam arbitror, negabit. Etenim pulvis Dioſpolitici medicamenti craſſiuſculus, piper, hyſſopus, radix pyrethri, capita Thymi, Pulegium, Euphorbium, & alia hujus generis propè
A infinita, non ſecus purgant. Argumento vel hoc ſit, quod niſi in magna copia, (præter Euphorbium, cujus caliditas omninò acerrima eſt, exhibeantur, aut non movent omninò, aut leviſſimè. Oportet enim copiosè ſumi, ut vinci à facultate non facilè poſſint concoquente: aut ventriculum cum inteſtinis valdè ſenſibilem eſſe: aut certè non benè contuſa exhiberi, ut tardè propter craſſitudinem penetrent. Hoc aut ſimili penè modo, cibi omnis generis, qui aut qualitate moleſti fiunt, aut quantitate ſola offendunt, interdum feliciſſimè purgarunt, humoresq; infernè & supernè eduxerunt. Vidi ego hoc pacto quoſdam à quartana ſubitò liberatos, humore putrido o-
B mni expulſo Cui rei fidem facit inprimis naturalis alui ſubductio. Etenim deſtinavit natura huic muneri flavam bilem, inq; inteſtina vacuari ideo voluit, ut acrimonia ſua excitaret ipſa ad expulſionem excrementorum. Non enim deterget ſolummodo fæces inteſtinis ac ventriculo adhærentes, verum etiam irritat eadem: & propellere vitioſos humores quaſi cogit. Argumento eſt, quod regio morbo laborantes ex obſtructione meatus veſicæ bilis, per quem in inteſtina eam evacuat, tardius multo, quam antè excremēta dejiciunt Quinimò alvus pleriſq; multum adſtringitur In cauſa eſt, quod bilis inteſtina non vellicat: & ad opus ſuum peragendum non excitat. In-
C dicant excrementa alba nullaq; flava bile permiſta, ita rem habere. Indicat non minus certè curatio. Cum primum namque bilis rurſus in intena effunditur, procedunt excrementa ſicut anteá: nullumque amplius percipitur impedimentum. Hinc nemo non intelligit, cur in diſenteria tam crebræ fiant egeſtiones: tametſi in ima ventris inteſtinorumque parte mordicatio fiat. Plus movent, quæ ſuperiores partes mordent venarumque principia vellicant. Ratio eadem aut certè non multum diſſimilis eſt in teneſmo. Hinc etiam eſt, quod multi à placentis piperis copioſo conditis, (quas ad diem natalitium Chriſti vendere, & pro bellariis toto anno poſt cœnam apponere
D convivis ſolent, purgantur commodè cum à cœna ſumunt. Ante cœnam ſi ſumant, cum eſuriūnt adhuc, nihil commodi inde percipiunt. Cauſam hujus rei perveſtiganti, nulla occurrit alia, quàm quòd hepar egens, validè ad ſe talia cum humoribus permiſta trahit: unde acrimonia eorum obtunditur: ac ſecreta mox per urinam acria expelluntur. At ubi in ſuccum tam citò vertere nequit,

nec roſionem ferre quoque valet, per inteſtina depellere ſtudet unà cum noxiis humoribus, qui circa illa loca collecti ſunt. Nam expultrix facultas, quoties ad agendum vehementius incitata eſt, non illud modo abjicit, quod moleſtiam peperit, ſed quicquid inutile ei occurrit, ſimul exturbare conſuevit. Quod faciſius facit, ubi hepar quantum vult ſucci familiaris attraxit: & quæ mordicant penè ſola in inteſtinis relicta ſunt. In ventriculo, dum copioſo humori permiſta continebantur, mordere non tam facilè poterant: ut poſtea, cum ſinceriora facta ſunt. Hoc ferè modo illa quoque purgant, quæ umbilico imponi ſolent. Talia namque calida, tenuia, mordacia cum ſint, facilè virtutem expultricem inteſtinorū & partium vicinarum excitant expulſionem. Quæ cauſa eſt, cur certos quosdam homines purgent, quæcunque dolorem in ventre pariunt. Novi non unum tantum, quos vina acerbiora, quæ vim ſiſtendi & cohibendi habent minimè levem, valenter purgant, adeoque magis quàm medicamenta. Sed nunquam ſine magno dolore præcedente, & multorum flatuum excitatione id efficiunt. Neque vina hæc ſolum, ſed etiam alia, quæcunq; flatus generant multos, ut ſunt factitia quædam & cibi quoque horum procreatrices aliquibus ſimiliter alvum turbant. Ex quo perſpicuè intelligitur, per irritationem virtutis expultricis talia univerſa alvum movere. Sic qui diarrhœis corripiuntur, aut aliâs ſponte ſua vacuantur, purgari videntur etiam. Hic enim quoque virtus expultrix ab infeſtantis humoris vel copia vel qualitate concitata, noxia expellit. diſcrimen ergo illud ſolummodo inter hos modos eſt, quod in priore virtus ab externa, in poſteriore ab interna cauſa excitatur. At perinde excitatur, ac ſi pharmaco purgante excitata fuiſſet. Nec minus juvantur, qui ſic purgantur, quàm ſi aliud quodvis medicamentum ebibiſſent: quacunque in parte morbum ſentiant. Dico quod certa experientia verū eſſe cognovi. Haud aliter ſenſit Galenus in libro de opt. ſecta. Siquidem cap. 40. cum probare inſtituiſſet tempora non indicare: quoniam uſum remediorum interdū prohibeant: exemplo virium imbecillarum evacuationem prohibentium propoſitum illuſtrat ſimul & comprobat. Deinde Aphor. Hipp. 29. ſectionis 2. Inchoantib. morbis ſi quid movendum videtur, &c. objecturis, ſic reſpondet. Hippocratem non ratione temporis id percepiſſe, ſed propter vires, quæ inter initia morborum adhuc conſtent, vacuationemque tolerent, in vigore autem minimè ferant: propterea quod ſine noxa talia medicamenta nunquam adhibeantur. Poſt hæc ita ſcribit: „Etenim remedia primum quidem, quia omnia præter naturam ſunt, neceſſariò & facultatem adhibita vexant. Secundo, cum naturalia ſeu familiaria morbificis cauſis permiſta ſint, in cauſarum ablatione non minor bonorum quàm vitioſorum vacuatio fit. Primum autem non oportet ignorare naturam auxiliorum, & uſum quem hæc præbent. Ipſa namque per ſe medicamenta non poſſunt cauſas exſtirpare, ſed indigent

digent naturæ adminiculo: & fermè ſolum impetum & principium «
motus naturæ injiciunt: reliqua autem per ſe natura perficit. Et cæ- «
tera, quæ ſequuntur uſque ad finem 41. capitis. Ex his Galeni verbis non eſt difficile videre, eum de purgantibus præcipuè medicamentis loqui. Deinde apparet illud etiam, non mittere ea fumos de ſe ad remotiores à ventriculo partes, quorum præſidio & opera humores iſtic hærentes ad ventrem pertrahant vel alliciant. καὶ σχεδὸν μόνην τὴν ἀφορμὴν καὶ τὴν ἀρχὴν τῇ φύσει ἐνδίδωσι, τὰ δὲ λοιπὰ ἡ φύσις δι' ἑαυτῆς ἐκτελεῖ. Solam propè occaſionem adferre, & excita-
A re naturam judicat ad expulſionem noxiorum, quæ ipſa hoc modo irritata per ſe deinde exturbet ex corpore, cum eſt valida ſatis. Quocirca poſſunt eam ad excretionem incitare, quæcunque in primis venis diutius conſiſtunt: & acrimonia ſua harum oſcula vellicant: nec intra venas recepta & humoribus aliis permiſta mox ciborum more diſtribuuntur.

CAPUT LX.

Hiſtoria quorundam, quibus ſolo odore purgantium
B *alvus turbatur.*

CUM his conſonat experientia: quæ docet inveniri aliquos, qui ſolo purgantium odore commoventur & purgantur. Scripſit Guainerius, ſi non me fallit memoria, jam diu enim non legi:) Ducis Sabaudiæ Medicum quendam catapotia ex Pharmacopolio in manibus domum geſtaviſſe, & ab illis nihilominus ſtrenuè perpurgatum fuiſſe, quàm ſi deglutiviſſet. Quin teſtatum compertumque eſt etiam idiotis, nonnullos ad certorum medicamentorum (aut etiam ciborum, quos faſtidiunt,) vel odorem vel conſpectum (Apud
C ægros frequenter hoc fieri nemo neſcit) vel mentionem ſolam ita permoveri, ut nauſeent atque etiam vomant interdum, aliquando etiam per inferiora purgentur: prout expultrix ventriculi vis ſurſum aut deorſum incitata eſt. Etenim non aliter nec aliam ob cauſam iſta evenire certum eſt. Quoniam ab odore talium, dum ita commoventur, ut exhorreant, facilè tunc irritatur facultas expultrix ut exſurgat, & quæ noxia in corpore ſunt expellat. Quod ſi non ſemper id fit, in cauſa eſt, quod non ſimiliter multi humores vitioſi in corpore collecti ſunt. Quippe ne hauſta quidem medicamenta eodem ſemper modo corpus movent. Quocirca non eſt mirum hoc illi
D Medico ſemel accidiſſe: quantumvis putetur hujuſmodi medicamenta perſæpe antea ſine perturbatione ventris odoraviſſe. Non poſſum hoc loco non commemorare, quod amicus meus ſummus & collega chariſs. vir in omni doctrina præſtanti feliciſſimè verſatus. D. Sigiſmundus Melanthon mihi narravit de honeſtiſſima fœmina mihi non ignota affinitate ipſi juncta. Hanc ita permoveri purgan-

tium medicamentorum odore ſolo aſſeverat, ut, ſi proximè pharmacopolium tranſeat, odoremque talium percipiat, pulchrè purgetur: & quidem magis quàm vellet: medicamenta in ſuis ædibus talia minimè eam ferre poſſe ait. Sanè non eſt mirum, odorem viroſum illum pharmacorum eos, qui ab his tota natura abhorrent, ita percellere, ut toti concutiantur: & facultas expultrix excitata facilem alvum turbet. Interim verò, cum hæc dico, non illud ſentio, quæcunque purgant, hac ratione ſolum purgare, quia acrimonia ſua primarum venarum ora ſtimulent ac mordicent. Scio enim alia quoque quædam purgare per occultam proprietatem: non primi quidem generis (tale etenim nullum vidi, quod meminerim) ſed ſecundi: quæ exiguo calore, (nullo dicam, nullaque perceptibili acrimonia prædita plerunq; ſunt. Sed hoc dico, non potuiſſe me hactenus videre, quo pacto ex propriè purgantibus alia caput, alia pedes, alia alias partes magis purgent potentia incognita, (Nam per notas qualitates hoc etiam aliqua facere, nihil omninò dubito) quàm ventriculum inteſtina, & partes hepati vicinas: ad quas ſolas perveniunt. Sanè Galenus in eadem prorſus fuit ſententia, ut ex cap. 13. lib. 3. de potent. nat. cognoſcere unuſquiſque poteſt. Haud ſcio an planius aliquid dici in hanc ſententiam queat, ita perſpicuè quomodo remotiores partes vacuentur à purgante medicamento, exponit in eo, quem modo citabam loco. Confirmat ſententiam noſtram, quod veteres pariter ac recentes Medici magno conſenſu affirmarunt purgantia ſic propriè nominata, totum vacuare corpus: quodque ab illis quæ partem aliquam præcipuè purgant, diſtinxerunt. Certum eſt ex ſupradictis, atque ex optimorum authorum conſenſu, medicamenta in ventriculo & inteſtinis conſiſtentia humores extra corpus expurgare. Quare fateri oportet, medicamentum, quod pituitam exempli gratia, detrahere dicatur, aut obviam quamlibet ad ſe pituitam attrahere, (ut quæ circa hepar, in meſenterio, & cava vena exſiſtit,) vel eam ſolam, quæ in affecta parte, ut capite, acervata fuit. Hoc dici nequit. Quomodo enim probabitur? Nam non pituitam, ſed pituitam in capite collectam tunc trahere ſolum poſſet. At ſæpè non differt natura & ſpecie pituita, quæ in capite continetur, ab ea, quæ in aliis partibus inhæſit. Deinde medicamenta pituitam purgare valentia, oporteret multa nos habere, ſingulis ſcilicet partibus ſua: quod abſurdum foret: ſimilis ratio eſt de purgantibus humores alios quoſlibet Poſtremò patet, cum tumoris pituitoſi alicujus cauſa medicamentum pituitam detrahens exhibuimus, non ſtatim à purgatione tumorem ſubſidere, ſed poſt multos ſæpè, aut duos, tres, pluréſve dies. Ex quo conjicimus, non ex affecto loco, ſed ex locis circa hepar expurgatam illam fuiſſe, quæ excreta fuerat. In hujus locum humorem vitioſum alium natura verſus inteſtina repoſuit: ut nonnunquam etiam ex affecto loco in propinquas partes aliquid derivarit. Hoc modo ſæpè mittimus ſanguinem, nec tamen

A B C D

men ex affecto loco vacuamus: quod in locum emiſſi ſanguinis, alium à natura derivari conſtet: ac ſic affecto loco præſidium quæri & inveniri. Nec in ſanguinis miſſione ſola, locum hoc habet. Certè Galenus in purgatione idem fieri, exemplo humorum, qui ad cutem collecti ſunt, docet. Scabie laborantes hac de cauſa ſæpius, interpoſito duorum triúmve dierum ſpacio purgamus: ut interea humores in venas regreſſi vacuentur commodius. Quanto ſucceſſu id fiat, nemo exercitatus in arte Medicus neſcit. Si Galeni ſententiam cognoſcere cupis, in lib. de potent. natural. tertio cap. 13. & in 4. de
A tuenda ſanit. cap. penult. perſpicuè ſatis expoſitam reperies.

CAPUT LXI.

Perperam purgantibus miſceri ad affectam partem ea deducentia.

QUAM ob cauſam non immeritò fortaſſe miretur aliquis Medicos quoſdam qui purgantibus miſceri jubent alia quædam,
B quæ ipſa ad affectum locum perducant. Quod non eò penetrent, ſed in ventre & in illa vicinia tantiſper permaneāt, dum unà cum noxio humore vacuentur, certius eſt, quàm ut addubitare amplius vel debeas, vel poſſis. Nunquid fruſtra comites itineris adhibemus, cum illud non ſint ingreſſura? Nec excuſari poterit, ſi non ipſa, ſed virtutem ſeu qualitatem eorum occultam illò perduci oportere objiciatur. Nam quomodo illa ſine ſuo proprio ſubjecto quoquam duci queat, non poteſt animo quiſquam comprehendere: ne dum verbis eloqui. Deinde quomodo incorporea virtus à corpore alieno, cui non inſidet, deportabitur in certum aliquem locum? E-
C quidem Hippocrates atque Galenus imperarunt, ut purgantibus odorata admiſceamus, quibus os ventriculi aliæque partes corroborentur: ut ſic à purgantibus minus offendantur. Præceptum de admiſtione eorum, quæ ad certas partes deducant apud Meſuem quidem legi: apud Galenum me legere hoc ſenſu non poſſum meminiſſe: de purgantibus medicamentis hic tantum loquor. Non enim ignoro urinam cientibus & aliis hujuſcemodi remediis ea admiſceri debere, per quæ ocyus & commodius ad deſtinatum locum perducantur. At purgantia oſtenſum jam eſt circa ventriculum hærere, non ad affectum uſque locum excurrere. Sed fruſtra hic
D tempus tero, cum abunde demonſtratum ſit, medicamenta purgantia pituitam, bilem, purgare non eam ſolum, quæ in una parte quapiam continetur, ſed omnem illam, quam attingere valent.

CAPUT LXII.

Quomodo purgantia, ſi non abeunt ad partes ægrotantes, eas juvent?

QUO pacto ergo, percunctaberis fortè hoc loco, medicamenta ægrotantibus partibus proſunt? Expoſui hanc rem paulò antè apertè ſatis. Non gravatè tamen pluribus declarabo. Intelliges autem perfacilè, ſi attentè obſerves, quo nonnunquam natura certas partes, corpore per nullum medicamentum moto doloribus liberet. Uſuvenit frequenter admodum, ut pars aut membrū aliquod corporis propter influxum materiæ vehementi dolore affligatur. Ab hoc facultas expultrix excitata & commota, humorem qui doloris cauſa erat, præter & contra cum ægri tum Medici exſpectationem ex affecto loco exturbat: & in oppoſitum membrum, (qui ferè motus Naturæ familiaris eſt.) vel in aliud quodvis transfert. Quod cùm fit, non dubium eſt, quin ita præter ipſius propoſitum, ut ſic dicam, fiat: ideo ſcilicet, quia non potuerit plenè regere peccantem humorem: &, quo debebat, deponere. Nam ſi abſolutè humori dominaretur, & quo vellet propellere poſſet, non ex uno membro in aliud traduceret, ſed extra corpus ejiceret. Jam verò dum uni parti conſulere tentat, aliam in diſcrimen, licet invita id faciat, adducit. Attamen prior pars dolore omninò, ſiquidem omnem potuit humorem expellere, aut maxima ex parte liberata perſentitur. Plerunque in iſto caſu accidit, ut aliqua humoris pars penitus ſe in muſculos inſinuet, ac ſub membranas altius occultet, quàm ut cum cæteris, qui levius impacti adhuc erant, ejici à virtute poſſint. Hoc tempore affectū membrum dolore non omninò quidem, ferè tamē liberatur. Tam frequens eſt hæc naturæ actio in dolorib. circa articulos, ut vulgus apud nos morbum, in quo tam ſæpe materia de uno in aliud membrum decurrit, mobilem ſive diſcurrentem arthritim, (quanquam parum rectè) appellitet. Dum ita mobilis eſt humor, certum eſt, ipſum ſæpe pharmaco exhibito ſic vacuari, quomodo, dū in acutis morbis turgent, per initia morborum à medicamentis expelluntur. Irritato namque corpore à pharmaco, facultas expultrix in remotioribus etiam partibus, ubi à vitioſis humoribus jam ante premebatur, commovetur: & ſic humorem expulſioni paratum, ad eum uſq; locum propellit, ad quē incitatrix pharmaci vis pertingere poteſt. Sanè dum in motu natura eſt, ac materiā ſive cauſam doloris ex aliquo mēbro depellere conatur, ſi quid inteſtina & vaſorū initia vehementius vellicet, facilè eò inclinat & quàm aliò fortè depulſura fuerat, propter meatuū commoditatē, ad inteſtina protruſerit. Hæc cauſa etiā eſt, cur in turgente materia non etiā exſpectata cōcoctione ſeu evictione, purgare liceat. Perrarò in hoc loco, qui ita mobilis eſt humor, extra venas omnis egredi mihi viſus eſt, ſed intra ipſas plerūq; adhuc

adhuc magna ipſius pars continetur. Argumento eſt, quòd tunc exiguus ferè in affectis partibus tumore, aut nullus apparet: cutiſque color ſæpe minimè mutatus: nonnunquam leviter ſolum rubere videtur. Deinde illud etiam, quod non ita facilè regredi in venas poſſet, ac per eas aliò deferri. Veruntamen non nego cum Galeno, quin aliquando, qui ex venis humor exierat, in eaſdem rurſus ingrediatur: & per eas à circumferentia ad centrum & inteſtina perferatur. Etenim cùm nuper admodum effluxit, nec dum impactus eſt, non tantum per medicamenta retrahi poteſt, verum etiam ſua A ſponte ſæpe retrocedit. Atque in præſenti morbo, tumores membrorum ex humorum translatione brevi temporis ſpacio evanuiſſe, non ſine admiratione aliquoties conſpicatus ſum. Cæterùm qui impactus jam eſt, non tam facilè, nec niſi ſummo naturæ impulſu conatuve, (ut in criſibus contingit) ex affecta parte pellitur. Hoc pacto ſtimulata natura à pharmaco purgante, nonnunquam humores ex affecto membro ad inteſtina deponit: quantumvis ad illud vis pharmaci extendi non potuerit. Quod ſi non ſtatim facit, attamen poſtea paulatim ex ægrotante parte materiam in locum vacuatorũ reponit. Si namque tunc, cum purgatum corpus non eſt, ſæpe ex B membro, in quod confluxerant, diſcedere cogit, facilius hoc ipſum irritata faciat. Nullus in arte noſtra cũ judicio verſatus & exercitatus ignorare poteſt, quin totum ſæpenumero corpus per vomitum purgetur. Equidem antiqui non infrequentius ferè vomitoriis medicamentis quàm per inferna purgantibus uſi ſunt: etiamſi morbus in extrema aliqua corporis parte conſtitiſſet. Nec minus hoc modo illi profuerunt, quàm καθαρτικοῖς nos proficiamus. Attamen nec vomitorium medicamentum ad membra illa usque ire eſt neceſſe. Sed natura noxam in ventriculo percipiens eò protrudit excrementa, ut quotidie cernimus. Similis eſt in purgantibus quoque ratio. At- C que hæc una cauſa eſt, cur medicamenta purgantia propinemus illis, qui partem aliquam ægram habent, propter materiæ alicujus in ipſam decubitum. Sive enim ſtatim inde pellatur, ſive poſt in vacuatorum locum ſuccedat, non refert. Parti laboranti ſemper, ſi non per ſe, per accidens ſaltem prodeſt. Altera eſt, cùm non quidem ex affecto loco educere aliquid ſtudemus, ſed ne quid ex reliquo corpore ad eundem confluat, cavere volumus.

D

CAPUT LXIII.

Epilogus eorum, quæ de purgantibus diſputata ſunt.

ERGO ut tandem finem faciam, ſic ſentio: medicamenta purgãtia, (quibus hactenus utimur, & quæ cognoſcimus hodie) in vẽtriculo & inteſtinis hærentia promiſcuè ex omnibus corporis partibus expurgare, quod pro ſua natura educere ſingula poſſunt. Si tan-

tum humoris, quantum ducere queant, circa hepar, ventrem, inteſtina, meſenterium inveniatur, non vel ex capite vel pedibus expurgare ea potius exiſtimo, quàm ex his ipſis partibus, in quibus humorem aptum reperient. Impoſſibile namque eſt agens naturale, in præſens objectum quod ab agente pati queat, non pro totis viribus ſuis agere: ut non modo univerſa ratio & Philoſophia, ſed etiam Galenus de nat. facult. 3. cap. 7. teſtificantur. Quomodo verò vel ex his locis exturbaſſe humorem vitioſum, remotis quoque partibus prodeſſe queat, expoſitum verbosè ſatis fuit. Certum eſt aut bonos aut malos, in locum, ex quo vacuati alii ſunt, reponi: præſertim ſi ea quantitate vacuati ſint, ut vacuum reddere ſpatium aliquod videri poſſint. Utrum horum fiat perveniet tandem motus iſte ad membra etiam longius diſſita: in non plenis corporibus temporius, in plenis tardius, ſive poſt plures vacuationes. Quare quæ aliquibus ex articulis ſingulariter evacuare humores certos putantur, unde vulgò, depravatè tamen, arthetica appellantur, illa ego humoris illius expurgandi vim habere exiſtimo, qui plerunque in articulos decũbere ſolet. Ratio ſimilis eſt pharmacorum capitalium vocatorum (de purgantibus ſemper loquor) & cæterorum omnium talium. Si quis aliter ſentit, is me non minus æquum propterea amicumq; habebit. Quinimò ſi meliora argumentis docuerit, immortali me ſibi beneficio devinciet. A B

CAPUT LXIIII.

De viribus hydrargyri nonnulla.

DE Hydrargyri & Stibii, quod Antimonium vocant, materia, natura, viribus, uſu, nihil ex profeſſo, ſed ea tantum dicam obiter, quæ jam mihi in mentem veniunt: & ſic dicam, quomodo mihi occurrunt. Nihil nunc explorati de tota eorum natura affirmare tibi poſſum. Hydrargyro in ſuffumigiis & unguentis pro morbo Gallico tunc uſus aliquando fui, cùm aliorum remediorum experientiam nullam adhuc haberem. Poſtea hiſce tanquam parum tutis, at accommodatis remediis uti deſii. Intra corpus nulli unquam auſus ſum vel hydrargyrum vel præcipitatum, vel alia hujus farinæ propinare: nec bona conſcientia ab ullo præberi poſſe judico. Quare de hoc plura non dicam. C

CAPUT LXV.

De viribus & Antimonii uſu quædam. D

PRÆPARAVIT hic Stibium per calcinationẽ, ita ferè, ut Mathiolus docet, D. Sigiſmundus Melanthon præſtantis doctrinæ Medicus: ac præter ſalem nihil admiſcuit res pulcherrimè ſucceſſit. Redditum eſt ſplendidum, & pellucens inſtar vitri, rubrum pariter ac fragile. Et ſanè non videtur hoc medicamentum naturæ vitri ex-

pers

pers eſſe quo mihi nomine magis eſt ſuſpectum. Certè qui ex noſtratibus nomen ei indiderunt, & Spießglas appellarunt, in eadē ſententia fuiſſe mihi videntur. Non neſcio interim aliis aliter videri: & ex ſulphure, argento vivo, argento vero, (quidam etiam auri neſcio quas venas ac ſemina ſomniant,) componere. Hoc poſteriore modo præparatum auſus ſum hypochondriaca melancholia laboranti, quatuor granorum pondere, ter exhibere. Verùm ſine fructu fuit quamvis per vomitum multa æger (non ſine magno dolore) pituitoſa & bilioſa excrementa rejeciſſet. In proprietatem latentem
A primæ ſpeciei, vix, puto, reducetur hæc ipſius actio ſeu facultas, qua tanto impetu vomitum ciet. Quippe absq; delectu omnes ipſum humores vacuare intelligo. Quinetiam grumos ſanguinis unà cū cæteris humoribus nonnullos per vomitum rejeciſſe ex illis, qui ipſum hauſiſſent, audivi. Quæ ſi vera ſunt, communi quadam deleteria virtute agit, non propria quadam. Quod n. æqualiter obvium quemlibet humorem exturbat, inſtar vomitoriorū aliorum vacuare cēſendum eſt. Adde quod in præparatione formam aboleri, & ſolas materiæ qualitates relinqui neceſſum eſt. Præparationis finis is eſſe dicitur, ut quæ in eo malefica ineſt qualitas, hoc modo auferatur: atque
B minore deinceps periculo uſurpetur. Siquidem aliquid ei præparatio aliud addere putetur, ſolam tenuitatem partium attulerit. Omnia enim metallica uſta tenuiora efficiuntur, quàm ante uſtionem eſſent. Ergo ſi virtutis ipſius ratio reddi ex notis qualitatibus non poteſt, relinquitur eam temperamenti & materiæ proprietatem ſequi. Audio namq; calorem in eo etiam concinnè præparato nullum aut perpuſillum deprehendi. Certè tantus non eſt, à quo ventriculus ita moleſtetur, ut à ſumpto pharmaco iſto moleſtari eum cernimus. Quocirca ignota ſic etiam erit cauſa, licet aliquantò ad ipſius cognitionem accedere propius poſſe videamur. Saltem illud intelligimus, temperamentum ipſum obtinuiſſe corpori noſtro prorſus inimicū: & hinc
C vires ei adeſſe irritandi tantas, quę expultricem facultatē cogat tanto cum impetu ex corpore bona ſimul cum malis ejicere inſtar præcipitati Mercurii: ac ſimilium venenoſorum pharmacorum. Et ſanè Mercurii particeps ipſum eſſe, vel hinc intelligeremus, etiamſi nemo nos monuiſſet. Non aliter ſanè tam citò, tam violenter, tam multos, tam varios, tam craſſos, lentosq; humores per vomitū ac ſeceſſū expurgaverit. Referunt vix dimidiam in corpore horam manere cū ventriculum incipit affligere, illorum more quæ violenter vomitū cient. Nonnunq̃ ſedato jā vomitu, per inferiora etiā purgat. In cauſa
D eſt, ſicut exiſtimo, ꝙ partes aliquæ ipſius ad inteſtina delapſæ ſunt. Sic angi natura ab hoc medicam. videtur, ut per oēs vias expellere celerrimè conetur. Quod quomodo uſu veniat, ex ſupradictis perfacilè intelligi poterit. Nam ſi vel odor, vel conſpectus medicamentorum nobis adverſantium corpus concutere totum poteſt, ac præterea alvum turbare, quoties excrementis redundat, nihil miri accedit, cùm

ab in-

ab ingeſtis natura multò magis ac gravius affligitur. Referebat nuper mihi Medicus Illuſtriſs. Principis, D. Marcus Reckhaw, ſe ex nobili fœmina, cui fuiſſet exhibitum audiviſſe, viſum ei eſſe animã è corpore exiiſſe: atque circa lecti cœlum aberraviſſe. Tandem perrupiſſe medicamentum, & alvum turbaviſſe. Affirmavit mihi Marchionis Badenſis Philiberti Medicus, ſe aliquot noviſſe, quibus ex ejus uſu venæ in pectore aut pulmonibus ruptæ ſunt: quique phthiſici perierunt. Pharmacopœi etiam noſtri famulus, ut ſe à peſte præſervaret, ſumpſit ipſe grana, opinor, quinque. Paulò poſt erumpente ex ore ac naribus ſanguine, ſenſu & mente amiſſis tertio die animã efflavit. Hujus generis hiſtorias recenſere plurimas poſſem, ſi res poſceret. Qui ſapit ex recitatis perſpiciet, quanto cum diſcrimine hujuſcemodi devoranda exhibeantur à rudibus, & ſæpe immaniter impiis, non Medicis, ſed Carnificibus. Aurifex quidam Cracovienſis teſte Antonio Schnebergero Medico, peſte correptis exhibere auſus eſt denarii pondere cum cereviſia & butyro. Nec mirum eſt Idiotas in talibus audaces eſſe, cùm periculum non intelligant: ſed quod uni per accidens fortè profuit, omnibus profuturum putent. Sic interdum eos morbos expellunt, quos Medici præſtantiſſimi vix fuerant curaturi. Ea namque exhibent, quæ aut naturam proſternant, aut morbi cauſam tollere cogant. Qui hoc modo pereunt, quavis potius alia cauſa, quàm vi medicamenti exhibiti periiſſe ipſis putantur. Qui à me huc usque cogniti ſunt tam audacter exhibere, omnes imperitiſſimi artis Medicæ, (ut cæteras virtutes eorum ſileam.) fuere. Qui Deum credit malefactorum vindicem ultoremque, is à noxiis medicamentis, cùm ad manum ſunt alia, diligenter abſtinebit: ne quando homicidii, accuſante conſcientia, reus fiat. Parum profuerit novendecim curaſſe periculoſo curationis genere, quo vigeſimus aut trigeſimus ſit necatus. Ut breviter, quod ſentio, dicam, ſic judico: Vomitorium eſſe violentum. Si quas præterea vires habet, quas habere ipſum non nego, maleficas & noxias eſſe ajo. Ac tantò ſunt inimiciores nobis, quantò in minore quantitate tanta cum vehementia perturbare corporis noſtri facultates poteſt. Audivi ab homine in arte Medica, præſertim verò Chirurgia exercitato, obſervatum à ſe eſſe, hujus pharmaci uſurpationem Symptomata induxiſſe, qualia ſolent argenti vivi, ſublimati, præcipitati, uſum conſequi. Niſi vehementer fallor, vidi ipſe quoque ægrum miſerè pereuntem, cui ejuſcemodi quippiam exhibitum fuerat. Nam os, fauces, gingivæ, & gula etiam exulcerata erant: & profluxerat incredibilis putridæ ſaniei copia. Tandem exulceratis & ruptis in pectore venis interiit. Participare naturam hydrargyri hoc etiam declarat, quod ſimiliter ſuperiora petit: atque alia quædam facit, quæ illud facere conſuevit. Scriptum eſt mihi ex urbe magna & celebri, exhibitum peſte laborantibus ibidem fuiſſe compluribus, (itemque aliis etiam malis oppreſſis,) & infelici eventu. Alios enim mortuos, aliis inteſtina, aliis

A

B

C

D

ventri

ventriculum, aliis alias partes, collum, os, &c. ita afflictas fuiſſe, ut vehementer optarint nunquam vidiſſe hoc pharmacum. Atque hujus vi & malignitate mala enumerata accidiſſe ſcribebatur. Ut ſemel tandem omnia dicam, non minus tutum cenſeo Stimmeos uſum, ſi intra corpus ſumatur, quàm vel hydrargyri, vel præcipitati, vel ſublimati: & ſimilium. Quoniam in exigua quantitate vires maximas habet, atque ob id ſine nauſea ſumi poteſt, commendatione dignum eſſet, niſi plus malefica virtute noceret, quàm vomitoria poteſtate juvat. Eſto, robuſtioribus ad vomendum idoneis, ventriculumque
A carnoſiorem nactis, aliquo tempore profuerit: an ob id tanquam medicamentum laudari dignum eſt? Non arbitror. Quicquid enim ſuapte natura & propriis inſitisque viribus tempore ac modo debito exhibitum nocere poteſt ac ſolet, tametſi aliquo tempore nõ nocuerit, hoc, ut noxium pharmacum, meritò rejicimus. Quis enim ſanus jubeat aliquem de loco alto reſilire, & non potius per ſcalas deſcendere, quia unum alterumque ſine offenſa deſiliiſſe vidit? Adjiciam hoc quoque, ex compluribus, qui eo uſi ſunt crebrius, vix unum mihi viſum eſſe, qui fructum ex uſurpatione perceperit. Et ut commodi nonnunquam ex eo ſumentibus aliquid enatum conce-
B damus, quis, rogo te, hactenus deſipiat, ut tantulum commodum periculo tam manifeſto redimendum putet? Conſultius eſſe nullus neſcit, tempore paulo longiore & tutò curari, quàm paulò breviore cum certo vitæ periculo ſanari.

CAPUT LXVI.

Refutatio rationis, qua Paracelſici uſum Stibii commendant.

C AUDI verò, quàm futiliter nobis pharmaci hujus authores id nobis commendent. Solum inquiunt, metalla cuncta purgat à ſordibus: maximè omnium aurum. Hoc enim innoxiè purificat: cætera corrumpit ac perdit. Veriſimile porrò eſt, quod nobiliſſimum metallorum ab omni immunditia liberat, homini quoque inter animalia nobiliſſimo ſimiliter conducere. Quis nõ hic videat omnia eſſe inepta: putida, falſa? Quippe ſi rectè colligunt inertes iſti, firmè quoque argumentabimur, ignem citra noxam hominem ab omni ſorde purgare. Etenim ignis eadem facit: aurum ſcilicet abſque detrimento & læſione aliqua maximè omnium purificat: cum reliqua
D metalla univerſa tandem perdat. Hoc de homine qui affirmare audet, haud aliam reſponſionem meretur, quàm ut vel in ignem conjectus vel igne hauſto ab immunditia purgetur. Si miſtionem eandem vel ſimilem obtinuiſſent homo & aurum, tolerabile foret, quod dicitur. Ita nanque exactè in auro humida cum ſiccis permiſta & temperata ſunt, ut nulla quantumvis minima particula non utrũque ob-

quc ob-

que obtinuerit. Hinc fit ut neque terreæ partes ab igne deuri, neque aqueæ diſſipari & abſumi poſſint. In aliis metallis particulæ quædam terreæ non ſunt exactiſſimè cum humidis miſtæ. Quare ab igne in cinerem ſolvuntur: humore eas nullo ſatis defendente. Sic & aqueæ nonnullæ, quæcunque vel ſeorſum quodammodo conſiſtunt, vel miſtæ quidem ſunt cum ſiccis, at ſeparari iterum ab eis valent, in halitum vertuntur. Ignis igitur, & quæ ſimili aliqua poteſtate pollent, propter dictam cauſam aurum non perdunt: alia omnia perimunt & diſſolvunt Purificant autem talia aurum, dum aliena quæ cum auro confuſa ſunt, eodē modo quo alia omnia, corrumpunt. Scire porrò velim cur valere potius putent argumentum hoc: Pharmacum tale aurum ſine damno purgat: Ergo etiam homines: quàm illud: Purgat hoc medicamen: homines, Ergo & aurum Quam ob cauſam illud probant, hoc improbant? cùm ratiocinationis modus & forma eadem utrobique cernatur. Atqui falſum poſterius eſſe nullus ibit inficias, puto. Quippe Rhabarbarum, Scammonium, Colocynthis, & hujus generis alia plurima : Item æs uſtum, Flos æris, &c. denique Mercurius præcipitatus, ſublimatus, &c. nos purgant: quæ an aurum ſimiliter perficiant ipſi viderint Si non eſt neceſſe, ut quæ nos abſque vitio mundant, aurum quoque ſine jactura purius efficiant, ne illud quidem fuerit neceſſarium, ut, quod aurum purificat, etiam homines abſque læſione purget. Planius ſententiæ hujus peſtiferæ falſitatem intelliges, ſi cogites, ab auro ſordes interiores alienasque partes illa duntaxat auferre, quæ ipſum erodere, ſolvere, liquefacere, valent. Hæc perniciosa corporibus hominum eſſe qui non videt, nihil videt. Ignem intueantur, qui ſic delirant. Tantum igitur abeſt, ut aurum repurgántia nobis commendent, ut exitioſa eſſe neceſſarium prorſus exſiſtat. Sanèperquam ridiculum eſt putare pharmacum ideo prodeſſe aliquod vel obeſſe hominibus, quia metalla juvent aut lædant. Sunt enim res longè diverſiſſimæ, quæ nullam inter ſe habent affinitatem. Quinimò non ſemper homini confert aut officit, quod animalibus quibuſdam utile eſt vel inutile. Quoniam ſunt venena nobis quædam, quæ aliquibus alimenta exſiſtunt. Sunt & excrementa noſtra nonnullis cibus: & quorundam recrementa viciſſim nobis admodum ſunt grata vel medicamenta, vel odoramenta. Adde quod in purgatione etiam nullo pacto ſequitur, Hoc purgat ſine damno animal tale: Ergo purgabit pariter innoxiè hominem. Tam non ſequitur hoc, quàm non rectè collegeris hominem ferrum concoquere, quia Struthio concoquat. Sunt aviculæ, exempli gratia, quæ araneorum uſu pulchrè purgantur: quos nemo ſanus homini offerat purgationis cauſa. Et quod his omnibus amplius eſt, ne in una quidem ſpecie firma ſatis eſt prædicta ratiocinatio. Etenim quæ pleroſque omnes purgant, certis quibuſdam ſunt nutrimenta: aut ſaltem non eos movent. Exempla exſtant plurima: ut Theophraſti prætercam. Quidam lacte hauſto, nonnulli à carnibus ovilis comeſtis:

A B C D

ſtis: alii ex aquæ potu: multi à vinis auſteris; alii denique ab aliis tum cibis tum potibus purgantur, à quibus alii ne tantillum quidē commoventur. Quod ſi reſpondeas ἰδιοσυγκρασίαν hujus rei cauſam eſſe, hoc tibi reponam. Si temperamenti proprietas poteſt efficere, ut, quod toti ſpeciei inimicum eſt, aliquibus individuis in ea ſpecie amicum ſit, multò magis uſuvenire poteſt, ut quod uni alicui ſpeciei prodeſt, alii longè diverſiſſimæ præſertim verò ſi ſub diverſis generibus comprehenſæ ſint, vel officiat, vel non eodem modo commodet. Peſſunè igitur ex eo concludunt Stibium homini inimicum

A non eſſe, quia aurum purius efficiat. At non omnes occidit, inquies, qui eo utuntur. Fateor. Sed nec alia venena omnes interficiunt. Magna eſt enim naturarum ſeu temperamentorum diverſitas. Quo fit, ut quamvis ſpecifica medicaminis alicujus qualitas inimica ſit toti alicui ſpeciei, non tamen omnib. illius ſpeciei individuis ſimiliter noceat. Præter jam dicta illud quoq; conſiderandū eſt, quodlibet agens effectum producere non qualem ipſum parere per ſe poteſt, ſed qualem cujusque rei natura ſuſcipere apta eſt. Hoc ſi non eſſet, idem agens in quamlibet materiam eundem inſculperet effectum. At hoc fieri non poſſe, nec factum unquam fuiſſe, manifeſtius eſt, quàm ut

B oſtenſione opus habeat. Quamobrem non eſt neceſſarium, ut Stibium purget hominem ſine detrimento & jactura ſalutis, quia aurum purificare ſolitum ſit. Non enim aptus eſt homo ſic pati ab igne & à Stibio, &c. quomodo aurum & cætera metalla ab eiſdem patiūtur. Si rectè colligere voluiſſent hujus medicamenti laudatores & approbatores, ſic ratiocinari eos conveniebat. Stibium omnibus metallis excepto auro nocet, propterea quod non æquè miſta ſunt. Ergo homini quoque exitium adfert: cùm in ejus corpore ſicca cum humidis perfectè adeò unita non ſint. Cauſa hujus rei eſt in uſu poſita. Nam non potuiſſent animalia nutriri, vivere, operationes ſuas exer-

C cere, ſi membra inſtar auri habuiſſent rigida & dura. Libet hoc etiam addere, metalla omnia ex ſententia quorundam homines purgare: auro excepto: quod purgare nullus dixit. Quod ſi ergo Stibium metalla omnia extra aurum purgando perdit, nos quoque perdet potius quàm purgabit. Non enim, puto, quiſquam adeo eſt impudens ut valeat affirmare, eandem aut ſimilem eſſe noſtri corporis temperaturam cum auri temperie potius, quàm aliorum metallorū. Quoniam ſi affinitas eſſet aliqua nutrire aurum poſſet. At ſuperari ab ingenito nobis calore, ut in ſanguinem permutetur, nequit. Quocirca verum hoc ſemper erit, nō minus nobis obfuturum, quàm metallis

D reliquis. Hoc de vitro Antimonii appellati quovis modo præparato concedunt peritiores: at de oleo & Mercurio ex eo extracto nō perinde concedunt. At fruſtra effugium quærunt. Nam Stibii oleū manifeſtè retinet corporis ſui proprietates & temperamentum, (nō eſt pars, quæ in toto confuſa tantum latuerit (ſicut ſupra oſtendi. Sufficit in

cit in præſentia monere, ut unusquiſque tutis utatur potius remediis, quàm hiſce periculoſis; præſertimq́ cùm idem illis abſque periculo efficere poſſimus, quod his ſine certo ſalutis ac vitæ diſcrimine conſequi non poſſumus. Sed de Stibio & ſimilibus alii jam ſcripſerunt: alii deinceps ſcribent. Ego illa tantum effundere volui hic, quæ nunc dicenda occurrerunt. Vale Heidelbergæ 11. Cal. Aug. Anno 1563.

EXPLICATIO TRIVM QVÆSTIONVM DE MEDICAMENTORVM PVRGANTIVM FACVLTATIBVS: QVIBVS tota ferè natura eorum declaratur.

LIBER TERTIVS.

DUo ſunt genera ferè ſumma quæſtionum artis noſtræ, D. Simon Grynæe amiciſſime: in quorum altero eæ continentur, quæ ad uſum artis præcipuè pertinent: in altero illæ potiſſimum comprehenduntur, quæ artis uſum tranſcendunt, ac logicæ à Galeno alicubi vocantur. Reperias fortaſſe, quæ mediæ videantur eſſe, atque ad utrumque genus pertinere putentur: de quibus non admodum hic ſum ſolicitus Illas ſobriè tractandas cenſeo: ut in earum explicatione ab eruditiſſimorum atque experientiſſimorum Medicorum ſententia nõ facilè recedas. Omnes hic circumſtantiæ omniaque argumenta accuratè ac diligenter examinanda erunt: nec antè contra receptam ſententiam pronunciandum fuerit, quam omnibus diligentiſſime perpenſis & libratis certè conſtet, nuper excogitatam opinionem pondere ac firmitate argumentorum ita præponderare, ut authoritates facilè deprimat. De alteris liberius diſputari poſſe arbitror: cùm id citra periculum cujusquam fiat. Quoniam utrum ſentias, morborum curatio ſemper eadem permanet. Talis eſt quæſtio, quam

Galenus

Ga[illegible] 1. de loc. aff. cap. 1 proponit. Talis eſt inveſtigatio cauſæ die-
rum [illegible]ticorum. Talis eſt diſputatio de cauſa continente. Nam qui
pu[illegible]m humorem putridæ alicujus febris continentem cauſam
ſta[illegible]ter eandem, ſiquidem Medicus fuerit, curare tentabit,
qu[illegible] qui eundem humorem ejuſdem febris continentem cau-
ſam [illegible] negat. Nihil ergo prohibet, quin exercere in his potius inge-
nia [illegible]at, quàm in primi generis quæſtionibus: ubi cum periculo
m[illegible]rum erratur. Mediæ medio modo tractari debebunt. Comme-
mo[illegible] hæc non ob aliam rationem, quàm ut cauſam intelligas, quæ
A me [illegible]uc abſterruit, à propoſitarum mihi abs te quæſtionum diſpu-
ta[illegible]e. Ego quidem aliter de hac re ſentio, quàm pleriq; alii ita ta-
me[illegible] cæteris diſſentio ut interea idem cum omnibus agam. Nam
qu[illegible]ns morbus à pituitoſis vel bilioſis humorib. ortus fuit, ac pur-
ga[illegible]e in ejus curatione opus eſt, purgantibus utor talibus, quæ pe-
cu[illegible] virtute pituitam vel bilem detrahere vulgò dicuntur & credũ-
tu[illegible]od cùm facio, idem cum cæteris facio: nec idem tamen ſentio.
S[illegible]q; contra meam ſententiam, quæ à communi opinione lon-
g[illegible]rſa eſt, aliquid facio. Proinde ita has diſputo quæſtiones o-
m[illegible]ac ſi ad uſum nulla earum pertineret: licet poſtrema huc omni
B no[illegible]rtineat. Hoc factum meum ſi tu quoq; imitaberis, nullo peri-
cu[illegible]el tuo vel aliorum ab aliis diſſenties. Moneo ergo te, ut ſic u-
ta[illegible]urgantibus medicamentis, quemadmodum cæteros ea uſur-
pa[illegible]oſti: quantiſper non certus fueris factus, alios haud rectè age-
re. [illegible] nunc ad rem ipſam accedo. Quæſtiones à te mihi propoſitæ
hu[illegible]modi ſunt. Prima, utrum purgantia medicamenta occulta vir- 1
tu[illegible]an potius manifeſta ac nota qualitate noxios ex corpore hu-
m[illegible] educant? Altera, Quomodo vel quid agendo purgent? Ter- 2 3
ti[illegible] ex illis aliqua bilem ſolam, quædam pituitam ſolam, nonnulla
a[illegible] bilem ſolummodo, relictis aliis in corpore noxiis humorib.
C ex[illegible]gent? Prioribus duabus explicatis, facilius quid de hac tertia
ſe[illegible]ndum putem, intelligetur. Proinde ut commodius, quæ dicen-
da [illegible]t, intelligantur, ſciendum eſt, nos non de pharmacis partẽ ali-
qu[illegible] unam corporis purgantib. ut caput, pectus veſicam, renes, he-
pa[illegible]e. hic loqui: ſed de illis differere tantum, quæ totum corpus va-
cu[illegible]ac per excellentiam purgantia appellantur. Qua ratione illa
qu[illegible] excludimus, quę lubricando, adſtringendo, & ſimilib. aliis mo-
di[illegible]are ventrem ſcribũtur. Vt ſemel dicam, de illis præcipuè & ꝓ-
pe[illegible] diſputabimus, quæ latente & incognita facultate putantur
co[illegible]s totum purgare. Aliorum mentionẽ facere cogimur interdũ,
D qu[illegible]ens nimirum ex ipſorũ comparatione, quæ præcipuè dicere ſta
tu[illegible]s, planiora fiunt. De prima quæſt. quid ſenſerit Gal. tum ex aliis
ip[illegible] libris, tum ex 3. & 5. de Simp med. fac. liquidè apparet. Quippe
ub[illegible] ait, à totius Eſſentiæ vel ſubſtantiæ ſimilitud. ꝓprietate, ſimi-
li[illegible]are cũ humorib. quos expurgare poſſe exiſtimantur, virtutẽ ea
purgandi obtinere. Hujus ſententiæ authorẽ facit Gal. Hippocra[illegible]

de quo tamen aliqui non leviter ambigunt. Ioh. Meſueus hanc Galeni opinionẽ reprehendit quidem (ut qui neq; propter ſimilitudinem, neq; propter contrarietatẽ concedat purgationes fieri) attamẽ in eo cum Gal. ſentit, ꝙ nulli cognitæ qualitati eam poteſtatem attribuit: ſed formæ ſubſtantiali oẽm adſcribit. Hos alii omnes ferè, quos aut legi aut coràm audivi aliquãdo, ita ſecuti ſunt, ut rationes ꝑterea nullas opinionis ſuæ habuiſſe videantur. Suſpicor ideo factum, quia nunq̃ cogitarint, falſam poſſe eſſe ſententiam, quæ tam conſtanter à Gal. prodita fuiſſet. Ego certè non nego prorſus plurima ex his medicam. occulta vi corpus adeo exagitare, verùm à formis ſpecificis hoc evenire medicamentorũ, credere nondum valeo Ergo ut meam tibi mentem apertius exponã, meminiſſe te oportet eorum, quæ de occultis medicamentorum proprietatib. in Epiſtola ad D. Henricum Smetium diſputavimus. Ibi validè & perſpicuè demonſtravi duo eſſe harum proprietatum genera: in quorum altero formarum ſubſtantiæ poteſtates, in altero vires materiæ ſuo quodam miſtæ modo collocarentur. Illas ſimpliciter occultas eſſe docui: has obſcuras quidem & propemodum imperceptibiles, non tamen ſimiliter, ut priores, incognitas & latentes eſſe probavi. In eadem illa tractatione illud etiam patuit, Galenum per totius ſubſtantiæ ſimilitudinem aliud nihil intelligere, quàm id, quod nos abditam ſpeciei ſecundæ ꝓprietatem appellavimus. Quocirca cum conſtet purgantia medicamenta, non vi formæ ſubſtantialis, qua tunc, cùm agunt, deſtituta ſunt, corpora noſtra exagitare: ſed viribus in materia & temperamẽto inſitis moleſtiam exhibere purgationesq; efficere: utrumq. verè affirmari arbitror. ſcilicet occulta & aperta virtute humores ab ipſis expurgari. Quod cum dico, nec mihi ipſi, nec Galeno contradico. Non enim negat Galenus, quædam ex his, quæ à ſubſtantiarum ſimilitudine (ſic ipſe nominare ſolet) aliquid agunt patiunturve, probabili ſuſpicione deprehendi poſſe: imò verò ita rem habere cùm alibi, tum in cap. de Abrotono lib. 6. de ſimpl. med. facul. apertè affirmavit. Certum quoque eſt, cibos à tota ſubſtantia hoc habere, ut cibi ſint: eoſdem tamen ex ſapore & odore aliquomodo cognoſci ac inveniri idem ait. Sufficit arbitror, hic ex teſtimoniis & locis plurimis, ſolum cap. 15. lib 4 de ſimpl med. fac citare: in quo diſertè hoc affirmare legitur. Ratio eadem eſt medicamentorum plurimorum: id quod, cùm ex aliis compluribus locis, tum ex cap. 18. & 22. lib. 4. jã citati operis, colligere licet ut quotidianam interim experientiã hic prætercam. Et ſanè videtur Galenus hanc conjecturam, in illis ſolis non concedere quæ per formarum agunt vires ſeu qualitates. Ideo autem non diſtinxit eas ab alteris, quia in puris vegetabilibus temperaturam opinatus eſt eſſe formã. Quin dubitat aliquoties, an in animalibus forma ſive anima aliud ſit à temperatura. Ideo verò confeſſum ac notum eſſe dixi, medicamenta non purgare virtute ſubſtãtialis formæ, quòd ſive extrinſecus corpori admoveantur, ſive hau-

rienda

rienda præbeantur ejuſmodi pharmaca, taliter apparata ſemper proponuntur, ut formam ea retinere ſuam nullus credere auſit. Quis etenim putet, Rhabarbari radicem aridam, inque pulverem redactam (aut expreſſum ipſius ſuccum) viventis animam ſive formam plantæ retinuiſſe? Multò minus exiſtimari hoc poterit de illis, quæ in Electuaria & compoſitiones indita, aliterve permutata ſunt. Ratio ſimilis eſt in decoctionibus, infuſionibus, atque aliis talibus præparationibus. Notum eſt triti Magnetis pulverem, ferrum non attrahere amplius poſſe: præſertim ſi in arido loco aliquandiu ſervatus fuerit Docuit jam olim Ariſtoteles, formam rerum certam requirere quantitatem, ut ſubſiſtere in rectè præparata materia poſſit. Nam ut in quantitate pulicis non poteſt hominis forma contineri, ita neque hominis magnitudinem occupare & poſſidere pulicis forma ſive anima poſſit Quæ de cadaveris forma fingi poſſunt, hic locum non habent. Etenim ita præparantur ut plurimum hæc medicamenta, decoctione, uſtione, deſtillatione, tritura, expreſſione, & aliarum tot & tam diverſarum rerum admiſtione, cumque iiſdem fermentatione, ut hoc effugium fruſtra quæri perfacilè quivis videat. Equidem poteſtas, quæ in certa aliqua materia, in qua ſibi invicem formæ plures diverſæ & contrariæ (quoad contrariæ eſſe poſſunt) ſuccedunt, permanet, non poteſt alicujus prædictarum formarum potentia propria cenſeri. Nam ſi primæ fuiſſet eſſentialis virtus ea abolita nōn mānſiſſet in ſubjecto diverſa ſpecie informato. Ratio par eſt ſecundæ, tertiæ, & aliarum omnium. Profectò nec ultimæ eſt peculiaris qualitas: cùm ſub præcedentibus etiam in ſubjecto inhæſerit. Quamobrem nullius dici poterit formæ propria facultas, quæ talis exſiſtit. Cæterum purgatrix facultas talis eſt: ut vel uno Scammonii aut ellebori exemplo demonſtrari poteſt. Quippe in viva planta ſcāmonii virtus eſt purgandi bilem: quod à nemine arbitror negatum iri. At plantæ anima exſtincta eadem remanet: cadaveris forma ſuccedente. Etenim aridæ quoq; plantæ pulvis ac ſuccus ſtrenuè bilem purgat. Eadem ſi à capra devoretur, & in ventriculo primum, deinde in jecinore, demum in uberibus concoquatur & transformetur, inque ſpeciem aliam ſubinde transplantetur, permanebit nihilominꝰ in lacte ex hac planta generata vis purgatrix. Quocirca nullius formæ exiſtimari debet propria virtus eſſe, quæ toties mutatis formis deleta nunquam fuit. Ejus ergo poteſtas eſt dicenda, quod per has mutationes relictum eſt, non ejus, quod abiit. Hoc autem eſt materia. Etſi enim hæc perpeſſa eſt alterationes multas & magnas, aliquid tamen eorum reſervavit, quę ab initio dum ſub forma ſcammonii produceretur, retinuit. Ergo perſpicuè apparet purgantia medicamenta vi atque poteſtate, non formæ, ſed materiæ ac temperamenti potius hoc efficere, ut humores ex corpore exturbentur. Quoniam nulla facultas in eis ſupereſt alia, poſt tot & tales præparationes. Conjungo ſemper materiam cum tem-

peramento: ne putes me nudam & ſimplicẽ intelligere temperiem. Quippe alia eſt temperies lactis, quæ ex caſei, ſeri, & butyri partibus, lac conſtituentib. naſcitur & alia, quæ in proportione primarũ qualitatum conſiſtere cogitatur. Haud enim difficile fortaſſe fuerit ex aliis corporib. compoſitis, temperamentum quod ad primas attinet iſtas qualitates, ſimile efficere ei, quod in lacte deprehenditur. Attamen non eadem erit utriusq; conſiſtentia, forma, ſapor, odor, poteſtas. In cauſa eſt, quod in longiſſimè alia alterq; affecta materia cõſiſtit lactis temperies, quàm quæ in alio illo corpore ineſt. Hujusmodi temperiem lactis vocat Avicenna ſecundam, comparatione alterius, quam primam appellat. quaſi hæc non ex miſtis, ſed ex elementis primò nata fuiſſet. Quam Avicenna ſecundam temperiem vocat, nos autem nomine materiæ & temperamenti plerunq; conjunctim efferimus, videtur Galenus totam appellare ſubſtantiam, ſive eſſentiam. Quamobrem non aliud ſenſit Galenus, hac in parte ab eo, quod nos dicimus: quamvis aliis verbis cogitationes ſuas ediſſerat. In quo probando ne ſine cauſa hæream diutius, ad cap 15. lib. 4. de ſimpl. med. fac. te remitto. Etenim in hoc loco ferè ex profeſſo ſuam de occultarum proprietatum, origine, & cauſis, ſententiam, dilucidè ſatis exponit: dum declarat, quæ ſit ſubſtantiarum ſimilitudinis & diſſimilitudinis ratio & cauſa. Hujus locum velim te diligenter põderare: & cum aliis de re eadem ſententiis conferre. Nos hanc diſputationem in præſenti loco, ut minimè neceſſariam, omittemus: atq; illud oſtendemus, non prorſus ignota hominibus qualitate purgare, quæ abdita tantum facultate purgare dicuntur, principio paulò altius repetito. Quæcunque medicamenta alvum turbant, aut faciunt hoc nota & manifeſta qualitate, aut occulta quadam poteſtate: quã Galenus familiaritatem ſeu ſimilitudinem totius ſubſtantiæ appellavit. Nota qualitate purgant, quæcunq; lubricando, comprimendo, abſtergendo, excrementa promovent In hoc genere illa quoq; recẽſeri poſſunt, quæ virtutem expultricem pungendo ac mordendo exſtimulant: cujus generis omnia calida & acria, præterea tenuium partium eſſe oportet: ac ſuccum utilem ac dulcem in ſe nullum, aut prorſus paucum, continere. Nam acria utilem ſuccum poſſidentia, etſi tenuia ſunt, & purgare etiam poſſunt, ut plurimum tamen urinas potius movent. At quæ craſſarum ſunt partium, ferè ad ſepticorum naturam accedunt. Ergo acria, tenuia, ſucco dulci carentia, nota qualitate, ſcilicet acrimonia, purgationes efficiunt. Talia ſunt, hyſſopus, pulegium parthenium, tragoriganũ, capita thymi, thlaſpi, ſatureia, ariſtolochiæ, centaurium minus, radix pyrethri, pulvis Galeni dioſpoliticus, & ſimiles: ſales quidam, ſalſugo, cyclaminus, flos & ſquama æris: ſuccus thapſiæ, folia & ſuccus laureolæ, euphorbium: & hujus generis alia plura. Quod ſalſa eodem fermè pacto ventrẽ ſolvant, & ad excretionem ſollicitent, poſt Medicos etiam Idiotis notũ eſt. Omnia hæc erodendo & mordendo venarũ oſcula, quæ ad vẽtriculum

A B C D (margin letters)

culum & inteſtina pertinent, vim expultricem quaſi dormitantem excitant: & ad expulſionem, cum aliorum humorum redundātium & noxiorum tum ſuimet, impellunt: niſi fortè ex eis quædam abſtergendo potius putentur ſolvere alvum. Differūt autem inter ſe, quod calidiora, ut euphorbium & cyclaminus in minore quantitate, imbecilliora autem non niſi in magna quantitate exhibita, ventrem turbant. Sanè quo unumquodq; medicamentum acrius eſt, minusque ſucci utilis continet, tantò efficacius & minore in quantitate officiū ſuum peragit dummodo mordax caliditas ipſius non mox exſolvatur & evaneſcat.

A Unde nonnulla utilis ſucci non parum in ſe continentia: aut calorem in valde tenuibus partib. quæ facilè evaporēt ac diſtribuantur, poſſidentia, non purgant, niſi craſſiuſcule trita exhibeantur. In hanc ſententiam Hippoc. lib. de locis in homine ὑποχωρητικὰ vocavit, ὅσα ὀλισθηρὰ καὶ τμηματώδεα: καὶ ὅσα ἐν τοῖσι θερμοῖσιν λεπτύνονται· (ἡ γὰρ κοιλίη θερμή ἐστι) καὶ τ' ἄλλα τὰ ἁλμυρὰ καὶ ὅσα τῶν τοιούτων πλεῖστον ἔχουσι Quod præter incidentia ſeu purgantia, quæ præſertim à calore ventriculi extenuantur, etiā ſalſa purgare affirmat Hippocr. controverſia, puto caret. Tam eſt enim evidens hoc, ut admonitione opus nulla habeat. Quis non legit vel apud Galenum, vel alios Græcos,

B in quotidiano apud eos uſu fuiſſe, ut ſubducendi ventris cauſa antè alios cibos uſurparent garum? aut hujus generis alia condimēta? Quis ignorat hodie, pleroſq; ſtrenuè admodum vacuari thermarum potu ſalſarum? Recitabo hiſtoriam veram huc ſpectantem. Auriga quidam non paucos febre diuturna febricitantes, aut aliàs malè affectos, hauſtu vini exhibito, in quo manipulum ſalis prius diſſolviſſet, liberavit. Per vomitum & dejectionem purgati ſunt magna cum violentia, qui hauſerunt. Quidam à diuturno capitis dolore, & febrib. tertianis nothis, poſtquam diu eas ſuſtinuiſſent, hac ratione convaluere. Sed multi alii, quibus intempeſtivè exhibitum fuiſſet

C pharmacum, aut debiliores exſtitiſſent, graviſſimè hinc offenſi fuerunt: nonnulli etiam ob eam cauſam ut videbatur, interierunt. Quā hic aliam purgationis cauſam, præter vellicationem ſeu roſionē cōminiſci poterimus? Hoc ferè modo cibi quoq; purgant atq; potus: q aut qualitate ſua ſolum, aut copia, aut utriſq; moleſta ſunt: naturāq; ad excretionem ſtimulent. Vidi ego non ſemel, (& videre unusquisque potuit, qui modo animadvertere voluit) quoſdam ſic à febribus putridis ſubitò liberatos fuiſſe: putrido humore per ſuperiora & inferiora excreto. Equidem vulgus ex frequenti experientia perſuaſus eſt, non aliam eſſe meliorem ac tutiorem curationē diuturnarū fe-

D briū, quàm ut æger illis, quæ appetit, ſe usq; ad nauſeam repleat. Tali copia gravata natura inſurgit ad expulſionem: & humorem putrdū, ſiquidem paratus jam ſit ad ejectionem, unà cum cibo eo potuq; exturbat. quod & Hippocrates mox poſt citata nuper verba affirmavit. Vbi verò hæc ante coctionem fiunt, non periclitantur modo ægri, ſed aliquando exſtinguuntur: quod factum fuiſſe in quibusdā quar-

tanariis certò ſcio. Neque aliter vel vomitiones fiunt vel ſpontaneę evacuationes. Quippe ſemper impellitur natura, vel à noxia & moleſta humorum qualitate, vel ab eorundem copia moleſtiam inferente, ſive in ventriculo, ſive alibi in partibus ei vicinis acervati fuerint. Docuit idem hoc Hippoc. in lib. de purgantibus, his verbis: Cibos etjam nos alentes medicamenta eſſe putandum eſt: verum minus quã illa. Homines enim qui his recte in cibo utuntur, ſani ſunt: qui non rectè, ægrotant. Qui modum excedunt, purgantur quidem velut à ſinceris medicamentis, verùm minus & tardius, quàm à ſinceris medicamentis. Clarum igitur eſt, quod & hi medicamenta exſiſtunt. At verò hi tardiores, qui & familiates nobis ſunt: & quotidie in corpus ingrediuntur, ſi temerè & negligenter exhibeantur, temerè homines turbant. Conſentanea ſunt hæc Hippoc. verba experientiæ, ſicut patet. Simile quiddam in urinæ ſtillicidio contingit, cùm ea eſt acrior reddita: & hac ſua acrimonia adeò veſicam vellicat ac pungit, ut ne minimam quidem ipſius quantitatem tolerare poſſit. Sic quotidie alvus à bile flava ſtimulata, excrementa deponit. Argumento ſit, quod in regio morbo, cum ad inteſtina bilis non effunditur, ſed cum ſanguine per corpus fertur, tarde & difficulter excrementa dejiciũtur. Vt ſemel dicam, conſentiunt huic rei naturales actiones omnes: id quod artis noſtræ periti omninò vident. Hinc aliqui à placentis, pipere largo conditis leniter purgantur: ſiquidem à paſtu, cùm amplius avidè ad ſe attrahit familiares hepar ſuccos, eiſdem veſcantur. Tunc enim illas partes nondum concoctione evictas, & venarum oſcula leviter erodentes, per inteſtina depuliſſe, unà cùm ſupervacaneis humoribus ibidem hærentib. contenta eſt. Sic illa etiam purgare videtur, quæ umbilico impoſita conturbare ventrem dicuntur. Nam qua ratione alia purgent, dici non facilè poteſt. Fruſtra enim tractionis à tota ſubſtantia meminerimus. Si n hoc pacto purgarent, ad cutem ad ſe humores attraherent, inſtar eorum, quæ veſicas excitare cõſueſcunt: non per alvum deturbarent. Adde quod ſecundum Galeni opinionem à totius ſubſtantiæ ſimilitudine trahentia, non trahũt remota, ſed proxima duntaxat. Quamobrem illa ſolum trahendo vacuare poterunt, quæ in cute, muſculis, membranis, & vaſis vẽtris cõprehenduntur. At neq; hæc neq; longius diſſita trahendo purgãt. Etenim ne fingi quidem aptè poteſt, hanc totius ſubſtantiæ virtutẽ per cutem, carnes, peritoneum, inteſtinorum tunicas, meſenterii venas ad hepar, & ultra hoc ſitas venas, pervadere: & humores in eis cõtentos ſic educere: quomodo Magnetẽ allicere ad ſe ferrum cernimus. Equidem Magnetis quoq; actio inanis eſt, ſi vel per interjectũ corpus aliquod, vel procul poſita trahere debeat. Longiuſcule igitur diſtantia nequaquã trahendo educere poterunt ventri impoſita pharmaca. Quod vicina non attrahant, patet. Non n. per cutem exeũt, aut in veſicas ſub cuticulá colliguntur: ſed per inteſtina extra corpus ejiciuntur. Quare non trahendo, ſed pellendo ad inteſtina ex venis & muſcu-

muſculis ad inteſtina extrudunt. Manifeſtè ſatis nunc patet, haud alia ratione, quàm virtutem expultricem irritando talia corpus turbare, alvumq; movere. Par ratio illorum eſt, quæ ventri aut pectini impoſita urinas evocant. Non diſpari modo quoſdam, & me quoque, ſi non fallor, ſæpenumero purgarunt vina cruda, acerba: & quæcunq; dolorem cum copioſo flatu in ventre ſuſcitant. Profectò vina prædicta cum me, tum alios plurimos, ita nonnunquã purgarunt, ut non magis purgaturum fuiſſe medicamentum hauſtum videretur: quantumvis adſtringendi vi minimè obſcura, ſed planè manifeſta & ſen-
A ſibili prædita fuiſſent. Quod ſi hæc non caliditate mordendoq; virtutem ad expulſionem irritare, ſed alio quodam modo impellere cõtendas, non reclamo. Satis eſt nobis hoc loco indicaſſe, talia perturbare ventrem, quia dolorem moleſtiamque ei adferant: non quia cæca innominata omnino qualitate ſeu virtute, amicos ad ſe humores ex corpore, inſtar viventium plantarum allectent. Præter ea quæ à nobis hucusque enumerata ſunt, reperiuntur alia quædam purgãtia quæ non æquè promptè ac facilè poſſunt in ſuperiorum cenſu atque ordine locari. Quippe nec lubricando, nec comprimendo, nec detergendo, nec erodendo, pleraque ex his ventrem ſtrenuè admo-
B dum conturbare videntur. De prioribus qualitatibus nullus dubitat. De caliditate mordaci nonnullos dubitaſſe præclarè ſcio, propterea quod ex Gal. ſententia hujus generis medicamenta calida ſunt omnia: quanquam hoc Ariſtoteli nequaquam probabile viſum eſt. Vt breviter dicam & apertè, quod ſentio, vix puto à ſimplici caliditate, ut à vera & propinquiſſima cauſa, proficiſci ipſorum actiones. Vt enim ea nonnihil adjuvet, in aliquibus tanta non videtur eſſe, ut tantoperè moleſta corpori eſſe queat. Quinimo in aliquibus guſtus, vix veſtigium aut ſignum immoderatæ caliditatis deprehendit. Veruntamen hic non anxiè ſum ſolicitus, quid omninò hac in parte ſit ve-
C rum: præſertim quia noſtræ ſententiæ neutrum adverſatur. Non neſcio certè, illas partes in medicamentis, quæ guſtum minimè movere poſſunt, efficaciſſimas aliquando eſſe in agendo poſtquam videlicet miſtione ſoluta ab aliis ſecretæ ſunt: ut à nobis alibi oſtenſum fuit. Galenus mehercule conſtanter multis in locis aſſeverat, purgãtia medicamenta omnia caloris excitandi potentiam habere. Quanquam enim acrimonia & caliditas eorum non ſit manifeſta ſemper ac ſenſibilis, nihilominus latere in iis calorem immoderatum rectè cenſuit Teſtimonia reperies aperta in lib 4 de rat. vict. acut. expoſit.7 In libello, quos, quib. quando, oportet purgare. In lib 5. de Simpl.
D med. fac c.17. Et 1. Aph. 24. Itẽ in ſect. 4. Aph. 19. aliisq; in locis qbusdã. Sed hæc utut ſe habeant, non parũ certè dubito, an in illis pharmacis in quib. guſtatus calorem nullum percipit, calor tãtus latere poſſit quantus ad corpus tã validè exagitãdum requiri videtur. Facilius multò longa frigiditas à pauco retunditur calore, quàm exiguum

calorem multò amplior frigiditas prorſus tegat. Amarus vel acris ſapor perpaucarum partium alicujus medicamenti, vehementia ſua poteſt longè plures frigidas partes obſcurare & tegere. At non contra, paucæ frigidæ, multas calidas abſcondere guſtui poſſunt. In cauſa eſt, quod hujuſmodi ſapores longè ſunt efficaciores in movendo guſtu, quàm illi, qui in frigidis inſunt partibus. quemadmodum & caloris actio facilius noſtris ſenſibus innoteſcit, quàm frigoris. Sic opii & lactucæ frigiditas ut plurima alia prætercam, ab illius amaritudine, ab hujus autem lactea dulcedine facilè tegitur Quamobrem horum actionem cum Galeno rectius ac verius in abditam latentemque facultatem, quàm à tota ſubſtantia ſua ſortita ſunt, quàm in ſimplicem caliditatem venas pungentem & ſtimulantem referri arbitror Confirmat non parum ſententiam noſtram, quod aliquando viſa ſolum quædam, vel odore tantum percepta nauſeam movent, vomitum efficiunt, alvumque perturbant: nulla etiam præcedente acri punctione Profectò quæ intra corpus ſumpta non ſunt, excretricem virtutem acrimonia ſua pungere nequeunt. Aliter ergo purgant: nempe quia natura ea abhorret, ſive calida ſint ſive nõ ſint. Sic ad mentionem ſolam certorum medicamentorũ aut etiam ciborum aliqui purgari nonnunquam ſolent: excitata propter imaginationem virtute expultrice. Sed de his in ſequentibus plura nos dicere oportebit. Iam verò conſtat, quod etiam ſupra monui, Galen. per totam ſubſtantiã in medicaminib. nihil aliud intellexiſſe, quàm rei cujusq; materiam propinquam, unà cum temperamento: ſive cujusq; rei materiam propriã cum ſuo temperamento q̃ in lib. 3. de tẽperamẽtis c. 4. nomine naturæ mihi videtur expreſſiſſe Hanc a à nobis aliquomodo. etſi non exactè. poſſe cognoſci, ſupra breviter, attamen evidenter ſatis oſtendimus. Non ſunt eadem, (quod Gal. quoq; in 3. de compoſitione κτ̀ γένη cap. 1 aſſeruit noviſſe aliquid: & idem exactè noviſſe. Quo fit, ut ſi hanc etiam qualitatem notam homini eſſe dicamus non prorſus ei cõtradicamus, qui occultam eſſe ait. Exactè namque nota non eſt: ſed quaſi per umbram quandam viſa & probabili quadam ſuſpicione cognita; quomodo Gal. Lycoperſium herbam ſe ex odore deprehendiſſe ſcribit exitioſam eſſe: & quomodo aliquando de ignotis rebus ſeu cibis ex ſapore odoreque judicare cõſuevimus: priusquam periculum eorum fecerimus Quippe lingua illis cibis jucundè afficitur & delectatur, quibus eget ventriculus: ut in 4. de Simpl. med. fac in quarto de ſympt. cauſis. & in libro de aliment. facult. Galenus teſtificatur. Sic nota poteſt vocari hæc facultas, & ignota: aperta & inaperta. Ignota quidem, quia exactè naturam ejus, quæ & qualis ſit, ignoramus: nomen facultatis neſcimus. Hoc ſolum ſcimus, adverſariam eam eſſe noſtræ naturæ. Nihilominus dicetur eadem hæc nota nobis eſſe quoniam ſenſus in rebus eã adeſſe percipiunt. Quippe guſtus atque odoratus eam nobis ineſſe nunciant. Proinde cùm eã vel guſtamus vel odoramus ſolũ, ſæpenumero

A B C D (margin letters)

mero

mero horrore quodam perfundimur, & planè percutimur: tametſi
id, quod ita nobis adverſum eſt, nominare neſciamus. Cæte-
rorum poteſtas non caret nomine. Nullus enim neſcit, quid ſit
mordere & pungere, extergere, lubricare, humectare, emollire,
comprimere, dolorem ac moleſtiam inferre ſolvendo, premendo,
gravando, extendendo, aliterve contra naturam afficiendo. Itaq;
rectè dicimus ea quæ ſic purgant, nota vi purgare, dum qualis ea
ſit notis nominibus exprimere poſſumus. At illorum facultatem
generatim ſolum nobis dicimus adverſariam inimicamq; eſſe: unde
A & occultam eſſe eandem probè dicimus. Eadem tamen illa, quia
ſenſibus percipitur, non quidem integrè, ſed aliquo modo ſolum, et-
iam nota eſt: ſi cum illis comparetur, quæ à formis ſubſtantiarum
effectricibus manant. Etenim hæ per ſenſus non ſic poſſunt appre-
hendi. Quamobrem cum Gal. ait ex occultis proprietatibus iſtis,
quas à tota ſubſtantia proficiſci aſſerit, aliquas probabili ſuſpicione
(ὑπονοίᾳ πιθανῇ) cognoſci, de illis accipiendum eſt. At cum id non
in omnibus contingere mox addit, de his eſt intelligendum, quæ
ſubſtantialis formæ ſunt facultates. Has namque occultas prorſus
eſſe, ac ſenſu nullo percipi ante actionem ſuam, ſed ſola experientia
B cognoſci, certum eſt. Ergo cum ex purgantibus quædam nota, quæ-
dam ignota nobis qualitate naturam ad expulſionem humorum in-
citare dicimus non aliud vel dicimus vel ſentimus, quam tunc dici-
mus & ſentimus, cum omnia per notam quidem poteſtatem con-
turbare ventrem aſſerimus, quæ tamen in aliis ſit planè evidens, in
aliis obſcura & probabili tantum ſuſpicione ante experientiam ac-
cepta & cognita. Quæ ſi uno ſit veluti nomine exprimenda, naturæ
noſtræ inimica qualitas poterit vocari: quam odor ac ſapor ferè no-
bis indicent adeſſe. Sic bruta quoque naturæ ſuæ familiaria & ami-
ca, à noxiis & inimicis dijudicant. Proinde mirum non eſt, homi-
C nes etiam utilia ab inutilibus & pernicioſis, ſenſibus aliquo pacto
diſtinguere. Atque hactenus congruit noſtra ſententia cum Galeni
mente: niſi quod dilucidius quædam expoſuimus, quæ apud ipſum
reperies obſcuriſſ dicta. Nolo in præſentia pluribus inquirere, ve-
rum quæ hoc modo corpus purgant, id propter ſubſtantiarum ſimi-
litudinem, an propter inimicitiam faciant? Cœpit hæc ſimilitudo
jam olim doctis fermè omnibus ſuſpecta eſſe. Equidem nullus pro-
pè eſt eruditus, qui non libentius inimicitiam, quàm amicitiam a-
gnoſcat. Quæ fuerit Avicennæ objectio notum eſt. Quid reſpon-
derint juxta Galenum alii, non minus patet. Quam bene defende-
D rint cauſam, hoc loco referre non eſt opus. Quod ſi vera ſunt, quæ
mox dicemus, palàm intelligetur, purgantia non amica, ſed hoſtili
qualitate corpus exagitare. Quin etiam Galenus non uno loco do-
cet, purgantia genere deleteriorum & maleficorum contineri: quæ
qui ſubſtantia ſimilia nobis probabit, magnum operæprecium præ-
ſtabit. Ergo ſi inter trahens pharmacum & tractum humorem eſt

ſubſtantiarum ſimilitudo, ſtatuere nos oportet bilem, pituitam, &c. ex deleteriorum genere exſiſtere. At ex his nos aliqua ex parte conſtamus. Ergo erimus ipſi quoque bona ex parte in eodem genere. Concludetur hac ratione, tandem, ut bilis, pituita, &c. tam non poſſint nocere nobis, quàm non nocent venena ſua ſerpentibus. Si de bile, pituita, &c. corruptis, accipienda quis reſpondeat, facilè refutabitur. Etenim Agaricus, exempli gratia, non tantùm peſſimè corruptam pituitam purgat, ſed obviam quamlibet: modò pituitæ ſpeciem naturamque ſervet. Quare judicanda erit pituita quælibet deleteria. Eadem valet ratio in bile cum flava tum nigra, A Quamobrem conſtat ſecundum hanc opinionem corpus noſtrum magna ex parte ex deleteriis. Ego mehercle ſic judico, ſi quod pharmacum bilem propter ſubſtantiæ ſimilitudinem purget, illam maximè & feliciſſimè detrahere, quæ minimè corrupta ſit: ac maximè familiaris nobis exſiſtat. Cùm primum enim corrumpi incipit, jam bilis quodammodo eſſe deſinit: ac in alienam familiam tranſit Quis, quæſo te, rem ipſam æſtimans, pharmacum: quod cum bile dicitur ſubſtantiæ habere familiaritatem majorem habere cum corrupta quam integra opinabitur? Sed pharmaca interim conſtat felicius expurgare concocta, quàm cruda naturaliterve affecta. Cum illis B ergo, quàm cum his, majorem habitura eſſent affinitatem: ſi hæc cauſa tractionis foret. Quod cùm ſit à ratione alienum, neceſſum eſt, ut aliam ob cauſam cõcocta facilius purgetur quàm cruda. Haud facilè etiam dixerimus, cur, ſi ſubſtantiarũ illa ſimilitudo ſtatuatur cauſa purgationum, non omne ſimile trahat ſimile? aut cur idem medicamentum duos nonnunquam aut tres humores ſpecie ac natura diſtinctos trahat? Equidem perquam abſurdè excuſabimus, ſi dicamus unam aliquam rem tota ſua ſubſtantia ſimilem eſſe ſpecie ac natura tota diſcrepantibus rebus. Qualitates poteſt res una poſſidere differentes, propter quas ſimilitudinem habeat cum pluribus: C at nobis de tota ſubſtantia ſermo eſt. Certum quoque eſt ex alimentis aliqua longè majorem habere cum bile aut pituita affinitatem ſubſtantiarum quibusvis purgantibus: ut quæ frequentius & facilius in hos humores transmutantur purgantibus. At ſi quis hæc bilem aut pituitam ob id purgare diceret, an non jure optimo exploderetur? Aliud ergo eſt à ſimilitudine iſta, quod facit, ut hæc non purgent, illa verò purgent. Si excipias, ideo alimenta non vacuare ſuos humores trahendo, quia multum utilis ſucci ſimul obtinuerint qui in ſanguinem permutetur, humorem naturæ neceſſarium & gratum: fruſtra effugium hoc quæri reſpondebo. Erit enim D utrobique par ratio: & proinde adhuc ſequetur promptius alimenta ſuos ad ſe ſuccos attractura, quàm purgantia: quod major in illis ſit ſubſtantiæ cognatio, quam in his. (Taceo, quod ob eandem cauſam ſanguinem ab eis educi oporteret.) Quippe ſi naturæ conſentaneè docuit Galenus, pituitam ſemicoctum ſanguinem eſſe: & coctione ulteriore

ulteriore in ſanguinem tranſire: bilem autem ſanguinem plus juſto coctum eſſe (ut illa citra, hæc ultra ſanguinem conſiſtat) neceſſarium prorſus eſt, ut, quod in pituitam & bilem verti poteſt, in ſanguinem quoque verti poſſe concedamus. Ut enim in bilem mutetur in ſanguinem prius mutari oportet: cum natura de extremo uno ad alterum nunquam & nuſquam tranſeat, quin per medium eat. Sic quod pituita fit, coctione ampliore ſanguis efficitur. At in ſanguinem quæ permutari poſſunt, alimentorum genere ac cenſu comprehenduntur. Ergo cùm inficiari nullus (qui modò ſit ſanus. Paracelſicos enim inſanientes nullo loco ducimus) poſſit aut velit vera eſſe, quæ de humorum generatione prodidit Galenus, nulla erit inter alimenta & purgatoria pharmaca diſtinctio alia, quàm quòd illa facilius & frequentius, hæc difficilius & infrequentius vincuntur: id eſt, inter alimenta collocabuntur: quæ nobis minus ſunt uſitata & conſueta. Nam ex hoc ſubſtantiarum ſimilitudinem probat Galenus, quod in humorem purgandum à calore validiore verti poſſint. quare non habebunt pharmaca purgatoria cum uno ſolo humore ſubſtantiarum ſimilitudinem: ſed cum omnibus tum humoribus tum membris. Qui ergo inter malefica & deleteria numerari poterunt? aut qua ratione propter ſubſtantiæ amicitiam plus alimentis purgabunt? Sed deſino abſurda referre, quæ hanc opinionem conſequuntur, præſertim cùm in ſequentibus alia inſuper attingere nos oporteat. Nunc ſatis eſt monuiſſe, nos in quibuſdam purgantibus libenter cum Gal. occultam virtutem admittere: (licet iſtam ſubſtantiarum ſimilitudinem tractionis ſeu purgationis cauſam minimè concedamus) eam ſcilicet, quæ totam ſubſtantiam, hoc eſt, materiæ & temperamenti proprietatem comitatur. Quare hac in parte à Galeno minimè diſcedimus.

QUÆSTIO SECUNDA.

IN altera quæſtione plus eſt diſſenſionis: ſiquidem idem ſemper & ubique Gal. exiſtimaſſe hac de re putetur. Quoniam ipſe videtur medicamentis attribuere facultatem humorem ſibi familiarem ſic attrahendi, quemadmodum plantæ, (& omninò quæ nutriuntur) alimentum ſibi conveniens ad ſe pertrahunt. Nos contra putamus propterea purgare, quia naturæ ſint vel qualitate, vel quantitate, vel tota ſua natura, moleſta: eamque hoc modo excitent ad expellendum, quicquid expurgatu eſt idoneum. Quod quomodo contingat, ex dicendis intelligetur. Cæterùm eam fuiſſe Galeni mentem, quam nuper eſſe diximus, is ſolus dubitaverit, qui ab arte noſtra eſt alieniſſimus. Quod ſi hanc argumentis ſententiã ita comprobaſſet, ut plerunque probare ſua ſolitus fuit, facilius appareret, quantum in hac cauſa inſit veri. Nunc quia ſola aſſeveratione utitur, minus intelligitur opinionis falſitas. Sanè cùm cõtra antiquos de hac re diſputat, non ſuam utiq; ſententiam argumentis aſtruit, ſed illorum ſolummodo

modo deſtruit. Proinde ut me non prorſus nullis rationibus moveri videas, & occaſionem atque cauſam diligentius de his rebus cogitandi latam tibi memineris, aliquot argumenta adducam, quibus cauſa noſtra defendi probabiliter poſſit. Antequam hoc faciam, de Galenica tractione dicam aliquid. Non enim puto neceſſarium eſſe, ut operoſius eam confutem: cùm vix cuiquam verè credita fuerit. Quotus enim quiſque putet medicamenta humores corporis expurgandi ita ad ſe allectare, ſicut res nutrita alimentum ſibi conveniens attrahere ſolet atque poteſt? Quoniam quæ nutriuntur, aluntur ve vivunt: & nutrimentum idcirco ad ſe alliciunt, ut eo perfruantur & alantur. Mortua autem corpora neque nutriri, neque eam ob cauſam aliquid ad ſe attrahere, notius eſt quàm ut à me probari debeat. Non minus apertum eſt, purgantia ſic apparata, ut exhiberi purgandis ſolent, mortua eſſe corpora vitæque omnis expertia. Quo fit, ut finem aut ſcopum, propter quem attrahant ad ſe humores, difficile (ut ne dicam impoſſibile) ſit exponere. Nihil enim propter ipſum trahere, ut rectè Gal. ait, trahit: ſed ut attracto perfruatur. Cæterùm non trahere medicamenta purgatoria ob eum finem, ut attractis fruantur ſuccis, controverſia, puto, omni caret. Non enim apud ſe retinent: nec in corpore manent. Deinde ſi vel humori, vel pharmaco vis trahendi foret adſcribenda, humori certè potius foret attribuenda. Quamvis non vivat, videtur tamen magis vitæ eſſe particeps, quàm pharmacum. Parum me movet, quod objectum hic mihi recordor, calorem ac dolorem attrahere etiam: non tamen ut fruantur attrahere. Aliud enim eſt, dolorem & calorem attrahere: & aliud eſt rem corporatam aliquid attrahere. Dolor & calor qualitates ſunt, atque longè alia ratione trahunt, quàm medicamenta trahere exiſtimantur. Calor quomodo trahat, notum eſt. Dolor non trahit, ſed natura, teſte Galeno 5. Aph. 53. & 13. Meth. cap. 3. ad locum dolore affectum ſanguine ac ſpiritu præſidium allatura accurrens, per accidens partem dolentem replet. Ac fortè non aliter attrahit dolor, quàm purgantia, quæ ſcilicet mordendo & dolorem creando ventrem turbant. Præterea adeò eſt generalis tum caloris tum doloris tractio: ut ad præſens negotium accommodari non poſſint. Quoniam neque dolor neque calor certũ humorem inſtar magnetis cujuſdam trahunt, ſed abſque diſcrimine, quicquid trahi poteſt, alliciunt. Ineptior eſt adhuc objectio, de ſimilibus propter caloris actionem confluentibus. Quoniam confluxus iſte τῶν ὁμοφύλων non fit per tractionem, ſed per amotionem ejus, quod ſimilia à ſe invicem disjungebat: quæ natura conjungi aptè poterant. Quod porrò neque illa tractio, quæ fit propter evitationem vacui noſtræ ſententiæ repugnet, notum eſt ſimiliter. Exemplum magnetis etiam non quadrat. Quippe ut fruatur ferro, ipſum ad ſe pertrahit: ſi vera ſcribunt authores. Deinde actu hanc poſſidet virtutem propter formam. In pulverem namque redactus,

poteſta-

poteſtatem hanc omnem perdit. Ingens ergo hic quoque diſparitas eſt. Conſtat ſanè, medicamenta purgantia, non niſi cocta, macerata, trita, uſta, lota exhiberi. Sæpenumero per diſtillandi artem partes eorum maximæ, ſiquidem molem ſpectes, auferuntur & ſecernuntur, priusquam devoranda proponantur. Quo fit, ut, ſi maximè à forma ſua virtutem talem poſſidere fingantur, eandem tamen retinere (ſic permutata & miſta) credi ac fingi nequirent. Taceo jam quod quædam comeſta, & in ventriculo, hepate, venis, uberibusque transmutata (reſpondet hæc mutatio quodammodo multiplici
A alterationi per diſtillationem factæ) adhuc purgant Inſanus ſit oportet, qui ad formam medicamenti potius, quàm ad materiæ proprietatem pertinere vim purgatricem in talibus opinetur. Quin & ſemina vim ſucci, quo nutriantur, ex terra ad ſe pertrahendi retinentia, tunc eandem amittunt, cum vel teruntur, vel ſimili alio quopiam modo tractantur. Cùm agaricum, rhabarbarum, aloen, & alia plura, vel abluere vel macerare, humoribus ſæpe mutatis, voles, vim purgatricem in humorem deponere ea cernes omnem, adeo ut relictæ partes adſtringant potius, quàm ſolvant. Quis hic formam ablutam ab illis credat? Tenues & acres tantum particulæ
B abluuntur, in quibus vis purgandi inſidet. Niſi omninò fallor, poterit ex dictis cognoſci, exemplum in natura nullum exſtare talis tractionis, qualis in medicamentis ineſſe creditur. Omnia namque non propter materiam, ſed propter formam aut animam ſibi conveniens attrahunt: quæcunque ſcilicet ſic attrahunt, ut ratio attractionis reddi nulla poſſit.[1] Etenim cur calor, dolor, cucurbitulæ medicæ, medicamenta calida & tenuia trahant, non eſt inapertum. Trahit pilos & feſtucas ſuccinum: ſed nihil ſimile tractio hæc habet cum purgantium tractione ut de ea Galenus locutus fuit. Primum non trahit ſuccinum certam aliquam rem, ſed res diverſiſſimas: ut
C filum laneum, lineum, pilos, plumas, feſtucas, foliola: denique rem quamvis leviuſculam. Graviuſculas enim cujuscunque naturæ ſint, non movet Deinde non trahit niſi valde propinqua, & quæ fermè tangit. Tertiò non trahit quicquam, niſi prius ex attritu aut confrictu incaluerit, & ſic halitum expiret: quem naribus percipere ſolemus. Unde doctis naturam ejus bituminoſam conſiderantibus non eſt obſcura tractionis illius cauſa. Medicamenta certè purgatoria, ſiquidem trahendo purgant, trahunt non propter inſitam formam, ſed propter elementares qualitates in materia tali repertas. Oſtenſum hoc jam ante fuit, & oſtendi etiam nunc exemplis
D prorſus evidentiſſimis poterit. Si capra vel mulier ſcammonium aut plantam aliam ſtrenuè purgatoriam perederit, atque concoxerit, efficitur lac purgatorium, adeo ut infans, qui eo veſcitur lacte, purgetur. Num forma harum plantarum corrupta non fuit, cùm in ventriculo primum coquerentur? Saltem poſtea eſt fugata, quando in hepate in ſanguinem ſunt permutatæ. Si ne hoc quidem

admittas

admittas, cogeris in ſanguine innumerabiles ſubſtantiales formas panis, carnis, herbæ, caſei, vini, &c. ponere. Poſtea cum ex ſanguine permutato in uberibus lac generatur, quis permanſiſſe formam putet? Atqui hoc lac eſt purgatorium. Et hanc vim adeptum eſt ex ſcammonio vel alio tali pharmaco comeſto. Ergo non formam, ſed materiæ proprietatem adeſſe fatendum eſt. Non fit hic aliud quàm in omni alio cibo. Quocunq; enim cibo veſcantur animalia, eum ſapiunt & redolent quodammodo carnes eorum. Unde eorundem animalium carnes modo ſuaviores, modo inſuaviores ſentiuntur eſſe, propter alimentorum diverſitatem. quod niſi eſſet teſtatum notumque cunctis, facilè à me demonſtrari, & Gal. etiam teſtimonio comprobari poſſet. Unam hoc loco hiſtoriam præterire non debeo: cum ex ea, quod hic propoſitum eſt, clariſſimè poſſit intelligi. Emit aliquando famula mea pinguiſſimum anſerem recentem ſeu pullum, qui ſaginatus fuerat reliquiis nucum juglandium, ex quibus oleum expreſſum fuerat. Coctum edere nemo potuit, propter carnium odorem: quæ nihil aliud, quam reliquias illas repræſentabant. Qui hac in re dubii aliquid habet, experiatur: quo dubitatione omni liberatus facilius, quæ dicimus, intelligat. Ratio hæc nō in animalibus tantùm, verum etiam in plantis locum habet. Quippe ſimili ferè modo pruna purgatoria reddere docemur: nempe ut arborem aliquot locis perforemus, & foraminibus ſcammonio, aliiſque talibus pharmacis repletis, eadem accuratè obturemus? Eadem ratione vinum ſeu uvæ purgatoriæ effici ſcribuntur, ſi ſcammonium indatur, vel elleborus circa radices multus ſeratur. An eſt aliquis tam vecors, ut in prunis formam ſcammonii aliquamupereſſe opinetur? Docuit me aliquando præceptorum meorum unus, purgatorias reddere gallinarum carnes. Ac ſucceſſit res. Decoquenda ſunt purgantia pharmaca, ut elleborus, ſcammonium, agaricus, tithymalli, cum tritico aut hordeo. Hoc ſolo exſiccato ſi pulli veſcantur longo tempore, purgat eorum caro comeſta: nec eſt tamen guſtui valde ingrata. Quot hic factæ ſunt permutationes? An adeò eſt aliquis imperitus & amens, ut hic etiam aliquid formæ pharmacorum ſupereſſe putet? Qui credit, ſic cerebrum habet pituita oppletum, ut nullo elleboro fortè expurgari poſſit. Poſſem hujus generis alia afferre plura, ſi res poſtularet. Qui hæc cum paulò antedictis de medicamentorum præparatione conjunxerit, nihil dubitabit affirmare, virtutem purgatricem in materiæ qualitatibus (quæ cuique rei ſua eſt, proxima ſcilicet non remota: quæ multis eſt communis) tantum inhærere. Quocirca vel probandum erit in aliarum etiam rerum materia ſola, non autem forma trahendi iſtam virtutem ſimilium ineſſe: vel, ſi hoc de nulla re poſſit verè confirmari, confitendum & concedendum erit, ne in purgatoriis quidem pharmacis eandem illam tractricem potentiam inveniri. Quippe forma ſua, ut eſt efficaciter oſtenſum, privata tunc ſunt

A B C D

ſunt; cùm purgant. Quare aliam ob cauſam purgare ipſa corpus dicendum & ſentiendum eſt. Quod ſi etiam alicubi in ſola cujuſpiam rei materia poteſtas hæc attractrix ſimilium inveniretur, nondum tamen in purgantibus eam reperiri nobis conſtaret, ob id, quod in re alia quapiam reperiretur. Semper probabilior hæc foret ratiocinatio: Multa ſine hac vi trahendi egregiè purgant pituitam, bilem, &c. Ergo probabile eſt etiam reliqua ſine tractrice illa potẽtia cæca purgare. Objiciet fortaſſe aliquis perinde eſſe, quod dico, ac ſi quis Magnetem ferrum non trahere ex eo concludere tentet, quod res animæ ac vitæ expers alia nulla inveniatur ſimili poteſtate prædita.
A Quocirca poſſe fieri, ut in purgantibus vis per tractionem certos humores educendi inſit, quamvis in rebus aliis non facile talis reperiatur. Huic reſpondeo, Magnetis vim ſeſe per actionem ſuam ita prodere, ut de ea dubitare nobis non ſit integrum. Quod ſi eodem modo conſtaret nobis trahendi potentiam illam ſimilium ineſſe ut purgantibus, fruſtra dubitaremus. Ideo ambigimus, quia certi nihil ſcimus: & rationes vacuationis alias intelligimus. Magnum proinde eſt inter hanc & Magnetis virtutem diſcrimen. Ad hæc accedit, quod Galenus Argumentum, quo ſuam tractionem illam probaret, excogitare nullum potuit. Attulit ille quidem exempla primo
B de fac. nat. cap. 14 de vellentibus ſurculos, & telorum cuſpides: de extrahentib. venena, (quæ ſuper ipſis medicamentis jacere aliquando conſpecta ſint) de tritico aquam ad ſe alliciente. Sed hæc animos ſtudioſorum veritatis non explent. Qua ratione triticum humorem ad ſe pertrahat, notum eſt: nec exemplũ ad hoc negotium quadrat. Quæ ſurculos & tela extrahunt, quæq; venena educunt, longè alia vi id faciunt. Norunt hoc eruditi Medici: & intellexerũt aliqua ex parte veteres: ut ex citato Galeni loco patet. Obſervavi ego etiam quid talia poſſent: ſed nihil deprehendi quod huic diſputationi ſerviret. Si
C horum evulſio à totius ſubſtantiæ ſimilitudine perficitur, neceſſariũ eſt, ut infinitarum penè rerum ſimilitudinem res una obtinuerit. Etenim ſurculi ſunt lignei, aridi, virentes, (ut ſpinæ) cornei, oſſei, lapidei, ferrei, ærei, ſpinę piſcium, vitrei, teſtacei, alii. Telorum item cuſpides ſunt ferreæ, æreæ, lapideæ, oſſeæ, plũbeæ, corneæ, ligneæ, &c. At unum medicamentũ omnibus utilitatem præſtat. Cum omnibus igitur ſimilitudinem habet. Si habentur pharmaca venena tali poteſtate educentia, cur ea non per os exhibemus iis, qui fortè venenum hauſerunt? Si iſto modo liceret venena expurgare, multò pauciores periclitarentur. Adde quod ad ſingula fermè venena plura & diverſa
D pharmaca præſcribuntur: in quibus eandem virtutem ineſſe tam ſit parum probabile, quàm non eſt veriſimile virtutem Magnetis, aut potentiam ridendi in aliis rebus, quàm in Magnete ac homine ineſſe. Si enim tales in ullis rebus poteſtates inhærent, formæ ſubſtantialis ſunt proprietates. Jam enim oſtenſum eſt, materiæ qualitates eſſe non poſſe. Ad extremum illud quoque ad rem non-

nihil

nihil facit, quod ante Galenum tractionis hujus purgantium nullus, quantum ſcire poſſumus, apertè & explicatè meminit. Nam Hippocrates detrahere quidem purgantia humores ait, verum ſic dicere hoc videtur, ut nos diuretica urinam ciere dicimus. Sive enim hæc medicamenta craſſiores ſanguinis partes cogendo, ſeroſaſque ſecernendo, (quæ Gal eſt ſententia) ſive acrimonia ſua virtutem ſtimulando ad expulſionem ſui ac ſeri quod in venis reperitur excitent, (quæ mea eſt opinio) impropriè urinam trahere tamen dicentur. Sanè cum Ariſtoteles ait, hæc pharmaca καθαίρειν, non aliter ſenſit. Etenim hanc eorum operationem reducit in δυσωδίαν & ἀπεψίαν, atque caliditatem conturbantem: non in cæcam potentiam detrahendi certos humores. Quippe cibos etiam, ſi nimii ſint devorati, detrahere, καθαίρειν, aſſerit. Frequenter ſic loquitur, ut ea dicat κοιλίαν κινεῖν ἢ λύειν: quemadmodum nos quoque libenter loquimur. Quid alii ante Galenum Medici præclari ſenſerint, haud fortè ſatis conſtat. Velim intelligere, cur, ſi trahendo pharmaca purgant, propter operationem medicaminum quidam exſolvantur? alii tormina & vertiginem patiantur? Frivola eſt ratio, quæ ferè ab omnibus adfertur, ideo nimirum uſuvenire, quod pharmacum ſanguinem & carnes eliquet: ut proprium humorem trahendum inde eliciat. Equidem Hippoc. in lib. de nat. hom. conſtanter ac verè aſſeverat, bilem utramque, pituitam & ſanguinem, omni tempore, loco, ætate, &c dum homo vivit, in eo inveniri. Et ſanè in ſanguine reliquos humores contineri, magno omnium Medicorum conſenſu traditur. Semper igitur pharmacum humorem, quem trahere poſſit, in maſſa ſanguinis inveniet: ut carnes liquare nunquam neceſſe habeat. Deinde ſi virtute tractrice tali purgat, quali vel plantæ ſuccos ſibi congruentes ad ſe pertrahunt, vel Magnes ferrum ad ſe allicit, moleſtiam humoribus & partibus aliis nullis adferent. Nam ut plantæ ſuccum ſibi convenientem non invenientes, peregrinos non attrahunt, ſed emoriuntur potius: & ut Magnes plumbum, paleas, æs, lapides, non movet, cum ferrum permiſtum non habent: ita pharmacum bilem trahens nec ſanguini, nec carnibus negotium faceſſet: ubi bilem nullam repererit. Quippe cum hac, non cum aliis, ponitur habere familiaritatem, qualis inter magnetem & ferrum cernitur. Denique quo pacto liquefaciet carnes, ut iu eis bilem quærat, quæ eis non ineſt? Non poſſum non demirari Medicorũ hac in parte negligentiam Tam enim ineſt in carne bilis, quàm ineſt panis aut vinum: ex quibus coaluit: qua de re poſtea etiam dicendum erit. Igitur ſi ob id exſolutiones ſtatuantur fieri, quia pharmacum proprium humorem non inveniens eum in colliquatis carnibus quærat, jubeo te bono animo eſſe. Nunquam enim non reperiet ſatis humorum, quos trahat, ſanguini permiſtorum: ex quo extrahere facilè poterit, quod virtute tali præditum eſt. Nec eſt cur objiciatur alienorum humorum permiſtio. Etenim ut ex terra plantæ

A

B

C

D

ſuccos

ſuccos ſibi familiares cum aliis miſtos attrahunt: & Magnes fer-
rum cum plumbo miſtum, illud, non hoc, ad ſe pellicit: ita phar-
macum bilem alliciet, nec ſanguine nec pituita motis: niſi ſi quid ei
fortè horum adhæſerit. Quippe trahit unum, quodque humorem
ſuum, non alienum. Quod niſi affirmetur, propter ſubſtantiarum
ſimilitudinem trahere nunquam probabiliter dicetur. Quoniam ſi
obvium quodlibet trahant fruſtra ſubſtantiarum cognationem
commentus fuerit Galenus. Quod ſi proprium trahere non poterit,
alienum ne quidem movere tentabit: quomodo neque Magnes
A plumbum movere conatur: cum ferrum permovere nequit. Cæte-
rùm ut hanc diſputationem concludam, dico, pharmaca purgantia
non virtute formæ alicujus, ſed facultate materiæ purgare: ſicut e-
videnter ac ſolidè probavimus. Jam cùm in univerſa natura res nul-
la exſtet, cujus materia talem ſortita fuerit trahendi potentiam, qua-
lem in his pharmacis ineſſe arbitrati fuerunt Medici, meritò dubi-
tari poteſt, rectè ne an ſecus id affirmaverit Galenus. Quæ res eſt
in univerſitate hac rerum omnium, quæ tot ſubſtantiales mutatio-
nes perpeſſa ſuam trahendi poteſtatem retinuerit? Loquor de pote-
ſtate pertrahendi ad ſe certam rem duntaxat: non obviam quamli-
B bet. Equidem quæ certas tantummodo res, movent ac trahunt,
propter formam trahunt: non propter materiæ proprietatem. De-
inde incertiſſimum eſt, ipſa trahendo purgare. Si liqueret, ſicut li-
quet Magnetem trahere ferrum, inſania foret, id in controverſiam
vocare velle. Quis porrò vel vidit, vel quacunque alia via & ra-
tione certò percepit, medicamentum aliquod ſic pertraxiſſe ad ſe
bilem ex venis, quomodo Magnes ad ſe ferrum attrahit? vel ſuc-
cos familiares plantæ ex terra exſugunt? Præterquàm quod incer-
tiſſimum eſt, rationes quoque adſunt bonæ, quæ contrarium do-
ceant: quarum aliquas jam adduximus: aliquas dicendis inſpergere
C cogemur. Poſtremò argumenta occurrunt, poſt manifeſtam ex-
perientiam, non pauca, quibus demonſtretur, non virtute tractrice
aliqua, ſed turbatrice purgare, quæcunque propè purgant. Quoni-
am ergo ſententia Galeni conſiſtere non poteſt, videndum eſt, an
veriſimilibus rationibus noſtram tibi approbare poſſimus. Princi-
pio probabile videtur, ſic fieri purgationes, quemadmodum ſua
quotidiè alvum excrementa deponere cernimus. At verò hoc fit,
propter bilis moleſtam quidem, attamen conſuetam roſionem atq;
exterſionem. Quæ quia exigua eſt, minus urget, ſed leniter tan-
tum naturam incitat: ut paulatim excrementa deorſum detrudat.
D In purgantibus quia moleſtia & inſolita & magna, contra uſu ve
ut brevi admodum tempore undique noxia magno conatu pel...
Indicium præbet morbus regius ſeu icterus. Quo qui lab[illegible]rant [illegible]a-
rius excernunt ſolito. Affirmat hoc idem Gal. cum uſum bilis in in-
teſtina effuſæ declarat. Profectò haud ſcio an ullis poſſit rationibus
oſtendi aliter naturam pharmaco purgatorio ſumpto ad humorum

noxiorum incitari expulſionem, quàm cum ab humoribus mordacibus agitatur. Etenim eadem utrinque accidunt ſymptomata, ſive à medicamento, ſive ab humore intra corpus latente vellicetur. Nec unquam ad expulſionem ſe comparat, niſi adſit aliquid, quod vel qualitate vel quantitate moleſtiam ei inferat. Cùm primum horum aliquid ſentit, ac rectè valet, humorique dominatur, eundem ex corpore mox exturbat. Indicant hoc idem diarrhœæ, dyſenteriæ, atque alii ventris fluxus. Quocirca valdè eſt probabile, ſi hic abſque tractione expellere noxium poſſit, tunc etiam poſſe, cùm à pharmaco excitatur. Certè ſymptomatum ſimilitudo, eandem utrobique cauſam eſſe, eodemque modo agere probat. Accedit nonnunquam ut humor irritans nec aliena valdè qualitate præditus, nec adeo multus ſit, & nihilominus tamen excernatur, nempe propter expultricis virtutis robur, retentricis verò imbecillitatem. At hic quoque locum habet regula dicta. *Quanto enim infirmior eſt retentrix potentia, tantò faciliùs ab humore non etiam valde copioſo, nec prorſus acri & moleſto, offenditur.* Satis eſt in corpore acervatum eſſe humorem, qui ſua vel copia vel qualitate lædat virtutem. Semper enim cum rectè valemus, conatur hunc expellere expultrix virtus: ut ſic munus ſuum perficiat, corporiſque valetudini conſulat. Quocirca cum eadem ſymptomata tales excretiones à natura ſponte ſua factas præcedant ac ſequantur, quæ purgationes per pharmacum excitatas præcedere & ſequi videmus, meritò utraſque purgationes ſimiliter effici credimus. Sanè criſim aliaſque ſpontaneas vacuationes vertigo (exempli gratia) interdum præcedit: cujus cauſam nullus judicat eſſe tractionem, ſed potius mordicationem & roſionem. Equidem vertigo, animi deliquium, tormina, à flatu, mordicatione, & roſione, plerunque fiunt. Vero ſimile igitur eſt in arte facta purgatione, non propter aliquem pharmaci tractum accidere, ſed propter moleſtam agitationem à pharmaco profectam contingere. Confirmat cauſam, quod membra quædam frequenter ab aliis (præſertim in longiore inedia ac fame) attrahunt, (ut ab hepate ventriculus, & ab aliis alia) nec aliquid hujuſmodi tamen uſuvenit. Quod ſi vertigo tunc accidit, ideo accidit, quia humores attracti in ventriculum, vel ſurſum in caput vapores mittunt, vel os ventriculi mordicando cerebri ſpiritus commovent. Ergo ſi diſcrimen aliquod eſt, hoc eſt, quod in illis excretionibus humor turbans & ſtimulans intra corpus collectus eſt: in his autem medicamentum virtutem ſimiliter ſtimulans paulo ante aſſumptum fuit. Deinde quod in illis non, ut in his, in ventriculo vel inteſtinis cauſa continetur. Unde non tam facilè humores, ac medicamenta nuper hauſta, corpus commovent. Sic turgens materia per corpus diſcurrens, nonnunquam ab initio alvum turbat. Comparat Galenus eam ſemini, quod acrius factum eſt: eamque ob cauſam animalia ad coitum incitat: ut ſtare loco

non

non benè poſſint. Si hanc vim ſemen acrius factum obtinet (atque turgens materia ſimiliter ſua acrimonia naturæ moleſta eſt, antequam ejus imperio ſubdita ſit) perfacilè intelligitur acrimoniam efficere, ut ex uno loco in alium pellatur. Quod ſi naturæ motibus pareret, hoc eſt, ſi ab ea regi ſe pateretur, extra corpus procul dubiò ejiceretur: non ex uno membro in aliud protruderetur. Similiter illæ quoque purgationes ſive excretiones (qualescunque tandem fuerint, quas ab initio in gravibus morbis cum periculo ſæpè accidere ſcimus, fiunt. Etenim hic etiam à multitu-
A dine pariter & effræni humorum malitia afflicta natura rejicere à ſe partem conatur. Quia verò ei non dominatur, mirum non eſt, ſi à relicto in corpore maligno humore ſæpè ſternatur vincaturque: ut quæ in illo expulſionis conatu fatigata ſit: & fortaſſe utilia cum inutilibus extruſerit. Peſſimum eſſe humorem id demonſtrat, quod initio, cum vires adhuc conſtant & tolerare aliquid poſſunt, naturam ita fatigat, & ad excretionem irritat: cum mala a bonis nondum ſeparata ſunt. Quippe circa ſtatum ferè aliàs tantopere moleſti eſſe ſolent, non ſtatim in principio, propterea quod circa ſtatum, in febribus potiſſimum, exuſti, & quaſi in cineres redacti a-
B crioreſque multò redditi ſunt. Ratio eadem eſt in Dyſenteria & Teneſmo. Quippe hic etiam ulceris dolor à mordacibus genitus ſuccis cauſa fit crebræ vacuationis. Et in impuro quidem corpore plus vacuatur, in puriore minus: in quo etiam citius ſolidantur talia ulcera. Nec aliter in criſibus fit evacuatio humoris noxii. Etenim laudabiles criſes in ſtatu ſolum fiunt, poſt contractum & ſecretum vitioſum ſuccum, qui morbum peperit. Tunc enim cùm ab utili ſeparatus eſt corruptus, ac naturæ viribus ſuccubuit, facilius expellitur. Impellitur autem & commovetur ab eo virtus expultrix tunc præcipuè, propterea quod tunc phlegmaſiæ, ut ex
C Hipp. Galenus ſcribit, maximæ fiunt: ac natura præcipuè affligitur, & ad pugnam ſtrenuè provocatur. Quoniam propter utilis ſucci admiſtionem cauſa morbi ante concoctionem mitior aut naturæ minus moleſta ſaltem videbatur eſſe. Idem fit in vomitibus, aliiſque excretionibus. In omnibus namque virtus expultrix, non quia trahat aliquid, ſed quia vel à copia, vel à qualitate ſuccorum moleſta premitur ac vexatur, noxia & vim inferentia repellere à ſe nititur. Totam hanc diſputationem illuſtrat plurimum nimiæ purgationis, quam ὑπερκάθαρσιν græci appellarunt, conſideratio. Hanc evenire Galenus in 3. de Simplic. facult. lib. 27.
D & 28. propter tres cauſas ſcribit, vaſorum videlicet infirmitatem, oſculorum laxitatem, & purgantis pharmaci mordentem qualitatem. Ex tribus iſtis cauſis, poſtrema ferè ſola aliquid valet. Reliquæ duæ aut nihil, aut perparum efficiunt. Atque imbecillitatem vaſorum, non multum momenti habere ex eo perſpicitur, quod non ideo humores purgantur in purgationibus nimiis,

quia non retinentur à venis, ſed quia vis medicamenti hauſti, non deſinit irritare ac pungere. Quis credat oſculis venarum ad inteſtina pertinentium debilitatis, venas poſt hepar ſitas debiles etiam eſſe? Quocirca ſi imbecillitas illarum venarum aliquid confert, hoc tantum confert, ut facilius ea vacuentur, quæ citra hepar in illis continentur. Poſſunt enim quæ poſt hepar ſunt egregiè interim eſſe validæ & robuſtæ nisi credamus, venarum portæ oſculis debilitatis, omnes totius corporis venas ſic ſimul debilitari, ut continere humores amplius nequeant. At hoc nimis cogitetur abſurdè. Quod de venarum recluſis oſculis dicitur, minus etiam habet roboris, ac probabilitatis. Etenim in homine vivente hæ ipſæ venæ, ſemper ita patent, ut ſingulis propè momentis humores prorſum retrorſumque ferri poſſint. Vix enim ulla eſt hora, quin aliqui ſucci, & quidem craſſi quoque, vel ab hepate ad inteſtina, vel ab his ad jecur, per dictas venas meſenterii ac portæ deferantur. Proinde non video quid magnopere juvet ad nimiam purgationem oſculorum iſta in his venis laxitas. Neque ſequitur, omnes etiam poſt hepar ſitas venas laxari, quia quæ citra ipſum poſitæ ſunt, oſcula habent laxata & recluſa. Non nego quidem ad ὑπερκάθαρσιν, aliquid etiam hæc duo facere: ſcilicet venarum ad ventriculum & inteſtina exporrectarum imbecillitatem, & oſculorum earundem recluſionem, ſed præcipuas eſſe nimiæ purgationis cauſas, pernego. Quod cùm facio, à Galeni mente non recedo. Sic enim is ſcribit cap. 28. ſupra citati libri. Ἤρκει μὲν γὰρ ἴσως καὶ ἡ δῆξις μένουσα, πρὸς τὴν ἔκκρισιν ἐπεγείρειν τὰ ὄργανα. πολὺ δὲ δὴ μᾶλλον ὅτ' ἂν ἀναστόμωσίς τ' ἅμα καὶ ἀρρωστία τῶν ἀγγείων συνδράμῃ. His ſanè verbis Galenus τῶν ὑπερκαθάρσεων (ſuperpurgationes vocare nunc ſolemus) præcipuam cauſam docet eſſe δῆξιν μένουσαν, hoc eſt, perſeverantem & continuatam mordicationem Cæteras duas cauſas aliquid etiam facere non negat, ſed eaſdem tamen ab iſta moleſta medicamenti punctione naſci credidit. Sic enim mox de vaſorum apertione primum, deinde verò etiam de imbecillitate ſcribit. Γίνεται δὲ ἡ μὲν ἀναστόμωσις, ὡς εἴρηται, διὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ φαρμάκου, δι' ἥνπερ, καὶ ἡ δῆξις. ἡ δὲ τῶν ἀγγείων ἀρρωστία, διά τε τὸν σφοδρὸν κάματον, ὃν ἐν τῷ δάκνεσθαί τε καὶ οἷον βδάλλεσθαι πρὸς τοῦ καθαίροντος φαρμάκου γίνεσθαι συμβαίνει. Ad hanc cauſam addit intemperiem, quam eas recipere à nimia vacuatione probabile videtur. Ergo ſi vaſorum recluſio ab eadem fit cauſa, à qua fit mordicatio, imbecillitas autem propter laborem, quem ex mordicatione ac veluti emulſione percipiunt, naſcitur, manifeſto patet, eum præcipuam cauſam τῆς ὑπερκαθάρσεως in mordicatione medicamenti collocare. Nam quod de emulſione additur, de eo maximè dubitatur. Proinde cùm probata ab eo nuſquam fuerit, parum ea nos movere debet. His hoc modo expoſitis, haud fuerit difficile judicare, purgantia medicamenta absque vi illa tractrice idonea eſſe, ut corpus purgent, videlicet rodendo, mordendo, ſtimu-

ſtimulando, ac pungendo: ſive hoc acrimonia & exterſione, ſive alia qualitate inimica præſtent. Etenim ſi hoc modo agendo cogere poſſunt naturam, ut utilia expellat, quomodo non ab initio efficient eadem ratione, ut noxia & aliquo pacto moleſta ſibi deponat? Argumentum videtur certè minimè leve aut contemnendum. Quippe noxia ſæpe numero per ſe ipſam ejicit natura: innoxia non niſi coacta & vehementer perturbata excernit. At illud medicamenta nota præſtare poſſunt qualitate. Quomodo ergo non magis hoc præſtent? Si quàm maximè trahendi potentiam certi humoris haberent, tamen illo humore vacuato fruſtra traherent: dum non adeſt quod tractioni obediat. Certè magnes ferrum juxta plumbum & aurum poſitum attrahit: & dum illud ad ſe pertrahit, his moleſtus non eſt. Sic abſynthium juxta lactucam ſatum, humorem ſibi convenientem ad ſe allicit, ſuccum eum, qui lactucæ congruit, non commovet. Quare ſi ita trahunt purgantia, poſt vacuatum ſuum humorem, ſine cujusquam humoris aut partis incommodo deinceps trahent. Quicquid igitur poſtea fit, hujus cauſa in roſionem, & vim mordacem medicamenti à Galeno quoque refertur. Quare ſi ſola mordicatio in nimia purgatione poteſt efficere, ut humor quilibet vacuetur, quomodo non eadem purgationes efficiat ſola mox à principio, cum corpus inutilibus humoribus refertum eſt? Equidem valde multa medicamenta ab authoribus inter verè purgantia connumerata, haud aliter, vel ipſo Galeno teſte, purgant, quàm quia naturæ vim ac dolorem inferunt. Quod cur non poſſit atque etiam debeat locum habere in cæteris omnibus, ipſe certè nondum videre potui: præſertim cùm nullum in natura ſimilis tractionis exſtet exemplum aliud, ſicut ſupra monſtravimus. Fidem etiam præclarè facit, quod omnes naturæ excretiones, haud aliter, vel ab alia cauſa, fiunt. Quod ſi natura poteſt à cibo aliquo ingrato & moleſto, ſine virtute illa tractrice impelli, ut impetu quodam noxia ex corpore extrudat, quomodo non idem poſſe credenda tunc eſt, cùm à medicamento irritatur? Certè Galenus id eam poſſe, atque etiam facere, non credibile modò putavit, ſed planè tum credidit, quando librum de optima ſecta conſcripſit. Eum locum quia ad præſentem diſputationem præclarè facit, totum adſcribam. Cum in cap. 40. oſtendiſſet, tempora non indicare, quoniam remediorum uſum aliquando prohibeant: & exemplo imbecillarum virium vacuationem prohibentium propoſitum confirmaſſet illuſtraſſetque: ac Aphoriſ. Hipp. 29. Sect. 2. Inchoantibus morbis, &c. objici poſſe cerneret, ita præoccupans reſpondet: Hippocratem non ratione temporis præcepiſſe inter initia vacuare, & in ſtatu quieſcere: ſed propter vires, quæ ſub principium morbi conſtent, vacuationemque tolerent: in ſtatu autem non tolerent: ut quæ à vi morbi jam debilitatæ fuerint. Talia namque medicamenta ſine perturbatione & noxa

nunquam uſurpari. Primum quidem quia præter naturam ſint, & facultatem neceſſariò vexent adhibita. deinde quia morbificis cauſis familiare aliquid ſemper ſit permiſtum, quod ſimul cum ablatione cauſarum vacuari ſit neceſſe. Poſt hæc cap. 41. hæc addit. πρῶτον δὲ δεῖ τὴν φύσιν τῶν βοηθημάτων, καὶ τὴν χρείαν, ἣ παρέχεται, μὴ ἀγνοεῖν. τὰ γὰρ βοηθήματα καθ' αὑτὰ, οὐχ οἷά ἐστι ποιεῖσθαι τὴν τῶν αἰτιῶν ἀναίρεσιν: δεῖται δὲ συνεργαζούσης τῆς φύσεως: καὶ σχεδὸν μόνην τὴν ἀφορμὴν, καὶ τὴν ἀρχὴν τῇ φύσει ἐνδίδωσι: τὰ δὲ λοιπὰ ἡ φύσις δι' ἑαυτῆς ἐκτελεῖ. ἰσχυρὰ μὲν οὖν ὑπάρχουσα, καὶ τὸ τῶν βοηθημάτων κακείας αἴχεται: καὶ τὴν τῶν οἰκείων περιαίρεσιν εὐφόρως φέρει: καὶ A
τὰ λυποῦντα αὐτὴν ἐξωθεῖν δύναται: θλιβομένη δὲ, ὅπερ συμβαίνει κατὰ τὰς ἀκμὰς μάλιστα, ὑπὸ τῶν προσαγομένων βοηθημάτων μᾶλλον κακοῦται· καὶ ἀπὸ τῆς τῶν ἐκείνων περιαιρέσεως ἀσθενεστέρα γίνεται, καὶ ὑποπίπτει μᾶλλον τοῖς αἰτίοις καὶ ἐξωθεῖν τὰ νοσάζοντα κατ' οὐδένα δύναται τρόπον. ὅταν δὲ ἡ φύσις ἐνταθεῖσα, τὰ λυποῦντα ἐξῶσαι μὴ δυνηθῇ, μεγάλως ὑπ' αὐτῆς τῆς ἐκτάσεως, ἐκλύεται. Ex his Galeni verbis manifeſtè patet, purgationem non à tractione medicamenti, ſed à ſola natura expellente (cum à medicamento irritata ſolum eſt,) fieri. Et propè ſolam occaſionem ſeu initium, inquit, naturæ inferunt: irritando nimirum. Reliqua per ſe ipſam natura ἐκτελεῖ B
hoc eſt, perficit, peragit, abſolvit. Summa eſt, actionem hic exturbandi noxia, & cum his etiam aliquid convenientium, quæ illis ſunt permiſta, ſoli naturæ attribuit: incitamentum duntaxat pharmaco adſcribit. Quapropter ter in ſequentibus repetit, naturam expellere aut non expellere, prout valet aut non valet. Nec poſſe hæc de aliis medicamentis accipi, quàm purgantibus, liquidè apparet. Primum ex adducto exemplo de proſtratis viribus vacuationem non admittentibus. Deinde ex toto ſermone: in quo aliquoties, innoxiorum & noxiorum eductionis apertè meminit. Hoc ipſum etiam, objectio Aphor. declarat. Itemque quod pharmaca hæc C
omnia præter naturam, ſeu naturæ inimica eſſe dicit: quod de nullis aliis intelligi auxiliis vel remediis poteſt. Sed clarius ac verius hoc eſt, quàm ut pluribus à me oſtendi debeat. Notandum hic maximè eſt, quod ait, pharmaca per ſe non poſſe cauſas tollere morborum: ſed egere naturæ auxilio. Indigent autem auxilio naturæ non ad hoc ſolum, ut de potentia reducantur ad actum, (Hoc enim puſillus calor poteſt efficere: cùm umbilico impoſito hoc à cutis calore beneficium accipiant. Taceo quod facilius medicamenta ingeſta in actum deducuntur, quàm cibi concoquantur.) ſed ut noxia expellat. Hac de cauſa turgentes humores ante coctionem vacuare D
licet: quia natura eos pellere nititur. Non urgentes movere prohibemur: ne virtutem expultricem fruſtra irritemus. Nam excitata magno conatu ejicere noxia cùm fruſtra tentavit, defatigata exſolvitur: quod poſtremis verbis Galenus perſpicuè nobis indicavit. Ex quibus illud etiam perſpicimus, cur ſymptomaticæ purgationes

gationes adeò ſint plerunque pernicioſæ. Nam inter cauſas alias hæc minimè poſtrema eſt, quod naturæ vires in hoc labore vehementer exſolvuntur. Magnes ferrum quod trahere poteſt, nullo pellente trahit. Si conſimili poteſtate purgantia humores trahunt, naturæ expellentis opera opus non habent At hac non propellente nullo unquam tempore vacuant: etiamſi actum à calore acceperint. Argumento eſt evidentiſſimo, quod in ſtupore fruſtra & foris imponuntur, & intra corpus deglutienda proponuntur: etiamſi calor adſit tantus, qui etiam cibos concoquere poſſit. Medicamenta
A igitur, ut Galenus affirmat μόνην τὴν ἀφορμὴν, καὶ τὴν ἀρχὴν ἐνδίδωσι τῇ φύσει: hoc eſt, virtutem expultricem duntaxat ſuſcitant. Galeni mentem præclarè perſpexiſſe videtur author de renum affectibus dignoſcendis & curandis (quisquis ille fuerit) cùm cap. 4. (ſecundum partitionem interpretis) ſic ſcriptum reliquit. ἰδοὺ παρὰ τοῦ ἰατροῦ τὸ καθαῖρον· τῆς δὲ φύσεως τὸ πᾶν· αὕτη γὰρ κεντρωθεῖσα παρὰ τοῦ καθαρσίου, χρῆται τῇ διακριτικῇ δυνάμει καὶ διακρίνει ἀπὸ τῶν ἀχρήστων τὰ χρηστά, καὶ τὰ μὲν χρηστὰ κατέχει ἡ καθεκτικὴ δύναμις· τὰ δ' ἄχρηστα ἀποτρίβεται ἡ ἀποκριτική. Apertius certè loqui nullus poteſt, quàm hic author locutus eſt. Medicus offert, inquit, pur-
B gans pharmacum: prætere a nihil agit. Pharmacum naturam exſtimulat: reliqua pendent à natura. Quippe irritata ſeparat inutilia ab utilibus: & hæc quidem retinet, illa verò expellit. Idem Hippocrates etiam crediſſe videri poteſt, de purgantibus pharmacis loquens: ut ſupra quoque monui. Medicamentum, inquit, aliquando purgat, aliquando non purgat. Eſt cùm alia purgat, quam purgare ſolet: interdum nimium purgat Putandum eſt cibos etiam medicamenta eſſe: ſed minus quàm illa. Etenim qui modum in ci- «
bis excedunt, purgantur velut à ſinceris medicamentis: verum mi- «
nus & tardius ad id purgant, quod familiares nobis ſunt & quotidie «
C ſumuntur. Clarum igitur eſt, quod & hi medicamenra exſiſtunt. Duorum alterum fateri oportet, vel non purgare pharmaca tractione decantata ex ſententia Hippocratis jam recitata, vel alimenta non purgare ſimili ratione cum purgantibus aliis. At hoc affirmat Hippocrates. Quare non credidit per dictam toties tractionem purgare. Quod verò alimenta nonnunquam alvum turbent, notius eſt quàm ut inficiari aliquis auſit. Quod virtute trahendi illa ſuccos ex corpore careant, extra controverſiam concedetur à cunctis, puto. Etenim trahuntur alimenta, non trahunt. Quod diſcrimen inter purgationem, quæ à cibis fit ingeſtis, & quam alia purgantia
D efficiunt, nullam ponat Hippocrates in hoc loco aliam, quàm majoris & minoris, ex verbis ejus manifeſtè patet. Si non ſemper alimenta purgare objicies: nec alia purgantia ſemper purgare reſpondebit. Si non eoſdem à cibis humores vacuari contendas: idem hoc in purgantibus reliquis uſuvenire dicet. Si rariſſimè purgare cibos excipias: ob id accidere affirmabit, quod quàm medicamenta

alia familiariores nobis ſint: ſucci utilis plus contineant: quodque eis magis aſſueverimus. Quocirca non debemus putare, Hippocratem de Galeni tractione cogitaſſe, cùm aliquando dixit purgantia trahere, ἑλκειν. Quippe ſic fermè judicavit excrementa trahere, quomodo diuretica dicimus urinam ciere: & quomodo acria & calida medicamina trahere ad ſe aliquid dicimus. Si ſic de purgatrice facultate loquamur, perfacile cauſam aſſignabimus, quod Agaricus, niſi in trochiſcos redactus ſit, non ſemper tutè ſumitur. Adhærent enim nonnunquam inteſtinis particulæ quædam, quæ mordendo moleſtiam pariunt: & ad purgationes excitant. Illuſtre illius A
rei exemplum habetur apud Gal. 14. Meth. cap. 7. in eo, qui ſcammonio purgatus fuerat: & dolore colico ſe poſtea laborare opinabatur. Quis credat tantam particulam pharmaci, quantula relicta in inteſtinis fuerat, trahere aliquid potuiſſe? Irritare ac dolorem efficere potuit, virtute tractrice in tantula quantitate nihil potuit. Quoniam vincere ea corpus oportet, antequam ex venis ad ſe pertrahant aliquid: ut plerique omnes non ſine ratione aſſeruerunt. Quod autem non ſimiliter purgant quæcunque dolorem generant, tum alia, tum locus facit. Nam quæ alio in loco, quàm in venarum oſculis irritant ac pungunt corporis partes, non ita facilè purgatio- B
nes moliuntur: niſi corpus plenum ſit malis humoribus. Cùm autem aut purum eſt, aut humores nequit propter eorum lentorem, craſſitiem, ſimilesque cauſas commovere, non turbatur talibus venter tam facilè, quàm à medicamentis valide purgantibus ſolvitur. Ex quo intelligi cauſa poteſt, cur in criſi majore cum labore exſolvatur, quàm cùm per os ſumptum eſt pharmacū. Hinc quoque fit, ut interdum ipſas quoque venas ſtimulantia pharmaca (niſi prorſus naturæ inimicam habeant qualitatem absque ullius ſucci familiaris permiſtione) vel nihil omninò, vel certè leviter purgent. Et quæ utilem ſuccum continent, ea corpore puro exſiſtente, alte- C
rantur: & in venas diſtributa urinas potius cient, quàm alvum conturbent. Hac de cauſa Galenus prudenter admonuit, ut ejusmodi medicamenta non exquiſitè terantur, ſed craſſiuſcula proponantur, ut videlicet diutius ventris venas vellicent, & propter craſſitudinem partium non promptè diſtribuantur: ſicque urinas commoveant. Luculentè hanc rem expoſuit lib. de Tuenda ſanit. 4. cap. 7. Dioſpolitici pulveris exemplo. In Rhabarbaro contigit hoc etiam mihi aliquando. Nec ob aliam cauſam, puto, vetuit Meſues, pharmaca rara & laxa exactè terere, inque tenuiſſimum pulverem redigere, quoties purgari corpus volumus. Fortaſſe Catapotia in tam parva D
quantitate ac pondere ſic etiam ſtrenuius purgant, quia conglobata exhibentur, atque validius ſtimulant. Sanè lapidoſa medicamenta, quæ virtute purgandi prædita ſunt, ut quæ nec benignū ſuccum habeant, nec ſuperari alterarique à calore noſtro poſſint, validiſſimè plerunque illos purgant, qui ea devorarunt. Sic in illis quoque res
habet,

habet, quæ ab occulta illa materiæ proprietate purgant. Hæc enim etiamſi ſubtiliter & ſuper cotem exactiſſimè levigata ſint, ſemper tamen naturæ ſunt moleſta: & proinde rejiciuntur, ac ſi vehementiſſimè morderent. Satis jam eſt oſtenſum, puto, ex purgatoriis medicamentis aliqua iſta potiſſimum ratione purgare, quod naturam, (acrimonia & mordacitate ſua partes mordentia & purgantia) ad expulſionem noxiorum excitant. Ex quo non ſine cauſa ſtatuendum videtur, etiam alia illa, quæ ab occulta vi purgare dicuntur, abſque tractione purgare. Non enim intelligo, cur in excogitanda tractio-
A ne, quæ nulla poſſit ratione demonſtrari, nulloque exemplo declarari, occupemur diu cùm abſque hac natura poſſit noxia depellere: atque id etiam frequentiſſimè, cum per ſe ipſam, tum à pharmacis irritata, faciat. In plantis neceſſariam fuiſſe libenter cõfitebor: in medicamentis cur eſſe oportuerit nondum perſpicio. Etenim plantas trahere oportebat ſuccos naturæ ſuæ congruentes, qui nec ipſi per ſe moveri ſolerent: nec à terra, in qua ineſſent, ad ſingulas plantas amãdari poſſent. Humorum corporis noſtri longiſſimè alia ratio eſt. Etſi enim ipſi ſua ſponte non moventur, à natura tamen, cùm valet, ac impedita non eſt, facilè ad loca convenientia ſuo tempore depellun-
B tur. Quod ſi officium negligat aliquando, ſunt quæ eam muneris ſui admoneant: & ad agendum provocent. Quod ſi pharmaca purgantia, quæ plantarum inſtar trahere poſſent, exiſterent, plus ex eo incõmodi, quàm commodi ad nos ſemper rediret. Sæpius enim traheretur ex ſanguinis maſſa, quod relinqui præſtitiſſet. Nunc cùm irritatur ſolum natura, quovis tempore expellit, quæ expellere poteſt: ac utilia ſibi ad extremum uſque conſervat. Quippe non ſemper cùm expultrix agit, retentrix munus ſuum deſerit: cùm natura valet. Imò quò majore nixu expultrix excitata depellere aliquid contendit, eò validius retentrix, cùm debilitata non eſt, utilia retinet: ut ſola inuti-
C lia ejiciantur, ſervatis utilibus. Quod ſi quæratur, quomodo natura à pharmacis excitata noxia ejiciat, etiamſi non ſit facilis reſponſio, facilior tamen eſt, quàm ſi tractionis modum explicare jubeamur. Nã ſimilitudo ſubſtantiarum, quam pro cauſa Galenus attulit, nec olim probata doctis fuit: nec hodie locum apud eruditiores invenit. Plura namque abſurda ad eam ſequuntur, quàm credere ullus poſſit: qui non accuratè ac ſæpe de his cogitavit. Ergo ut exactè non valeamus exponere modum, quomodo expultrix facultas, cum à re reliqua, præſertim verò à pharmaco irritata eſt, noxios ex corpore humores ejiciat, exemplis tamen (& quod ita faciat: & quomodo faciat) aliqua
D ſaltem ex parte declarare poſſumus. Ante omnia meminerimus ſternutationis. Cum quid intra nares mordicans & pungens continetur, quod expultricem vim cerebri poſſit ſuſcitare, exſurgit illa, impetuque maximo elidere conatur, quæ nares vellicant. Quid igitur mirabimur, ſi partes circa hepar, meſenterium, inteſtina, ab humore acrimonia ſua venarum oſcula exſtimulante exagitata ſimili

quodam conatu velint moleſtiam inferentia repellere? Diſcrimen in eo ſolo ferè eſt, quod cerebrum non continenter ita movetur, ſed humore irritante excuſſo plerunq; quieſcit: reliqui autem corporis expultrix facultas ſemel excitata ſæpe longiore tempore agit. Poſt ſternutationem, ſingultum, & ſimiles caſus, vomitum cõſideremus. Per hunc ſive ſponte acciderit, ſive à vomitorio pharmaco excitatus fuerit, totum aliquando corpus purgatũ conſtat. Sanè antiqui haud infrequentius per vomitum corpus vacuaſſe videntur, quàm per inferioris ventris ſolutionem: quod Gal. in com. in libellum de ſalubri dieta in expoſitione 15 ſententiæ palàm affirmavit. Et qui Elleborũ albũ ægris propinavit, teſtificari poterunt, evacuari nonnunquã humores longè plures, quã ut in ventriculo collecti hærere potuerint. Atq; vacuat non alia ratione, quã quia inſigni ſua acrimonia naturæ inimicus eſt utilisq; ſucci vel nihil omninò, vel prorſus minimũ, in ſe continet. Vnde cùm primum in ventre calefactus eſt, atq; is medicamentũ adeò malignum percepit, exſurgit ad ipſius expulſionẽ: & cum eo ſimul, quæcunq; ibidem hærent, ejicit. In hoc motu ventriculi, quis miretur, ſi & vicinæ partes commoveantur, ſimiliq; modo redundantes ſuos humores à ſe ad inteſtina & ventriculũ ꝓtrudãt? Quod cùm ſit, minus mirũ eſt, ſi ventriculus jã ante excitatus recens appulſum ſuccum inutilẽ eadem vi expellat. Ciet a. vomitum album veratrum potius q̃ nigrum, quia vapores ex ſe tenues & acres, os vẽtriculi erodentes, fundit magis quã nigrum. Intelligi hoc ex eo poteſt, quod narib admotũ (ſi leniter ſit tritũ) ſternutationes longè potentius movet nigro. Idem nos docuit uſus Antimonii: cujus violẽtia ſeu inimica qualitate adeò incitatur ventriculus, ut non abſq; periculo conetur quicquid in eo eſt, aut ad ipſum affluit exturbare. Et ne fortè putes à virtute tractrice quadã, iſta ſic ut diximus, ꝓvenire, ſciendum eſt, vomitum ſimiliter ab aliis moveri, in quib. vim talem ineſſe nullus crediderit. Sæpenumero oleum & aquam miſta exhibemus item decoctum raphani & anethi cum aceto, & hujus generis omninò plurima. Ab omnib. iſtis interdũ totum corpus purgatur. Addere his pores antimoniũ (quo vix eſt aliud violentius poſt præcipitatum) quod tractrice illa vi donatum à nemine docto adhuc affirmatum obſervavi. Quis eſt qui neſciat certos homines, cùm vel curru vehuntur vel navi, interdũ ab agitatione illa ad vomendũ vehementiſſimè incitari, ut totum corpus inde aliquando purgetur? Qui in mari aliquãdo fuerũt, non ignorant verum eſſe, quod dico. Sed & Hippoc. præclarè ſcivit, cùm in Aphoriſ. eos moveri vult, qui elleboro ſumpto non ſatis citò & bene purgantur. Et ut motum adjuvare purgationẽ monſtret, navigationis exẽplum adducit. Vide 4. Aphoriſ 14. & 15. Nunc cætera ſinam, quæ dici à me poſſent hoc loco: atq; unum adhuc addam, quod verum eſſe certò ſcio. Fuerunt qui febribus diuturnis laborarunt, atq; certos cibos vehementer appetiverũt. His cùm ſe ſaturaſſent, imò cum ventriculum implevisſent adeò, ut

molem

molem ferre nequiret, excitata virtus expultrix nō modò cibos gravantes, verum etiam purulentum & putridum humorem per vomitum extruſit. Vnde illi ſani facti ſunt ſubitò: & præter omnem ſpem atq; etiam exſpectationem ſuam. Hoc ab aliis cibis video non eſſe factum: quia non in copia tanta eos ſumpſerunt. Illis tantum ſic excitantur, quos avidiſſimè appetunt: & largiſſimè perdunt: ut qui copia moleſti eſſe poſſint. Proſunt autem hoc ſumpti modo tunc ſolū, cùm morbus eſt concoctus Nam qui ab initio id auſi facere fuerūt, graviſſimè ſunt læſi. Novi qui hoc modo ſuffocatus repentè exſtin-
A gueretur. Amicus quidā meus ſtudioſus, poſtquam multis menſibus quartana laboraſſet, ac vehementiſſimè limpidiſſimi fontis pellucidā & frigidam aquā deſideraſſet, tandemq; nemine obſervante eadē ventriculum nō impleviſſet modò, ſed ferè inferſiſſet, poſt copioſum vomitum ſanus eſt factus. Neq; verò eſt, cur hic aliquis quærat tractricem aut purgatricem facultatem in talibus. Etenim de illis loquor cibis & potib. quibus per ſanitatem jucundè fuerant uſi quibus in morbo quoq; uti voluiſſent, ſi non prohibiti fuiſſent. Quàm multos ſcimus hoc modo vino, quod clàm cuſtodib. ſuis liberalib. epotarunt, ſubitò convaluiſſe? Omnes vomitu rejecerunt, nō modò quæ
B paulò antè vel ederant vel biberant, verumetiam cum his putridos humores omninò plurimos. Profectò ſi quis hoc tempore tales medicamento purgaviſſet validius irritante, non minus feliciter liberaſſet: etiamſi ex eorum genere non fuiſſent, quæ trahendo purgare videntur. Quiſquis methodo curavit ægrotantes, non potuit non ſimilia exempla vidiſſe. Sed quid eſt his opus exemplis? Non apud Galenum legimus (& in Italia quotidiè æſtatis tempore videmus?) plurimos ardentibus febribus laborantes, ex liberaliſſimo aquæ frigidiſſimæ potu, à febri hoc modo liberari? Non modo vidi, ſed etiam author nonnullis fui, ut ita facerent. Ex omnibus, quibus
C juſſi, ne unus quidem non eſt per vomitum largæ bilis flavæ & putridæ: vel per copioſum ſudorem: vel per utramque vacuationem liberatus. Oportet autem tunc jubere, cùm apparet in urinis coctio: & natura viciſſe aliquo modo morbi cauſam cernitur. Non ſuccedet tamen res, niſi multam omninò bibant. tantam ſcilicet quæ oneri & moleſtiæ eſſe queat. Vt hic ventriculum ſubvertentia totum corpus purgant, ſic medicamenta in inteſtinis hærentia: & oſcula venarum, quæ huc pertinent, quomodocunq; irritantia & vellicātia, facilè perficiunt. ut natura, quicquid expelli idoneum eſt, expellat. Idem hoc pleriſq; accidit, tum ſanis tum ægris, cùm ad cibum aliquē
D ſive potum coguntur: quem vel natura vel alia de cauſa faſtidiunt. Aliqui nauſeā percipiunt, cùm vel nominari tale quippiā audiunt Et quidā ex his ventrē ſibi turbari ſentiunt. Quæ quia ſunt vulgò nota, & quotidie obſervari à quovis poſſunt, nō videntur verboſiore vel declaratione vel oſtenſ. egere. Quotidiè experimur naturales quaſdā poteſtates à levi cauſa excitatas, poſtea validius agere. Sic

non

non eſt mirum excretricem facultatem,ab aliqua re leviter concitatam,poſtea majore vi agere: atque non modo irritantem rem,ſed alia præterea plurima ex corpore ejicere. Non refert autem hoc loco,ſive natura cibum aliquem oderint, ſive propter morbum faſtidire cœperint. Etenim ſemper hoc nihilominus erit verum,absque tractione aliqua tali,qualis in purgantibus ineſſe creditur, purgationes ab ipſis tunc fieri propter moleſtiam, quam naturæ inferunt. Nulla namque tractrix poteſtas,in talibus fingi poteſt. Multò minus poteſt ſimilitudo aliqua trahens cum humore trahendo cogitari in illis cibis ineſſe, à quibus aliquorum naturæ privatim abhorrent. A
Quippe non minus oporteret eam à bile,exempli gratia, abhorrere: quam tamen facile fert,quantiſper non reddita eſt effrænis & moleſta. Ergo quemadmodum tales cibi propter naturæ peculiarem proprietatem, undecunque ea exorta & nata fuerit, moleſtiam adferũt, (atque hoc pacto ad excretionem provocant) ſic etiam medicamẽta purgantia cogites licet ad expulſionem inutilium eandem laceſſere & irritare. Ex quo pulchrè intelligi poteſt, ne hic quidem eſſe tantam obſcuritatem,quanta eſt in contraria opinione:& hic multò magis congruere inter ſe omnia,quàm ibi. Sunt enim permultæ prorſus inexplicabiles difficultates in iſta tractione & ſimilitudine B
trahentium & tractorum. Concordat præterea cum ſententia noſtra potius, quàm cum altera, tum Ariſtotelis opinio, tum experientia: quæ de hac re haberi potuit. Equidem Ariſtotelis ætate non videtur nota fuiſſe hæc facultas tractrix humorum in medicamentis pur-
1 gantibus Poteris legere quæ hac de re ſcripſit in 1. Sect. probl. ubi pur-
2 gationis cauſas refert in medicamentorum contumaciam, qua calo-
3 ri naturali reſiſtunt adeò, ut vinci nequeant: in odorem viroſum &
4 gravem: in caliditatem conturbantem: ac flatus naturæ moleſtos
ab ipſis generatos. (Quæ de diſtributione horum in venas ibidem narrat,rationi ſimul atque experientiæ, ut Medicorum authoritatẽ C
præteream,contradicunt.) Nullus dubitat,quin accuratè ac diligenter hic vir perlegerit Hipp. monumenta. ut cujus verba nòn uno in loco recitet. Quod ſi de tractione iſta quidpiam apud Hipp. legit, haud probavit Probabilius dicemus tale eum apud hunc nihil reperiſſe in legitimis ipſius operibus: aut aliter,quàm nos ſolemus accepiſſe. De Aſclepiadis,Eraſiſtrati,atque aliorum ſententia qui Galenũ anteceſſerunt,parum nobis conſtat. Si id ſenſerunt, quod eos Galenus ſenſiſſe ſcripſit,errarunt certè. Sin alia fuit eorum mens,minus fortaſſe à Galeno rectè reprehenſi ſunt. Ego de ignotis mihi judicare nolo. Hoc ſatis eſt,quod conſtat eos talem tractionem non admiſiſ- D
ſe. Quod ſi hoc cenſuerunt,quod Ariſtoteli placuiſſe videtur, hauſta hujuſmodi medicamenta ingenita quadam contumacia naturam exſtimulare ad expulſionem noxii humoris, qui tempore quovis in corpore redundat, non prorſus videntur à ſcopo aberraſſe. Neque difficile eis fuerit ad argumenta Gal. reſpondere. Si alia eorum fuit opinio

opinio à veritate aliena, defendi eos à nemine debere judico. Scio nõ deeſſe qui eorum ſententiam commodius interpretantur. Ego, ut jã dicebam, de rebus mihi non ſatis cognitis, non audeo certi aliquid pronunciare. Plus firmamenti ac roboris illud habere videtur, quod cum noſtra ſententia pulcherrimè congruunt, quæcunque hac de re legimus Etenim ratio hinc patet cur nonnulli ad mentionem & cogitationem ſolam, aliquando verò ad conſpectum horum pharmacorum nauſeent, vomant, purgentur. Qui tractionem ponunt, in tractione nihil reperiunt præſidii. Nobiſcum fateri coguntur, cogi-
A tationem à ſpecie ingrata commotam, virtutem expultricem incitare, ut noxia ex corpore exturbet. Quod ſi igitur imaginatio id poteſt, quomodo non ipſa magis efficiant idem medicamenta irritantia? Huc referenda ſunt plurima ex illis, quæ ſupra de ægris atque ſanis expoſitá nobis fuerunt. Præterea quæ de naturalibus vacuationibus commemoravimus. Convenit ſanè, ut Medicus, qui naturæ miniſter eſt, naturam imitetur Non enim facere hic aliquid jubetur, quod nõ præſtare ſæpe ipſa ſolita ſit Quocirca ſi ita purgationes procuret, ſicut naturam eas perficere per ſe ipſam interdum cernimus, præclarè ſuo muneri ſatisfecit. At illa non trahendo, ſed expellendo purgat: à
B re præter naturam ſtimulata. Quare medicamento excitaviſſe eam ſatis fuerit. Scriptum eſt à nonnullis, reperiri certos homines qui odore tetro purgantium non inſtrenuè ſæpenumerò purgentur. Hac de cauſa celebres quidam Medici pilas ſeu poma purgatoria deſcripſerunt. Fuiſſe quoque feruntur, qui à medicamentis, quæ in manibus geſtaviſſent, purgati fuerint. Equidem hoc dicere poſſum, noviſſe me honeſtiſſimam matronam, quæ ex odore talium pharmacorum præclarè purgetur. Ea ſi in pharmacopolio aliquantiſper moretur, mox alvum ſibi turbari ſentit. Eadem ſi marito purgatoriam potionem calefaciat offeratque, non minus aliquando purgatur ipſo ma-
C rito, qui potum hauſit. Ex ſyrupo Roſarum ſolutivo ſi cochlear unũ aut paulò amplius deglutiat, ſupra quàm credi poteſt perturbatur ei alvus: ut nonnunquam etiam per ſuperiora plurimum pituitæ bilisque rejiciat. Neſcio an hic aliquis in odore virtutem tractricem cõminiſci velit audeatque. Ad cerebrum, in quod recipiuntur, aut ad manus pertrahi ex corpore tunc humores oporteret. Longè veriſimilius nos dicimus, tetrum ac viroſum odorem perceptum rationi indicare, totum hoc ingrati odoris ſubſtitutum naturæ inimicum exſiſtere. Quo facto mirum non eſt, ſi expultrix virtus rationis indicium ſecuta excitetur: & ad expulſionem noxii ſe accingat atque ſic
D quæcunque eductioni idonea reperit, mox ejicere tentet: etiamſi attractione nulla adjuvetur. Hinc etiam patet, cur quidam à certis cibis, quibus plerique alii jucundiſſimè utuntur, validiſſimè purgẽtur. Neque, puto, facultatem habent iſtam tractricem in ſe abſconditam: quæ tunc prodeat ſuaſque vires exerat, cùm tales eos ſumũt: tunc autem altè dormitet, cùm alii eoſdem uſurpant. Cauſa talis eſt.

Si tales

Si tales cibi hanc tractricem facultatem, comparatione quorundam haberent, non poſſent principio trahere mox verò nihil trahere: ſed alere. At, qui tales prius non erant, cùm primum eos faſtidire aliquis cœpit, tales fiunt: & qui tales erant, cùm eos faſtidire deſinunt, quibus abominabiles paulò antè viſi ſunt, tales non ſunt amplius. Cur ergo, dices tam ſtrenuè commovent exagitantque corpus? Quoniã ejuſcemodi cibi cùm vel natura, vel propter accidens aliquibus redditi ſunt odioſi, quotiens ſumuntur à ſcientibus, atque intellectus noxios adeoque pellendos eſſe judicat, paret appetitus, eosque totis à ſe viribus depellit. Quippe certo certius eſt, ſumi aliquando tales cibos ab ignorantibus, eosdemque ſic non lædi: quos, ſi quidem ſcientes ediſſent, retinere non potuiſſent. Per jocum vidi carnes feliũ, & vulpium, atque etiam luporum aliquibus proponi: & quosdam illorum, ubi reſciviſſent, graviter ab eisdem fuiſſe purgatos. Qui natura magis quàm opinione certos cibos odio habent, illi ſive ſcientes ſive neſcientes comederint, ab eis ſemper ita ferè afficiuntur, quemadmodum affici tum ipſi tum alii ſolent, cùm fœdi odoris medicamenta devorarunt. Iam quia cogitare aliquis poterat virtutem tractricem in illis cibis eſſe, ſi quidem talibus compararentur, qui illos ferre nequeunt, illos conſiderandos propoſui, qui talibus aliquãdo citra noxam uſi ſunt: poſtea autem non amplius uſurpare edereque potuerunt. In præſentia enim illam ſententiam non ſtatui operoſius confutare: utpote quam ſciam nulli docto probari. Non enim quicquid alienum eſt, ſtatim vim certi alicujus humoris attrahendi nactum fuit. Scio ego exempla (pauci puto reperientur, qui non ſimilia poſſint recitare) certorum hominum, qui faſtidire aliquos cibos ideo cœperunt, quod ſæpè eos coacti ſunt contra ſuam voluntatem edere. Hi cùm principio non inviti eos ederent, poſtea edere non facile unquam potuerunt ſcientes, quin vel revomere cogerentur vel aluo citata vacuarentur. Ediverſò vidi, qui ex ovillarum carnium eſu per vomitum & per aluum periculosè purgarentur: idque non ſemel tantum ſed ſæpius accidiſſe diverſis memini & ſcio. At iidem ubi in militia præ inopia edere cogerentur, ſine incommodo poſtea ederunt: quemadmodum alios citra noxam à principio ediſſe conſtat. Nullus, puto, ſic cenſebit concludetque: ex ingratis redditi ſunt grati, & contra, ex gratis redditi ſunt ingrati: Ergo virtutem tractricem certi humoris vel adepti ſunt: vel, cùm poſſediſſent, amiſerunt. Poſſunt enim ingrata nobis grata fieri, propter conſuetudinem & ſocietatem ſive crebrum uſum: quod nonnullis accidiſſe ſcio. At naturam illam ſuam mutare, novamque induere non poſſunt. Imò tunc, quia corpori & humoribus ſunt ſimillimi, purgare nullo modo debent. Etenim cum longo tempore certo aliquo cibo veſcuntur homines, ideoque faſtidire eum incipiunt, certum eſt tum humores maxima ſui parte inde genitos, tum partes inde nutritas fuiſſe. Quamobrem ſtruſtra

A B C D

fruſtra hic ſtudeat quis occultam fingere poteſtatem tractricem: dum conſtat non ob hanc cauſam talia purgare, ſed ob antedictam: nempè quod natura ab iis abhorret. Quomodo autem hujusmodi absque calore mordaci & pungente expultricem virtutem laceſſant & provocent, minus fortaſſe explicatè dici poterit. Attamen hic etiam modum, ſi non particulatim & planè, ſaltem generatim & obſcurè intelligimus. In eo poſitus eſt, quod natura aliena ſibi rejicit: amica amplexatur. Apparet hoc in pharmacis, ex quorum conſpectu & odore, cùm præſertim haurienda nobis ſcimus, toti
A concutimur, priusquam ea deguſtaverimus. Et cùm ventriculus ea recepit, mox rejicere à ſe eadem totis viribus plerunque tentat: aliquando nobis etiam fruſtra repugnantibus excutit. Non hic eſt opus mordaci qualitate. Quod in aliis præſtat qualitas pungens & exſtimulans, hoc efficit in his inimica naturæ qualitas: quæ horrorem nobis parit, antequam periculum ejus in guſtu factum fuerit. Neque impedit quicquam, puto, ut inimica qualitas conſuetudine quadam amica reddatur: ſi præſertim utilem ſuccum habeat copioſum unà ſecum permiſtum: quandoquidem venenis aſſuefactos quosdam legimus. Ratio eadem eſt in aliis quæ rarò acci-
B dunt. Ad extremum addere & hoc volumus, vix ullum poſſe problema ex iſta tractione pharmacorum pendens, proponi quod non commodius ex noſtra ſententia quàm illorum, qui cæcam iſtam tractionem defendunt, explicetur. Quippe partim ex dictis, partim ex dicendis reſponſio ad omnia patet: de quibus contendere authores animadverti. Talia ſunt hæc, ut, cùm quæritur, cur phar- 1
maca purgantia nonnunquam antè purgationem vertiginem, animi deliquium, tormina, &c. efficiant? cur purgatione procedente 2
deſinant eadem hæc accidentia? cur quædam etiam viſa ſolum tan- 3
topere purgent? cur non omnia totum corpus purgent? cur quæ- 4
C dam in alimentum vertantur? cur per aluum & vomitum ſemper 5
ferè purgent cum natura ſæpè per ſudores, & ſanguinis ex naribus 6
effluxũm, ſeipſam exoneret? cur in mortuo corpore, quamvis ca- 7
leſiant plurimum nihil expurgent? cur exiguum & debile pharma- 8
cum aliquando maximã humorum copiam educat? cur quæ odora- 9
mur ſolùm, aut umbilico imponuntur, per aluum vacuent? cur pharmaci quantitas aucta quemlibet humorẽ ſubducat? & quæ hiſce ſunt ſimilia. Quàm ſit futilis Averrois reſponſio, quam ad poſtremam interrogationem in 5. coll. cap. 21. adfert, poterit unusquisq; videre ac intelligere, qui cum judicio hæc legerit. Equidem ne Galenus quidẽ,
D ut ſupra de nimia purgatione declaratum fuit, cauſas horum in tractione illa nobis ignota quærat. Quocirca probabilior & veritati magis conſentanea modis omnibus noſtra eſt ſententia, quàm latentem illam potentiam tractricem defendentium opinio. Interrogare hic aliquis poſſet, qui fiat, quod nec venena, nec alia incoctilia pharmaca purgent, ſi quidem naturæ adverſantia ponantur

tur purgare? Reſpondeo primùm ex venenis multa purgare, præ-
ſertim mitiora: & quæ non ſtatim in venas penetrant. Quædam e-
nim vel propter partium tenuitatem: vel quia benigni aliquid ha-
bent conjunctum: vel ob aliam cauſam, celeriter per venas ultra he
par ad cor aut cerebrum usque adſcendunt. Reliqua vel alvum mo-
vent: aut vomitum cient: vel urinas provocant: vel ſudores proli-
ciunt. Quædam ea ſunt malignitate prædita, ut partium, quas cõtin-
gunt, calorem ſtatim exſtinguant: ac veluti ſtrangulent. Hæc nemo
mirabitur non purgare. Ratio conſimilis eſt ferè illorum, quæ cele-
riter permeant: niſi quod hæc talia videntur à tota ſubſtantia non tã A
ventriculo adverſari, quàm cordi aut cerebro inimica eſſe. Etſi ergo
partibus omnibus nocere poſſint, minor tamen eſt noxa, quam ven-
triculo creant, quàm ut inde multum perturbetur. In cauſa eſt di-
verſa partium temperies: propter quam unaquælibet aptior eſt pati
ab hac re quapiam, quàm ab alia quavis. Sicut enim differunt ſub-
ſtantia & temperie, ita læduntur ſingulæ à rebus quibuslibet faciliùs
aut difficilius. Ita rabioſi canis ſaliva minùs carnes offendit, quàm ce-
rebrùm. Ita plurima venena cordi magis, quàm ventriculo pernicio-
ſa exſiſtunt. Sic Antimonii vitrum ori ventriculi inimiciſſimum ex- B
ſiſtens, in venas raptum & per corpus diſtributum imbecillius ac le-
vius partes reliquas laceſſit ac vellicat. Sic veratrum album nigrò
magis vomitum citat: quia ori ventriculi inimicitius eſt nigro. Con-
ſentit his, quæ diximus, rerum magiſtra experientia. Etenim venena
plurima odore & ſapore nos minus offendunt plerisque purgantib.
quorum odor ſolus facit, ut totum aliquando corpus concutiatur &
horreſcat. In opio teter & viroſus odor cum amaritudine & acrimo-
nia purgatricis potentiæ ſignum exſiſtunt. Quod non purgat, duo
mihi videntur in cauſa eſſe. Vnum eſt vis ſtupefaciendi: quæ ut ne
ſentiatur mordicatio efficit: alterum modica ejus, quæ exhibetur, C
quantitas. Hic accedit, quod plerunque aliis multis vim ejus hebe-
tantibus miſcetur. Rurſus hic videmus, quàm prudenter Ariſtoteles
cauſas purgationis in ἀπεψίαν & δυσωδίαν retulerit. Ergo ut tãdem
quæſtioni huic finem imponamus, cùm Galenus ſuæ ſententiæ de
tractione argumentum nullum firmum proferre, neque exemplũ
in tota natura ſimile oſtendere potuerit: Naturales & ſpontaneæ
naturæ excretiones, ad quarum ſimilitudinem artificiales fiunt, o-
mnes aliter excitentur. Superpurgationes quoque à ſola medicamẽ-
ti acrimonia mordente & ſtimulante; aut certè ab hac præcipuè na-
ſcantur: cibi & potus ſive natura ſive ex accidente nauſeabundi abs-
que omni tractione valide purgent quosdam: Galenus etiam non D
aliter eas fieri à medicamentis aliquando docuerit: Res ipſa demon-
ſtret, multa absque tractione medicamenta ſic purgare: ut hic Ga-
lenus docuit. Et exemplo vomitus & purgationum aliarum movea-
mur, Naturam absque tractione corpus à noxiis repurgare poſſe:
Veteres trahendi iſtam cæcam poteſtatem ignoraverint: Denique
cum

cùm noſtra ſententia cum experientia magis conſonet, quàm adverſa: non vereor dicere, videri mihi hanc quam defendo, opinionem veriorem Galeni ſententia de vi tractrice. Quod ſi rationes cognovero aliquando evidentes & firmas, quibus ea certius comprobetur, libenter ſententiam mutabo. Te etiam atque etiam hortor, ut re diligenter examinata prius, id demum ſequaris, quod ratio ſequendum tibi perſuaſerit.

QVÆSTIO TERTIA.

A NVNC jam tempus eſt, ut ad tertiam quæſtionem accedamus. Ea talis erat: An ex pharmacis purgantibus, alia ſolam bilem flavam, vel atram, alia ſolam pituitam ex corpore educerent? Quid Gal. hac ſenſerit, imò poſt eum Medici propè omnes, notiſſimum eſt. Profectò non parum me à propoſito exponendi cogitationes meas iſte conſenſus abſterruit antehac ſemper: & nunc etiam abſterret. Veruntamen quia te ſpero id eſſe facturum, quod ego me feciſſe adhuc de principio dixi, facilius mihi perſuaderi patior, ut, quid putem, declarem. Sic enim faciens, errare in agendo non poteris, ut maximè in ſentiendo errare te demonſtretur. Quippe ſi rectè ſentio, non ago
B quicquam contra id, quod ſentio: ſin perperam res iſtas intelligo, in agendo tamen nequaquam à communi via declino. Ergo ut ad rem ipſam deſcendam, ſi vera ſunt, quæ hucusque diſputavimus in duab. præcedentibus quæſtionibus, haud erit hujus propoſitæ rei explicatio difficilis. In prima quæſtione hoc demonſtratum fuit, medicamentorum purgantium aliqua per notam purgare qualitatem: nēpe per mordacem & ſtimulantem caliditatem virtutem expultricē excitantem. Alia quædam reperiri diximus, quæ non caliditate hoc efficere, ſed ingrata naturæ qualitate (nomine certo carente) idē præſtare videantur. Hanc ſi quis occultam vellet vocare, non repugna-
C turos nos eſſe oſtendimus. Quanquam non ſit nobis omni ex parte ignota ea qualitas, quam ſenſus noſtri, generatim licet atq; obſcurè, adeſſe docent. Proinde cum guſtus & odoratus ſæpe nos doceant, quæ adverſa vel amica nobis ſint: nec tamen exactè nobis declarent, quatenus nobis adverſa ſint: medium eam qualitatem locum inter omninò ignota & planè cognita obtinere putamus. Hoc certè evidentiſſimis argumentis & exemplis planum fecimus, purgatricem iſtam qualitatem non in formæ ſubſtantialis eſſentia, ſed in proximæ materiæ ac temperamenti proprietate conſiſtere. Et hanc ſolam cùm Galenus agnoverit in medica materia, per ſubſtantiam totam nihil
D aliud intelligere ipſum potuiſſe dictum fuit. Apertè quoque faſſus eſt, nonnulla ex his probabili conjectura vel ſuſpicione cognoſci poſſe. Jam in altera deinceps quæſtione, non trahendo, ſed turbando, purgationes effici oſtendimus rationibus atque exemplis multis. Atque tractionis illius Galenicæ, neque argumentum firmum, neque exemplum congruens proponi in medium poſſe, argumento

illud fuerit, quod neq; Galenus, neq; alii poſt eum, licet ſæpe & multum tentatum hoc ſit, invenire adhuc ullum potuerunt Quocirca, ſi prius dicta conſiſtunt, efficitur neceſſariò medicamenta non trahere certum aliquem humorem ex corpore, ſed promiſcuè quemvis: modò ad expulſionem ſit idoneus. Etenim non pharmacum, ſed natura ab eo excitata expellit. Expellere autem hæc, incitata cum eſt, noxia ſolet, non utilia: niſi cum immoderatè agit: vel cum utilia cum inutilibus & excrementis permiſta ſunt. Perfacile ex hac quæſtione ſe expediet, quisquis non ignorat naturam, i.e. facultatem, quæ corpus noſtrum gubernat in diarrhœis, in criſibus, & vacuationibus aliis ſponte factis, non unum & eundem ſemper humorem profundere: ſed modò bilem flavam modò atram, alio tempore pituitam, nonnunquam ſeroſos humores evacuare. Omni enim tempore, cùm valet, ac impedita non eſt, id extra corpus ejicit, quod corpori moleſtiā parit: utilia autem retinet. Cùm hæc etiam extrudit, incitata fuit vehementius: à quacunque tandem cauſa irritata putetur. Quod ſi à nullo pharmaco impulſa hoc ſponte ſua facit, quis dubitare poteſt, quin à pharmaco provocata & ſtimulata idem faciat? Ergo tempore quovis, cùm vel ab interna vel externa cauſa vel à pharmaco laceſſitur & ſuſcitatur, hoc depellere nititur, à quo læditur. Quo tempore humores, quicunque moveri poſſunt & à retentrice virtute nō retinentur, magno conatu, pro irritantis cauſæ modo & viribus, deturbare, extraque corpus ejicere conatur. Hinc pendet ratio ferè omnium, quæ hic rectè quæri poſſunt. Addendum tamen prædictis eſt, quædam magis prodeſſe uno tempore quàm alio: magisq; convenire in unius humoris redundantia quàm alterius. Etenim cùm aqua educenda eſt, aut craſſa pituita, non ſufficit illa exhibuiſſe, quibus bilis fortè educatur. At hoc nō inde accidit, quia certum humorem ſingula purgent: eumq; trahant ad ſe propter eſſentiarum ſimilitudinem: ſed quia magis minusq; ſtimulare naturam & ad excretionem quaſi cogere poſſunt. Quoniam nonnulla excrementa facilè pellit: aliqua non niſi magno conatu exturbat. Velim te legere, quæ de hac ipſa re ſcripſit D. Guilielmus Puteanus Medicus Gratianopolitanus, libro de medicamentorum purgant. facult. 2. c. penult. ubi multa rectè monet huc ſpectantia. Quod ſi jam interroges, quî fiat, quod hydropico medicamentum chologogum exhibitum, bilem ſatis multam educat, aquam verò modicam: at ſi eidem aquam purgans medicamentum exhibeatur, aqua copioſa dejiciatur, bilis modica omninò? ex prædictis facilè reſpondebimus. Ideo medicamentum bilem purgans, aquam non multam purgat, bilem nihilominus educit ſatis multam: quia quæ bilem purgant ſolam, minimè ſunt fortia. Si vel leviter irritent potentiam expultricem, expellit ea bilem, quæ in inteſtinis & circa hepar collecta eſt: quoniā & levis, tenuis, atq; mobilis eſt, ſuaq; ſponte quotidie deſcendere per inteſtina ſolet. Vt aquā expellat, majorib. ei viribus eſt opus: ideoq; ſtimulari

ſtimulari eam validius oportet: quoniam nec in meatib. illis cõtinẽtur univerſi: nec aſſuevit natura per ea loca aquam depellere. Rectè ergo Gal. lib. 14. Meth. c. 17. Bilem flavam facilè vacuari, lentam verò craſſamq; pituitam & atram bilem difficilius expurgari aſſeruit. Verba ejus hæc ſunt: Ἐπὶ μὲν οὖν τῆς ὠχρᾶς χολῆς αἱ κενώσεις ἑτοιμότεραι. τὸ δὲ φλέγμα, καὶ μάλιστα ὅσον αὐτοῦ παχύτερόν τε καὶ γλισχρὸν ἐστὶν, (ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ μέλαινα χολὴ) δυσκόλως ἐκκενοῦται. Quæ ergo aquam multam purgant, bilem quoq; ſimul aquæ permiſtam purgãt. Quæ ſi paucior videtur eſſe, ex eo contingit, quod non ſeorſim excer-

A nitur, ſed per copioſam aquam diſperſa fuit. At quæ bilem vacuant, aquam etiam vacuant quidem, ſed illam ſolam, quæ in locis & meatib. idoneis continetur. Hanc a. vacuant, quia expurgatu facilis eſt: & unà cum bile excidit: Sic etiam non purgant mox craſſam lentamq; pituitam, quæ bilem purgant, niſi prius diligenter ea ſit inciſa & abſterſa. Vnde ratio patet, cur, quæ tum aquam tum pituitam craſſam detrahunt, aut vehementer ſint corpori inimica: aut certè valde ſimul calida & mordacia. Ego ingenuè fateor, me nullum unquam medicamentum ſtrenuè purgans vidiſſe cuiquam exhibitum, quod non liquidiſſimas faceret dejectiones. Levia & parum vel ingratitu-

B dinis vel caloris obtinentia, plerunq; ſolidiora detrahunt: illa ſcilicet quæ in inteſtinis aut eis vicinis maximè partib. aſſervantur: niſi corpus omninò vitioſis humorib. ad purgationem idoneis plenum ſit. Tunc n. imbecilla etiam, multa & aquoſa detrahunt. Quæ nam eſt hujus accidentis cauſa? Nulla ſanè alia, quàm quod validiora medicamenta naturæ ſunt adeò moleſta, ut eam nõ uſitata ſolum excrementa cum bile flava, ſed & aqueas partes exigere cogant. Equidem nullum unquam vidi purgatum (uno ſolo excepto) qui eporo medicamento bilem ac pituitam purgãte, nigerrima dejecit. Sed facilè eſt videre, cur nulla hic bilis apparuerit: quantumvis non pauca adeſſet.)

C cui cum cæteris humorib. bilis plurima non ſimul excreta exactaq; fuerit. Etenim ut purgantia omnia ſtercus educunt, quia in inteſtinis hæret, ſic & bilem quoq; vacuant: tum quia vacuari commodè poteſt, tum quia in inteſtina plerunq; confluxit. aut à natura excitata facilè eodem depellitur. Fidem huic rei faciunt quæcunque in ægris apparent. Datam ſæpe ab aliis (& à me quoq;) Mannam ſolam in jure cicerum diſſolutam, aliquando aquam copioſiſſimam bile tinctã, interdum nigerrima detraxiſſe recordor. Memini ſæpiſſimè nigrum elleborum in tumore ſplenis nihil aliud, quàm lentam pituitam flavam eduxiſſe, atq; ægros inde bellè habere cæpiſſe. Vt ſemel dicam,

D quisquis obſervare iſta volet, ſicut ego per multos annos ſummo ſtudio obſervavi, (modò caveat, ne à tinctura ſive colore, quem aliquãdo excrementa propter exhibiti pharmaci permiſtionem nanciſcũtur, decipiatur) rem ita habere, ut diximus, comperiet. Non nego interim partem phamaci per venas meſenterii penetrare aliquousq, & humores qui ibi ſunt incidere, ſeparare, extergere, colliquare, de-

nique à natura repelli ad inteſtina, unà cum humorib. colliquatis & extërſis: quos loco ſuo movere aliâs natura fortè non potuiſſet. Quod ſi in hac re diſcrimen pharmacorum, & præterea cauſam, cur non omnia quemvis ſemper humorem purgent, quærëdam aliquis putet, cum eo non valde contenderim. Quanquam video tam brevi ea tempore poſtquam ſumpta ſunt, alvum turbare, ut nihil hic operæ precii facere potuiſſe videantur. Negare interim non volo probabilitatem habere opinionem modo dictam. Equidem purgantia calefaciendi poteſtatem cuncta obtinere contendit Gal. Quo fit, ut credibile ſit hæc ipſa efficere poſſe, quod efficere ab his dicuntur. Nec mirum videri debet, quædam pharmaca humores unos ab aliis dividere ac ſeparare vi facultatis ſecretricis ſeu animæ: cùm aqua aurificum, quam ab efficacitate ſua Fortem appellant, argentum ab auro nullius ope animæ ſecernat: cujus eventus cauſam in epiſtola ſeu tractatu de abditis pharmacorum viribus expoſui. At verò obſtare videtur huic ſententiæ, quod pars maxima purgantis pharmaci in ventriculo atq; inteſtinis remanet, atq; cum humorib. ex venis in ea influentibus eluitur. Galeni ſententiam hanc fuiſſe neſcire nullus poteſt. Quid cæteri ſenſerint, non eſt obſcurum. Certè in hac re magnus eſt, ac ſemper fuit, doctorum conſenſus. In tractatu nuper nominato copioſè admodum hoc ipſum demonſtravi ex ipſa rerum experientia. Sanè pharmacorum quicquid per venas ad hepar penetrat, per urinæ vias potius vacuatur, quàm retrò ad inteſtina repellatur. Huc & illa accedunt, quorum aliquoties facta fuit mentio à nobis, quod nonnunquam viſa ſolum purgant: quod nominata tantum vẽtrem turbant: quod odore duntaxat eorum percepto vacuant. Poſtremò etiam, quod cibi ac potus nonnulli, qui vim colliquandi nullam habent, non minus ſtrenuè purgant. Haud ſcio etiam, quomodo poteſtas alicujus medicamenti in cataporia conformati, dum in manib. ſolum geſtatur, in venas totumq; corpus ſubire, & colliquare humores ibi contentos valeat. Quocirca tutior ac verior hæc mihi viſa adhuc ſententia eſt, quæ virtuti excretrici totam hanc actionem præcipuè adſcribit: pharmacis a. irritandi ferè ſolum facultatem, qualiscunq; ea tandem cogitetur eſſe, tribuit. Attamen negari non poſſe puto, quin aliquando purgationes plurimum ſic adjuventur. Porrò non deponere naturam excrementa alia ad ventrem atq; inteſtina, cùm exagitatur à pharmaco, quàm quæ redundant, (quicquid tandem trahere pharmacum fingatur) partim ex ſupra declaratis, partim ex ſanorum purgationib. apparet. Etenim rectè ab Hippoc. 2. Aphoriſ. 6 & 37 affirmatum eſt, ſanos corporaq; pura habentes, difficulter purgari. Cauſa, meo quidem judicio, non ea eſt, quàm vulgò adferri video: quia videlicet medicamentum, non reperiens humorem familiarem trahendum, carnes liquet ac tabefaciat: & ſic trahendum humorem eliciat. Videtur hæc mihi ſententia omninò abſurda. Primum quia falſum eſt, in ſanis & puris corporibus non inveniri ſatis

A (margin, beside "Nec mirum"); B (beside "In tractatu"); C (beside "ſolum geſtatur"); D (beside "Aphoriſ. 6 & 37")

multum

multum bilis, (exempli gratia) quæ à pharmaco non ſemel tãtum, ſed ſæpius exhibito, vacuetur. Multò rectius Hippoc. lib. de nat. humana, bilem utramq; pituitam, & ſanguinem, in homine omni tempore, loco, ætate inveniri aſſeveravit. Quod ſi eſt verum, ut certè eſt veriſſimum, falſum eſſe oportet, quod dicitur, pharmacum bilē purgans aliquo tempore non invenire quod vacuet: atq; ob id carnes liquefacere conari ut proprium humorem, ſicut Gal. loquitur, inveniat. Quis n. eſt adeò imperitus rerum omnium Philoſophiæ candidatus, qui neſciat, rem nullam perfectè miſtam in idem illud reſolvi
A poſſe, ex quo concrevit. De vera generatione loquor: in qua materiæ ſubſtantialis fit transmutatio: ut cùm ex ovo pullus fit, aut ex ſanguine caro. Quàm non poteſt ex corrupto pullo ovum, ex quo genitus fuit, exſpectari, tam non debet ex liquefacta carne bilis aut ſanguis, (ex quib. tranſmutatis generata fuit,) ſeparari. Quo fit, ut falſa pariter & inutilis ſit hæc ratio. His adde, quod bilis plurimum generatur, etiam in optimè conſtituto corpore: & quidem excrementitiæ. Quod ſi tanta non gignitur, quanta excitando ſufficiat morbo, ſed tanta ſolum, quanta commodè à natura benè valente expelli poſſit, ex eo non ſequitur, pharmacum bilem, quam expurget, nullā
B invenire. Equidem certo & frequente experimento edoctus affirmo pharmaca cholagoga ſanis exhibita, qui naturaliter multum bilis colligerent, & excrementa ſic ſatis tincta eo humore haberent, plus aliquando pituitæ, quàm bilis, non ſine labore tamen, eduxiſſe. Deinde ſi propter familiaritatem bilem ad ſe pertrahit pharmacum aliquod, cur in carne eam quærit, ubi nulla reperitur? Tam non eſt n. in carne bilis actu, ſicut jam jam expoſui, quàm non eſt in ſanguine panis, pomum, caro, vinum, &c. actu. Non enim ex humorib caro gignitur, priuſquam toti ſint permutati, & priore ſua forma deperdita, novam (carnis ſcil. non bilis) induerint: quemadmodum panis non
C antè fit ſanguis, quàm panis formam naturamq; amiſerit. Siquidem in ſanguine eam quærere aliquis dicatur, tolerabile ſit futurum: ut cui permiſceri bilis ſoleat: & ex quo calefacto gigni poſſit. Atqui tunc non multum exagitabitur corpus, etiamſi ex ſanguine generare eam putetur. Sæpe calor hoc facit ſine ulla corporis perturbatione. Quæſo te, quid differt iſta ſententia ab antiquorum opinione, quam eis Galenus adſcribit de pharmacorum purgatione? Illi ex ſanguine humores generari à pharmaco ajunt, hic ex carne liquata elici aſſerit. An non hic eam generari cum in carne actu non ſit, imò cum ne materia quidem apta ſit, ex qua vel bilis vel pituita genere-
D tur, oportet? Coctio non retrorſum, ſed prorſum contendit. Unde ex ſanguine bilis: at non contra, ex bile ſanguis generatur. Neque ex carne bilem naſci oportet, cùm corrumpitur. Profectò ſiquidem caro etiā bilis idonea eſſet materia, ex ea tamen concocta potius quàm colliquata & corrupta naſceretur. Taceo quod generari eam non ſit neceſſe: cum ex ſanguine eam educi dicimus. Fortè hoc ipſum vo-

luerunt antiquiores illi, eos quaſi generari, dum à pharmaco irritata natura ex ſanguinis maſſa eos ſegregat expellitq;. Haud video etiam quomodo defendi hoc poſſit, propter inſitam totius ſubſtãtiæ familiaritatem pharmaca quædam bilem trahere tantum: & cùm hanc non reperiant, carnem tabefacere, ut ex ea bilem eliciant, quemadmodum retro jam demonſtravimus. Nam plus differt, arbitror, caro à bile, quàm pituita & atra bilis ab eadem differant. Notum eſt, quid Galen. cum in lib. de pot. natural. tum alibi frequenter de humorũ diſputaverit generatione. Cur ergo carnem iſta pharmaca potius colliquent, quàm alios illos humores attrahant? Sanè exemplum hujus rei nullum in natura exſtat. Magnes ferrum ad ſe attrahit: cætera metalla non movet. Sic & pharmaca cùm non adeſt bilis, non debẽt carnem tabefacere: ut in ea quærant bilem, quam ibi non reperient unquam: niſi fortè ex ea generent. Poſtremò ſatis eſt apertum, tractionem iſtam familiarium, non colliquare poſſe carnes: cum ne ventriculus quidem aut membrum aliud quodlibet trahendo colliquare partem ullam corporis poſſit. Opus eſt alteratrice virtute ad eam rem & calore. Quod ſi ergo & pharmaca exiſtimentur calore carnes colliquare, magis apparet abſurditas. Quippe ex ſententia Gal ac præſtantium omnium Medicorum, pharmaca in ventre & inteſtinis hærentia purgant. Probavimus nos quoq; alibi rem ita habere. Ergo ventriculum & inteſtina potius tabefacient. At hæc bilis minimum retinent. Proinde alia erit cauſa quærẽda, cur in ſanis purgationes tam ſint difficiles. Ea verò inventu eſt facilis noſtram ſententiam tenentib. Ideo enim accidit, quia pharmaca naturam excitant, vellicant, ſtimulant, & ad excretionem provocant: ipſa a. excitata, cùm nihil habet quod expellat, vel quod expellere poſſit, peſſimè afficitur: nec eluere aut excutere mordens medicamentum ita facile poteſt. Quod ſi notatu dignam humoris vitioſi ſeu redundantis copiam in inteſtina effundere poſſet, facilius medicamentum irritans, hoc pacto elueret: atq; cum excrementis ex corpore ſubduceret. ¶ Sic enim cùm eſt excitata, viamq; ad inteſtina ſibi aperuit, reliqua excrementa eodem facilè protrudit: tunc etiam cùm pungens pharmacum depulſum eſt Haud facile namq; in alium locum excrementa deponit, quàm in eum, in quem deponere jam incepit: ſicut in omnib. ipſius excretionib. per quemcunq; locum fiant, manifeſtè apparet. Plurimum ergo lædi naturam neceſſarium eſt, cùm à pharmaco laceſſita conatur expellere, quæ retentrix virtus tanquam utilia & familiaria pertinaciter retinet. Non minus læditur, cùm adſunt quidem excrementa, quæ retentrix vis nequaquam retinere deſideret, ſed lentore & craſſitudine ſua excretrici facultati ita obſiſtũt, ut propelli nequeãt. Hac de cauſa ſæpenumerò prorſus neceſſarium eſt, ut ante purgationem incidantur, & extergeantur. Ex quo utilitas præcepti Hippocratici perſpicitur, quo jubemur purganda corpora fluida facere. Quod ſi quis malit cauſam, cur alia medicamenta bilẽ

A

B

C

D

flavam

flavam, alia nigram, alia pituitam, alia aquam vel ſerum educere videantur, ad occultam poteſtatem referre, haud me præbebo difficilem, modo non adſcribat potentiæ per electionem tractrici. Nã ſic perſuaſus ſum, purgantia abſq; hac facultate purgare, ut, niſi alias ac firmiores rationes audiam, quàm hucusq; audire & videre mihi cõtigit, de ſententia dimoveri non poſſim. Ergo ſi aliquis ſibi perſuaſerit, Mannam, exempli gratia, aquoſa & ſeroſa, Rhabarbarum bilẽ flavam, &c. præcipuè maximeq; ſubducere, non propter vim tractricem, ſed propter cauſam aliam quamlibet, cum eo ego non contenA dero. Non enim inficior pharmaca pro ſuæ temperaturæ diverſitate diverſè virtutem expultricem incitare ac vellicare. Interim conſtanter, quod certiſſima experientia me verum eſſe docuit, aſſero, pharmacum quodlibet humores quosvis interdum purgare. Sic Mãnam aliquando bilem flavam duntaxat, nonnunquam ſeroſa, interdum etiam nigra detraxiſſe vidi. Rhabarbarum aquam hydropicorũ ſubducere aſſeveranter affirmarunt Medici quidam doctiſſimi pariter & experientiſſimi. Ego ſanè exhibito hujus pulvere aliquoties vidi nigerrimi humoris, inſtar attramenti ſcriptorii, magnam copiam detractam fuiſſe. Idem Aloen in catapotia conformatam præſtare
B vidi. Sed & Elleborum utrumq; aquoſa & mucoſa plurima, bilis flavæ minimum, eduxiſſe obſervavi. Summa eſt, nullum vel ſimplex vel compoſitum pharmacum purgatorium exſtare novi, quod non omnis generis humores interdum pro naturæ ſuæ viribus ſtrenuè eduxerit. Quæ ſanè res fecit, ut minus tribuere auſus fuerim abditæ illi poteſtati: quam tamen ſi quis obtrudere nobis velit, recepturi potius ſimus, quàm ut cum quoquam ob eam rem litigemus. Gradus porrò (ut hoc etiam vice auctarii addam) pharmacorum abſtruſa & ignota vi corpus noſtrum purgantium tres conſtituere poſſumus. *In primo* ea numeramus, quæ benedicta vulgò nominantur: ut ſunt
C Rhabarbarum, Manna, Caſſia, Agaricus, Sena, turpetum, radix Mechoacam, roſarum ſuccus, flores prunorum ſylveſtrium, perſicorum, ceraſorum & ſimilia. Benedicta appellantur, quia abſq; periculo & citra vehementem agitationem atq; noxam blandè purgant. In cauſa eſt, quod vel benigni ſucci aliquid in ſe continent: vel aliàs naturæ non ſunt adeò inimica: vel per admiſtionem partium aliarum vis purgantium hebetatur ac retunditur. Blandius quoq; ob id movẽt, quod calore fundente, pungente, aperiẽte, carent. Quæ namq; cum facultate propria purgante conjunctum habent acrem calorem validius agunt. Hanc ob cauſam Medici, quoties magis ſubducere vo-
D lunt, acria, ut zingiber, eis permiſcent. Quædam ex his celerius exeunt propter lubricitatem, quam in ſe habent: atque hac ratione levius purgant. *In ſecundo ordine* colloco veterib. uſurpata pharmaca: quæ nonnunquam tormina, vertiginem, & animi deliquium creant. Talia ſunt ſcammoneæ ſuccus, elleborus, tithymalli, colocynthis, elaterium, ſemen lathyridum: & conſimilia. Hæc propter con

trarias cauſas validiſſimè turbant: & non ſine labore & periculo purgant. *In tertia classe* prorſus pernicioſa pono: qualia ferè ſunt chemica: ut præcipitatum, ſublimatum, antimonii vitrum. Etenim in quātitate minima ſic fatigant hominem ac vires dejiciunt, ut in magno diſcrimine vitæ hæreant plerique omnes, qui eis utuntur. Ego ſanè plurimos ab his necatos certiſſimè ſcio. Nec ipſi horum authores in quibus eſt plus candoris & humani affectus (Nam pars maxima vel propter impietatem non moventur hominum mortib. vel ob ſummam ruditatem cauſas eventuum non intelligunt) id inficiantur. Falluntur hi nihilominus, dum vi ignium ſe malignitatem eximere putant. Inducunt ergo antimonio vocato (exempli gratia) tantam tenuitatem, ut in ventrem receptum nullo ferè tempore hæreat: ſed mox in corporis habitum diſtribuatur: ac ſudores moveat. Verum ut hoc pacto præparatum propter partium ſubtilitatem & celerem penetrationem minus nocere videatur, non tamen malitiam ſuam exuiſſe putandum eſt. Itaque viſcerib. qualitatem imprimit quæ deinde ſenſim aucta vel mortis, vel inſanabilium morborum, cauſa efficitur. Quo magis ab igne elaborantur, & partes malitiam eorum obtundentes ſeparantur, inimiciora fiunt. *Argumento eſt antimonium: cuius præparati grana tria plus exagitant, & frangunt corpus, quàm crudi drachma integra.* Cave decipiaris à Paracelſicis: qui hujusmodi pharmaca, ne veneficia eorum deprehendantur, variè mutant, alterant, pingunt. Nominib. quoq; illuſtrib Solis, Lunæ, &c. velant: quæ tamen quid ſignificent nullus plenè intelligit. Summa eorum, quæ adhuc diximus, hæc eſt pharmaca purgantia excitare tantum atq; exſtimulare naturam: & ſic efficere purgationes: natura videlic. noxia cum impetu expellente. Quoniam conſtat multa medicamenta ſic purgare. Conſtat cibos etiam utiles ac bonos, cùm vel propter morbum, vel propter crebrum uſum, vel ſatietatem nimiam, vel aliam cauſam moleſti ſunt, ſic totum corpus vacuare. Cōſtat ex antedictis facultatem iſtam non eſſe in forma: ſed in materiæ qualitatib. quærendam Monſtravi quoq; abundè, (niſi vehementer fallor) talia non aliter purgare, quàm ſupradicta: quia videlicet facultatem expultricem non minus excitent, quàm mordacia interdū etiam antequam ingeſta vel hauſta ſunt. Cùm ergo huic ſententiæ, quæcunque proponi ferè poſſunt, de problematib. huc pertinētibus, diſputationes, magis congruant, quàm tractioni, videtur omninò tum probabilior tum naturæ magis conſentanea eſſe noſtra opinio. Tu ſicut ante etiam monui, omnib accuratè & diligenter perpenſis, id ſequere, quod verum judicabis.

LIBER

LIBRI QUARTI,

EPISTOLA I.

HENR. BRUCÆUS MED. ALOST.

HENRICO SMETIO MED.
A Antverpienſ. S.

De ſolutione continui.

SCRIPTUM noſtrum, mi cognate, tibi placere gaudeo. In quo quod me ad κοινὰς ἐννοίας voces, rectè facis. Puto autem illud: cum tria ſunt ſe ordine conſequentia, ex ſequentibus ſibi fidem petere. De quo tamen nolim planè ſtatuere: quod nullũ mihi ſit exemplar, præter id quod ad te miſi.
B Suſpendo igitur ſententiam, dum ſcriptum remiſeris. Analyſin autem medicinæ rectè cenſes à Galeno in libro de artis med. conſtitutione tractatam. verum ego cum ſæpius libellum legiſſem: Numquam ita partes univerſas, velut oculis objectas cernere potui. Quod itaque ipſe credo abſolutiſſimè complexus eſt, id ego, mihi quo ſatisfaciam, craſſa Minerva propoſui, tibique nugarum noſtrarum participi communicare placuit. In hoc verò ſcripto, cum partes compoſitas non niſi hæſitanter, unionis participes aſſeruiſſemus: Malles affirmative enunciationem factam. Ego ſanè rem controverſam nolui plane affirmare. Quoniam ſi penitus introſpiciatur:
C fortè unitatis ſolutio non cadet, niſi in partes ſimilares ſimplicesve: per accidens autem in compoſitas, quatenus ex ſimilaribus ſimplicibusve conſtituuntur. Nam partes compoſitæ compoſitionis quidem fuerint participes: unionis verò nequaquam; non ſecus quàm gypſum lapidi, aut ligno conjungi dicimus, uniri verò nequaquam. Atque in rebus naturalibus plura diverſi generis conjuncta cernimus. Quocirca, ſi quando nervus ſeparetur ab oſſe aut vena, aut etiam tendo ſit divulſus ab oſſe, aut aliæ quædam partes ſimilares naturaliter colligatæ, ſint ſejunctæ; compoſitionem quidem vitiatam dicere poſſet aliquis; unitatem verò ſolutam minimè. Quî enim
D unitas ſoluta dicetur, omnibus integris? Hanc itaque ob cauſam (ſi) particula uſi ſumus, cum non levis ſit inter doctos controverſia; licet Galenus ipſis compoſitis lib. Meth. 5. ſolutionem unitatis tribuat.

De Spermaticis autem partibus, quas coaleſcere dicis, ipſis artis operibus confirmatus; ego verò minimè, neſcio utrum mihi tecum

conveniat. Si enim coaleſcere velis uti carnem, quæ vulnus accepit; cujus plane uniuntur partes, nullo medio diverſi generis interveniente, equidem non aſſentior. Fractis enim oſſibus, nulla etiam ſubſtantia amiſſa; non coaleſcunt partes ſine callo, quo tanquam glutino quodam conjunguntur, ſic vena pertuſa, ut arbitror, non coaleſcit, ſed ſuper creſcente carne obturatur. Sic etiam in arteriis exiſtimo evenire; niſi fortè in pueris, & ſexu fœmineo, admodum mollibus, ut memini me apud Galenum lib. 5. meth. legiſſe. Bene Vale Aloſti, Anno 1566. XI. Maij.

A

Verùm jam cœperant, gliſcebantque motus Belgici, religionis causâ exorti, quibus ne involverentur & optimi quique, de seceſſu cogitare occeperunt: adeoque ego Antverpiâ relictâ familiam in tutiora loca, menſe Martio anni ſequentis 1567. transportabam, & paulò poſt Lemgovium ad illuſtres Lippiæ comites commigrabam: Henricus verò Brucæus Aloſto Roſtochium, ad profeſſionem Medicinæ Academicam vocatus; neutro tamen de alterius diſceſſu conſcio. Quo factum, ut ſcriptiones ſolitæ ad tempus interquieverint, &c.

B

EPISTOLA II.

HENR. SMETIUS MED. LEMGOVIENSIS HENRICO WIERO MEDICO COLONIENSI S. P.

Silentium, uxoris morbo, hæmorrhagia uteri (quem quomodo curarit, narrat) excuſat.

C

QUAS ad me 3. Nonas Octob. literas dediſti, vir præſtantiſſime, Donopææ, quum fortè apud ejus loci nobiles eſſem, ad 5. Idus Novemb. demum accepi. Quibus quod mihi de ſuſcepto apud Lemgovios medendi munere graturleris: pro ingenita ſane Wierorum familiæ beneficentia, perquam humaniter facis. Ego verò hanc favoris erga me tui ſignificationem, cum gratiarum actione pro beneficio amplector. Debueram equidem jamdudum patris tui, numquam ſatis laudati viri, gnatique patrias virtutes cum laude adimplentis, merita, in me maxima, vulgo teſtata feciſſe: verùm tum publicæ circa ægros occupationes, quæ advenæ medico (hac præſertim autumnali inæqualitate morborum feraciſſima) quotidie hoc loco accidunt plurimæ: tum etiam domeſtica negotia, illis non diſſimilia, ita mihi animum exercuerunt, ut turbatos diſtractoſque variis cogitationibus ſpiritus, vix nocturna quies ſedare aut cogere poſſet. Tertio enim poſtquam huc perveneramus D
die

die, Calendis nempe Octob. partim vehiculorum incommoditate, partim ſaxoſi fundi aſperitate, ſuccuſſato conjux mea corpuſculo, ab ortui quid ſimile inopinatò patiebatur. unde tam pervicax ſecuta eſt hæmorrhagia, ut nulla revulſione, nulla derivatione, nullis denique remediis refrenata, in menſtruam uſque periodum perſeveraret. Quo tempore rurſus uberius fluens aliquot dies, quum ab onere menſtruo ſublevata natura, nullum dum frenum admitteret: cœpi de tenuioris calidique humoris per cholagoga ſubductione purgatoria cogitare. Incoctis itaque mirobal. flavo. drag. ſenis, cum
A oxyphœnicum ſemuncia additis coriand. præparati, coralli rub. ſem. oxalidis, citoniorum ana drag. una, ex aqua plantag. ad ſelibram: Colati juſculi unciis tribus, indidi Elect. ex ſucco roſ. drag. ternas, ſimul cum Serapii cidonitis uncia unica. Quæ potio hauſta, non ſolum omnem de alvo exſpectationem fruſtravit; verum etiam ipſam uteri fluxionem ad miraculum ſubitò ſuſpendit, nulla prorſus dejectione ſubſecuta. Cæterum biduo circiter poſteà, ob animi conſternationem copioſè refluere cœpit. Veritus itaque ne malum temporis diuturnitate medelam contemneret, de metrenchyta mecum deliberabam. Nihil enim victu incraſſante ſiccante, refrigerante,
B immò aſtringente per totum morbi decurſum, nihil quiete aſſidua, extremorum refrigeratione tolerabili, nihil unguentis, nihil peſſis ipſis ex arte accommodatis effectum. Injecta itaque bis ex ſucco plantaginis tragachanta, pharmaco emplaſtico, ſiccante, refrigerante, aſtringente, nihil profeci. Tandem ad aſtringentia validiora confugiens, hypociſthide ex ſucco arnogloſſi infuſa hæmorrhagiam in ſeptimam uſque hebdomadem continuatam, dei beneficio, perſanabam.

Præter iſtud ex uxore incommodum, ſub idem tempus mox alterum ex ſorore ejuſdem, domeſticum quoque malum, ab initio
C ſupervenit; putà ex menſium retentione, frequentiſſima animi deliquia; tandem febris quotidiana notha, ex pituita ſalſa, cum frigore vehementi, fere rigorem imitante (abſque vomitu tamen ullo) quotidiè veſperi invadens. Ad has familiæ meæ afflictiones, alia moleſtia acceſſit, ædium videlicet mutatio, donec aſſignata prior domus reſtauretur tempore commodiore. His ego ærumnis fatigatus, ſcribendi officium hactenus omiſi. Quibus per Dei gratiam remiſſius jam prementibus, convaleſcente nimirum conjuge, ſorore quoque meliuſcule habente: licet difficillimorum affectuum putà hecticarum, aſtmatum, phthiſium curis, cum in iſto, tum vicinis locis
D plus ſatis discrucier; tabellario oportuno ſeſe offerente, ſcriptionem diutius differre nolui, tuis præſertim literis ſtimulatus. Quamobrem gratias tibi tandem habeo immortales, agamque dum vivam; pro illa humanitate, illoque candore, quo erga me hominem peregrinum, commendando, juvando, ornando uſus es. Quibus tuis in me officiis, vereor ne unquam reſpondere poſſim. Interea merito-

rum

rum memorem animum obligatum habebis, dum paria retuleris, eique uti voles imperabis. Integra hic eſt apud omnes, tui fama, de quo & mihi & tibi gratulor plurimum. Comitatem enim tuam atque in medicando dexteritatem, multi cum gratitudine quadam, adhuc venerantur. Doctrinam ingeniumque non pauci prædicant. Quo fit ut honorificam apud ipſum quoq; vulgus de eruditis omnibus opinionem reliqueris. De noſtræ verò artis profeſſoribus, optimam in populo ſpem ac fiduciam in poſterum excitaveris. Quare ego me loci tui ſucceſſorem lætor, famæ hæredem opto, virtutis æmulum facio. Quod reliquum eſt, ut venerandis viris Jo Bachovio A Echtio ſocero tuo, J. wiero patri, ſingularis ſcientiæ peritiæque medicis ſalutem à me officioſam dicas, vehementer rogo. feliciter vale. Lemgovii 16. Cal. Decemb. in aurora An. 1567.

EPISTOLA III.

HENRICUS SMETIUS LEMGOVIENSIS REINERO SOLENANDRO DUCIS Juliacenſis Med. B

Gratias pro beneficiis agit. Silentium excuſat hæmorrhagiam uteri pertinacem quomodo curarit oſtendit: & hiſtoriam virginis valetudinaria mirabilem deſcribit.

QUANTUM, præter multas easque rariſſimas animi virtutes, humanitate, mortalium innumeros antecellas, Solenander clariſſime, quod ego re ipſa comperi, meritò ſanè illud, ac verè prædicare C & poſſum & debeo. Quod ipſum niſi faciam, jure hominum qui vivunt ingratiſſimus accuſabor. Quam me notam jamdudum incurriſſe vereor, qui tua in me beneficia ſilentio quadrimeſtri ſepelierim: tametſi interim animo te tam generoſo eſſe non dubitem, qui ex clientum fide & gratitudine, benignitati tuæ modum præſcribere nequaquam ſoleas. Quam ego tantam erga me expertus ſum: ut magnitudinem ejus, pro dignitate, ne aſſidua quidem cogitatione ſatis admirari queam. Adeo vel in minima meritorum tuorum parte exæquanda deficio. Tu enim peregrinum me, ac ne quidem de nomine tibi prius notum, benignè excipiebas: libero acceſſu, collo- D quio familiari, doctrinæ tuæ ſingularis fructu, conſilii communicatione, adeoque convictu ferè domeſtico dignabaris. Addebas hiſce ſolicitudinem de rebus meis, ſupra quàm paternam, qua mihi de honeſto medicinam faciendi loco, proſpicere ſatagebas: eamque literis ad me miſſis teſtatam feciſti. Neque ab hac moleſtia quicquam re-

mitte

mittebas, quin benevolæ ſedulitatis tuæ effectum ipſemet perſentiſcerem. Tua enim commendatio, tui nominis auctoritas (ut amicorum alios ſua laude interim minimè defraudem) effecit: ut quicquid vel honoris, vel commodi his in locis mihi acceſſit: id omne tibi imprimis acceptum ferre debeam. Tuam enim epiſtolam maximum præ cæteris, cum apud Senatum urbis hujus, tum apud illuſtres Comites ipſos pondus habuiſſe intellexi: partim ob famæ tuæ celebritatem, partim ob judicium & fidem, qua in procurando ipſis medico priori, uſus fueras: quibus confiſi, tuo de me teſtimonio
A facillimè acquieſcebant. Neque me latet inſuper, quàm honorificam ante paucos menſes, apud viduã illuſtrem Lippienſem (quum fortè iſtic locorum eſſet) mei mentionem feceris: quod ipſum non exiguum conceptæ de me opinioni auctarium adjecit. Adeo me officiorum cumulis obruiſti: ut quoties de diſſolvendis hiſce debitis cogito: prorſum erubeſcam. Quamobrem ſi benefactis tuis numquàm ſatisfecero: id tibi perſuadeas velim, non mihi renumerandi defuiſſe voluntatem: ſed beneficentiæ tuæ amplitudine victum, reſpondère nequaquam poſſe. Intereà dum ſolvendo fuero, me tibi obæratum perpetuo profitebor.

B Cæterum quod toto tempore, quo hic ſum, nihil ad te tàm benevolum mihi fautorem ſcripſerim: ubi me cauſam dicentem audieris: haudquaquam me *ἀχαριςίας* ob id, aut negligentiæ apud te inſimulatum iri confido. Ex quo namque huc primum commigravi: tantà undique ac tam crebra, ob profeſſionem artis, mihi quotidie negotia publice ingruunt, ut reficiendo corpori certum liberumq; tempus nullum decerni poſſit. Accedunt ad hæc duæ difficultates domeſticæ, quæ mihi non mediocriter animum torquent: una ex cariſſimæ uxoris: altera ex virginis mihi affinis morbo. Siquidem uxor die tertio ab adventu noſtro, in hæmorrhagiam ex utero incidit. quæ
C in ſeptimam uſque hebdomadam perſeveravit: quod ſymptoma per menſem totum adeò pertinax permanebat, ut nec victu refrigerante, incraſſante, aſtringente: neque revulſione, derivatione, extremorum fomentis, unguentis, peſſis quicquam proficerem. Tandem imperata quiete, de cubitu continuo, extremorum, totiusque corporis refrigeratione (nam & iſta parum juvabant) veritus ne affectus inveteraſceret; clyſterem, (inſolitum medicis remedium, *μητρεγχύτην* veteres vocant) ad ſacram quaſi anchoram confugio. Infuſa igitur, quamvis bis, ex arnogloſſi ſucco tragachanta, medicamento refrigerante ſiccante emplaſtico modicéque aſtringente:
D nihil effectum. validiori ſiquidem opus erat. Subſtituta itaque in tragachantæ locum hypocyſthide, ſemelque ſolum injecta: continuus ille, atque diuturnus ſanguinis fluor (Deo auxiliante) ſubitò ſuppreſſus, conjugem meam ab illa hora deſeruit.

Virgo verò per totos hos menſes quatuor, valetudinaria adhuc, immò ægrota decumbit; quam varii morbi atque ſymptomata,

multis fortaſſis inaudita, exercent. Primum enim quotidiana febri intermittente, quæ ad ſpuriam accedebat, conflictabatur. febrim ſingulis noctibus animi defectiones comitabantur. Increbreſcebant autem hæ ſenſim, ut bis aut ter, immo quinquies intra 24. horas invaderent. Invaleſcebant autem magis magisque ſub Calendas Decembris: ut delirium quoque adducerent: quod ipſum interdum per dies quatuor continuabat. Adhibitis juxta artis præſcripta medelis, affectus hi non ſolum mitigati, verum etiam circa medium Decembris ſublati ad tempus fuerunt. Verùm pauculos poſt dies, intenſiore quadam cogitatione animo perturbato, ſyncopales exacerbationes recurrebant. Lenito deinde pauliſper malo, circa tertium Januarii; rurſus ex animi ægritudine, propter fratris, qui illam inviſerat, diſceſſum concepta, reſcrudeſcebat tanta ferocitate morbus: ut intra bidui ſpacium acceſſiones plus minus XXXII. faceret. VII. ejuſdem menſis dolor punctorius pectus infeſtabat: qui neque tuſſi neque ſuſpirando tamen augeſceret: uno interim loco fixus manens, ad ſingula momenta pungebat adeò, ut exclamationem ægrotanti exprimeret. A

Ad idem tempus omnia eſculenta ac poculenta oleoſum quid ſibi reſipere querebatur: qui ſapor in hunc uſque diem perdurat; licet vomitione atque purgatione ſolicitaverim. Punctio quoque pectoris evacuando quidem non nihil placata, ad 4. tamen ferè ſeptimanas perſeveravit. Delirabat XVII. dies à fratris receſſu perpetuos, absque ulla mentis integritate. XXIII. die oſcitabat ſæpiuſcule: frigebant extrema & lumbi: febris quotidiana annotabatur: verum priori mitior, quæ ante menſis ſpacium diſcuſſa emanſerat XXVII. poſt meridiem vertigine corripitur, qua ſe cum grabatulo, nec non & aſſiſtentes cum toto cubili circumrotari querebatur. Subſequebatur hanc quiddam convulſioni ſimile, oculorum putà depravatus motus apertis palpebris, mox extremorum omnium denæ aut XII. extenſiones violentæ, mora perquam exigua inter ſe diſtinctæ, mente cum ſenſibus occupata; rigidoque capite & collo immoto. His finitis ilico paroxyſmus ſuffocatorius cum tremula totius corporis concuſſione ſubſequebatur. Eademque ſymptomata nocte proxima ſentiebat. XXIX. à meridie rationis uſum recipiebat: literasque ad ſororem Annam ſcribebat, quibus vix abſolutis obrepebat ſtrangulatio ſolita, per quam oblæſa mente, literas repoſcebat: illas Annæ traditura, quam uxorem meam eſſe pertinaciſſimè & iracundè pro more, falſo tamen, aſſerebat. neque 4. validiſſimis ipſique cognitis argumentis, ut nobis crederet, adduci potuit, aut voluit. Hinc iracunda, ex utero ſtatim ſtrangulabatur. Ante auroram, vertigo cum convulſione, & ſubſequente paroxyſmo uterino invadebat. XXXI. ſumpto cibo & vomitorio leniſſimo ſuperingeſto, multam viſcidamque pituitam rejecit. Calendis Febr. totum diem mitius habebat, veſperi tamen vertigo, convulſio, paroxyſmus. 2. die B C D

medio-

mediocriter agebat. à meridie ratiocinatio. 3. veſperi, vertigo, convulſio, paroxyſmus: de morte matris ſuſpicio & mœror. 7. Inter multos paroxyſmos unus fere horas quinque perſeverabat: à quo delirabat, ut ne me quidem agnoſceret, quod tamen numquam acciderat, inde cantillabat more cuculi, ſicut principio morbi. Præ ciborum potuumque faſtidio jam quarto die vix quicquam comederat. Rariſſimè, nec niſi valdè ſitiens, bibebat, nauſeabunda tamen. 8. unus inſultus octo horas implebat, à quarta ad XII noctis uſque; dolor pectoris punctorius jam prorſus evanuerat. 10. die u-
A nus paroxyſmus à meridie, ad mediam uſque noctem continuabat. 11. ab hora quinta veſpertina uſque ad mediam noctem uterinus inſultus porrigebatur. 12. à meridie in veſperam mente conſtabat. Hæc nova ſymptomata alternis ferè diebus repetebant. laborat à Cal. Januarii, non raro & illa leipothymia, quæ ante Decembrem ſingulis noctibus urgebat: idque potiſſimum, quum ad mentem eſt reditura. Itaque uno die ſæpe ternas inter ſe diverſiſſimas syncopas patiebatur. Toto morbi decurſu, corporis habitus ſatis conſtitit. Immò à 21. Decembris incrementum ejus, adipemque contraxit majorem, quam dum ſana eſſet. Ab illo enim die excitatiori appe-
B tentia valebat, pluresque cibos aſſumebat, quàm cum valetudine frueretur integra. Erigere tamen ſe, aut pauliſper pedibus inniti nequaquam potuit. Nunc verò ex quo febris iſta quotidiana nuper invaſit, faſtidire alimenta occepit. Dum deſipit omnium & minutiſſimorum, quæ ante facta ſunt, immò quæ tum legerit tum audierit, meminit, verùm non niſi mutilatis verbis, puerilibus formis, obſcura phraſi, inuſitatis inauditisque appellationibus utitur. Totam familiam, etiam extraneos, vel ex ſolo ſermone abſentes ſibi, dignoſcit. In conjuge mea ſola errat, quam pro Anna ſorore habet, & appellat, atque pertinaciter aſſerit. Legendi modum immò char-
C acteres ignorat: Gallice loquentes non intelligit: quæ tamen mentis compos, callet exactiſſimè. Nihil autem eorum recordatur quæ delirio durante acciderũt. Suppullulat & ipſi tumor ſub aure in collo, ſtrumæ non abſimilis, ad tactum tamẽ dolens, quem tres hebdomadas percepit. Hæc ſunt præſtantiſſime Solenander, quæ mihi hactenus perſæpe calamum manibus excuſſerunt, ſperanti indies decubitus univerſi hiſtoriam cum remediorum eventu, ſanitate recuperata perſcribere. verum in eodem luto hæremus, metuoque ne malum pertractis in conſenſum principibus partibus conſeneſcat. Itaque rogo te atque obteſtor ut conſilio me juves. Nam propter in-
D genii perſpicacitatem, doctrinam exquiſitam, peritiam artis inſignẽ, tibi permultum tribuendum judico. Vale Lemgoviæ XIII. Februarii 1568.

Epistola

EPISTOLA IV.

HENRICUS BRUCÆUS MEDICINÆ Profeſſor Roſtochienſis,

HENRIO SMETIO MED. LEMgovienſi. S.P.D.

SI tu chariſſime cognate cum familia vales, eſt quod gaudeam: A ego & D. Battus valemus. Sæpius nos tui memoriam cum veteris conſuetudinis recordatione habuimus & tertium hic artis noſtræ Profeſſorem deſideravimus: Verum neſcio quo malo fato, vel tuo, vel noſtro, hactenus quo locorum viveres neſciebamus: miratique ſumus te tam diuturnum egiſſe ſilentium, cum (opinor) non ignorares utrumque Roſtochii vivere. Ego certe non fuiſſem paſſus noſtras nugas tam diu ſilere. Gaudeo certè tantis calamitatibus te tuamque familiam ereptam eſſe. Nam vaſtationem maximam, aut ſummam ſervitutem portendunt hi motus. Recte tu cum Biante: omnia mea mecum porto. Vereque Artem quævis alit tellus. Spero & opto tibi omnia ex ſententia ſuccedere. B Memini te alias pollicitum ſcriptum aliquod ſuper eo loco Hippocratis: Natura morborum Medici. Velim id ad me mitti. Et ſi judicium meum de Aſtrologia, putà Judiciaria, habes, id quoque mittas rogo. Ego id deſidero, nec ubi requiram ſcio. Puto autem ſumma capita, aut totum ſcripto mandaſſe. Quicquid id eſt, mittito. Quod ſi quid præterea habeas communium ſtudiorum, illud quoque communices, ut redeamus ad priſtinam ultro citroque ſcribendi conſuetudinem. De rerum mearum ſtatu nihil ſcribo, quem communis cognatus, qui has reddet, facile coram queat explicare. Tu verò de tuo nos certiores facito. C Bene vale cum ſumma uxoris ſalutatione. Roſtochii XIII. Septemb. Anni 1568.

EPISTOLA V.

HENRICI BRUCÆI MED. Aloſt.

De Aſtrologia Iudiciaria Sententia.

OMNIANE, vel nulla, vel aliqua tantum, à cælo dependeant; D video apud multos eſſe controverſum. Tum ſi omnia; an ita, ut neceſſitas abſoluta inferatur rebus omnibus: An verò, ut nonnullis tantum: An autem, quod omnia quidem vim ipſius ſentiant, nullis tamen ſit neceſſitas conjuncta. Idem quæret, etiamſi aliqua tantum hujus vim ſentire dicamus. Sive autem neceſſario impellat, ſive

ſive inclinet ſolummodo; adhuc in Quæſtionem vertetur; utrum ipſius vires, quibus agit in hæc inferiora, queant à nobis cognoſci. Sive enim non agat, ſive agat quidem, non tamen agnoſcamus cauſam, aut ex cognita non innoteſcat effectus; tolletur ſemper, quæ inde petitur, Prædictio. Age aperiamus, quid nobis videatur, liberam cuique relinquentes ſuā ſententiam, in eam ſemper deſcenſuri, quæ validiorib rationibus niti videbitur. Hactenus tamē his noſtris rationibus ducti ei quæ hic explicabitur adhæſimus. Aggrediamur itaque rem propoſitam, primum diſcutientes, quid veri falſive lateat in eorum opinione, quæ omnem vim cœlo tollit, quam plerumque ſectantur ij, qui univerſam ætatem in verbis addiſcendis triverunt, rerum exiguam, aut nullam habentes cognitionem. Nata eſt autem hæc ſententia ex craſſa ignorantia, & religionis, ut ipſi putant, nimio ſtudio. Ne enim Deo ipſi aliquid detrahere videantur, quem rerum omnium cauſam verè arbitrantur, á cælo aſtriſque omnem vim tollendam cenſent. Probabilis prima facie ratio, ſed leviter inſpecta planè, quam ſit abſurda, apparet. Nam & nos Deum rerum omnium authorem, & cauſam univerſalem ſtatuimus; ſic, tamen, ut naturam rerum naturalium non tollamus. Agit enim ipſe & moderatur univerſa, ſed cauſis mediantibus ſecundis, iis ſcilicet, quæ ab ipſo, ad hujuſmodi effectus producendos conditæ ſunt. Eadem enim ratione calfactionem & ſiccationem igni: aquæ refrigerandi & humectandi vim adimemus: plantarum, lapidum, aliorumque ſimplicium medicamentorum facultates tollemus. Dicemus Remp. non regi à principe, vel optimatibus, aut populo. Planum quàm abſurdè hæc dicerentur. non diſſimilis tamen ratio in ipſo cœlo, cujus vis à Deo condita proprii vero ipſius dicuntur effectus, adeo manifeſti, ut ſenſu carere dicantur, qui eos denegent. Videmus enim ſecundū Solis motū in obliquo circulo generationes corruptioneſque conſequi; ſi quando enim ad nos ſe transferat, ſimul cum vere, ortum rerum conſpicimus. Eodem in oppoſitam mundi partem ſe transferente, eorundem interitum animadvertimus. Quid calores & frigora dicam, certis anni temporibus ſibi mutuo ſuccedentia? Nonne apertè ſolis virtutem teſtantur? Lunæ etiam effectus evidentiores ſunt, quám ut denegari poſſint, teſtatur id animatorum inanimatorumq; genus. Nam teſtaceorum genus omne impleri cum Lunæ lumine conſtat. Sic in quadrupedibus, cernimus medullæ incrementum, maius minuſve pro ratione illuminationis. In lignis item cædendis nonne plurimum refert, creſcēte Luna an decreſcente cædantur? Quid de motu maris referā, huius acceſſus & receſſus cauſa nōne videbitur Lunæ motui tribuē da? Quid quod æſtus marini, nunc majores nunc minores cernantur (ſublato ventorum impetu) nō ne in Lunam id referendum omnes docti arbitrantur? Cum enim hæc lumine plena, aut ſoli conjuncta, majores conſpiciuntur æſtus; minores autem ubi in cornua

flexa aut ſemiſecta fuerint. Evidentiſſimæ itaque cum ſint actiones horum corporum: abſurdum fuerit, cæterorum ſiderum vim auferre eiuſdem quodammodo naturæ, niſi quod major vis luminis in prædictis, & ob id actio ipſorum manifeſtior. Abſurdum enim fuerit arbitrari reliqua ſydera, quaſi nulla prædita facultate, fruſtra eſſe in rerum natura, nec quia ipſorum vires minimè conſpicuæ: ob id illis prorſus ſint adimendæ. Incorruptibilis enim immutabiliſque natura, præſtantior corruptibili, & quæ mutationi ſit obnoxia. hanc autē nullus aſſerat fruſtrá conditā, niſi ſimul evertat naturalis ſcientię principia. Quid itaq; dē immutabili illa ſubſtantia cæleſti, erit cēſendum, hac longe præſtantiore? Præclare itaq; Ariſt. lib. 1. metheór. inferiorem hanc naturam á ſuperiori gubernari affirmat. Verùm nō eget hæc opinio ratione aliqua, ad ſui refutationem, cum ipſi ſenſus abunde eius facultatem declarent. Quare videamus quàm rectè illi ſentiant, qui omnia cæleſtibus cauſis neceſſitate quadam inevitabili ſubjiciunt, ut non queant aliter agere, quam ut à ſuperiorib. cauſis ſunt motæ. Verùm tollunt hi libertatem noſtri arbitrii, & ita nos fatalibus vinculis alligant, ut non aliter, quàm prima cauſa, id eſt, cęleſtis impulerit, agere queamus. Tollunt leges & omnem civilem conſtitutionem, deliberationes de rebus futuris ſubvertunt. Explicemus autem nos hæc in hunc modum. Si neceſſario omnia fiunt, nihilque ſit quod in utramq; partem ſeſe habeat, ut fieri poſſit, & non fieri: fruſtra ſunt, legés, deliberationes de rebus agendis. ubi enim humanus animus huic fato Stoico aſtringitur, ut neceſſariò ad has vel illas actiones impellatur, nonne ſupervacaneæ ſunt futuræ leges, quę id præſcribant ſequendum aut vitandum, ad quod vi coacti impellantur homines? Sic deliberationes quorſum de futuris vel præſentibus inſtituuntur, iis in alteram partem definitis, quæ nullo humano conſilio, aut ope queant immutari? tantoq; magis fruſtra omnis conſultatio ſuſcipitur, quod media ipſa eidem neceſſitati ſint conjuncta. Planum verò quàm hęc ſint abſurda, ut interim taceam eos, qui hæc ſtatuunt. Deum auctorem mali conſtituere: evertereq; totam ſalutis ſpem, dum reditum ad ſanitatē nobis adimunt. Adimunt autem cum aiunt: de cælo tibi eſt inevitabilis cauſa peccandi, ſcilicet, ut homo ſine culpa ſit (utar enim verbis Auguſtini) caro & ſanguis & ſuperba putredo: culpandus ſit autem cæli & ſyderum creator, & ordinator. Valeant itaque hi legum, & religionis everſores.

Nec laborabimus ad eorum ſententiam refellendam, qui nulla neceſſario evenire arbitrantur, qnod nullos ferè hæc habeat auctores. viciſſitudines enim temporum, rerum ortus & occaſus, Eclipſis, neceſſariò motus corporum cæleſtium conſequuntur, neq;, niſi ſubverſa rerum natura, hæc ſiſtentur. Sunt igitur nonnulla neceſſitati annexa, ſed non omnia; ut ſupra dictum eſt. Nam libertas noſtrī arbitrii eſt conſervanda, & contingentium natura, non eſt delenda.

Nunc

Nunc conſideremus, hoc ordine rerum ſtante, quarum poſſint eſſe prædictiones, & quarum non. Cum cauſarum aliæ neceſſariò producant ſuos effectus & ſemper, quod poſita cauſa, neceſſariò ſequatur talis effectus, ut ad motum Solis & Lunæ, neceſſariò ſequitur aliquando diametralis oppoſitio, ad quam Eclipſis: & Solis ſupra horizontem elevationem, dies; ſic ad eiuſdem motum anni tempora ſumunt ſuas mutationes. Aliaque innumera à ſuperioribus cauſis dependent, quæ neceſſario, & ſemper eveniunt, nec poſſunt impediri. Sic de igni poſſimus aſſerere, ipſum neceſſariò calefacere,
A & aquam humectare.

Aliç ſunt cauſæ,quç nec neceſſariò,nec ſemper; ſed ut plurimum producunt ſuos effectus, taleſque ſunt ferè cauſæ naturales horum inferiorum, ut hominem generare hominem, & excitari calores in canicula; humidam eſſe, & frigidam temporis conſtitutionem in hyeme: Aliæ ſunt cauſæ indifferentes ad ſuos effectus,quç non magis ad hunc quàm illum effectum determinantur; ut lignũ, quatenus eſt cauſa materialis rei alicujus utenſilis, non magis eſt lecticæ quàm menſæ, vel ſcamni aut alterius. Et voluntas noſtra ferè ad omnes ſuas actiones eſt indeterminata, quod poſſit in utram ve-
B lit partem contradictorii ſe deflectere. Effectuum itaque de duobus cauſarum generibus,primo loco enumeratis dependentium, certæ ſunt prædictiones, ex cognitione cauſarum, quas vel ſemper vel ut plurimum ſequuntur. Poſteriorum verò nequaquam: quod dependeant à cauſis indifferentibus,ex quarum notitia non poteſt progredi ad effectum aliquem determinatum. Cum autem noſtra cognitio ſit ſenſui conjuncta, à qua ad phantaſiam deferuntur rerum ſimulachra; & hinc ad intellectum: ſenſus autem non cognoſcat,niſi præſentia; futura ſenſu non cognoſcentur,nec à phantaſia,cum illa nihil percipiat, niſi quod à ſenſibus veluti nunciis ad eam defer-
C tur; futura itaq; ſi cognoſcantur, cognoſcentur ab intellectu, qui ſuo diſcurſu unum ex alio colligit. Cum autem intellectui non ſunt præſentes res futuræ, in ſeipſis illas non cognoſcet; verum ſi in earum notitiam deveniat, hoc fiet,ex cauſæ talium, effectuum cognitione. At hoc qui fieri poterit,quum illæ ſint eius generis, ut ex his nihil certi queas definire? Sunt tamen ea, in quibus operam pleriq; perdunt Aſtrologi, ferè hujuſmodi, hoc eſt de contingentium numero. Aliquem enim aditurum magiſtratum; ducturum uxorem; ſuſcepturum liberos mares, & alia eius generis conantur prædicere.

D Quod ſi liceret mihi cum his,ut Chriſtianç religionis hominibus *cap. 41.*
agere;nõ video quomodo tuebuntur, ex Eſaiæ ſententia,prædictionẽ rerum contingentium,ſoli Deo eſſe propriam. Apud prophetam enim declarat ſe Deum Opt. max.quod eum non lateat ordo rerum futurarum,qui Diis gentiũ ſit ignotus. Atqui hos Dçmones fuiſſe, omniũ conſtans eſt opinio. Quibus ſi incognitus fuit,quanto magis *verſ. 22.*

hominibus longè his in rerum cognitione inferioribus ex omnium Theologorum ſententia. Porro in Dei hæc cadit præcipuè naturam: quod ipſe ſit actus ſimplex, omnino immutabilis, infinitus, & æternus, cauſa & principiũ rerum omniũ, non neceſſitate naturæ ſed per intellectũ. ut ædificator eſt cauſa domus quã prius animo concepit. Meritò tam futura, quàm pręterita & præſentia, ſemper ſunt præſentia intellectui divino; cum ſua æternitas nullo tempore concludatur, nec illi quicquam rerum omnium ſit futurum; ſed omnia pręſentia. cæteræ vero mentes nec non animi humani, quum ſint finiti, nec ęternitatem compręhendentes: nõ poſſunt futura omnia ut pręſentia agnoſcere nec ea prædicere, niſi ex cognitione ſuarũ cauſarũ. Cum autem multæ ſint cauſæ indefinitę, ut ſupra diximus, ex earum cognitione non poteſt eventuum haberi ſcientia. Vt recte dictum ſit ab Auguſtino, libr. de doct. Chriſt. 2. Motus quidem Aſtrorum poſſe notare Aſtronomos: at futura prædicere nequaquam. Divus Baſilius occupatiſſimam certe vocat vanitatem. Aſcriberem verba Auguſtini ex libris confeſſionum quarto & ſeptimo, niſi paulo eſſent prolixiora. Malo itaque lectorem ad eos remittere, ut animadvertat ejus incertitudinem, dum huius, per multos annos, cultores, eam damnent, & ut vanam rejiciendam cenſeant. A

Nec debet movere quemquam, quod aliquando vera pronuncient. magna enim vis ſortis, & multa dicendo, plærunq ventura attinguntur, ignorantibus quidem ipſis, quid dicerent; ſed non tacendo, in ea incurrentibus. Si enim, ut inquit quidam apud Auguſtinũ, de paginis Poëtæ cuiuſquam longè aliud canentis atq; intendentis, cum fortè quis conſuluit, mirabiliter conſonus negotio ſæpe verſus exit: Mirandum non eſt, ſi ex anima humana, ſuperiore aliquo inſtinctu neſciente quid in ſe fieret, non arte, ſed ſorte ſonaret aliquid quod interrogantis rebus factiſq; concineret. Hactenus Auguſt. Ex quib. intelligimus, non tam arte, quã caſu verum aliquando attingi B

Nec Ariſtot. diſſenſit ab horum patrum ſententia: ſiquidem lib Periherm. cenſet de futuris contingentibus non eſſe determinatam veritatem. lib item .cap 2. metaphyſ. aſſerit, entis per accidens nullam poſſe haberi ſcientiam. Vocat autem ens per accidens, ſubjectũ in quo duo vel plura nullo naturali ordine inter ſe cõnexa, & à ſimilibus cauſis dependentia cõcurrunt. Vt Socrates ſutor, & Geometra. Concurrunt n. hic ars ſutrix, & geometria, quarũ nec cauſæ, nec ipſa inter ſe aliquem habet ordinem; verum accidit in hoc ſubjecto eſſe conjuncta. Horum itaque non eſſe ſcientiam, nec cauſſas ipſorum eſſe naturales arbitratur. Quare neque cœlum horum fuerit cauſa; cum ipſum inter agentia naturalia, præcipuum locum obtineat. At inquiet quiſpiam, Amicus Plato, amicus Ariſtoteles, ſed magis amica veritas; nec tam laborandum quid hi ſentiant, quàm quid verum ſit. Fuiſſe enim & hos homines, quos tum nonnulla latuiſſe, tum in nonnullis eſſe lapſos, dubium non eſt. C D

Quæro

Quæro itaque ab his: cælum ſit ne cauſſa univerſalis, an particularis? univerſalem credo aſſerent. nam ſi particularis: quomodo cęteræ cauſæ inferiores non fruſtra? At ſi illæ ut diſponentes; hæ verò cæleſtes, veluti ideæ informantes: cum pro varia materiæ diſpoſitione contingat diverſas formas introduci. Tolletur adhuc, quæ à cælo petitur prædictio; niſi perſpecta materiæ diſpoſitione; ad cujus varietatem formas diverſas fieri contingit. Si autem univerſalis, quum ea non determinetur ad rem aliquam particularem; verum plura inter ſe diverſa, poſſit eadem ſua virtute producere: horum diverſitas
A non erit aſcribenda immediatè ipſi cælo, verum in particularia agentia, & materiæ variam diſpoſitionem erit referenda. ut in iis, quæ ars producit, cernere licet. Ignis vi liquefiunt metalla; indureſcunt lapides; cibi coquuntur, & innumeri alii effectus producuntur, una & eadem ignis virtute exiſtente; verùm ob materiæ diverſitatem, diverſitas naſcitur. Ut itaque ridiculus ſit qui horum effectuum rationem inveſtigans in ſolum ignem reſpiciens, ab eo petendas arbitretur omnium cauſſas; ita non minus ſtolidi ii, qui ex cæli virtute, velint effectus rerum particularium eſſe cognoſcendos Nam hæc diverſitas non cælo aſcribenda: verum agentibus particularibus, &
B materiæ diverſitati. Ut frumenta, virtute cæli non excitabuntur, niſi præexiſtente ſemine, & ſolo idoneo, nec nimium uliginoſo, nec arenoſo; ut humore deſtituantur; quo in uliginoſo obruitur. Porrò hæc evidentiora ſunt, quàm ut plebeios fugiant: iſta tamen paulò reconditiora; conceſſa tamen ab iis, qui in Philoſophiæ adyta penetrarunt: Rerum ſcilicet naturalium certiorem eſſe ordinem & conſtantiam, quàm humanarum; quod illæ dirigantur ab intelligentia non errante, hæ verò à noſtra voluntate dependeant. Illarum tamen non eſt certa cognitio; & maximè futurarum, præſertim ubi ad individua deſcenditur, ad quæ cum eſt perventum; jubent omnes phi-
C loſophi, cum Platone eſſe quieſcendum, quod ob materiæ ſcilicet fluxum, & continuam mutationem, nihil poſſit certi de iis definiri; adde quod innumeris modis poſſint impediri. Non itaque de hac ficu, aut pyro laborandum, copioſos ne ſit editura fructus; an paucos; quod infinita ſint, quæ judicium noſtrum poſſint ſubvertere.

Si hæc ita ſe habeant, quid de rebus humanis futuris judicandum, in quibus major inconſtantia? ſperabimusne nos hæc poſſe conſequi, ex intuitu ſolius cauſæ univerſalis? Porro hæ noſtræ rationes, ſive neceſſariò ponat quis cælum agere, ſive inclinare tantum, valent ad evertendam prædictionem.

D Sed agamus cum iis, qui inter eos paulo liberalius inſtituti attigere omnium artium ducem Logicam (quique non imperiti Geometriæ & numerorum, in quibus exemplar quoddam ſcientiæ expreſſum cernitur) aut ſaltem aliam quandam artem, etiamſi minus firmam, tamen methodo progredientem. In his omnibus cernent hanc progrediendi rationem; ut à notis ad ignota fiat progreſſus, ut

in iis ſtatuatur aliquid primum, aliquid ſecundum, & tertium, & ita deinceps, quoad demum ad id, quod ab initio propoſitum eſt, ſit perventum. Sic ut primum ex eorum ſit genere, de quibus inter homines convenit; per ſe & ex ſua natura manifeſtum; aut ſaltem quod ex his profluxit. Hanc ſanè viam inſtitutam in Geometria cernimus.

Primùm enim definitiones: ut intelligatur id de quo agitur. Hinc axiomata, & poſtulata traduntur; ex quibus deinde problema, vel theorema deducunt; cui deinde alia ſuperſtruunt; donec ex per ſe manifeſtis & iis quæ ex his ſunt demonſtrata, univerſam ſcientiam conſtituerint: vel ſaltem quam plurimas ſubjecti paſſiones explicuerint. Idem Gal. præſtitit in arte medica. Nec ſecus Ariſt. Phyſiologiam inſtituit. Hanc igitur methodum hic requiro, vel umbram ipſius aliquam. Nunc verò aſſumunt ea ad aliorum fidem, quæ quam maximè ſunt controverſa; neque ſenſui, neque intellectui per ſe manifeſta. In tali enim domo conſtitutum Jovem, vel Martem, aut aliud quoddam ſidus, hos effectus producere, veluti pro certo ſtatuunt. A

At ſi quis id ipſum in dubium vocet, ſicut & domos cæli eſſe XII. talium eventuum ſignificatrices? B

Immo an planetæ ipſi ſint ſolummodo ſeptem numero, prout Babylonii, qui ſub 35. aut Alexandrini, qui ſub 31 latitudinis gradu degebant, obſervârunt? An non poſſint depræhendi plures, ab iis, qui ſub Æquatore habitant, in Quito, Caribana, Tiſnada, in inſula S. Thomæ, Damut, Cotla, Melinda, Sumatra, Borneo, Celebes, Gilolo, Moluccis, aut alibi, per quorũ vertices, planetæ quotidie volvuntur? In qua opinione video fuiſſe Favorinum Philoſophum, teſte Gell.

Lib. 14. Noct. Attic. c. 1.

Orbibus cœleſtibus aſcribunt Aſtrologi ſigna non modò inanimata, verum etiam animata.

Inanimata ſunt, Lyra, ſagitta, deltoton, coronæ duæ, trapeza, Argo navis, Eridamus, Galaxias, libra cum ſuis lancibus, ſpica virginis, Lancea, Arcturus, caput Meduſæ, præſepe, crater, & ſi qua alia. C

Animata ſtatuunt duplicia, rationalia, & ratione carentia: Hæc brutalia vocata: ſunt vel greſſilia, vel volatilia, nonnulla quoque natatilia, neque deſunt reptilia ipſa cœleſtibus.

Greſſilia quidem, quadrupedia, putà Aries, Taurus, Leo, Capricornus, Vrſæ major & minor, Aſelli, Hædi, Pegaſus, Equulus, Capella, Canis major & minor, Lepus & fortè alia.

Volatilia, ut Aquila, cygnus, corvus.

Natatilia, nempe Cancer, Piſces duo, Boreus & Notius, Delphinus atque Cœtus. D

Reptilia, ut Draco, Anguis Serpentarii, & Hydra.

Aſtra rationalia, Humana appellata, in quibus etiam ſexum requirunt, maſculina à fœmininis diſcernendo. Maſculina enim cenſentur inter Planetas, Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Mercurius. In

Zodiaco autem; Gemini, Sagittarius, Aquarius. Extra Zodiacum, Cepheus, Erichthonius, Perſeus, Hercules, Ophiouchus, Bootes, Orion, fortaſſis & alia.

Fœminino generi deputarunt; inter Planetas quidem: Venerem atque Lunam: In Zodiaco verò; Virginem: Extra Zodiacum, fœminæ locantur; Caſſiopæa, Andromeda, Meduſa.

Permirum autem, quod & Taurum & Capricornum, mares, alioqui egregiè coleatos, gynæceo cœleſti admiſerunt! niſi fortè utrumque caſtrari juſſerint, antequam inter aſtra referrentur. Mirandum A quoque; quod in Cancro, Scorpio & Piſcibus, quos etiam fœmininis accenſent, ſexum deprehendere potuerint paſſivum! Eumq; in cœli gratiam, prætulerint activo. At demus talia doctrinæ gratiæ, ingenioſè & cum laude excogitata eſſe.

Quid autem hoc ſibi vult, & qua ratione probabili tuebuntur, quod corporibus ſimpliciſſimis, puriſſimis cæleſtibus, qualitates elementares, immò temperamenta atque humorum complexiones, adeoque certas ſaporum differentias aſſignent?

Terrea enim, frigida & ſicca, melancholica, adeoque acria (niſi acerba aut acida, acrium voce velint: Acria enim non frigida, ſed B calida ſunt, ut, piper, Zingiber) ſtatuunt autem iſta; Taurus, Virgo, Capicornus.

Aquatica verò, frigida, humida, phlegmatica, ſalſa cenſentur; Cancer, Scorpius, Piſces.

Nonnulla è contrario Aërea, calida, humida, ſanguinea, dulcia; putà, Gemini, Libra, Aquarius.

Nec putes deeſſe ignea, calida, ſicca, cholerica, amara; quales ſunt, Aries, Leo, Sagittarius.

Ubi autem manent ſapores cæteri, nempe acidi, auſteri, acerbi, inſipidi?

C Ne miremur igitur, ſi animalibus hiſce ſuis, fictiſque hominibus cæleſtibus, per latum Zodiaci circulum oberrantibus, nunqnam quieſcentibus, ſed perpetuò aliquid actitantibus, voluntates etiam, aliasque animi affectiones, iras, odia, minas, favores, Aſtrologi affingant; quoſdam benevolos, amicos, fortunatos: quoſdam è diverſo, malevolos, inimicos, damnoſos judicent. Benevolos quidem, amicos & proſperos; Jovem, Solem, Venerem Lunam: Malevolos autem, inimicos, infauſtos; Saturnum & Martem. Mercurium verò, varium & inconſtantem reputent.

Quinetiam corporis humani Oeconomiam errantib. ſeptem ſtelD lis demandarunt, & quidem peculiaria viſcera, certaſq. alias partes, planetis ſingulis decernendo: putà, ut Saturnus non totum quidem caput; ſed aurem ſolummodo dextram, & inter viſcera, ſplenem cum veſica Urinaria, in utroque ſexu humano gubernet. Jupiter, ut pulmonum, coſtarum, cartilaginum, ſpermatis curam gerat. Mars, auri ſiniſtræ, hepati, venis, teſtibus præſit. Sol,

cerebrum, ſpinæ medullam, nervos, oculos, atque ex omnibus membris partis dextræ, portionem ſolum quandam tueatur. Venus, ſpinam ipſam, lumbos, nates, pectinem, adipem, ſemen atque uterum defendat. Luna ſtomachum, ventrem inferiorem, locosq; muliebres (venere tamē in officii hujus partem accita) nec non partium ſiniſtrarum portionem adminiſtret. Mercurio interim, propter ingenii levitatem ac perfidiam, ab omni gubernatione excluſo.

Similem in modum ex Zodiaci ſignis: Aries caput: Taurus collum: Gemini humeros, brachia & manus: Cancer pectus, pulmones ac ſtomachum: Leo dorſum ac latera: Virgo ventrem, & viſcera regat: Libra Umbilicum, lumbos & inferiora Ventris: Scorpius pudenda: Sagittarius coxas: Capricornus genua: Aquarius crura: Piſces pedes humanos tuetur. A

Ad quid hoc rei eſt; quod nulli neque ex planetis, nec ex Zodiaci ſignis ulli, cordis (quod caloris tamen nativi, vitæque ſcaturigo exiſtit) cura & tutela ſit commiſſa? Vah curioſorum hominum ſupinam dormitationem, qui pedum, crurum, genuum curam gerunt: cordis verò negligunt.

Ne quid autem ſapientes iſti intactum prætermittant, quemadmodum immenſam cæli ſphæram, ſecundum ſignorum Zodiaci numerum, in XII. ſegmenta, quæ dodecatemoria vocarunt, partiti ſunt: Tali modo terreſtris quoq; globi regiones, regna, provincias, principatus, Urbes oppida ſibi mutuo vicina, pauculis milliaribus diſtantia, qualia ſunt Heidelberga, Spira, Wormatia, Moguntia, Francofurtum ad Mœnum, Mosbacum, Wimpina, Hailprunna, & ſimiles urbes, ſub una claſſe cenſeri non permittant: verum cum remotioribus, adeoque remotiſſimis locis communionem habere jubeant. Exempli gratia, Heidelbergam, cum Erfordia, Uratislavia, Toloſa, Lugduno, Lutetia, Corintho, Hieroſolymis, Creta, Rhodo, Meſopotamia, Aſſyria, & quidem ſub ſigno Virginis, B C

Spiram cum Argentina, Friſinga, Placentia, Vienna Auſtriæ, Sabaudia, Livonia, Tuſcia, Bactriana, ſub ſigno Libræ.

Wormatiam cum Ratisbona, Hiſpali, Compoſtella Hiſpaniæ, Alexandria Ægypti, Lydia, Pamphylia ſub dodecatemorio Piſcium.

Moguntinam urbem cum Bamberga, Norinberga, Lovanio, Villaco, Briga, Corduba, Marmarica, Hircania, ſub Geminis hoſpitari & tutelam quærere, atque ſic de aliis, decernunt.

Hæc decreta, hæc placita, quibus credi volunt, quibus quæſo rationibus tutabuntur? D

Nec eſt quod aſſerant longa obſervatione, & experientia id innotuiſſe, non ſecus quàm medicis purgantium medicamentorum facultates; de quibus ut non ambigitur, ſic nec iſta inquiunt in dubium ſunt vocanda. At diverſa planè eſt ratio. Hi enim longo rerum uſu edocti, id ipſum ſtatuunt, & quandocunq; res poſtulet, poſſint re ipſa id con-

id confirmare; varietate aliarum cauſſarum nullas judicio tenebras offundente. Hic verò in tanto ſyderum concurſu, vim hanc vel illam tali planetarum conſtitutioni aſſcribere, neglectis ſyderibus, (quorum vim eſſe aliquam, ſupra eſt oſtenſum) nonne videatur ridiculum? Ut interim taceam cælum etiam ipſum non eſſe actionis expers, imò ex Philoſophi ſententia, ejuſdem virtutis, cujus ſunt aſtra. Hæc enim nihil aliud eſſe vult, quam denſiores ſui orbis partes; quibus coactum lumen copioſius in hæc inferiora defluit. In tanto igitur aſtrorum numero, & diverſis ad ſe mutuo ſitibus (quo-
A rum omnium vis eſt occulta) in ſupremi orbis ſumma ignoratione; putabimusne levi aliqua conjectura nedum certa cognitione, poſſe cognoſci, hunc vel illum effectum tali planetarum aſpectui acceptũ ferendum? Ut interim taceam vera ſyderum & planetarũ loca non correſpondere ad amuſſim, locis per tabulas repertis, ut ex conjunctionibus, & oppoſitionibus luminarium, vel antecedentibus, vel ſubſequentibus fit manifeſtum. Norunt autem ipſi quantum referat exacta, & vera planetarum loca noviſſe; cum hinc evenire queat ut in decima domo conſtitutus planeta, in nona vel undecima reperiatur. quæ locorum varietas, variam & diverſam apud eos cauſat præ-
B dictionem.

Demus autem in planetarum veris locis aſſignandis minimè eos falli; non levis tamen oritur difficultas de principio capiendo, quo cæli conſtitutio ſit ſumenda. Inter genethliacos, enim exempli gratia, ſunt qui à caſu ſeminis in uterum, planetarum ſitum aſpiciendũ cenſeant. *Alii* verò ab editione infantis. Vtrique autem non video quo ſe tuebuntur. Nam ſi à caſu ſeminis in uterum; primum tempus erit incertum; in quo ſi vel momentis aliquot aberretur; aliam à vera naſci cæli faciem, nullus inficias jerit, qui norit ipſum perpetuò mobile. Quippe raptu primi mobilis (omnium cælorum pro-
C fectò, velociſſimi) Sol ipſe perinde ac Planetæ reliqui, unà cum omnibus Aſtris, intra horulæ unius intervallum XV. magni circuli gradus decurrit: qui in Terræ globo 225. milliaribus Germanicis æquivalent, unde colligitur etiam intra perbreve ſpaciolum unius momenti horalis (quod putà unius horæ particula eſt ſexageſima) XV. unius gradus cæleſtis momenta (ſeu quartam unius gradus partem) prætervolare: quæ in terra, milliaria Germanica terna, cum tribus inſuper unius milliaris quadrantibus, conſtituunt.

Tum quam cauſſam afferent probabilem, cur jam demum vis cæleſtis agat, in ſemen ubi in uterum illabitur; in teſtibus verò per-
D fectum, nullam ipſius vim ſentiat? cum ejuſdem ſit facultatis; in eo ſolum differens; quod in viris ſemen non poſſit exire in actum, idonea materia deſtitutum: in utero autem eam nactum, ſuis facultatibus uti queat, niſi aut ejus copia obruatur, aut inopia materiæ laboret?

Nec minus irretiti tenentur ii, qui in ortu quum naſcitur infans

cæli faciem inſpiciendam cenſent: quod enim tempus definient, in quo cæleſtis conſtitutio ſit conſideranda? An dum egreditur, vel ubi eſt egreſſus? permultum enim intereſt, cum non minimum temporis interlabatur in ipſo partu. An verò & prius ſumi potuiſſe quis arbitrabitur, cum ſcilicet fœtus in utero abſolutus, nihil aliud deſiderat, quam robur validum, quo perruptis membranis, quibus alligatus tenetur, in lucem exeat? Nec dicendum vim cæleſtem in uterum non pertingere, quum vel in ipſa terræ viſcera, quod ipſi non diffitentur, penetrare queat.

Verùm ſit ita, ut tantum in eos, qui in lucem prodierint, exerat vim ſuam; nonne partes pro diverſitate egreſſus, diverſos influxus admittent? Nec non & animæ facultates, ſi ex Platonis, & medicorum celebrium ſententia ſint locis diſcretæ? At fortè tum demum cenſebunt aſtrorum ſitum intuendum, infante prorſus in lucem edito. Næ illi parum naturaliter loquuntur; qui in agente naturali, certa actionis tempora præſcribunt: eique præſertim, cujus vis non poteſt coërceri ab ullis cauſſis inferioribus. Tum eo etiam conceſſo, ut prius non agat; priorne ille influxus, tantum poterit, ut cæterorum per totam ætatem incidentium facultates ſuperet? A

Hæc aliaque ejus generis dici poſſunt, quibus aliquis adducatur, ut non tantum tribuat Aſtrologorum judiciis. Quamquàm ipſorũ artificum diſſenſus facile poterat homines alicujus judicii docere, non eſſe aliquam rerum futurarum ſcientiam, aut ſi ſit, mortalibus ignotam. Eadem ratio valet contra eos, qui circa aëris mutationes verſantur, ipſeque dies docet, nullo fundamento totam ipſorum divinationem niti. Verum de hac alias ex profeſſo agemus, ubi cauſas ventorum, pluviarum, cæterorumque meteororum exactè perſpexerimus. Tum enim planum fiet, ex quibus talium prædictio pendeat, & quantum à cœlo hac in parte ſit petendum. Hæc ſatis ſint. Plura qui deſiderat, is Pici Mirandulani libros contra Aſtrologos conſulat, quem audio pro ingenii ſui acumine funditus univerſam aſtralogiam, quam judiciariam vocant, evertere. Nos hæc otii fallendi cauſſa commenti ſumus, primum excitati amicorum ſermonibus ſuper ea re habitis. B C

ARGUMENTA PHAVORINI PHILOSOPHI ADVERSUS CHALDÆOS SEU Genethliacos, qui ex poſitu motuque ſtellarum, futura prædicere pollicentur, deſumpta ex Auli Gellii lib. 14. noctium Attic. cap. I. D

Argumentum primum.

TOLLETUR quod maximum inter Deos atque homines differt; ſi homines quoque, res omnes poſt futuras prænoſcerent.

Arg.

Arg. ſecundum.

Ex diverſitate locorum, & differentia inclinationis cæli, ſequitur diverſa ſtellarum obſervatio. At Chaldæorum obſervatio, ſoli Chaldæorum regioni congruit. Eſt n ad ejus loci meridianum ſupputata. Ergo aliis regionibus, ea obſervatio minimè convenit. Neque poteſt Chaldæorum obſervationis ratio manere, ſi quis ea uti velit ſub diverſis cœli regionibus.

A *Tertium.*

Eædem ſtellæ, per quas omnia divina humanaque fieri oſtendũt, ſicuti nec usquequaque pruinas aut calores cient; ſed mutant, & variant, tempeſtatesque eodem in tempore alibi placidas, alibi violentas movent: Cur non eventa quoq; rerum, ac negociorum alia efficiunt in Chaldæis, alia in Getulis, alia apud Danubium, alia apud Nilum? Sed abſurdum fuerit, ipſum quidem corpus, & habitum tam profundi aëris, ſub alio, atque alio cœli curvamine, non eundem manere: In hominum autem negotiis ſtellas iſtas opinari idem ſemper oſtendere, ſi eas ex quacunque terra conſpexeris.

B *Quartum.*

Permirum ſanè, Planetas Chaldæis obſervatos non eſſe plures quàm vulgo dicantur. Fieri enim poteſt alios quoſdam planetas pari poteſtate eſſe, ſine quib. recta ac perpetua obſervatio perfici nequeat, quos neque homines cernere poſſint, propter exuberantiam vel ſplẽdoris vel altitudinis, ſicut & ſydera ſunt quibusdam regionib. ſpectabilia, & nota, quibusdam inconſpicua & prorſus ignota.

C

NOTA IN ARGVMENTVM IV. PHAVORINI PHILOSOPHI.

NON eſt certe de nihilo: Permirum viſum Phavorino, Planetas Chaldæis obſervatos non eſſe plures, quam vulgo dicuntur, putà ſeptem. Fieri enim poſſe, alios quosdam planetas pari poteſtate eſſe, vel inconſpicuos vel ignotos Chaldæis. Noſtra enim hac tam ſera ætate, puta anno Chriſti 1610. menſe Jan. & Febr. alios quatuor Planetas à Galitæo de Galitæis, patricio Florentino, Acad. Patavinæ Mathematico, per organum Perſpicilli longi, obſervatos eſſe D conſtat, qui circa Jovis ſtellam antrorſum retrorſum ſemper & quidem in recta linea Eclipticæ manentes moveantur, vixque duodecim momenta à Jove intra duos menſes abſceſſerint: ad exemplum fere Veneris & Mercurii, qui Solis aſſeclæ ac obſervatores exiſtunt. Idem ille Galitæus alias innumeras ſtellas hactenus ignotas depræhendit & annotavit. Exempli gratia, circa balthcum Orionis, quod

tribus

tribus lucidis conſtabat ſtellis, alias numero 58. Circa gladium ejuſdem ſenis conſtātem, alias 25. Circa nebuloſam in capite Orionis, alias viginti & unam notavit. Sic quoque circa Pleiades in dorſo Tauri ſex ſtellis deſcriptas, alias XXXII. invenit. Circa Præſepe, præter Aſellos, alias XXXVI. repperit. Ut de Galaxia, ac cæteris ſileam. Quæ omnia SIDERA MEDICÆA appellavit, in honorem Coſmi Medices 2. Magni Hetruriæ Ducis IV. cui librum ſuum titulo Siderii Nuncii
1 inſcriptum, & apud Thomam Baglionum an. 1610. Venetiis impreſſum, dedicavit.

Similiter ab Hollandis, aliisq; trans extremum Africæ promon- A
2 torium, caput Bonæ Spei appellatum, ſupra 35. latit. Auſtralis gra-
3 dum, ad Orientales Indias: nec non ſupra 52. ejusdem latitu. gradū,
4 per fretrum Magellanicum verſus Indias Occidentales, regnumque Chili ac Peru navigantibus aliquot ſidera, ſtellæque veteribus ignotæ, circa polum Zodiaci & Antarcticum repertæ ſunt.

Quales Grus avis ſub piſce Auſtrino:

Eridani fluvii ſtella extrema, juxta quidem, verum tamen extra circulum Antarcticum, infra Phœnicem ſita.

Phœnix avis etenim inter Gruem, & Eridani extremam, modicè ad latus, Cetum verſus, inclinata, haud procul à Circulo Antarctico B finitur.

Spectatur & Trigonus & Pavo intra Antarcticum circulum.

Sicut & Hydrus minor eodem Antarctico incluſus.

Præterea & Ara, retro caudam Pavonis, poſita.

Sunt quoque circa carinam navis Argo, X. aut XII. ſtellæ, 4. aut 5. gradibus à polo Zodiaci remotæ.

Apparet etiam ſtella ſolitaria extra Siderum figuras, infra navem Argo, vix duobus à polo Zodiaci gradibus diſtans.

Quintum. C

Conſtat inter Aſtrologos, diverſos Cœli & ſtellarum poſitus, diverſos effectus eventusque polliceri. Quod ſi verum eſt; quomodo conſentaneum erit diverſimodè pronunciare, de ipſa hominis conceptione, atque nativitate ejusdem? quum decem ferè plerumque menſes interlabantur.

Sextum.

Si diſciplina hæc veritatis fundamento aliquo nititur, debuerint præmonſtraſſe ſtellæ, abhinc aliquot ſeculis; imo ab ipſo mundi exordio, & deinceps continuata ſerie & ſignificatione, quoties generis D authores naſcerentur; quales qualique fato futurus ſit, quisquis hodie natus eſt. Multo magis autem declarari oportebat, quales qualique fortuna homines gignerentur etiam ab ipſo nuptiarum tempore, adeoque ipſo maris & feminæ coitu; imò multo etiam antequam pater ipſe, atque mater naſcerentur; proſpici debebat, quinam olim

olim ex ipſis naſcituri forent, idque ſupra longè, atque longè per infinitum. Certus enim quidam & neceſſarius ſtellarum ordo exiſtit.

Septimum.

Abſurdiſſimum ſanè fuerit cauſam univerſalem ita conſtringere, ut uni tantum particulari, imò uni individuo ſoli deſtinetur. Quid autem aliud eſt, cujusque ſtellarum formæ & poſitionis ſortem atq; fortunam, uni omnino homini certam & deſtinatam credere?

A

Octavum.

Eadem ſtellarum forma & poſitus, non niſi poſt longiſſima ſæculorum ſpatia revolutione reſtituitur. At eadem vitæ, morum, fortunæque conditio, ſæpius & multipliciter in breviſſimis intervallis, per ſingulos majorum gradus, conſpicitur, idque per longum ſæpe ſucceſſionis ordinem. Ergo diſciplina hæc confunditur, & cauſſam ex aſtris non habet.

Nonum.

B Minimè verò ferendum, quod non modò caſus & eventa, quę extrinſecus accidunt; ſed conſilia quoque hominum ipſa, & arbitria, & varias voluntates, appetitionesque, & declinationes, & fortuitos repentinosque in leviſſimis rebus animorum impetus, receſſusque moveri agitarique deſuper è cœlo putaret, unde ſequetur homines non λογικὰ ζῶα, ſed ludicra & ridenda quædam eſſe νευρόσπαστα, ſi nihil ſponte faciant, ſed ducentibus & aurigantibus quaſi aſtris.

Decimum.

Neque conſtat conſequentia; Ex aſtris prædictum eſt, Pyrrhus ne C Rex, an Manius Curius prælio victurus eſſet; Ergo & de geneſibus certo prædici poteſt. Cur non ita de alea quoque, de calculis, & alveolo audeant dicere, quisnam ibi ludentium vincat?

Undecimum.

Quum tanta ſit temporis præcipitatio, ut horæ unius ſpatio quindecim æquinoctialis circuli gradus decurrāt, qui faciunt 225. milliaria Germanica, & per conſequens, momento horæ unius, quindecim momenta gradus unius æquinoctialis, qui dant 3. milliaria Germanica & tres quadrantes transvolent (quod ſane quam maximas mu- D tationes producet) quonam pacto tam celeriter transvolantis temporis punctum aliquod, aut conſulto aſſequi queant, aut ipſi perſpicere, & deprehendere, quod animi cogitatione vix comprehendi poſſit?

Duodecimum.

Si momenta naſcendi ſingulis attributa, ſuas unumquodq leges habent,

habent, ad fati præſagia: Quomodo homines quàm plurimi utriusq; ſexus, omnium ætatum, diverſis ſtellarum motibus in vitam editi, regionibus, ſub quibus geniti ſunt, longè diſtantibus, omnes tamen iſti, aut hiantibus terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in navi, fluctu obruti, eodem genere mortis, eodemque ictu temporis interierint?

Tredecimum.

Quod ſi in hominum morte & vita etiam diverſis temporibus editorum, per ſtellarum pares quosdam poſteà eventus, paria nonnulla & conſimilia poſſe dicantur contingere? Cur non aliquando poſſint omnia quoque paria uſu venire, ut exiſtant per hujusmodi ſtellarum concurſiones & ſimilitudines, Socrates ſimul, & Antiſthenes, & Platones multi genere, forma, ingenio, moribus vita omni & morte pari? quod nequaquam, inquit, prorſus fieri poteſt. Ergo non probè hac cauſa uti queunt, adverſus hominum impares ortus, interitus pares. A

Decimum quartum.

Si hominum, rerumque humanarum fata à cœlo ſtellisque dependeant: Quid de brutis animantibus, quid de inſectis dicent? An iſta quoque iisdem, quibus homines, legibus, & naſcentur & extinguentur; ut ranunculis, muſcis, & culicibus naſcendi fata ſint de cœleſtium ſyderum motibus attributa, aut ſi id non putarint; nulla ratio videtur, cur ea ſyderum vis, in hominibus valeret, deficeret in cæteris. B

Decimum quintum.

Aſtrologi non comprehenſa, neque definita, neque percepta dicunt, ſed lubrica atque ambitioſa conjectatione nitentes; inter falſa atque vera pedetentim, quaſi per tenebras ingredientes, eunt. Et aut multa tentando incidunt repente imprudentes in veritatem; aut ipſorum qui eos conſulunt, multa credulitate ducente, perveniunt callidè ad ea quæ vera ſunt, & idcirco videntur in præteritis rebus, quàm futuris veritatem facilius imitari. Iſta tamen omnia, quæ aut temerè aut aſtutè vera dicunt, præ cæteris quæ mentiuntur, pars ea non ſit milleſima. C

Decimum ſextum.

Verſus Pacuvii veteris Poëtæ:

Nam ſi qui, quæ eventura ſunt, prævideant,
Æquiparent Iovi. D

Verſus Accii vetuſtiſſimi Poetæ.

Nihil credo auguribus, qui aures verbis divitant
Alienas, ſuas ut locupletent auro domus.

Deci-

Decimum ſeptimum.

Aut adverſa èventura dicunt,aut proſpera , eaque aut vera , aut falſa. Si adverſa & vera ; jam inde ex animo miſer fies,antequam è fato fias,ſi adverſa & falſa,miſer fies,fruſtra timendo.Si felicia & vera,tum planè duo erunt incommoda , nam & expectatio ſpei, te ſuſpenſum fatigabit ; & futurum gaudii fructum ſpes tibi jam defloraverit. Si proſpera & falſa præſagiunt ; miſer fies fruſtra expectando.

A Nullo igitur pacto utendum eſt iſtiusmodi hominibus res futuras præſagientibus.

EPISTOLA VI.

HENRICUS SMETIUS MED. Lemgovienſis.

HENRICO WIERO MEDICO

B Colonienſi S. P.

Ægrotationem ſuam deſcribit.

SALUTATIONEM à te,vir clariſs.per Cunradum CrouWelium,juvenem eruditum annunciatam,hilari animo excepi : eoque magis,quod ſimul etiam tuam de valetudine mea (inaudieras n. quiddam de morbo) ſolicitudinem cognoverim,qua ut libereris , quonã in ſtatu illa jam ſit,per me certior fieri deſideras. Haud equidem inanis rumor fuit. Res verò ita ſe habet. Steinhemii Padebornenſis
C territorii oppido,Mauritium Donopęum,juvenem equeſtris militię nobilem curaveram : apud quem anguillas ſucculentas magnasque ſimplici apparatu elixas,aliaque fercula pravi ſucci,pro regionis more,adeoque putredini oportuna pranſus , mox à meridie binis equis, die 22. Junii propere per 4. milliaria domum deferebar. Fatigatus igitur citati itineris moleſtia,& vitioſo alimento per ſuccuſſationem equi,in venas rapto;poſtridie circa meridiẽ in horrorem nõ mediocrem;deinde in calorem univerſi corporis ingentẽ incidebam. Quibus licet debita ex arte auxilia ab initio oppoſuiſſem: perdurabat nihilominus quotidianæ febris continuæ forma , abſq; ſudore ullo,
D remittente interim quotidie pauliſper ſub veſperam fervore,ad ſeptimum usq; morbi diem;in cujus principio,aut potius ſexti fine,rigor toto corpore concuſſato,ſudorẽ copioſum protrudebat , criſi tamen imperfecta atque infida. Reliquiis recidivam minitantib. Recurrebat itaq; octavo inde die febris cum frigore potius, quã horrore, ſub veſperã calore ſubſequente ; qui ſine intermiſſione quidem , mitior tamen

tamen priori,usque ad quintum perſiſtebat. Tunc enim per horro-
rem quendam, largiſſimo ſudore (quem theriaca Syr. acido & oxy-
crato miſtis ſumptisque juvabam) omnibus membris undiquaque
expreſſo,criſis perfecta,febri finem imponebat. Brevis quidem æ-
grotatio adeo tamen corpuſculi habitum attenuârat; ut,ſi cum Per-
ſio loquar,vix mihi tum primæ reliqua eſſet trama figuræ. Quam-
obrem dum reparandis viribus operam navo; in octavam usq; he-
bdomada,intra parietes privatos latitabam. Diſcuſſis autem morbi
reliquiis, dominante appetitu, cruribus usque ad genua œdemata
accreſcunt,quibus dum medelam per diſcutientia,ſiccantia & modi- A
ce aſtringentia adhibeo; dextro oculorum ſuffuſionis principia in-
cidunt,quæ viſum ita obnubilarunt,ut etiamnum per araneæ telam
ſpectare mihi videar,quoddamque culicis ſimulacrum obtutui aſſi-
duè obvolitare appareat Hæc me fortuna exercuit poſtremis hiſce
æſtatis menſibus.Et quamvis viribus jam habituque (Dei beneficio)
convaluerim: oculi tamen illa ὑπόχυσις difficulter ceſſura videtur.
Incumbo nihilominus, quantum negotia permittunt, ut medear
meis ipſius malis. verùm ea eſt ſortis iniquitas erga medicos: ut a-
liis ipſi hominibus, non ſibi nati videantur: dumque cæteris juvãdis
perpetuo occupantur: ſuis ipſi neceſſitatibus deeſſe cogantur. Tibi B
vero humaniſs. Wiere,fata precor meliora: hortorque meo exem-
plo,ne tibi cujusquam alterius valetudo ſit tanti, ut tuam ipſius in-
terea negligas, ſed cura ut ſemper quam optime valeas. Præclaros
autem viros,D.Jo.Echtium ſocerum,D. Jo. Wierum patrem tuum,
patronos perpetua mihi obſervantia colendos, ſalute officioſa im-
pertiri exopto.Lemgovii Nonis Septemb.1568.

EPISTOLA VII.

HENRICUS SMETIUS MED. Lemgovienſium. C

REINERO SOLENANDRO DUCIS Juliacenſis Med.

MISERAM ad te,præſtantiſſime Solenander,Februario menſe,
deſcriptionem eorum, quæ per quadrimeſtre tempus in mor-
bo pertinaci,& vario, affinis mihi virginis contigerant. Nunc verò
quum ægrotatio illa miſeranda, nuper cum vita afflictiſſima finem
fecerit: committere nolui, quin ſeriem univerſam eorum, quæ à D
morbi initio, usque ad exitum ejusdem, per undecim menſium de-
curſum, acta & obſervata ſunt, tecum communicarem; idque eo
potiſſimum conſilio, ut de tam atrocium & ſtupendorum affectuũ
cauſſis tecum diſſererem, atque ſententiam rogarem. Feliciter vale
Idibus Septemb.1568.

HISTO-

HISTORIA INTEGRA CONTINVI PER XI MENSES DECVBITVS EX MORBO, monſtroſis variisq; ſymptomatibus admirando, in pia & pudica virgine, Anto. Corp. Lemgovii per obſervationes quotidianas, annos 1568. collecta.

A VIrgo annos 22. nata, honeſta familia orta, in otio magis quàm
laboribus, caſtiſſimè tamen atque piè educata; corpore carno-
ſo & bene habito, ingenio & memoria non mediocri; moribus mo-
deſtis prædita, ſacrarum literarum lectione erudita, pietatis adeoq;
purioris religionis ergò, ducis Albani tyrannidem præveniens, unà
cum affini ſuo duabuſque ſororibus, parentum conſenſu, & man-
dato, in voluntarium exilium, menſe Aprili an. 1567. patria ex-
ceſſerat.

Intereà ex calamitate patriæ, ægritudinem animo concipit,
quàm de chariſſimis parentibus, aliiſque amicis ſolicitudo propter
manifeſta pericula augebat.

B Quamobrem per æſtatem non ità commodè degebat, quin cru-
ditatibus ventriculi, & viſcerum obſtructionibus ſubinde labora-
ret. Menſes inordinatè fluebant; ex utero aliquoties ſuffocabatur.
Nihilominus ſub finem æſtatis, correcta uteri ex purgatione, meli-
uſculè habebat.

Paulò poſt ſororium cum ſua familià 22. Septemb. ex Cliviæ op-
pido Buderitiâ, in weſtphaliæ urbem Lemgovium, ad illuſtres
Lippiæ & Speigelbergii comites, vocatum comitabatur. Profectio-
nis moleſtias utcumque ferebat. Præterquam quod ſerotino prop-
C ter aberrationem itinere, quodam veſpere, præ metu tenebrarum
in vehiculo, animo deficeret. Penultimo eiusdem menſis Lemgovii
in Cæna quadam, ex ſuffitu & calore hypocauſti intenſiore, ſibique
inſueto, caput dolebat, quod brevi convaluit.

Poſtridie vacuatio menſtrua fiebat; ſed modica, inde corporis laſ-
ſitudo, dolor, & gravitas capitis, hypochondriorum inflatio de-
tinebat. Deiecto appetitu, non ſæpius quàm prandio, eóque par-
ciſſim ominimique alimenti cibo utebatur. Cænâ abſtinebat ſem-
per.

D Circa XII. Octobris, febris quotidie intermittens ſub veſperam
invadebat. Qua durante, ſingulis noctib. animi deliquium, uterinæ
ſuffocationi ſimile, patiebatur. In quo extrema refrigeſcere, re-
ſpiratio crebreſcere, prorſus concidere, nonnunquam ad tem-
pus etiam planè intermittere, ſine ullo ſpiritu, voce, motu, ſen-
ſu, moribundæ inſtar. Intercà pulſus celer, creber, inordinatus;

inæqualis, & minor quidem ſolito, nunquam tamen deficiens, multo minus ἀσφυγμός. Durabat paroxyſmus iſte, aliàs dimidiam, aliàs integram, aliàs ſeſquihoram. Quo finito, ſemper ad mentem redibat.

Paſſa fuerat hæc deliquia ter quaterque, antequam febris naſceretur.

Queri ſolebat id mali à frigore quodam, ex inferiore abdominis parte ſurgente, inde thoracem & cor feriente exoriri. videri enim ſibi cor congelaſcere.

Increbreſcebat poſt dies paucos hæc Lipothymia, ut non nunquam mane, etiam poſtquam ſurrexerat, ferè tamen veſperi, vel ante, vel poſt febrilem acceſſionem, etiam ex leviſſima defatigatione obreperet. Animadverti tandem affectum hunc non ſolùm ex laſſitudine, verùm etiam ex vehementioribus animi perturbationibus, triſtitia, excandeſcentia, attentioribus cogitationibus, imò ſi deſiderio, aut voluntati ægræ non expeditè ſatisfieret, nec non ex ciborum repletione recruduiſſe. A

Ternos plerunque inſultus ſyncope iſta ad tempus aliquod obſervabat, mane delicet ex cubili videſcendendo, crepúſculo veſpertino, & circa noctem mediam. B

Afficiebatur interim albo fluore, ſervato tamen utcumque menſtrui ordine, & tempore, præterquam, quod deterius fuerit, colore & quantitate mutata. Vrina tenuis, vix ſpicea, ſedimento ferè deſtituta. febri adhibita ſunt, quæ cum moderato calore, & partium tenuitate tergent, aperiunt, & robur conferunt. Ex quorum uſu febris mitior reddebatur.

Circa Calend. Decembris, evoluta jam periodo menſtrua, frequentioribus jam factis lipopſychiis, ut intra 24. horas etiam quintò repeterent, quum jam non aliunde quàm ab utero illas renaſci judicarem: tardiorem ſolito matricis excretionem in neomeniis provocandam duxi; ſperans inde commodi aliquid acceſſurum. C

Diſplicebat ad hanc rem, etiã in malleolis, venæ ſectio, propter hybernum tempus, hypocauſti domeſtici defectum, ingentia frigora, exiguas & profundas venas, ſanguinem paucum, crudum, corpus ſobrium, puſta ſemel tantùm & parcè quotidie nutritum, idq; multo jam tempore. Adde quod & noctes plerunque inſomnes duxerat ex cænæ abſtinentia, quam febris veſpertina & ἀνορεξία imperabat.

Purgaram quoque ante, & ſubinde, ſed clementius. Exhibui itaque dauci pollinem, ex aqua artemiſiæ edulcata. faſtidiente autem hanc potiunculam ægra: obtuli ex aſa fœtida dauco & caſtoreo pingui æqualiter miſtis ℈. i. pilulæ forma, azymo obvolutum, idq; manè tantummodo Cum autem nondum obediret uterus; offerebam adventante veſpere, rurſus iiſdem ex catapotiis duplum, D

puta

putà ℈ii, concocto nimirum jam alimento, quod ante meridiem tempeſtive coctu facile, modicumq; ſumpſerat.

Quibus devoratis in ſomnolentiam novam incidit, in quam cum ſe vergere præſentiret, tamquam novũ ſymptoma admirata in hęc verba erupit: *Wat ſalt nu ſyn?* i.e Quid nunc tandem fiet & paulo poſt ſoporatæ inſtar jacebat. Quo ſopore diſcuſſo, obrepebat cum frigore conſueta, & veſpertina oſcitatio, aſſilientis febris prænuncia.

Deſcenderat hactenus quotidie ex cubiculo in culinam, totum A diem foco inhærens? carebat enim vaporario, & frigus premebat. Ea itaque nocte, cum febri delirabat. Durabat autem delirium iſtud biduum ferè continuum & iam finito febrili paroxiſmo. Nam interdiu nunquam febricitabat, calore notabili.

At cum neque catapotiorum ſubſidio, uterus reſponderet: poſtridie theriaces optimæ ʒ. ß. cum cinnamomi exquiſiti pari pondere, ex liquore artemiſiæ ſtillatitio, cum modico ſacchare propinabam. Qua potiuncula eadem die menſes comparebant, ferruginei, craſſi, putidi, & copioſiores ſolito, per totum fere quatriduum fluebant.

B Nihil tamen profuit iſta excretio, immo ſymptoma acerbius adeoque frequentius exinde videbatur. Quod enim ultra quinos ad ſummum impetus, uno die ex more non faciebat: iam deinceps nulla nec temporis, nec conſuetudinis ratione habita, creberrimè redibat: ut nonnunquam quater duarum horarum ſpatio repeteret; dicam amplius quid, quod videlicet unicus paroxiſmus aliquando etiam ſeptenas horas, immo denas continuas expleret. Neque is quidem eiuſdem formæ cum præteritis: ſed reſpiratio ſtrangulationi ſimilima fiebat, una cum ſonitu, & ſtridore magno, convulſioneque artuum tam violenta, ut præ concuſſione fu- C lcrum cum toto cubili tremerent, & crepitarent, cum colli capitiſque inordinato motu, immo extenſione veluttetano univerſi corporis, voce inarticulata, coacta, ſtridula, abrupta, diſploſa, clamoſa, ſtentorea: & præ violentia ſimul Paroxiſmi, plerumque toto corpore ſudaret.

Finitis uterinis hiſce etiam exacerbationibus, ferè deſipiebat, abſurda loquebatur: caput huc illuc aſſiduè agitans & cantillanti voce idem perpetuo occinens, more cucúli coccyzabat tali inflexione, qualis eſt in notis Muſicis, mi ut, mi ut, mi re, ſol ut: ſine ulla articulatæ vocis prolatione, ſolo ſoni accentu, plus D millies eadem recantans. Neque ab hoc coccyſmo deſiſtebat niſi ad mentem rediſſet: neque id, niſi probè, & præter ſolitum obdormiſſet.

Dum deliraret, imminentem ſævi ſymptomatis inſultum certis indiciis, velut præſagiens annunciabat, his utens vernaculis formulis: *Doet de banck aff, het is hier alte enge, de balck is alte le-*

eg, ick verberne, ſoude ick oock wel bang werden? ick moet wat
vliegen. Quæ ita Latinè ſonant; aufer ſcamnum hoc, nimia hic eſt
anguſtia; trabs nimis imminet, ego aduror, delinquar ne animo? eſt
mihi volandum pauliſper.: & ſimul cum hac voce, plerunq; impetu
quodam, corpus erigere, tanquam jam volatura, conabatur, verum
in mediis conatibus ægra deficiens menti eripitur.

Durabat hæc amentia tres quatuorve dies continuos, ſine ulla re-
ſtitutione mentis.

Dum delirabat omnium, etiam minutiſſimorum, quæ multo an-
te acta eſſent, immo quæ vel legiſſet, vel audiſſet, meminerat, ſed A
quæ non niſi mutilatis verbis, puerilibus formis, obſcura phraſi,
vocibus inauditis proferebat, ut ad ænigmata explicanda Oedipo o-
pus eſſet. totam familiam, etiam extraneos, vel ex ipſo ſermone non
viſos, auditos tantum dignoſcebat. In uxore mea ſola, ſorore tamen
ſua, errabat: quam pro ſorore Anna habebat, & pertinaciſſimè aſſe-
rebat. Characteres modumque legendi tunc ignorabat; Gallicè lo-
quentes non intelligebat, quæ tamen menti reſtituta callebat exa-
ctè. Sed nihil eorum ſana recordebatur, quæ in deliriis, vel ſibi, vel
aliis accidiſſe viderat.

Interea ut geſtus omnes, verbaque fatua erant: ita quibusdam B
loquendi formulis ex eadem pharetra deſumptis, interrogata reſpō-
debat lingua patria, nempe: *ick ben alte licht, ick ben alte vet. Heb dy*
my lief? Soude ick wel ſlapen? & multa his affinia. Quæ latinè ita ha-
bent: Ego ſum nimis levis, ſum nimis obeſa, ecquid me amas? poſ-
ſem ne dormire.

Tantæ rerum difficultati, cum, quid potiſſimum remedii oppone-
rem, mecum anxius delibero (neq; enim ex frictionibus, ligaturiſq;
extremorum, fomentis, evacuationibus, graveolentibus naſo ad-
motis, odoratis & ſuavibus infra ſubditis, & his ſimilibus, quæ ad u-
teri ſtrangulatum commendantur, utilitas ullla accedebat) ad cata- C
potia illa non purgantia revertor, additoq; Mithridatio tali propor-
tioni, miſcui, ut ad caſtorei pinguis ſimplum, aſæ & dauci ſingulorum
ſeſcuplum, mithridatii duplum accederet.

Huius medicamenti quotidie mane drag. unam in pilulas for-
matam exhibebam, cui cumini cochlear parvū, ex cereviſia ſaccha-
ro condita, calidè abſorbere jubebatur. Deprehendi antidotum ex-
ſpectationi utcumque proſperum. Quapropter & inſtante veſpera
offerre audebam.

Cujus uſus, Dei beneficio, ita nobis ſuccedebat, ut affectus, cujus
frequentiſſimi uno die inſultus iidemq; pertinaces eſſe ſolebant, vix D
tandem bis, idque multo mitius infeſtarent, imo ita quotidie decreſ-
cerent, ut infra nonum diem prorſus extinguerentur.

Totum itaque biduum & mente, & corpore valebat; victa febri,
jugulatoque hyſterico malo, cibos appetere cœpit, præſagiens &
ipſa fore, quod, voracitate ſua, tantundem ſibi obfutura eſſet,
quan-

quantum ſobrietate hactenus profuiſſet, id quod uſu deinceps ita eſſe deprehendit.

Die Decembris XXI. crepuſculo veſpertino ſuſpicata, ſed falſo, eſt hominem quendam in hypocauſto (quod unicum more gentis, & quidem anguſtum in domo illa erat) infra mihi adeſſe, ſibi non exoſum, cujus vocem audiſſe ſe imaginabatur. Explorandi itaq; ſtudio, cum vix per quadrantem horæ, conjugis meæ præſentia deſtituta fuiſſet, furtim, vacillanti gradu, ſponte in ſubucula è lecto per gradus plus minus VIII, in atrium uſque deſcendebat: etiam progreſſura

A ulterius, niſi à ſorore ad eam redeunte fortè deprehenſa fuiſſet. Quam adventantem ſentiens, magna cum celeritate rurſus ſcalam aſcendens, ſe in lectulum proripiebat.

Subitum hoc illius robur, ſatis mirari nequeo, quæ vel pridie de grabatulo, vix ulnis exportari ſe inoffensè ſuſtinuiſſet.

De facinore iſto, mirum, quantopere deinceps, quoties delirabat, gloriari ſoleret, his verbis utens: *al raſch vvel eens de trappen afgevlogen.* Latinè ſonat, equidem ſemel celeriter per ſcalas devolavi.

Ex hoc deſcenſu fatigato corpore, vanaque imaginatione animo

B turbato, ilico in priſtinum affectum relabitur per biduum delirans.

XXIII. die iterum ad ſe redit.

A quo per ſex dies rurſum rationis uſum amittebat.

XXIX. mentis lucem paululum recipiebat.

Intereà 26. Decemb. menſes reſſluebant, qui ut commodius manarent, pharmaco promovimus; nihilo tamen ſublevarunt ſymptoma.

Alternis fere diebus mentis compos fiebat, idque interdiu tantum, uſque ad veſperam. Quotidie enim ſerotino circuitu malum recrudeſcebat, utcumque per totum diem bene habuiſſet.

C Per hos dies deficientibus catapotiis, pulviſculum ex una Zinziberis, duabus dauci partibus, edulcatæ cereviſiæ inſperſum exhibebam, à quo mitius ſolito habebat. per quatuor dies continuos, licet ſemper veſpertina acceſſione deſiperet.

Tertia Januarii 68. fratris ſui Severini, qui à Reno nos viſerat, peregre profecti abſentiam ægerrimè ferebat. Qua ægritudine animi, adeò rurſum morbus ſæviebat, ut intra bidui ſpatium plus minus XXXII. paroxyſmos prioribus ferociores pateretur. Reverſi verò fratris præſentia, ægræ malum denuo cicurabatur. Quod poſtridie, nempe 6. Januar. ejuſdem diſceſſu, iterum, ut nuperrimè, ferocire

D cæpit, tam frequentia, quàm acerbitate.

Ante quatriduum aliquando manè talis illam paroxyſmus invadebat, qualem ſemper veſperi ante Calend. Decemb habere ſolebat, cum denſiſſima reſpiratione & ſpiritus interceptione, ſuffocationis ſpecie.

7. Januar. Dolor quidam punctorius, utrinque ab oſſe ſterno in-

ter geminas mamillas, magis à ſiniſtra tamen affligebat, neque tuſſiendo, neque ſuſpirando invaleſcens, immò ne tuſſiculam quidem ullam ſuſcitans, hærens nihilominus loco, ad ſingula ferè momenta ſponte ſua ita pungebat, ut ſubinde vocem attollere cogeretur; ſed ſequenti nocte mitigatus, & ferè ſublatus.

8 Recrudeſcebat cruciatus ille, & vehementer lancinabat, fomentorum uſum non admittebat, quod illorum pondus pectori moleſtum eſſet.

Potus & cibus omnis, oleoſum quid ſapere, ægræ videbatur

Purgabam eodem die catapotiis. mediocris excretio ſequebatur. Nihil tamen remittebat dolor. A

9. Cataplaſma pectori nihil conducebat, immo profundius inde dolebat.

Paroxyſmi uno die interdum plus minus XVI. aut XX.

Utebatur tragemate ex Diatrium piperum Meſuei, & Caſtorei an ℥. 5. ſaccharis duplo.

Venæ ſectio, cucurbitarum uſus perparum conferebant.

15. Suſpiriis increbeſcentibus, extorta vix tandem cauſa, amorem erga miniſtrum quendam Eccleſiæ Gallicæ L. C. juvenem, ferè adhuc imberbem, invita admodum fatebatur. Ex hoc animi affectu, appetentiam cibi, ſomnos ſanaſque cogitationes labefactatas. B Hinc illi XXI. Decemb. veſperi ex cubili deſcendendi impetum, ſuſpicione de dilecto illo, mecum diſſerente, concepta. explorandi deſiderio proveniſſe. Ex eo tempore eaque cauſa, morbus illi cum exacerbationibus magis ſævire viſus, cumque delirio majori & diuturniori quàm antea.

18. Tam mihi, quàm uxori, ſuſpiriorum cauſas pervicacius ſciſcitantibus, etiam alios amores profitebatur, adeoque ſe amatoriis imaginationibus, ab eo ipſo momento aſſidue perturbatam fuiſſe.

20. Hieram cum agarico mellitam hauſit, & commode purgabatur. Eodem die menſes apparebant, nigricantes, putidi, qui poſtridie medicamento promoti laudabiliter fluxerunt. C

22. idem Pharmacum iteramus Ea nocte plus ſolito, in multam uſque lucem continuato ſomno quieſcebat. Ad mentem redibat, poſtquam XVII. totos dies deliraſſet. Perſeverabat interim pectoris dolor punctorius, ſed mitius paulo & rarius infeſtabat.

Paroxyſmi uterini, à purgatione & rareſcebant & mitigabantur. Edulia adhuc oleoſum ſapiebant.

Sed eodem die, veſpertino inſultu, rurſus de more, menti excidebat. D

23. A prandio oſcitabat ſæpius, frigebat cruribus, & lumbis. Novæ febris quotidianæ annotatio: priore, jam diutius menſe, diſcuſſa.

25. à meridie ad mentem revertebatur. Sed poſt pauculas horas, veſperi redeunte hyſterico malo, iterum deſipiebat.

27. poſt

27. Poſt meridiem oborta vertigine, querebatur & ſe una cum lecto, & aſſiſtentes ipſos cum univerſo cubili, circum rotari. Excipiebat hanc ſtatim quiddam convulſioni affine, oculorum depravatus motus, apertis palpebris, & derepente brachiorum, manuum, crurumq; denæ aut duodenæ violentæ extenſiones, diſtinctæ inter ſe, mora perquam exigua, occupata mente & ſenſibus, capite immoto. His finitis, ilico ſolitus paroxyſmus, ſtrangulationi ſimilis, cum tremula totius corporis concuſſatione, ſubſequebatur.

Eadem ſymptomata, proxima nocte, patiebatur, quæ poſtea ferè

A alternis diebus repetebant.

29. à meridie rationis uſum recipiebat, literasque ad ſororem Annam. Duisburgi degentem, exarabat, quibus vix abſolutis redibat inſultus, & ratiocinationem tollebat. Literas mox repoſcebat, quas ipſamet Annæ, jam, ut putabat, præſenti, traderet, illam uxorem meam eſſe pertinaciſſimè atque iracundè iterum aſſerebat, pro ut ſemper delirio detenta ante facere ſolebat; neque quatuor validis & manifeſtiſſimis ipſique cognitis argumentis, ut crederet, adduci nec voluit, nec potuit.

Hinc iracunda, paroxyſmo mox invadebatur. Et ante auroram

B vertigo una cum convulſione, & paroxyſmo conſequente, exercebat.

31. A prandio, leviſſimo vomitorio exhibito, multam viſcidamque pituitam rejiciebat.

Calendis Febr. totum diem mitius habebat, veſperi vertigo, convulſio, paroxyſmus.

2. Mediocriter agebat. à meridie mente conſtabat.

3. Veſperi vertigo, convulſio, paroxyſmus: de morte matris ſuſpicio vana, & mæſtitia.

5. Circa meridiem ad ſe rediit.

C Inter multos paroxyſmos, unus quinque horas continuabat, à quo deſipiebat uſque adeo, ut ne me quidem dignoſceret, in quo tamen nunquam errârat, inde denuo cantillare coccyſmum veterem, ſicut morbi initio. præ cibi potusque faſtidio, jam quarto die vix quidquam aſſumpſerat; rariſſime, nec niſi ſitiens vehementer, bibebat. nauſeabunda nihilominus.

8. Veſperi unicus paroxyſmus octo horas implebat, ab hora quarta, uſque ad duodecimam noctis extenſus. Ante biduum dolere ſe ſub coſtis nothis ſupra lienem, idque ab anteriori parte in dorſum uſque, querebatur, ſed rarius, exaſperari tamen motu thoracis ve-

D hementiori.

Dolor pectoris punctorius prorſus evanuerat, qui per quatuor ſeptimanas duraverat.

Dolebat & circa dextram umbilici partem profundè.

10. Unus paroxyſmus (res ſtupenda) ab ipſo meridie in mediam uſque noctem per XII. horarum ferè ſpatium totum perſeverabat.

11. ab hora quinta veſpertina ad mediam uſque noctem porrigebatur paroxyſmus.

12. Poſt meridiem ab hora 2. uſque ad ſeptimam veſpertinam intelligebat.

14. Pul. pieræ ℈ iiij. agari. trochiſ. ℈i. ſ. garyphil. ℈ ſ. cum oxymelitis ℥ i. aqua agrimonii ℥ ij purgabatur liberaliter. Menſes apparebant tantum.

15. Ratione pollebat, totoquo die, & in multam uſque noctem bene agebat, ſine paroxyſmo, qui multo tardius ſolito repetebat.

16 Theriaces ʒ. ſ. promovendis menſibus data ſine fructu. Paroxyſmus in horam IX. differebat. A

17. Theriaces ʒ. i. cum apozemate ſuo exhibita. Ceratum impoſitum parotidi, quæ in glandulis colli, ſub aure dextra, ſtrumæ non abſimilis, ante quinque hebdomadas enaſci cæperat. jam ad tactum dolebat.

Ante meridiem ſapiebat. paroxyſmus poſt ſeptimam veſperi repetebat.

18. Mox à meridie mente valebat. paroxyſmus unicus noctu, hora nona, ad duodecimam uſque.

19. Septem aut octo acceſſiones patiebatur. B

20. A prandio mens erat libera. noctu hora nona acceſſio recurrebat.

21. Acceſſiones quatuor aut quinque. ſedes ſpontaneæ tres veſperi; in lectum repoſita: vertigo, convulſio, paroxyſmus.

22. Per totum diem mediocri loco res erant, ſedes frequentiores ſolito. Dolor inguinis dextri. Abſque paroxyſmo ullo etiam veſperi. Hora decima mane, ex ſomno cum deliquio veteri, mens redibat.

23. Toto die optimè valuit, mentis compos, ſine ullo paroxyſmo. C

24. Mente prædita. animi defectus vetus, paulo ante meridiem, cum artuum contractione. Sub noctem ſimiliter.

25. 26. Sapiebat. paroxyſmis carebat. redibant tamen ſemel atq; iterum leves ſyncopę

27. Jam in ſextum diem, ſine paroxyſmo ullo perſiſtebat, mentis compos uſque in meridiem hujus diei, quo tempore in reparatum lectulum deportata: Ex leviſſima hac defatigatione. in paroxyſmum veterem recidebat, ex paroxyſmo verò in dementiam; ſenſit autem ante mediam noctem, paroxyſmos tres.

Notandum, quod præ metu ſęviſſimi illius paroxyſmi, plerumque vix ante quartum aut quintum diem lecto dimoveretur. Per multas autem hebdomadas cruribus pedibusve conſiſtere nequiverat, multo minus progredi. D

28. Ante meridiem mentem recuperabat, totumque diem à paroxyſmo immunis agebat.

29. Toto

29. Toto die bene habebat. veſperi ante mediam noctem veteri more delinquebat.

A Calendis Martii, totos dies 17. continuos animo & intellectu pollebat. repetentibus tamen interim aliquando primis illis deliquiis levioribus. niſi quod bis, dum lectus reficiebatur. trãsportatione illa defatigata, ratione excideret, nimirum ſemel per diem & noctem, altera vice per noctem ſolam.

13, Menſtruum, quod redire debuerat, intermiſit.

18. Catapotia ex hieræ ℈ ij. agari. troch. ℈ ij, dauci & Caſtorei

A ana. ℈j. ſex num. tantum, exhibita. Quibus devoratis rigebat. vomebat viſcida, & amara, ceſſabat inde vomitus. Expurgabatur tertiò, ſpumoſa ex catharrho, & bilioſa dejiciebat.

20. Veſperi ex mutatione lecti leviter laſſata in graviorem ſyncopen incidit. Poſtquam deſipiebat in poſterum uſque diem, quo, ante meridiem, ad ſe redibat.

26. Menſes apparebant. Nova paroxyſmi ſpecies cum vehementiſſima totius corporis jactitatione, & quidem frequenti, ab hoc lecti latere, in illud; aderat & ſtridor vocis acutiſſimus, quaſi ſtrangulatione præſentiſſima. Quo ſoluto, ſemper tamen mens redibat.

B vexabat iſte interdum quinquies uno die.

31. Tantæ vehementiæ paroxyſmus novus erat, caputque de latere in latus ſæpiſſimè agitabat, ut ſanguinem ori exprimeret, qui ex capite manaſſe videbatur. Eodem veſpere, lecto dimota & repoſita, ex levicula laſſitudine mente excidebat, exacerbatione ad hoc conſueta præcedente.

Ad 20. diem Aprilis uſque, eadem morbi conditio permanſit. Bis intra diei naturalis ſpatium, aliquando etiam ter, paroxyſmus redibat. putà circa tertiam, aut quartam horam à meridie, cum annotatione febrili unus: Alter circa 9. aut 10. noctu. ſed ſemper ab illis ad

C mentem redibat.

Si quando lecto auferretur quater aut quinquies nonnunquã ex laſſitudine hac qualicumque delinquebat.

Circa hoc tempus decoctum guaiaci bibere cæpit.

21. 22. Tantum ſemel, idque poſt meridiem, neque tamen hora conſueta, paroxyzabat. noctu minime.

His diebus, ſicut & 20. ſudare cæpit ſatis copioſe.

23. 24. 25. Paroxyſmis caruit, tam interdiu, quam noctu; præterquam quod 25. veſperi lecto repoſita paroxyzabat, levius tamen, ac mitius ſolito, neque ita diu. verum paroxyſmorum loco anxietati-

D bus premebatur, quas *klein Hertcheden* quaſi puſillanimitates vocabat.

A 23. die, febris, quæ poſt meridiem arreptare ſolebat, anticipare cæpit. circa. 7. 8 aut ſerius manè.

28. Sumpſit diacathol. ℥. ʃ. rhabarb. ℈ iiij, agarici tro. ℈ j. ʃ. dejecit ſpumoſa, viſcida, aquea, bilioſa octonis ſedibus.

29. Excrevit ſponte quater, liquidiora, minus crocea.

30. Quater aut quinquies dejiciebat fere lienterice.

Maij. 4. die, paroxyſmus cum jactatione capitis totiusque corporis, comitante ſtridore vocis acutiſſimo, ſero veſpere, inexpectatus omnino, invadebat.

5. Sanguinem ex baſilica ad ℥ iiij. detraxi.

14. Sub noctem paroxyſmus paulo gravior ſyncope.

16. Venam malleoli ſecui. fluxit ſanguis modice, forte ad ℥. tres.

25. Sumpta diacathol. ℥ j. dejecit ſexies. A

Junio menſe graviora illa ſymptomata miteſcere, adeoque minui cœperunt.

Tandem ſub finem menſis hujus, nulli redierunt paroxyſmi, ne tunc quidem cum lecto moveretur.

Sed toto hoc menſe catarrhus ad os fluens (quo jam inde ferè ab inchoante Januario vexabatur) infeſtabat magis, ut, quod afflueret, cava manu abjiciendum excipere cogeretur.

Julio menſe circa 14. diem febri rurſus intermittente quotidie repetente, & quidem duplici, affligi cœpit. Hac febri plurimum emaciata, immo exhauſta eſt. B

Durabat totum hunc menſem catarrhus.

Auguſto menſe circa, aut paulo poſt 4. aut 5. diem catarrhus deſinere cœpit.

Febris intermittens in continuam converſa, vires prorſus labefactabat.

Poſt idus aut 13. diem teneſmus ad frequentiſſimas ſedes, ſed irritas, cum ſummo dolore ſolicitabat.

A Calendis hujus menſis, ferè non potuit præ nimia macie conſumpto corpuſculo in clunes amplius ſurrigi, ut alvum, aut veſicam exoneraret: ſed præ imbecillitate, jacens in ſubjecta multiplicia lintea depoſuit. C

Hoc menſe tumores illi duri, & ſcirrhoſi per ſe diminui cœperunt, ut mortuæ ferè prorſus evanuiſſe viderentur.

18 Paulo poſt tertiam matutinam ſana mente, conſtanti fide in Chriſtum Jeſum, firmaque ſpe de vita cæleſti, uſque ad ſupremum vitæ halitum prædita, ex hujus vitæ miſeriis, doloribus vario longoque morbo emigrabat. Anno 1568.

Corporis habitus, & quidem ſubpinguis, quo naturæ beneficio prædita erat, uſq; ad ſolſtitium hybernum ſatis ſibi conſtabat, quamvis ſemel tantum quotidie cibaretur. D

Imo ab eo tempore incrementũ, adipemque contraxit majorem multo, quàm dum inculpatæ valetudinis eſſet. Nam à 21. Decembris meliori appetentia, quam ante præſtabat, pluresque, quàm dum ſana eſſet, cibos aſſumebat.

Durabat id per menſes ferè duos.

Ab idibus Februarii laudabilis illa, & pinguiuſcula corporis conſtitutio flacceſcere cæpit, faſtidio nempe ciborum oborto & febre quotidiana altera, quæ priori tamen mitior eſſet, per ingluviem ſuſcitata.

Qua febre convenientibus medicamentis diſcuſſa, non ita multas hebdomadas libera manſit: quin poſt Julii initium alia quotidiana, eaque duplex, ut paulo ante dictum eſt, idque errore victus (à piſculentis enim ſibi temperare nequibat) enaſceretur.

Interim nec ab heſtica febri ſymptomatica immunis fuit (quæ per A menſes plus minus ſex ante obitum apparere cæperat) etiam ut ab aliis febribus putridis liberata eſſet.

Ægrotavit menſes undecim ferè totos.

Duos primos dubiæ valetudinis, febri tamen nocturna afflicta, ſurſum deorſum itabat.

Reliquos novem, nimirum à Cal. Decembris ad ſupremum vitæ diem perpetuò affixa lecto decubuit. à quo ſponte ſua, ſuoque ſolius robore nunquam poſtea diſceſſit, immo ne erigere quidem ſe, aut pedibus, vel pauliſper tantum, inniti interea nũquam potuit; dicam amplius, ne quidem ſe in latera abſque alterius miniſterio auxilioqꝫ B convertere.

4. Calend Januarii, ad multas hebdomadas, ſæpiſſime unico die, tres, & quidem ſpecie diverſiſſimas inter ſe ſyncopas patiebatur. Nã non raro & illa tum lipothymia recurrebat, quæ ante Calend. Decembris ſingulis noctibus etiam dormientem opprimere ſolebat, idque potiſſimum quoties ad mentem reditura eſſet.

Interea quod maximè admiratione dignum, perſeverante tam longi temporis ægrotatione, immoto decubitu; per ſæviſſima illa creberrimaque ſymptomata & infinitam affectuum diverſitatem, tantasque afflictiſſimæ vitæ miſerias, nullam unquam impatientis C aut moroſi animi ſignificationem edidit; ſed beneficiorum Dei tã præteritorum, quàm præſentium aſſidua recordatione, adjuncta ſacrarum literarum lectione, & frequenti Pſalmorum decãtatione, (nam pleroſque memoria tenebat) ſuas ipſa afflictiones ſibi leniebat, animique ægritudinem ſolabatur.

Diſſecto corpuſculo, pulmonis lobos, undique thoracis membranæ firmiter annexos, ut ſine labore, aut dilaceratione divelli nequirent, eosque duris quibusdam tuberculis ſcirrhoſis omni ex parte refertos depræhendi.

Tenuia inteſtina rubicunda, velut eryſipelate quodam affecta.

D Bilis follicolum felle quodam vireſcenti tumidum.

Omentum ferè corruptum & conſumptum.

Cætera viſcera belle habebant.

Jecur colore ſubſtantiaque bona, communem tamen humani hepatis magnitudinem excedebat.

Vterus quoque, inteſtinum rectum, aut lien nihil præ ſe vitii ferebant.

De

De cauſis uterinæ affectionis.

Nulli alteri corporis parti, præterquam utero, attribui deberi immaniſſimos hos, (quibus pia atque pudiciſſima hæc virgo tãto tempore excruciata fuit) paroxyſmos apud medicos in confeſſo eſt. Galenus certe atque Aëtius præter ſenſus, motus, vocis, & ſpiritus interceptiones, etiam hyſtericis artuum contractionem aliquando accidere teſtantur. quod quo facilius credam, facit ipſa ægræ aſtipulatio, quæ de frigiditate ex imo ventre ſurgente, & cor ipſum quodammodo congelante, acceſſionis initio queri ſolebat. ſed quid in cauſa ſit, fortaſſis controverſia non omnino caret. Statuitur autem ex probatiſſimorum veterum ſententia cauſa duplex, videlicet vel menſtrui, vel ſeminis corrupti culpa. Semini major vis tribuitur, quàm menſtruo, ut toti corpori noxa afferatur. At ſi ſeminis corruptelæ, tanta Symptomatum diritas adſcribatur: unde tanta ejus copia, ut ſedecim, ne dicam viginti paroxyſmos intra viginti quatuor horas ſuſcitet? præſertim cum id ipſum etiam ſanis exiguum exiſtat, neq; tam ſæpe, ut cætera excrementa, expelli poſtulet? præcipue in virgine nunquam concubitum experta? Adde, quod tam longo morbo afflictæ in ſextum uſque menſem, priuſquam hyſtericæ exacerbationes finem facerent, tam ſobriæ, ut unico paſtu eoque valde modico, ad menſes aliquot, etiam ante decubitum acquieſceret, utpote tota præcedente morbum æſtate, in Clivia, propter exilium, patriæ calamitatem parentum pericula, mœrenti, & valetudinariæ ſemen abundare nequiverit. A B

Loco aff. lib. 6. c. 5. comp. med. sec. locos. lib. 9. cap. ult. Aëtius li. 10. c. 68.

De ſeminis acrimonia nulla eſt ſuſpicio ob habitum corporis pinguiuſculum, qualis illi à natura fuit, adeoque in otio molliter educatæ, moribus modeſtæ & pacificæ.

At Galenus minimam corrupti ſpermatis particulam tantorum affectuum cauſam eſſe poſſe, à phalangii, & ſcorpionis ictu, rabidiq; canis ſaliva, aſſerit. Quod ſi ita habet: unde tam crebra totieſque renata hujus genitalis ſucci putredo? unde tam aſſidua ejuſdem expulſio, quæ per ſex menſes, vix triduum ſine ternis quaterniſve inſultibus ægram unquam deſtituit? C

Sane tanta eſt febrilis paroxyſmi æqualitas, quanta putrefacti humoris uniformitas; quo diſcuſſo, etiam acceſſio diſſolvitur; ſimilem hiſterici paroxyſmi rationem eſſe ſtatuamus; ut, donec humor venenatus ſubſiſtat, tam diu affectus quoque ſæviat; ſed ſi cum ſingulis inſultibus finientibus ipſorum etiam materia abſumatur, aut ejiciatur: unde tam ſubitò nova colligetur? D

Quam diu phalangii, aut ſcorpii, & canis rabidi virus in corpore hæret, atque agit; tam diu quoque affectus ejuſdem ſine ulla intermiſſione perdurat continuo, neque novos facit paroxyſmos.

In febri quia concoctio, & nutritio corporis, aſſiduo recrementa quædam ſeponit; fit ut pro partis morboſæ qualitate, ejuſdem nutrimentum

trimentum, atque excrementum vitietur; vitiatumque præ imbecillitate, neque concoqui rectè, neque expelli commodè queat; ſed inhærens putreſcat, & pro putredinis ſuæ natura, hæc aut illa ſymptomata producat.

At in ſeminis conſideratione, tametſi teſtes ex continuo ſanguinis acceſſu, pro ſuo modo ſeſe alant; non tamen, quicquid poſt ſui alimoniam ſuperfluum eſt, id ſtatim omne à ſe perpellunt; ſed tanquam in meliorem uſum, utile excrementum propriis conceptaculis reponunt, & conſervant; dum vel copia moleſtum turgeat: vel
A procreandæ ſpeciei neceſſitas, ut illud excutiatur, ſollicitet. Quamobrem, qua ratione horum frequentiſſimorum ſymptomatum cauſas incorrupti ſeminis venenoſam ſubſtantiam rejicere debeam, aſſequi non commode poſſum; niſi lentam quandam, & continuam tanti temporis gomorrheam factam eſſe imaginemur. Neque enim alibi quam extra vaſa ſua, ſemen putreſcere veriſimile eſt. Vaſis autem excidere poſſe, niſi cavitate matricis excipiatur ſtatim, anatomici veteres negant. At ſi ita frequenter, vel minima particula ſeminis, in uterum illabatur; illapſa putreſcat: ſanè putrefactam tandem neceſſario ſemel utero excuti debere, veriſimile quoque eſt, ut rem,
B non tantum utero, ſed & toti corpori adeo infeſtam, & venenatam. Si excuſſa fuerit; alienam ſanè qualitatem facile ſenſibus prodet. Neque enim calore, ut in febri diſſipari poſſet, neque uterus tantum venenum perpetuò fovere volet. ſed in hac ægra nulla vel pauciſſima humiditas, nec illa quidem ingrata qualitate prædita, genitalib. (poſt finitos paroxyſmos) emanaſſe animadverti potuit, teſte ſorore aſſiduo aſſidente.

C

EPISTOLA VIII.

HENRICUS BRUCÆUS MEDICINÆ Profeſſor Roſtochienſis,

HENRICO SMETIO MED. LEMgovienſi. S.P.D.

LOngiorem eſſe, mi cognate, occupationes non patiuntur. Attamen ut me vivere ac valere intelligas, non tacendum exiſtimavi. Gaudeo res tuas ita habere, ut honeſto ſis loco, & te eum haberi,
D ut tua virtus & ſingularis eruditio poſtulat. Hæ ſunt veræ opes, quæ cum naufrago ſimul enatarunt. Et his temporibus difficilimis multi intelligunt, quantum referat aliquo doctrinæ genere inſtructum eſſe, quod agnoſcant & amplectantur homines non omnino barbari. Recte monuit Ariſtippus ejectus in littus Rhodium, cætera noſti. Gratulor profecto tibi, quem ipſum perire, ut nonnulli arbitrantur,

potius

potius beatum facit. Diogenes ille Cynicus in exilium agendus dicere ſolebat, ſe non tam egere Athenis, quàm Athenas ipſo. Artem quævis alit terra. Poſſuntque tui ſimiles ubique locorum vivere, (quo magis æquo animo ferenda eſt hæc calamitas) & oſtendere forti viro ubique locorum eſſe locum. Expecto ſcriptum tuum, Naturas morborum eſſe Medicos. Aliquid otii tribue, vel aliquid noctis uxori ſurripe, quod huic perficiendo impendas. Nolim tamen hoc nomine apud uxorem tuam male audire. In annum potius differri velim. Sed tamen abſolve, mihi crede erit gratiſſimum. Bene vale & me mutuo ama. Roſtochii 14. Maij, Anno 1569. A

EPISTOLA IX.

HENRICUS SMETIUS MED. LEMGOVIENS.

HENRICO WIERO MED. ELECT. Trevirenſis. S. P.

De hæmorrhagia per anum: B

De animalibus actionibus omnibus in ſene ſeptuagenario graviter læſis:

De parotide infantuli in magnum abſceſſum verſa, curatis.

SI vales, præſtantiſs. Wiere, gratulor. Ego hic cum familia jam tota, Chriſti gratia, mediocriter valeo. Reverſurum iſtuc conſulis noſtri filium, licet nihil à te literarum mihi attulerit, mearum tamẽ prorſus inanem dimittere nolui: ſi modo (quando alia deſunt) de C artis communis operibus tecum pauliſper colloqui non ſit ingratū.

Reinero Donopæo viro nobili quadragenario, à multis difficilibus longisque morbis reſtituto, nuper admodum copioſus ab alvo ſanguis fluebat, ut intra ſecundum diem ſex libras ponderales adæquaret. Perſcripto ad me ſymptomate, remedium rogor. Etſi autem læſam partem, ſuperiora ne, an media, an vero inferiora inteſtina affecta eſſent, ex ſcripto dignoſcere nequirem: ne tamen conſilio carerent, revulſionem frictione atque ligatura brachiorum fieri jubeo, una cum rerum aſtringentium per ſuperiora ſumptione. Poſtridie ad ægrum accerſitus, circumſtãtiis examinatis, hæmorrhoïdem, D balani ex concreto melle ſuppoſiti uſu, in recto inteſtino recluſam depræhendo. Sanguis enim ſincerus, incontaminatus, grumoſus, flaveſcens (non nigricans, qualis ab ani venis prodire ſolet) frequentiſſimè excernebatur: ut ſeſqui die, plures quam triginta puri ſanguinis excretiones decederent. Quinetiam tandem ſyncope cum vomitu

mitu multo corripiebat. Depræhenſo loco affecto, medicamentum emplaſticum cum aſtrictione modica injici mandabam, leniſſimè tamen, ne inteſtinum rectum prætervcheretur. Quo facto, ſuaviſſime totam noctem quieſcebat æger, nulla excretione ſollicitatus. Poſtridie reddebat infuſum, cum fecibus compactis, nulla ſanguinis nota apparente. Surgebat, ambulabat, redibat ad conſueta munia. Stupebant ſubitæ curationis, hisque hominibus inauditę, miraculo, aſſiſtentes, quod copioſum, cumque vitæ periculo conjunctum hoc profluvium, eodem ſuppreſſum modo viderent, quo alvum provo-
A cari ſolitam, aliquando audierant: multumque ne peſſimè res caderet, metuerant: putà quibus vel clyſteris nomen, propter imperitiam, eſt abominandum.

Alius circa idem tempus, ſed patritius, ſeptuagenarius Hermannus Corveius, poſt nimiam auſteriuſculi vini exſorptionem, in mentis alienationem incidit, ut memoria cum ratione, immo ſenſu communi inſigniter oblæſæ eſſent, adeoque nec potum, nec alimentum ſui oblitus poſceret, aut admitteret inſomnis tamen. Motus erat in lecto utcumque integer. febri carebat, ſermone deſtitutus. Dixiſſet quis catalepſi non abſimile fuiſſe. Transacto ſic xxiv. horarum in-
B tervallo, ad mentem redit, oblitus affectus ſui, eorumque omnium, quæ illi acciderant. Aliquot deinde horis elapſis recrudeſcit malum. Occupat dies tres continuos, priori omnino ſimile, ſine febri, cibo, potu, ſermone, intellectu, memoria, interim tamen movendi facultate in lecto ſalva. Senſerat antea vertiginem quandam levem, cum palpitatione ſubter univerſam cutem diſcurrente. Vrinæ erant albæ tenues aquę. Vocatus ego ad ęgrum pro revulſione Clyſterem ſuadeo. Deteſtantur remedii genus aſſiſtentes. Saltem glandem, cum frictione admittunt, donec ægroto mens redire incipiat. Tum demum mihi ægro conſentiente: licere quidvis, pactis ſcilicet, cum
C morbo & morte, tanti temporis induciis. Quid facias? noſti ineptias populi. Impetro cathartici licentiam & cucurbitarum ſcarificatum. Redit rationis facultas. prodeunt urinæ ex rubro nigricantes per dies ferme octo continuos. Reſtituebatur itaque ſanitati priſtinæ.

Infantulo necdum anniculo, nobilis viri Chriſtophori ab Amelonxheim filiolo, verno tempore, an. 1569. parotis frigida, ſub aure ſiniſtra, ſuccreſcebat tardè admodum. Diſcutere tentabam. ſed fruſtra. Suppurationem promoveo menſe Majo. Maturum abſceſſum ſcalpello pungo. Effluit pus coctum, ſed ex virore albicans, ad ſelibram paulatim. Injecto per catheterem lactis ſero, ſinum eluo bis
D aut ter. Extrinſecus emplaſtra ex diameliloti, & diachalcitidis pari portione impoſito, regenerata ſic carne, impleto, glutinatoque ſinu, intra xiv. dierum ſpacium complebatur curatio; mira naturæ induſtria. Hæc ne nihil ſcripſiſſe dicar, occurrebant. Siquid & tibi in artis operibus rari obtingat, viciſſim communicare memineris. Vale in Chriſto, vir ornatiſſime. Lemgovii 5. Cal. April. 1570.

Sed heus

Sed heus, mi wiere, eſt apud weſtphalos affectus quidam die varen vocatus. Item alius dat wietske dictus, omnibus ſemper in ore: hoc ego malum ad ephemeras, ob bilis motum, in eryſipelas aut herpetem terminantes: illud ad flatuoſum diſcurſum per corporis muſculos retulerim, de quibus quid tu ſentias (multum enim ingenio tuo defero) & quo artis nomine donandos putes, ſcire deſidero. Iterum vale.

EPISTOLA X. A

HENRICUS WIERUS MED. Electoris Trevirenſis.

HENRICO SMETIO MED. Lemgovienſi. S.

De endemio inter VVeſtphalos affectu, Die varen, ſententiam exponit.

SErius tuas, mi Smeti, accepi literas, eò quod cum familia Confluentiam migrarim: quò Electoris Treverici, & variis vicinorum principum ſtipendiis illectus ſum. Plurimum verò mihi placuit, quod ſubinde ad me ſcribas, & in argumenti penuria, de re medica mecum colloquaris. Gratiſſimæ enim mihi ſunt doctorum hominũ eruditæ converſationes. Ego ſi, quid à me expectes, mihi conſtaret: non committerem reſponſum meum à petitione tua anticipari. Verum etiamſi non mihi aſſumam, quod ex cæca tui in me amoris perſuaſione, meo defers ingenio: tamen ut intelligas propẽſam meam ad gratificandum tibi voluntatem: enodare conabor aliqua ex parte dubitationem illam, quam in ultimo epiſtolæ tuæ membro proponis: Quæris autem quinam ille ſit affectus, quem weſtphali patrio idiomate *varen* nominant, & quo artis nomine donandum putem Ego & parens meus, ſæpius de iſto morbo conſultavimus: ac illud conſecuti ſumus, ut ſcriptum quoddam confecerimus, quod forte ſuo loco & tempore aliquando in publicum prodibit. Te verò, quia communis utrique es amicus, noſtram ſententiam latere nolo: ea tamen conditione, ut viciſſim communices, ſi quippiam præter quam nos, obſervaveris: quum malum ſit apud weſtphalos veſtros endemicum. Nomen ipſum derivatur, ab inſeparabili proprietate ægritudinis: quandoquidem, *varen*, patria lingua ſingulare quoddam Lumbricorum genus ſignificat, quod epitheto (*Lopende*) inſignitur, ac ſi dicas, diſcurrentes vagantesque vermes. Nam prodit ſe morbus, cum vagis doloribus, ſubinde calidis, valde excruciantibus, in omnibus corporis membris, potiſſimum verò dorſo & lumbis primumque unam invadere ſolet particulam, verbi gratia, manum, deinde

inde celeri motu, proſerpendo per brachia, totumque corpus: plerumque tamen unum duntaxat membrum (quod per intervalla excruciat) obſidere comperitur. Species doloris, ab ipſis ægris conſtituitur exedens, ac corrodens, taliſque, qui vermiculum, muſculos & alias partes ſubitò, & nonnunquam momento variis ſimul locis permeantem, ac depaſcentem arguere videtur.

Morbi differentias ſtatuimus duas: quarum prima cum tumore circa dearticulationes copulatur: quæ ubi perſeverat, prodit tandem plerunque maculas & lituras, Scorbuti notis non valde
A diſſimiles: quas ſequuntur aliquando apoſtemata circa pedes curatu difficilia. ex quibus vermiculi ad formam Aſcaridum educi plerunque videntur: eaque tandem in malignas fiſtulas degenerant. Altera differentia expers eſt tumoris. Sed cum priori tamen participat dolorem.

Interim peculiarem habet, corporis maciem extremam, & quaſi Maraſmoden: cum qualicumque articulorum impotentia conjunctam. Atque hæc ſpecies curam facilius conſequitur. In utraque ſpecie iſtud eſt commune, quod nocte dolores urgeant moleſtius: quemadmodum in lue Hiſpanica, quod ſomnus ſit in-
B quietior: licet pleriſque etiam nihil moleſtiarum faceſſant vigiliæ: quod ægri quandoque nullum patiantur appetitus detrimentum. Interim tamen indies magis ac magis macici ſqualore deturpentur.

Apud Græcos aut Arabas, non eſt aliqua morbi ſpecies, quæ cum hoc malo congruat. Erunt tamen fortè nonnulli, qui ubi legerint tractatum noſtrum, putabunt varos hoſce, eſſe Græcorum Dracontios: quorum meminerunt Galenus, Ægineta, Plutarchus & alii: ut quoque Savanarola. verum longe aliter ſe res habet, ut ſuo tempore publicabitur. hæc enim tamquam per indi-
C cem tibi exhibeo. Dracontium tamen putamus eſſe venam medeni Avicennæ, & eundem morbum, qui ſuperioribus Germanis *mitteſſerend* nominatur: etymo forſitan de ſumpto, à *mit* aut *mitten eſſerend*: quod ſonat ſimul, vel per medium depaſcens.

Aſt nihil commune cum noſtris habet varis. Proinde concludimus, hunc morbum, nec á veteribus, nec à modernis deſcribi: nec ad alia genera referri poſſe: niſi quæ poſtea irrepſere, & nova dicuntur.

Cauſas huius luis per viam analyticam, tum ex differentiarum natura, tum ex propriis ſignis, tum ex curationis methodo, conſti-
D tuimus ita, ut putemus, materiam morbi immediatam eſſe tenuem, in omnium humorum ichoribus, virulentam etiam, eamque fundari in nervoſo genere, ſive mavis perioſteon, ſive membranas, ſive nervos maſculis inſertos. Non vero flatuoſus eſt diſcurſus per muſculos corporis, prout tu conjicis.

Signa & prognoſtica propter brevitatem omitto, & curam uniuerſalem.

Bezoarticum huic malo remedium præſtant Lumbrici terreſtres: quorum collum anulis cingitur: quique plebeio ſermone **Dawworme** nuncupantur. Ex quibus ii potiſſimum conueniunt, qui in fimetis ſolent inueniri. Non crederes, quales effectus, quamque ſtupendos, ego & parens meus, ex hoc remedio conſecuti aliquando ſimus. Triduo aut quatriduo ſæpe curauimus varos. Quandoque conficimus ex iis potiones ſimplices, quandoque cum aliis decoctis colamus. crebro addimus aliquid theriacæ & croci. Ignoſces quod non ſcribam exacte ſingula. nam tempore excludor. Morbum hunc in Ditmarſia vocant, **die Radden**. Topica etiam habemus remedia. Et hæc de varis quaſi per tranſennam tibi. A

Malum autem, quod ſcribis vocari **dat wietsken** / ſub tali nomine mihi eſt ignotum: verum ſi mihi ſignifica veris ſymptomata, & indicia morbi: videbo vt iſtum etiam ſcrupum tibi euellam. Puto tamen conuenire cum Germanorum **nachtsgreiff**.

Rara forſitan tibi in noſtra arte potuiſſem annectere vt petis. ſed tempus præpedit voluntatem. Alias ſarciam. Saluta uxorem tuam, meo nomine. Confluentia Calend. Maii 1570.

NOTA. B

Prodiit tandem ſcriptum illud (cuius paulo poſt initium epiſtolæ huius ſpem fecerat) & quidem Germanicè, cum titulo, **Artzneibuch von Doct. Johan. Weyer/ von etlichen bishero onbeſchreibenen kranckheiten / vom Schurbauch/vom varen/** Draconciis, **Maden/Nachtgrif** &c. **gedruckt in** 8. **zu Franckfurt bey** Nicol. Baſſæum. 1588. Cuius tractatum de varenis agentem, Latine conuertimus, vſuique Lectoris accommodatum hic ſubiunximus.

C

EPIST.

EPISTOLA XI.

TRACTATVS.

IOHANNIS WYERI PRINCIPVM Cliuenſium Archiatri de VARENIS morbo Endemio Weſtfalorum permoleſto, ex Germanica lingua Latio donatus.

A SIcut antehac de Scorbuco feci; ita & nunc de mirabili quodam grauique morbo (qui miſerandis ſymptomatibus coniũctus, hactenus equidem ignotus, ideoque nullam curandi methodum certam adipiſci potuit) quid ſentiam, exponere decreui.

Morbus iſte à Germanis, præſertim vero weſtphalis (inter quos maximè graſſatur) voce Teutonica **die Varen** appellatur, Nos Latinè varenos (ad differentiam varorum) dicamus; quos Ditmarſi Danis contermini, eidem malo valdè obnoxii vocant **die Radden.** Brunſvvicenſibus, **die gutte Rindern**: Gottingenſibus, **die gutte Holden** nuncupantur.

B Origo nominis **Varen** / à quodam verminum genere ſic dicto fluxit, ſubinde tamen cum adiectiuo **die lauffende Varen** uocatur: quaſi dicas, currentes varenos.

Prodit ſe affectus iſte, cum latè vagantibus, calidiſque aliquando doloribus, per omnes corporis partes, præcipuè autem ſpinam dorſi & lumbos; ſoletque à parte aliqua primum initium capere: Verbi gratia, à manibus, progrediens celeriter per brachia, totumque corpus. Deprehenditur tamen ſubinde in vna aliqua ſolummodo parte radices egiſſe; & in illa nonnunquam cum cruciatu moueri, in modum morbi articularis, ex tenuis materiæ defluxu naſcens. Sicut
C etiam in illo morbo apparet, remittentibus ſe pedum cruciatibus, mox ſurſum in humeros dolores rapi, in quibus vbi deſierint, in manus deſcendere. Fitque hoc modo mira quædam & cita ſurſum deorſumque per membra factarum diſcurſionum viciſſitudo, Proprietas doloris, eſt edenti aut rodenti ſimilis, inſtar vermiculi, qui muſculos aliaſque partes vehementer, imò interdum quaſi in nictu oculi, ad loca afflicta prorepere, & arrodere videtur.

Huius luis ſunt duo genera; vnum cum tumore articulorum, quo diu durante, ſequuntur aliquando maculæ, quales in Scorbuco, quæ nonnunquam abſceſſus aut vlcera pariunt, potiſſimum circa
D pedes, quæ ſanè valdè difficulter ſanari ſolent. Ex quibus & vermiculi quidam exiles (licet rariuſculè) apparent. Deinde id periculi accedit, quod vlcera talia interdum velut carcinomata magis magiſque erodendo augeſcant. Acciditque ſubinde, vt vniuerſa huius tenuis, praui, & virulenti humoris moles, in partem aliquã decubitu facto, erumpat, vt (reliquo corpore, omnis tormẽti exper-

te) abſceſſus ſubnaſcatur, in fiſtulam tandem tranſiens. A quo diſcrimine præſervari poſſunt, quicunq; conſilio ſalubri tempeſtivè obſequuntur.

Alterum huius luis genus eſt, ut (quamvis omni tumore careat) cruciamina tamen priori æqualia, manifeſtam totius corporis atrophiam ſecum trahant, in morem phthiſeos, cum debilitate & membrorum laſſitudine. Retinent nihilominus ambo hæc genera tantam communionem, ut per noctem dolores ingraveſcant, ſicut in morbo Gallico, ſomniq; ſint inquieti, licet vigiliæ quibusdam non ita magnam moleſtiam faceſſant. Imò evenit aliquando, ut A hoc malo affecti nullum appentiæ edendi detrimentum patiantur: interim tamen quotidiè magis magisq; extenuentur.

Quærat autem quiſpiam: an nullus antiquorum admirandi hujus morbi meminerit? Reſpondeo, Græcis ignotum prorſus fuiſſe, multo minus deſcriptum, quamvis quidam dracontios objecerit, à Galeno lib. 6. loc. aff. cap. 3. ita deſcriptos, ut quodam Arabiæ loco cruribus hominum, forma, craſſitie & colore minutis vermibus ſimili illos innaſci tradat, confeſſus tamen ſibi nunquam conſpectos. Paulus Æginera Medicus & ipſe Græcus lib. 4 cap. 591 exactius dracontios deſcribit, ex Sorani tamen, Leonidæ aliorumque teſtimonio magis, quàm experientia ſua: & quidem his verbis: In India & B ſuperioribus Ægypto locis, dracontii generantur, ceu animalia quædam lumbricos imitantia, in partibus muſculoſis, putà brachio, femore, tibia: In pueris etiam latera ſub cute perreptant, & palàm moventur: Deinde cum diu extremum aliquod dracunculi remanſerit, locum ſuppurat, & cute ipſius adaperta, initium ipſius progreditur: cum trahitur, dolores movet, præcipuè abruptus. Quapropter nonnulli dicunt, plumbeam molem ex Dracunculo ſuſpendendam, ne vniuerſim, ſed particulatim molis pondere decidat: Alii verò hos damnant: quod nihilo magis pondere C molis plumbeæ dracunculus abrumpatur, & dolores varios concitet. Iubent partem in aquam dimitti calidam, quo Dracunculus tepefactus foras prorepat, deinde digitis ipſum membratim extrahere. At Soranus neque animal prorſus, ſed nervoſi cuiuſdam ſubſtantiam eſſe putat, quod opinionem motus ſolum præbeat. Sive autem hoc ſit, ſive quod prius dictum eſt, Sorano & Leonidæ aliisque viſum eſt, &c. Simili modo Aëtius tetra lib. 4. Serm. 2. cap. 8. ex ſententia Leonidæ. Facit & luis huius mentionem Plutarchus cap. 9. Sympoſii octavi. Inter Latinos autem Savonarola in cap. de vermibus ſic ſcribit: Stercus bovillum oleo & melle permiſtum, inunctumque eliciendis vermibus prodeſt. Aſſerunt & quidam, ſi eodem unguento, dorſi ſpina perlinatur, fore, ut multorum vermiculorum capitula per locum delibutum ereptantia ſpectentur quæ ſi præcidantur, ægrotantem adiutum iri. Cui tamen D rei vix ego fidem adiungere auſim, licet rem ſibi viſam aſtruentibus

tibus

tibus. Videturque inde, morbum Græcis dracontium, Latinis dracunculum dictum, ab Avicenna Arabe Venam Medeni, ab Haliabbate Venam ſanioſam, à quibuſdam venam civilem appellari. Ego autem judico, affectum hunc, illum eſſe, qui ſuperioribus Germanis, **Miteſſeren** vocitatur; *Etymo* puta hinc ſumpto, **daß es mit oder mitten eſſe oder nage** / quaſi ſimul vel intus edens aut rodens. Nurenbergæ nominatur **die dürre maden** / id eſt, vermes ſicci. Aliis dicuntur, **zehrende würme** / quaſi conſumentes-vermes; eò quòd puerorum corpora, inde malè affecta, contabeſcant. Eſtque
A communis apud Germanos in pueris, abſque cauſa nota tabeſcentibus de tali morbo ſuſpicio. Ideoque hypocauſto inferuntur, in quo ubi modicum ſudarint, humeri polline triticeo, melli commiſto, perunguntur, & poſt horæ quadrantem, plurimi vermiculi tenues vivi prodeunt, qui novacula præſecantur. Elapſis inde diebus octo, perlinuntur itidem in hypocauſto brachia & pedes, & ereptantes Vermiculi ſimili modo decapitantur.

Neque eſt iſtud fictitia fabella; ſed res veriſſima, atteſtante id multis in locis experientia quotidiana, licet illud nec Galenus viderit, neque Savonarola credere voluerit. Neque mirandum tam
B paucos, tamque inconſtanter de dracontiis ſcripſiſſe; cùm res adeò fuerit pauculis cognita: Imò æquè antiquiſſimis, ac hujus ſeculi ſcriptoribus ignota, præterquam quod quidam eorum, vel ex aliorum relatu, vel transſcriptione ex aliorum monumentis in libros ſuos redegerint. Commemorat in Saxoniæ hiſtoria Albertus Crantzius, Henricum Quintum Imperatorem morbo illo, quem dracunculos appellant, ipſique congenitus fuerat, extinctum eſſe, anno 1125.

Quod autem affectus nobis propoſitus, quemque Varenos dicimus longè alius ſit à dracontiis, aut Miteſſerenis, dignoſcent per-
C facilè illi, qui ex veterum teſtimoniis, varenos hoſce noſtros cum dracontiis, aut Miteſſerenis conferre velint; præſertim cum proprietatem morbi, aut curandi rationem penitius inquirere ſtudebunt.

Rectè quidem Miteſſerenos Germaniæ ſuperioris, celeberrimus chirurgus Albucaſis cap. 94. lib. 2. deſcripſit, dicitque appellari quodam in loco bovinum morbum, eò quod boves tali ſæpè infeſtentur. Deinde capite ſequenti, denotat varenos noſtros ſub nomine Nekir. Verùm quamvis morbi deſcriptio adſit; eſt nihilominus apud nos longè diverſa morbi curandi methodus. Similiter Guilielmus Placentinus praxi Chirurgica clariſſimus, amborum affectuum cum
D diſcrimine duobus poſterioribus chirurgiæ ſuæ capitibus meminit. Leonardus quoq; Bertapalia Chirurgiæ peritiſſimus, obiter morbum hunc attigit in capitulo de flatibus vagabundis: Sicut & Avicenna quondam noviſſe eundem videtur, lib. 4. fen. 3 tract. 2. cap. 19. Poſtremo quoque Cardanus in lib. de Meth. medendi ſect. 4. cap 5. in quo agit de diſcurrentibus errantibusque doloribus.

Ut ut ſit, poſteaquam omnia tam obſcurè, adeoq; ſine methodo curativa ſcripta ſunt; laborem hunc mihi à prædeceſſorib. relictum video; ut originem, cauſamque hujus affectus perſcruter, rectamq; curandi viam commonſtrem. Interim non invidebo, ſi qui id dexterius me præſtare poterunt, quibus tamen gratum eſſe debebit, ſibi per me ſemitam præparatam fuiſſe.

Prius tamen quam rem aggrediar, alterius cujuſdam ignoti, & portentoſi morbi (qui territorio Trevirenſi, viciniſque locis vulgaris, der nachgrifft / quaſi nocturna comprehenſio dicitur) mentionem facere volui. Symptomata autem notæque, quibus proditur, ſunt acerbiſſimi cruciatus, unam aliquam partem ſubitò corripientes, quale eſt dorſum, comprimis tamen coxendices. Quò fit, ut imperitiores Iſchiadicum eſſe ſuſpicentur, qui in ſuperiore femoris junctura gignitur, propter ſimilitudinem dolorum ambarumque partium. Perſuaſa quoque plebecula eſt, veſtigia quædam eſſe cruenta 3. aut 4. impreſſorum digitorum, quod tamen falſum eſt, neque diu durat. Animadverti verò debet, quod ſi malum negligatur, ſubſequi ſoleat, aut femoris aut cruris atrophia, vel extenuatio, ut robur movendi amittat. Creditur autem tantundem temporis ad curationem requiri, quantum ſuccreſcendo impendit morbus; verùm methodo omni caret ejus curatio. Quandoquidem in ſuperſtitione educata plebs, ſi quis ita ægrotet, refugium habet ad excantationes & exorciſmos, quibus peragendis non tam properè ſacrificos, quàm rudes & idiotas quoſdam ruſticos, hac in re famoſos (quos etiam antiquis Marſis ea propter comparare poſſis) adhibere conſueverunt. A B

Hoc autem ordine peraguntur. Ante omnia cingulum ægroti, quo cingi quotidiè ſolitus, nudo ejus corpori ſecundum longitudinem ac latitudinem pro conſuetudine, circumdatur; quod deinde ademptum clavo appenditur his verbis: Ego te precor Domine Deus, per trinas virgines; Margaretam, Mariam Magdalenam, atq; Vrſulam; ut in hoc ægroto ſignum exhibere velis, an morbo nachtgrifft vocato, aut alio defectu ſit afflictus, in nomine patris, filii & Spiritus ſancti. Poſt horum prolationem verborum, cingulum clavo detractum metiuntur; quod ſi brevius quam prius fuerat, reperiatur; colligunt inde certò, morbo illo nachtgriff putato, ægrum premi; ac demum ad auxilium ferendum ſe accingunt. Sin autem ægrotans precari aut neſciat, aut nolit; tunc vetula ad hoc conducitur, cui aliquot precatiunculas dominicas & ſalutatiunculas angelicas certo numero admurmurare mandatur per totidem dies, quot morbus durârit. Neque quicquam ſub vitæ periculo deeſſe præſcripto numero debet. Cum autem nachtgriff etiam à Comitiſſis aliiſque prudentibus piiſque hominibus in illa regione, uſu lumbricorum terreſtrium, quos pieren & regenwurm nuncupant, curari intelligam: inde ego conjecturam facio, C D

nacht-

nachgriff/ quandam noſtrorum varenorum ſpeciem eſſe; prout ex curatione deinceps latius certiusque cognoſcetur.

De cauſis varenorum.

Cùm jam ex ſupradictis quilibet cognoſcere poſſit, me in hujus argumenti tractatione, nullius nec antiqui nec recentioris auctoris opera juvari poſſe: Decrevi methodo analytica cauſas hujus luis inveſtigare, partim ex collatione cum proximè agnato affectu facta;
A partim etiam ex proprietate & permutatione ſignorum; maximè verò ex curationis conſideratione.

Primò itaque ſtatuendum, materiem hujus mali eſſe tenuem & ſubtilem; Et quidem hoc argumento; Quod quicquid citò fit, & citò perit, ex tenuitate & ſubtilitate materiei originem ducere debet. Quæ propoſitio adeò eſt certa, ut ulteriori demonſtratione non indigeat: Quamvis Galeno noſtro id adverſetur, contendenti contrarium aſtruere, dum ex concepta ſemel opinione docere conatur, magnum illum gravemque morbum caducum ex craſſa materia generari. Cujus ſententiæ ſi locus daretur; multa abſurda neceſſa-
B riò ſequerentur: Quippe quò craſſior eſt materia, eò plus temporis ad ſui coacervationem & longiorem moram ad curationem requirit, antequam à natura ſuperari poſſit; quod jecoris ſplenisque obſtructiones clarè docent; ſicut & febres quartanæ; durique tumores frigidi, & ſimiles. E contrario, quo tenuior ac ſubtilior materia eſt; eò minus temporis ad morborum generationem & curationem opus eſt. Exemplo ſunt affectus omnes ex flatu, aut flava bile, aut alio tenui humore, aut à vaporibus exorti. Teſtanturque ſpeciatim iliaci colicique dolores, ſpaſmi, incubus, Epilepſiæ, ſuffocationes ex utero, Eryſipelata, tertiana febris pura, ſimilesque
C alii morbi, qui vel à natura ipſa, vel medicinæ adjumento (cum materia talium affectuum ſubtilis omninò exiſtat) admodum citò expelluntur. Ex quibus facilè colligitur, & irrefragabiliter concluditur, cauſam materialem hujus mali non craſſam; ſed tenuem ſubtilemque humiditatem eſſe; quæ facilè in flatum reſolvatur, qui deinde irrepit in muſculos, diſtendit, contrahitque eoſdem, perinde ac ſi eo loco Ulceroſi eſſent; unoque momento per multa membra huc illuc vagantur, & ſicut invaſio inexſpectata prorſus, ac vehemens exiſtit: ita quoque celeriter cedit: alioquin materia non tam expeditè ſudando expurga-
D retur.

Interim tamen & hoc ſimul ſcire oportet, non omnes tenues humores æquè comparatos: ut tam dolorificos affectus ſuſcitent: ſed occulta quædam virulentia concurrere debet, quod anxietas magna, cum reſpirationis difficultate, membrorum ſubita debilitate, & vitalis facultatis lapſu (haud aliter, quàm

ſi æger Venenati quid hauſiſſet) ſtatim in primo aſſultu manifeſtant.

Præterea obſervavi, omnibus remediis huic morbo deſtinatis, antidota admiſceri qualia adverſus Venena luemque peſtilentem propinari ſolent. Item Venenum iſtud ſudando magna ex parte disſipari; imò morbum hunc vehementer purgantia, ſine detrimento corporis evidenti, ferre non poſſe; ſed clementia ſolum, idq; hanc ob cauſſam, quia noxius humor facillimè commovetur, & ad irrequietam rabiem rurſus irritatur.

Poſtremò judico hujus mali ſedem eſſe in nervis, qui muſculis aliisque cognati generis partibus, tendonibus & ligamentis communes ſunt; in quos tenues illi, ſubtiles, vaporoſi & venenati humores ſe inſinuant, idque ex natura affectus patet; qui pungendo, rodendo, eum in modum adoritur; ut imperitus aliquis Medicus, multò certiùs ægrotantem inſania, aut melancholia laborare; quàm tam intolerabilibus cruciatibus affligi exiſtimaret; Deinde ex eo: quòd dolores maximâ ex parte in dorſo, lumbisque, ſub quibus medulla ſpinalis ſe producit, excitantur; necnon, quod vis motiva læditur; Et poſtremò, quod tales ægri juventur pharmacis, quæ nervos corroborant. A B

De ſignis hujus Morbi.

Signa hujus morbi, partim ex antedictis, partim ex mox dicendis deſumi poſſunt. Et primò quidem, ex curationis modo; potione nempe ex vermibus parata, quam pòſt deſcribemus. Si enim tali potione curatur affectus, pro certo habeto eſſe Varenos. Vermes namque iſti, pro peculiari hujus morbi theriaca, aut antidoto æſtimantur: Sin contrà ex vermium potu nihil levaminis ſentit æger; judicio eſt, Varenos non eſſe: Secundo ex Vermium applicatione: Si enim Vermis loco affecto impoſitus, vel etiam plantis pedum ſubligatus, ſtatim vel emoritur, vel conſumitur, vel exareſcit; opinantur etiam inde quidam Varenos eſſe. Sin contrà eveniat; non eſſe talem affectum. Tametſi hujus rei periculum ego nondum fecerim. C

Prognoſticum & præcautio.

Sicût ſupra de ſcorbuco dixi; ita & modò de Varenis dico, hæreditarios eſſe; & à parentibus in filios tranſire & innaſci; videntur quoque eſſe contagioſi. Attamen ego opinor, id potius communi victui cibi & potus attribuendum, quod interdum univerſa familia uno ſimilique morbo correpta & infecta exiſtat; Quin etiam, niſi malo huic ordinariis remediis tempori occurratur; in longum certè tempus; imò in multos menſes atque annos, miſerandos cruciatus extendere poterit. D

Victus

Victus ratio.

Quod in aliis omnibus morbis uſitatum, & ab antiquis benè traditum; ut circa curationis initium victus ratio inſtituatur; id ipſum & hìc faciendum eſt. Illa autem eſt duplex: Una ab omnibus hoc malo correptis in genere obſervari debet. Altera pro ſymptomatum diſcrimine in ſpecie accommodanda venit. Quantum ad priorem: vitanda in univerſum omnia craſſi ſucci, & coctu difficilia cibaria: Item omnia pinguia, & quæ ex lacte parantur, & pultes
A avenaceæ & ſinapi, nec non ova. Licet ova me judice minimè ſint prohibenda.

Potus eſto bona, ſuavis, benè cocta & probè defæcata cereviſia, & quæ non ſit potens, ut in caput vaporet, neque ſit acida. Aqua hordeacea non eſt inutilis; cui ſub finem coctionis, pauxillum exquiſiti cinamomi injectum fuerit; præſertim ſi quid caloris præter naturam adſit: Alioquin vini albi oligophori hauſtus ſubinde utiliter ſumi poſſet, quod tamen maturum limpidumque ſit, neque caput petat.

Præterea pro ſymptomatum diſcrimine, ut modò dictum, regi-
B men mutari oportet: Quippe ſi quis tumor ſimul appareret; tunc aſſis cibariis, & quicquid eſt ſiccum actu, aut ſiccandi vim habet, uti decet; modò tamen boni ſucci exiſtat; idque putredinis cauſa, quæ in humoribus membra ſubeuntibus, tumoreſque generantibus deliteſcit. Si verò fortaſſis ægrotus gracilis, aut extenuatus eſſet, tunc ſanè humidiore, boni ſucci alimento, & probè nutriente utendum; quò uberius refici queat. Verùm in diæta præſcribenda diutius immorari nolo, putà quam artis peritus Medicus per ſe pro circumſtantiis, & diſcrimine locorum accommodare ſciet.

C

De peculiari Curatione.

Præcipuum & præſtantiſſimum Bezoar aut antidotus venenatæ hujus & permoleſtæ luis, latet abdita in legitimo horum Vermium uſu, quos Belgæ **pieren** & **dawpieren**/ alii & **regenwurm**/ quod ſonat vermes roſcidos aut pluviales, item **erdtwurm**/ id eſt, Vermes terreſtres, & officinæ lumbricos terreſtres vocant, ex quibus oleum lumbricorum parant, de quibus Dioſcor. libr. 2. cap. 61. Et ἔντερα τῆς γῆς, hoc eſt, terræ inteſtina nominat. Inter quos præcipui ſunt illi, qui anulis rubicundis collum inſignitum gerunt; comprimis verò, qui in cœmiteriis, & circa ſepulchra reperiuntur. Multi
D autem ſuper tali facultate lumbricorũ eò magis mirabuntur, quod veteres horum vermium virtutes tam paucis perſtrinxerint: quod tamen majori pro parte per negligentiam ulterioris conſiderationis accidit in illis, qui quarumdam rerum abditas proprietates (quarum cauſas inquirere deberent) eruere impoſſibile eſſe ſibi perſuaſerunt. Quamobrem ego tantò libentius Vermium horũ terreſtrium vires

vitæ humanæ utiles, ex multiplici eorum operatione, quum diuturna experientia obſervavi, in lucē proferre & deſcribere conabor.

Primùm enim excellentem urinas movendi virtutē habent, teſte Dioſcor. ipſo, loco paulò antè citato; quod inde patet, ſi cum pullo aut carnibus coquantur, & juſculum bibatur, ſupra fidem urinam pellit, præſertim aſparagi aut fœniculi radiculis ſimul incoctis. Quo remedio pueros aliquot alioſque ab hydrope liberatos novi. Neq; hoc ignoravit Dioſcor. & Galenus lib. xi. ſimpl. cap. 39. Scribunt enim, inteſtina terræ ſeu lumbrici terreſtres, ſi contundantur, & in mulſa bibantur, urinam diu ſuppreſſam propellere. A

Secundò non ignaviter ſudores cient; ſi mòdò rectè præparati uſurpentur; quod in hoc morbo evidens fit. Memini enim liquorem ex his lumbricis deſtillatum, hydropicis quibuſdam ſudorem adeò provocaſſe, ut hoc modo à tumore liberati, tandemque ſanati fuerint. Et quanquam liquor iſte gravem odorem ſpiret; eſt nihilominus ſapor nō ingratus, poteſtq; interim odoris inamœnitas pauxillo aquæ cinamomi affuſo mitigari, aut herba fœniculi ſimul deſtillari.

Tertiò ſingulare donum habent aperiendi, & hepatis obſtructiones tollendi, teſtante id experientia quotidiana, in decoloratis & arquatis, in quibus efficaces valdè exiſtunt, ſi quando purgati, probè- B que loti, in mortario lapideo contuſi, cum liquore ex floribus geniſtæ, aut marrubii, aut ex corticibus fraxini, aut ex urticis minoribus ſtillato, vel cum vino albo, aliove utili humore percolati fuerint, cumque modico ſaccharo, cinamomo & croco, potu calefacto aſſumantur. Aut rurſus ut nequaquam ægri abhorreant, poteſt ex illis pulvis fieri, cum ſimili prioribus liquore bibendus.

Præterea ſimilem potentiam eorundem deprehendimus, in externis nervorum, aut nervoſarum partium obſtructionibus. Quippe ſi quæ corporis pars, ut brachium aut crus, nervorū illas partes tranſeuntium culpa tabeſcit, aut extenuatur: reperimus ſingulare auxiliū, C ſi quando debilitatam illam partem liquor ex Vermibus hiſce extracto frequenter perunxerimus, qui liquor ex lumbricis purgatis, lotis, tuſis in gutturnium, aut bombilium, anguſti putà oris vitrum (ein Guttorf Germanis appellatum) circumlutatum, furnóque impoſitum, injectis, facilè parari poteſt. Quo unguento perliti, percipiunt ſenſibiliter, ſanguinem potenter in partem infirmam attrahi.

Quartò habent admirandam vim ſedandi dolores in omnib corporis membris, comprimis verò in nervoſis, quæ acerrimè dolere ſolent. Poteſtque id oleo lumbricorum facilè oſtendi, quod non in æneis, ſed vitreis vaſis abſque alterius olei additione, per balneum D Mariæ conficitur, donec lumbrici (qui prius repurgari vinoque lavari debuerunt) vitreis accuratè obturatis incluſi, in pinguem liquorem oleo ſimilem diſſolvantur, quo dolentia membra inungantur; ſed contra graveolentiam momentū olei Lavandulacei addendo. Aut ſi malis pulverem eorundem partibus unctis illinendo, aut

eundem

eundem illum linimentis vel Emplaſtris permiſtum, ſuperponendo.
Pari modo iidem, cruciatus arthritidis, podagræ, paralyſεως, necnon
morbi Gallici leniunt. Quapropter iidem commiſcentur etiam Em-
plaſtris, quæ ex ranis ad morbum Gallicum adornantur. Et veluti
nervoſis commodare diximus; ita quoque proſunt aliis defectibus,
qui ex læſione illorum originem ducunt, qualis apoplexia, convul-
ſio, & ſimiles; quin etiam nervos recens contuſos, aut punctos, aut
ſciſſos, aut quoquo modo vulneratos mitigant non ſolùm; verum
inſuper eosdem perſanant. Ideoque Emplaſtris contra rupturam in-
A ſeri ſolent, ſicut & Emplaſtro de pelle arietina Arnoldi de Villa No-
va adjectos videmus. Similiter quoque juvant & curant, debilitata &
exulcerata inteſtina, ſi quando liquor, in quo lumbrici elixi fuerunt,
Clyſteris tubulo infundatur. Si quis etiam ex alto lapſus, intus læſus
ſit: eidem quoque omninò utiles ſunt poti; ſicut & aqua inde de-
ſtillata, unciæ pondere hauſta, prodeſt iis, quibus inteſtina punctim
ſauciata ſunt. Sic quoque pota, grumos ſanguinis diſſolvit. Aut ſi cui
inflictum vulnus cruorem extrà non emiſerit, eidem commodat,
cruorem diſpellendo. Eadem aqua calefacta, & goſſipio excepta, ca-
lensque vulneribus immerſa, quotidiè renovata, ſiſtit eorundem i-
B chores, Germani **das Gliedwaſſer** dicunt, glutinatque diſſectos
nervos in vulneribus.

Quintò auxiliantur egregiè adverſus morſus venenatos, proinde
contra rabioſi canis morſum, uſui eſſe poteſt confectio quædam, ex
vivo lumbrico melli immerſo, ne ſuccum ſuum excernat, cui pulvi-
ſculum ex taxi ligno, & argento puro, lima abraſum admiſcent.

Sextò cum manifeſta utilitate exhibentur vermes iſti mulieribus
ad lactis ~~generationem, & copiam ejus augendam teſte Aëtio tetra-~~
bibl. primo ſerm. 4 cap. 6.

Poſtremò utiliter datur horum Vermium pulvis contra lumbri-
C cos puerorum, ad illos expellendo, cujus præparationem ego in gra-
tiam lectoris docebo; nempè conjiciuntur Vermes terreni recentes
in ollam, ibique per biduum hyberno tempore; per unicam autem
diem æſtivo detinentur; ut à terrena ſorde emundentur; deinde vi-
no abluti, novo fictili induntur, quod obturatum & benè lutatum, ca-
lenti furno imponitur, donec ſint arefacti.

Cum itaque jam in aperto ſit, tam præclaris virtutibus viles hos
contemtiſſimosque terræ vermes à Deo ornatos eſſe; minus eſt mi-
randum, in curatione varenorum, remedio & viribus vermium eo
rum, per Vrinas exturbari, præcedentem illam humoris tenuis pra-
D vitatem, quæ in venis exiſtit, ſicut etiam venenoſam illam materiam
partim per eosdem meatus, partim per ſudores, præſertim cum ma-
teria in exterioribus corporis partibus conſiſtit: Simul etiam quod
mitigatoria virtute, cruciatus miteſcunt, nervorumque obſtructio-
nes (in quibus vareni ſunt irretiti) recluduntur.

Ad ordinarium verò horum lumbricorum uſum quod attinet;
illi pro-

illi profectò valdè differenter apud imperitos medicos, ſciolasque & curioſulas mulieres in weſtphalia, Saxonia, & Balthici maris littoribus uſurpantur, & quidem interdum cum certâ vermium in numero obſervatione. Reperi tamen ſubſequentem mox formulam, apud quosdam maximi uſus eſſe; nempe ut primo die capiant novem lūbricos, accuratè ablutos, tuſosque, & cum vino aut cereviſia per cribrum cilicium trāsmiſſos. propinant unico hauſtu ſummo mane ebibendos, obtectoque diligenter corpore ſudorem provocant, qui in hoc affectu inprimis requiritur, quo probè prolecto, de feliciore curatione ſpes eſt; Si placet aliquid macis aut cinamomi, aut his ſimile aroma aliud, ad ſtomachi robur & gratiam potioni conciliandam, admiſceri, permittetur. Poſtridie paratur iterum, bibiturq; idem pharmacum, eo tamen diſcrimine, ut lumbricorum numerus duplicetur, & XVIII. exiſtant. Tertio die XVII. vermes ſumuntur. Quod ſi hoc modo malum ſuperetur, ut ferè fit, tunc acquieſcunt. Sin verò dolores recrudeſcunt, repetendus modus prior, ſicut modò dictum, cum novenarii vermium numeri adjectione in dies ſingulos. Quòd ſi verò morbus radices adeò altè egerit, ut dicta curandi ratio non ſatisfaciat; contunduntur quidem rurſus vermes; ſed cum liquore ex ſalvia, betonica, abrotono & angelica in aqua decoctis, per cribrum, ut antè, trajiciuntur, & potui exhibentur. A B

Matrona quædam celebris in territorio Monaſterienſi, ſequētem potionem pro arcano myſterio habebat; Capiebat autem ſalviæ, betonicæ, rutæ ſingulorum folia quinque, vermes terrenos cum anulis circa collum rubentibus etiam quinque, ſabinæ parum, & ſucciſæ, ſeu morſus diabolici, radices duas, quæ omnia ſimul contundi oportebat in pila marmorea; contuſa cum quinque cochlearibus aquæ ex ſambuci floribus deſtillatæ humectari, & per cribrum expreſſa primo die exhiberi mandabat. Poſtridie numerum ex quinario ad ſeptenarium augendum eſſe. Tertiò verò, pro ſeptenario ſingulorum novenarium ſubſtituendum. Verùm hiſce tribus doſibus ſimul radicum ariſtolochiæ tritarum drachmas duas admiſcendas, puta ſingulis potiunculis ſcrupulos duos, tandem mellis virginei cochlear unicum plenum infundi præcipiebat. C

Alii hanc formulam ſervant: Accipiendo lumbricos quindecim, totidemque folia betonicæ, ſimul in pila contundunt, & cum dimidia cereviſiæ menſura, cui pauxillum ſabinæ incoxerit, trajiciunt, de quo hauſtulum cum modico theriacæ mane exhibent per triduum continuum, creſcente Luna, & totidem dies in Lunæ decremento.

Alia potio; ad quam ſumitur cereviſiæ menſura dimidia (quæ communis eſt in prædictis regionibus potus, atque urinas movet) cui incoquatur dimidius ſabinæ manipulus, cum cochlearibus quinque ejuſdem potus, contere, & per cribrum pelle ſeptem lumbricos ante contuſos, addendo theriacæ optimæ drachmam dimidiam & ſaccharis quantum libebit; hanc potiunculā æger primo die ebibet. D

Poſtridiè

Poſtridiè verò parem; ſed cum lumbricis undecim concinnatam. Tertio autem die æqualem doſin; verùm cum lumbricis tredecim confectam. Hanc curationem continuare opus eſt per menſes duos aut tres. Apparebitque tandem in fundo urinæ quiddam chondro avenaceo (Germ. **Habern gurte**) ſimile, quod pro ſigno ſalubri habetur.

Alii accipiunt lumbricos novem, latos & tuſos, cum manipulo pervincæ herbæ, Germ. **Jngrim**/affuſaque cereviſia percolant, exhibentes ante mutationem Lunæ, & pòſt quoque.

A Non deſunt, qui potum parent ex ſalvia anguſtioris folii, ruta & betonica, & cum lumbricis ſimul tundunt, additaque cereviſia dulci, per cribrum trajiciunt, deinde per novem dies præbent quotidie uncias ſex, creſcente Luna, & tantundem totidemque dies eadem decreſcente;

In prænominatis terris ſunt etiã quidam, qui potiones hujuſmodi abſque lumbricis ad tales affectus in frequenti uſu habent, ſequẽti forma: Rec. ariſtolochiæ longæ ℈. j. ariſtolochiæ rotundæ ʒ ſ. rutæ, ſabinæ, leviſtici ana ʒ. j. betonicæ, ſalviæ tenuis folii, pulmonariæ, Germ. **Lungenkraut**/ſingulorum folia undecim, baccas lauri quin-

B que, oſſis ſturionis combuſti ʒ. iiij. Quæ omnia prius areſacta, deinde ſingula ſeorſim trita, poſtea commiſcentur. Pulvis iſte in tres æquales partes dividitur, cujus una tertia quotidie exhibenda venit, in cereviſia aut vino, creſcente Luna, & totidem dies, tantundem decreſcente ſidere.

Alii inter weſtphalos feliciter eundem morbum ſanant, potu ex herba glycypicri, Germ. **je lenger je lieber** vocata, (totam cum radice ſumendo) confecto, quotidie uſurpando, qui mane ſudorem placidum provocat, nec abſque ratione: Laxat enim iſta herba clauſos meatus viſcerum, morboſque inde exortos curat, ac urinas pellit:

C Quapropter eadem illa adverſus hydropiſin utiliter bibitur.

Nonnulli accipiunt radices oxylapathi aut rumicis majoris Ger. **Grindwurtz**/ bonam quantitatem contuſam, & vino percolant, tribuſque matutinis porrigunt.

Quidam hoc remedio utuntur, putà pavonis ovo, croci, drachmæ ſemiſſem, acetique, quantum ovi teſta capit, commiſcent, potuiq; exhibent.

Neque deſunt, qui vivam Salamandram, Germ. **ein Mollewurm** æreo vaſi inditam urunt, ejusq; pulverem cum mica panis miſtum offerunt.

D In Ditmarſia juxta littora Balthica, Daniam verſus, viciniſque locis, vermem quendã volatilem habent, quem **Maywurm** & **Euer** ipſi, alii **Kadden** appellant. Hunc vermem filo circumligato ad collum, ſuſpendunt ex alto, præſertim menſe Majo, exſtillatque pendẽtis ab ore flavus liquor, quem venenatum judicant. Hunc vermem unum, vel ſeſqui, ſive ad ſummum duos cum dimidio, ſic areſactum

& pul-

veratum, propinant ægroto ex cereviſia, quem pharmaco epoto exerceri ad ſudorem usq; jubent, qui ſi non ſequatur, in furnum adhuc calentem, cui panis extractus recens eſt, irrepere cogitur, ut facilius ſudet; qui deinde ſymptomata gravia patitur, cardiogmum nempe miſerabilem cum totius corporis debilitate, viriumq; omnium defectu, durantq; illa ferè dimidium diem: poſtea ſi neceſſitas poſtulet, datur illi rurſus poſt dies tres aut quatuor idem pulvis, adeoq; interdum usque ad novem dies, ſi neceſſe videatur. Ditmarſi hunc potum ex vermib. talib. factum, ſua lingua appellant Raddentranck.

Deſcriptio hujus vermis. A

Vermis iſte alatus, caput collumq; habet in circuitu fuſcū, qualis violaceus color, & non absque nitore quodam, à capite prodeunt flagella duo longa ad digiti latitudinem, inter quæ cornicula totidem acuta, parva, lunata, veluti forcipes minutuli. Alæ ex virore obſcureſcunt. Sub alis & ſuper dorſo anuli ſunt colore diſcriminato, modò nitore vireſcenti, modò flavedine obſcura. Venter & pedes, capitis collique colorem ſimulant. Ventri tres plærumque pedes utrinque adhærent longi, in medio articulis ſuis curvatis, ad articulorum in aliis formam. Quam diu juvenes ſunt, colore ſpectantur in univerſum magis cæruleo. B Accreſcunt in longum ad binum digitorum latitudinem: craſſeſcunt in digiti unius latitudinem. Reperiuntur in viis publicis Majo menſe, videnturque eſſe ex cantharidum genere, veruntamen ego eos venenatos eſſe cenſeo.

Habent magno quoque in pretio Ditmarſi, ſicut & Weſtphali, nec non & comitatus Teckelnburgici incolæ, herbam, quam Walckenbaum indigitant, creſcentem copioſè juxta arcem Teckelnburgum, Latini ſolanum ſomniferum vocant. Hanc tuſam cum cereviſia cōtra varenos potui offerunt; poſt quem æger tam vehementi ſopore obruitur, ac ſi cum morte luctaretur: ſed per 24. horas magna cura à ſomno diſtinetur; C quod niſi fieret, periculo non careret. Nam ex hoc potu viſus mirificè obſcuratur, ſenſusque ac intellectus per aliquot horas debilitatur: Quod tamen mirandum non eſt, cum herba iſta ſupra modum aſſumta, venenoſa ſit, videlicet frigida in tertio gradu, potentiam habens, gravem ſoporem inducendi, non tamen ita periculoſum, ut opium ſolet. Verùm duro nodo durus cuneus quærendus eſt.

In territorio Brunſwicenſi ſimilibus potionibus utuntur, quibus ægroti per horas circiter 24. ſoporati quieſcunt, opinorque ex eadem planta Walckenbaum dicta, potiones illas elixari. D Neque mirum id videri; quippe ego quendam ex meis novi, qui adverſus varenos, mane quidem vermes dabat, ſub veſperam verò, propter dolorum acerbitatem, Philonii Romani ℥. j. præſcribebat: eſt autem dicata confectio iſta ſomno provocando, & dolori ſedando.

Alii omnigena medicamenta potus, pulveres, electuaria coſtruūt pro di-

pro diverſitatè regionum, multifariaque experientia & obſervatio-
ne uniuſcujusque. Interea deprehendo plæraque abſque ratione, &
legitima methodo adminiſtrari.

Quapropter ego ſumma ſolicitudine ſecundum artis præcepta,
conditionem magni hujus morbi conſideravi; communemque cu-
randi uſum expendi. Inſuper & meam medendi rationem ob oculos
ponere volui, ad liberum cujusque judicium, aut commodum, quò
occaſio detur, majori certitudine indagandi res illas, per quas gra-
viſſimæ huic, ignotæque & venenatæ lui, certius obviam ire, & auxi-
A liari detur.

Ante omnia autem corpus, ut aliâs uſitatum, expurgari conve-
nit cum electuarii roſati Meſues ʒ. vj; aut cum Diacatholici ℥. j:
aut cum Diacarthami ʒ vj. juſculo gallinæ, aut piſorum inſulſo per-
miſtis; vel ſi mavis radic. mechoacæ (quibusdam rhabarbari albi di-
cti) & rhabarbari ſingul. ʒ. j tenuiter ſimul conciſa cum ʒ. ij. pulve-
ris ſennæ purgati vi per noctem unam cum modico juſculi inſulſi, ca-
lido loco macerata, mane exprimantur.

Deinde ſequenti apozemate quotidie mane utendum.

Rec. radicularum ſucciſæ, ſeu morſus diaboli ℥. j.
B Ariſtolochiæ rotundæ, ſeu **runden Holwurtz** ʒ iij.
Salviæ, betonicæ, ana manip. j.
Abrotoni, rutæ, pervincæ, ſabinæ ana M. S.

Decoquantur ſimul in aquæ fontanæ dimidia menſura, aut ℥.
xxxij. donec ferè dimidium ſit abſumptum. De hoc apozemate per-
colato & clarificato, ſumantur quotidie mane circiter unciæ qua-
tuor; addendo quinque lumbricos anulum in collo gerentes, qui
vino loti prius & contuſi, cribro cilicio ſimul tranſigi debent, quo fa-
cto admiſce theriacæ optimæ drachmæ ſemiſſem, cinamomi boni
℈. j. & ſacchari quantum ſuavitas requirat. Potus iſte quotidie taliter
C concinnandus, & bibendus eſt ad ſudoris provocationem.

Quod ſi cum præſcripti potus uſurpatione, radix virusque hujus
mali ſudando nondum exturbata funditus, nec ſatis per alvum ſub-
ducta fuerit; tunc ſubſequenti decocto, quod ſimul mediocrem pur-
gandi vim habet, pro ratione circumſtantiarum, uti licebit.

Rec. radic. polypodii ℥. j.
Salviæ, betonicæ ana M. j.
Scabioſæ, rutæ, abrotoni ana M. S.
Sem. aniſi, ſem. citri ana ʒ. ij.
Paſſul. Corinth. vel aliarum expurg. & minutim inciſarum
D ʒ. iiij.

Decoquantur ſimul in fontanæ ℥. xxxij. dum tertia pars exha-
larit, & poſtremò fol. ſennæ ſelectæ ʒ. x. additæ, ſemel ebulliant,
ſtentque per noctem benè tecta; mane recalfacta, exprimantur va-
lidè; deinde novem lumbrici mundati, ut antè dictum, ſimul traji-
ciantur, addita ſufficiente ſaccharis puri quantitate, ne potus corrũ-
patur.

patur. De iſto apozemate per ternas auroras ægroto doſis calida propinetur, non tamen ut ſudet. Quod ſi verò ægro doſis unica ad purgandum ſufficiet: utendum erit ſequenti, cum meliori formula:

Recept. pulv ſennæ purgativi ʒ. ij.
infuſus in aquæ betonicæ ℥. ij. & ſemis.

Stet calido loco per horas xij. poſtea exprimatur validè adhuc calens, per cilicium, admiſtiſque diacarthami ʒ. iiij detur patienti totũ una vice, calefactum in aurora.

Cum in Aprili anni 1569 mihi oppidum Mœrſam ingreſſo puella adduceretur, quæ varenis correpta, membrorum debilitatem ſubitò incurrerat tanto cum angore, partiumque externarum calore, ut nihil aliud, quam intus acri toxico infectam ſuſpicarentur: Conſilio extemporaneo ac parabili, prout locis à pharmacopolio remotiorib. fieri poteſt, ſuccurri; & ſubſcripto remedio juvi: videlicet lumbricos quinque expurgatos contritosque hauſtulo bonæ mitiſque cereviſiæ percolari, probatæque theriacæ drachmam dimidiam, cum cinamomi crocique & ſacchari s modico admiſceri, maneque omnia potui calefacta dari, & inſuper ſudari, nec non per aliquot dies uſurpari, præcepi; ut ad omnium admirationem puella ſanaretur. A

Si quando verò virus in ſingularem aliquam particulam decumbens apparuerit; ſolet multum commodi conferre, & auxiliari plantago cum ſale in mortario lapideo trita atque ſuperimpoſita. B

Si qui etiam tumores in abſceſſus verſi, ex hoc morbo ad eruptionem ſe comparent: Ditmarſenſes chirurgi cataplaſma formant, ex radicibus cicutæ aquaticæ, quam ipſi lingua ſua Wadendunck; Germani Waſſerſchirling indigitant. Radices autem has ſtuppa obvolutas, ſub cineribus aſſant; inde tuſas melle permiſcent in cataplaſma; perſuaſi vermiculos (quos die Varen appellant) mellita dulcedine illectos prodituros, & radicum veneno morituros eſſe.

Alii cataplaſma aut pultem parant ex radicibus ſigilli Salomonis, Germani Weiſſwurtz dicti, aquæ aut cereviſiæ incoctis, addentes aliquando radiculas dryopteris (Eychelfarn Germ. vocatæ locoque affecto imponunt: Quia verò ex artis chirurgicæ peritia, abſceſſus hujusmodi curari poſſunt, non putavi hac de re plura verba facere. C

Deſcriptio pulveris ſennæ purgativi Ioh. wieri, cujus ante mentionem fecit, ita ſe habet, in tractatu de ſcorbuco, pag. 12.

Rec. fol. ſennæ Alexand. Electæ ℥ j.
Tartari albi ʒ. iiij.
Epithymi ʒ. ij.
Cinamomi, Gariophyll. galangæ, ſem. aniſi ana ʒ. j. D
Diacrydii ʒ. j. ſemis.

Ex tritis miſtis, cribroque cretis, fiat pulvis ex arte.

LIBER

LIBER QUINTUS.

EPISTOLA I.

HENRICUS SMETIUS MED. Lemgouienſis

HENR. BRUCÆO MED. PROFESSORI Roſtochienſi.

A De

Paraceliſi Medicina.

SI incolumis ad tuos reuerſus es, equidem gratulor, cognate hu-
maniſs. Epiſtolam enim tuam Aloſto miſſam accepi, qua inter
miſſam à te ſcribendi mutuam conſuetudinem excuſas. Polliceris
tamen deinceps . . illi officio minus defuturum. Quod vt fiat, vehe-
menter cupio. Interceſſit mihi cum cōmuni cognato D. Leu Batto,
iam non modò per menſes aliquot, verum etiam annos nonnullos
diſceptatio de Aur. Theophr. Paracelſi Medicina, cui ſe totū addixit,
mancipauit, deuouit, deſerta ferè veterum hactenuſq; vſitata medi-
B cina. Renouauimus hāc diſputationem, dum his locis inter VVeſt-
phalos verſor, epiſtolis aliquot, & quidē prolixioribus, quas tibi com
munes eſſe velim, vt ex illis, ſi non vtilitatem, ſaltem voluptatem a-
liquā, & tu nobiſcū capere poſſis. Repetes ab ipſo, lectiſq; iudicabis,
vtrius à parte ſtet veritas. Bene vale. Lemgouio. An. 1570. 13. Sept.

EPISTOLA II.

C HENRICUS BRUCÆUS MED. Profeſſor Roſtoch.

HENR. SMETIO MEDICO LEMgouienſi S. D.

De Paracelſo iudicium.

DE Aureolo Paracelſo, quæris à me ſententiam, cuius auctori-
tatem ais plurimos tanti facere. & maxime Battum noſtrū, vt
reiectis veterum placitis, eius deliramenta ſequēda exiſtiment. Ego
D ita ſentio, hominem hunc ἀμέθοδον plane eſſe, & præter ἐμπειρίαν
nihil in illo fuiſſe ſolidæ eruditionis, niſi forte βάναυσος ἢ χυμικὸς
eruditus haberi debeat. Hic itaq; cum varias mundi regiones pera-
grarit, & multa diverſis in locis uſus doceat: varia quoq; didicit me-
dicamenta, ad diverſos affectus facientia, quorū nonnulla poſteritas
quoq; cōprobavit. Hæc ego, ſi quis ſequatur, non damno: præſertim

cum conſtet artem noſtram infinitam eſſe, & tempore nonnulla in uſum humani generis prodire quæ ignoravit antiquitas. Nec dubiũ eſt anum decrepitam, circumſtante magna medicorum corona, aliquando ex orci faucibus ægrum liberaſſe. Sunt enim rerum occultæ quædã vires, quæ tempore in lucem prodierunt, non omnib. notæ. Diſputationem noſtram de peſte, quod nondum videris, mitto. Eſt autem totius noſtræ diſputationis ſcopus, aperire peſtilentiæ causã internam eſſe putredinem, contra Fernelii ſententiam lib. de occultis rerum cauſis. velim autem te locum illum legere, & ad logices normam revocare, quo melius vim ſuarum rationum introſpicere A
queas. Nam ego ut verum fatear, quamvis virum admirer, nihil video in ea tractatione fere probabile, ſi verborum fucum tollas, qui nudam veritatem ſimplicioribus ingeniis ſæpenumero obſcurat. Noſtra autem & veterum auctoritati conſona ſunt, & cauſis antecedentibus conformia, & curationi conſentientia. Scribes quid de utroq; ſentias & ſi quid in ipſius ſcripto ſit, quod momentum aliquod ſuæ ſententiæ comprobandæ afferre judices, id quoque literis comprahendito. His vale Roſtochio 10 Ianuar. 1571.

EPISTOLA. III. B

HENR. SMETIVS MED. Lemgouianus.

HENR. BRUCÆO MED. PROFESS. ROSTOCH. S. D.
De Paracelſo & Theſibus de peſte.

LIteras tuas accepi, quibus quid de Paracelſo ſentias reſcripſiſti: nempe ἀμέθοδον plane eſſe, & præter ἐμπειρίαν nihil ſolidæ doctrinæ in illo videri, niſi forte βάναυσος aut χυμικὸς eruditus haberi debeat. Ego ſane laborioſum, induſtriumq; rerum abſtruſarum C
indagatorem, multæque peritiæ virum libenter agnoſco, atque in pharmacorum præparatione admirandum, verùm ſcientiæ ſolidioris parum, methodi nihil, oris tamen quam plurimum habere. Siqua obſervavit præclara, aut dicit πολύχρηστα, non propterea uſq; adeo ferocire debuit, nec optime de genere humano meritos veteres infra ſe deſpicari. Conati ſunt illi artem infinitam, methodo certa cõplectentes, facilem reddere, poſterisq; tradere. Fortaſſis feroculus iſte, ſingularium notitiam, non tã ſuæ ipſius inventioni, quam aliorum traditioni acceptam referre cogeretur. Quod ſi (ut credibilius) ita ſit, quid eſt de quo tantopere glorietur, ſi peregrinationum labo- D
res cum impenſis, excipias? Annotavit particularia multa Oribaſius, Trallianus, Ægineta, Aëtius quæ Galeno deſunt. quem tamen pro præceptore nihilo minus agnoſcunt. Quid Arabes, qui cultiorem medicandi rationem ſucceſſu temporis, ſuavioremque medicamentorum concinnationem adepti ſunt, an idcirco Græcos laude

ſua fraudarunt? Quid miri, ſi multa invenerit ætas plurima uſus docuerit? Quid adeo magni eſt maiorum inventis aliquid adiicere? Quis inter veteres experientiam, quis latentes rerum proprietates reiecit, aut ignoravit? Quid opus eſt nova artis fundamenta iacere? monſtra fingere? ſalem mercurium, ſulfur rerum primordia, repudiatis elementis, ſtatuere? Doctrinam de temperamentis, de humorib. de facultatibus naturalibus, totumque Hippocratis & veterum philoſophorum dogma pro nihilo ducere? Quaſi vero nulli hactenus, intra tot annorum centurias morbi, iiq; difficillimi & quidem
A deſperati, ab Hippocraticæ artis ſectatoribus, ſint curati! Sin Græcorum, Latinorum, vel Arabum remedia difficiliorib. quibusdam affectibus imparia deprædendantur: Ipſi vero præſentiora quædam invenerunt, de ſuis ſibi inventis vel affatim placeant Thraſones iſti, atq; glorientur etiam ſupra modum in theatro ſuo per me licet: ita tamen ut veterũ gloriam, quã bene merendo conſecuti ſunt, illæſam & divinæ artis principia inconvulſa relinquant. Sane nemo bonus, homuncionem licet viliſſimum, ſi quod in remp. beneficium contulit, ſuo honore privaverit unquam. Quare non eſt quod metuat
B Paracelſus, ne dignam pro re geſta ſtatuam apud gratam poſteritatem conſequatur, quamvis inferiorib. ſubſelliis infra veteres Hippocraticos collocetur. Sed fruſtra alienæ laudis invidia ſuæ incrementum quærit.

Diſputationem de Paracelſi doctrina, quæ mihi cum communi cognato Doctore Batto interceſſit, ab ipſo repetes, ut per otium illam & cum libebit legas ac judices.

Themata de Peſte à vobis diſputata accepi atq; legi, ſed obiter tãtum propter negotia. Placent quidem, ſed non ſatisfaciunt. Non enim omnis Peſtis ab humorum putredine pendet. Eſt quæ nullius
C putredinis indicium habeat: in qua Vrinæ nec crudæ nec turbidæ, ſed ut ipſe propoſit. 28. fateris, ſæpe naturales exiſtunt, neq; capitis dolor, neq; appetentia deiecta, ſitis quoq; non magna, febrilis calor tolerabilis, ut ne febricitare quidẽ ſe putent ægroti. Quin nec omnes cacochymia, aut obſtructione laborare credendum, quos peſtis corripuit. Internæ tamen putredinis hæ cauſæ ſtatuuntur. Adde quod non omnia peſtem fugant, quæ putredini obſiſtunt, ut Abſinthium, Cichoreum, Abrotanum &c. Nec rurſus omnia peſtis Antidota humorum putredini medentur. Exemplo ſint Terra Lemnia, bolus Armenius, tormentilla, ebur: quibus diu utaris priuſquam obſtru-
D ctiones, internæ putredinis cauſas expedieris. Quin è diverſo eaſdẽ citius talium uſu adauxeris, ut partim emplaſticis, partim denſantibus & aſtringentibus medicamentis. Hæc ſunt quæ ſcribenti in mentem veniebant, alias per otium latius. Quid vero Fernelius hac in re, & quibus argumentis aſſerat, nec dum legere contigit, neque diu eſt quod librum illum ſim adeptus. Bene vale, Lemgovii Anno 1571. 27. Martii.

EPISTOLA. IV.

HENR. SMETIVS MED. LEMGOVIANVS THOMÆ ERASTO MEDIC. PROESſori Heidelbergæ primario, præceptori ſuo obſervando S. P.

Excuſat quod diu non ſcripſerit petitq; ſcriptum de occultis medicam. proprietatibus publicari: & quaſtiones ſuas de purgantibus & hydrargyro Stibioq; explicari. Deinde certamen ſuum cum Paracelſico erudito indicat, & adverſarij argumenta adducit.

TErnis nundinis, quod nihil ad te ſcripſerim, obſervande Præceptor, occupationum id culpa, nō negligentia accidiſſe credas. Ferè n. quoties ſcribendum eſſet, importunis ægrorum neceſſitatib. avocatus peregrè proficiſci cogebar. Multo iniquior eſt in weſtphalia, quā in Brabantia medicantium conditio. Totis enim annis ſeptem, quibus Antuerpiæ artem faciebam: vix ter extra urbem ægrorum cauſa memini abeundum fuiſſe mihi. Tanta meſſis erat medicis, quantūvis multis, etiā juniorib. vel intra ipſa urbis pomœria. Neque præclare agebatur cū illis, qui peregrè avocabantur. Plus emolumenti in una urbe erat. Alibi alia eſt fortuna. Si quā itaq; de amico ſuſpicionem ſiniſtram concepiſti, illam ut deponas, rogo. Quia & ſupra triennium eſt, quod nihil mihi de te renunciatū, præter unicā Henrici wieri Med. Colonienſis epiſtola comprahenſā à te ſalutationem. Quod quam mihi fuerit grave, qui te inter cæteros mortales diligā unicè atq; obſervem, dici non poſſit. Huius veteris erga te obſervantiæ meæ teſtimonium, per affinem meum mitto, ſaccharis Canarii purgatiſſimi metam librarum decem aut undecim, obnixe orans, ut tenue iſtud munuſculū pro benignitate tua interpreteris. A B C

Scriptum tuum, de occultis medicam. proprietatib. ante annos ſex Antuerpiam ad mè, ſuper quæſtionib. aliquot meis, ſub initium artis factitandæ, tibi propoſitis, miſſum urgent viri docti, quib. illud cōmunicavi, ut prælo publicetur. Quod ut pace tua liceat, petimus abs te vehementer. Optarim tamen & illud explicatum: An & qua ratione purgantia pharmaca, hoc bilē, illud pituitam aut aquas ſolas, aliis humorib. relictis, & quidē à certo aliquo corporis membro educere recte putentur. deinde quid de hydrargyri & Stibii virib. ſentias, quod ipſum & feciſſe iamdudū, mihiq; cōmune fore promiſeras. quo addito, nihil ad argumēti illius plenā tractationē requirendū videretur. D

Gliſcit paſſim Theoph. Paracelſi auctoritas, adeo ut & publice in Academia quadam littoris Balthici proponi dicatur. De cujus ſcriptis, quid tu ſentias, ſcire deſidero. Solertem induſtriumque abſtruſa-

ſtruſarum rerum ſcrutatorem, multæque peritiæ virum, libenter agnoſco, & in medicamentorum præparatione admirandum. At incivilem illam in Galenum aliosque veteres medicos dicacitatem, & inauditi dogmatis monſtrum amplecti nequeo. Ridet, explodit-que doctrinam de elementis, temperamentis, humoribus, adeoque univerſum Hippocraticæ medicinæ corpus. Ponit Mercurium, ſulfur, ſalem, corporum noſtrorum, atque morborum materiem. Totus ferè eſt in morbis formæ aſſerendis. Quibus rurſus remedia à forma requirit, & apponit, nequaquam medicamentis hactenus

A uſitatis acquieſcens. Intercedit ſanè acris de illa re mihi diſceptatio, cum erudito viro Medicinæ in ſchola Roſtochienſi Profeſſore publico. conatur ille mihi priſcos de manibus excutere medicos: eo quod formæ morbos prætericrint. Paracelſum ait idcirco veterum caſtra deſeruiſſe, ut qui formæ morbos aſſerat. In talibus enim curandis præcipuam medicorum gloriam conſiſtere. Hanc Paracelſi doctrinam, meus antagoniſta, ſex hiſce argumentis confirmârat:

Morbum ſimilarem ſubdividi debere in tria: puta in intemperiem; Materiæ immoderantiam; atque formæ corruptelam. Ad formæ corruptelam morbos peſtilentes, contagioſos & venenatos 1

B referri.

Galenum, velit nolit, hanc ſubdiviſionem agnoſcere, lib. 2. ad Glauc. cap. 2. his verbis: Quæ immoderate laxant: ſolvunt robur, quare & partis virtutem. Quæ ſupra modum refrigerant, nativum calorem extinguunt, qui eſt vel ſubſtantia virtutum: vel primum & immediatum earum inſtrumentum. Jam vero & qualitates extraneæ diſſolvere virtutem poſſunt. 2

Ex libro 6. Method. Med cap. 13. ut ipſe citat: Si illud quod dolorem facit, à tota ſubſtantia facit: debemus invenire remedium à tota ſubſtantia ſanans. 3

C Ex lib. 3. de temperam. cap. 1. Nullum medicamentum calefaciens, refrigerans, ſiccans, humectans, agere à tota ſubſtantia. 4

Medicamentis inſunt vires, alias à temperamentis, quæ ſunt qualitates primæ: Aliàs à materia, quæ ſecundæ: aliàs à forma, quæ tertiæ exiſtunt. Hæ autem forent ſupervacaneæ, ſi nullus eſſet materiæ, aut formæ morbus. 5

Quin & curatio manifeſtum facit, dari ſubſtantiæ morbos: quum illa morbos tollant, non quæ qualitate modo, ſed totâ ſubſtantiâ morbis adverſantur. Exemplo ſit hydrops, quartana, epilepſia, lepra, podagra, peſtis, morbus Gallicus, phthiſis maraſmus & qui-

D cumbue alius ſubſtantiæ morbus, quos affectus, nullus medicus qualitatibus ſolis curat. 6

Ad horum ſingula prolixe illi, & abunde, ut ego quidem puto, reſpondi. Quibus refutatis, cum, quod in ſui defenſionem opponere poſſet, non haberet: In iis, inquit, axiomatis, quæ tu pro veris aſſeris, ego qui veterum decretis non ita ſum addictus, quin

veritati magis, dubii plurimum, falſitatis non parum pono Axiomata autem fuerant:

Contraria contrariorum eſſe remedia.
Subſtantiæ nihil eſſe contrarium.
Quicquid corrumpitur, à contrario corrumpi.

Vide quo abripiantur ſectandi ſtudio, imbecillis judicii homines. Talia ſe dicit medicamenta inquirere, quæ nullius temperamenti reſpectu, omnem ſubſtantiæ morbum, putà hydropem, epilepſiam, quartanam, maraſmnm &c. in omni individuo, omni tempore ſanent. Talia docere Paracelſum. His vale præceptor colende Salutatis officioſe amicis communibus. Datæ Lemgovii 4. Calend. Aprilis 1571. A

EPISTOLA V.

THOMAS ERASTUS MED. PROfeſſor Haidelberg.

HENR. SMETIO MEDICO LEMgoviano. S. D. B

Promittit ſcripti de occultis medicam. viribus, tractatusq; de purgantibus editionem. Antiparacelſicorum ſuorum partem primam in autumno: Secundam verò mox deinde prodituram. petitque plura adverſariorum argumenta ſibi ſuppeditari.

CREDI vix poteſt, Henrice doctiſſime atque integerrime, quanta me voluptate tuis literis affeceris. Sanè te virum bonum atq; ingenuum præ plurimis aliis agnoſco, & colam ſemper: ut qui ſolus ferè memoriam noſtri conſerves. Quod metam ſaccharis miſiſti: in eo mihi gratum feciſti; quod animi tui candorem mihi probare eo ergumento voluiſti. At donum à te, præter benevolentiam, nec exſpecto, nec opto. Quare literis tuis, ut me per occaſionem dones, vehementer equidem cupio; benevolentiam ut conſerves erga me tuam, deſidero; dona alia nulla peto. Ago autem nunc quantas & quas poſſum maximas gratias, relaturus oportunitate data. Scribo autem nunc per Doct. Simonem Grinæum Coloniam euntem: & ſpero per Doct. Echtium literas ad te miſſum iri. Scriberem ſæpius, ſi tabellariorum certorum poteſtas daretur. C D

Scriptum quod aliquando ad te miſi, emendatum & correctum, tractatuque de purgantium viribus auctum, brevi ſpero lucem videbit. Proximis nundinis, Deo volente, prodibit pars prima diſpu-

tationum

tationum de nova medicina Paracelſi, quam ſuſcepi examinandam
hortantibus ad id clariſſimis quibusque medicis, inter quos ſerio ur-
get, Joan. Crato Cæſaris medicus. In qua remedia ſuperſtitioſa, &
magicæ curationes expenduntur. Continet tractationem longam
& ſolidam, ut quidem ego mihi perſuaſi, de omni magia, de ima-
ginationis viribus, faſcinationibus, philtris, verbis, figuris, char-
acteribus, pharmacorum, ſub certo cæli poſitu, collectionibus,
præparationibus &c. Interim demonſtravi peſtilentiorem hæreti-
cum ſub hoc Sole nullum exſtitiſſe Paracelſo. Credo me bonis o-
A mnibus ſatisfacturum, doctis præſertim. Tradidi jam typographo.
& hac æſtate, dum illa excudetur, ſecundam me perfecturum ſpero,
ſi me juverit Deus: in qua, philoſophica ejus examinabo. Mox de
medicina generatim diſputabo & cum hac ſcriptum illud publica-
bo. Puto me cum ſecunda parte editurum eſſe, quæſtionem de na-
tura & generatione Metallorum, in qua præcipuè hoc inveſtigo: an
viliora metalla in aurum argentumve verum transmutari poſſint.
Cum aliis partibus alia conjungam, non inutilia, ut ego quidem
judico. Ideò verò hæc ad te: ut ſi, quod nunc etiam feciſti, me in
recenſendis eorum argumentis porro juvare poſſis, ſedulo illud pu-
B blicæ utilitatis gratia facias. Dabo operam, quantum in me eſt, ut
ſolidè & perſpicuè diluam omnia.

Exiit jam Petri Severini Dani liber, cui titulus: Idea medicinæ
philoſophicæ, continens fundamenta totius Paracelſicæ, Hippocra-
ticæ, Galenicæ doctrinæ, oportunè nunc prorepſit, dum hæc ipſa
diſputo.

Hæc breviter & feſtinanter, quum negotia me aliò vocarent, ſcri-
bere ad te libuit, ut intelligeres me ex toto corde tibi bene cupere, &
de priſtina erga te voluntate nihil remiſiſſe

Deus pater domini noſtri Jeſu Chriſti, ſervet te reipublicæ inco-
C lumem, cum omnibus tuis. Amen. Haidelbergæ, 20. Aprilis 1571.

Epistola VI.

Henric. Brucæus Med. Pro-feſſor. Roſtochienſ.

Henr. Smetio, Medico Lem-
D goviano. S. D.

Oblatio vocationis Mechlenburgicæ.

Neſcio, mi cognate, utrum alias ſcripſerim: Nunc verò id ipſum
ab illuſtriſſ. Principe meo Joh. Alberto Mechlenburgico, in

mandatis habeo, ut Medicum artis non imperitum accerſam. Feci apud ipſum tui mentionem, quem probè noſſem benè doctum, & aliquot jam annos cum Antuerpiæ, tum alibi, non minima cum laude artem exercuiſſe. Injunxit itaque ut animi tui ſententiam literis explorarem, primo utrum locum mutare velis. Deinde quo ſtipendio in aula ipſius vivere liberet. Tertio, quando te huc transferre poſſes. Habiturus procul dubio, ſi eo eſſes animo, principem benignum & liberalem. Dato operam, ut quam primum quid tibi de hac re videatur, intelligam, binasque aut ternas, per diverſos ſcribas, ut unæ ſaltem ad nos perferri poſſint, ne ejus celſitudinem diutius æquo ſuſpenſam teneam. A me omnia expectabis, quæ ab homine amiciſſimo, tuique ſtudioſiſſimo ſperari debent. Bene vale. Suerino 10. April. Anno. 1571. A

EPISTOLA VII.

HENRICUS SMETIUS MED. Lemgovianus B

HENR. BRUCÆO MED. PROFESS. Roſtochienſi.

Renuit vocationem oblatam, & Thom. Eraſtum contra Paracelſum ſcribere nunciat.

LITERAS tuas humaniſſ. cognate, 10. April. ex aula Suerinenſi datas, 3. Maij accepi, quæ præclarum tuæ erga me benevolentiæ teſtimonium continebant. Cordi enim tibi meas res eſſe agnoſco, qui honorifica apud Principem tuum mentione mei facta, aulicum C medendi munus, ex mandato ejus, mihi deferendum procuraſti. Tria autem proponebas: An locum mutare vellem: Quo ſtipendio in aula ipſius vivere luberet: Poſtremo, quando me illuc transferre poſſem, addita petitione, ut quam primum te voluntatis meæ certiorem redderem. Ignoſces verò tam diu dilatæ reſponſioni, idque tam tabellarii moræ, quam deliberationi atque negotiis variis imputabis. Aliquot enim dies Comitis Spiegelbergici filiolo, quem unicum habet, tertiana notha duplici decumbenti adeſſe ex officio debui. Ego itaque licet nonnullas mutandæ ſedis cauſas jam dudum habuerim, neque ſtipendii hujus liberalitas me detineat, neque ac- D cedentis ex arte commodi dulcedine tantopere ineſcatus hæream: quin alia in regione, & in aula tanti Principis, multo plus emolumenti ſperari poſſet: Disſuadent tamen hoc ne faciam, Heroum meorum exploratus favor, nobilium gratia, civium benevolentia, vulgi ſtudium, victus, aeris, loci, morum aſſuetudo, ſermonis noticia,

ticia, migrandi tædium, patriæ vicinitas, aulicæ vitæ miſeria cum conſcientiæ periculo conjuncta, & futurorum incertitudo. Hæc inquam & alia quædam, Spartam quam nactus ſum, ornare ſuadent. Si quis tamen mutandi loci animus eſſet, vix quisquam eſt principum, quem Johanni Alberto Mechelburgenſi prætulerim, cujus pietas in religione, & munificentia benigna erga doctos, jam inde cum adoleſcens Roſtocnii agerem, commendatur. Cuius celſitati, quod me miniſterio ſuo non dedignetur, gratias ago quanta animi propenſione poſſum maximas. Tibi verò me plu-
A rimum debere profiteor, quod me tanto heroi, loco, muneri commendaris. Reſponſum tuum ad poſtremam meam expecto.

Finem facturo unum ſuccurrebat: Me ante pauculos dies à Thoma Eraſto literas accepiſſe, quibus ſe ſcriptum illud de occultis medicamentorum facultatibus, quod ante aliquot annos Antuerpiam ad me miſerat, adjecto de purgantium viribus tractatu, brevi in lucem emiſſurum promittit. Deinde prodituram quoque proximis mundinis partem primam diſputationum ejus de nova medicina Paracelſi (quam examinandam ſuſcepit hortantibus ad-
B hoc clariſſ. quibusque medicis, inter quos ſerio hoc ipſum urget Joan. Crato Cæſareæ majeſt. medicus) in qua remedia ſuperſtitioſa, magicæque curationes expenduntur. Continet tractationem longam ſolidamque, de omni magia, imaginationis viribus, faſcinationibus, philtris, verbis, figuris, characteribus, pharmacorum ſub certo cæli poſitu collectionibus, & præparationibus. Hanc typographo tradidit. Et dum hæc excudetur, ſecundam partem hac æſtate ſe perfecturum ſperat. In qua philoſophica Paracelſi examinabit. Mox de medicina generatim diſputabit, ac cum hac ſcriptum illud publicabit. Quarto loco, pecu-
C liares Paracelſi curationes aliquot examinabit. Cum ſecunda autem parte quæſtionem edere ſtatuit, de natura & generatione metallorum. In qua præcipuè hoc inveſtigat, an viliora metalla in aurum argentumve transmutari poſſint. rogatque me, ut in recenſendis Paracelſicorum argumentis ſiqua præterea habeam (nam quædam illi communicavi) publicæ utilitatis gratia, illum juvare velim. Dabit operam ut ſolidè & perſpicuè omnia diluantur. Feliciter vale Lemgoviæ 5. Junij 1571.

EPISTOLA VIII.

HENRICUS BRUCÆUS MEDICINÆ Profeſſor Roſtochienſis,

HENRICO SMETIO MED. LEMgovienſi. S. D.

Reſpondet ad objectiones de peſte, & ſcriptione Eraſti contra Paracelſum. A

BINIS tuis literis eſſet, Chariſſime cognate, reſpondendum. Priores ſepoſueram, quas dum jam requiro, diu quæſitas invenire non potui. Memini tamen duo potiſſ. te deſiderare in noſtro de peſte ſcripto. Vnum quod in peſte ſæpe non appareant putredinis ulla in humoribus indicia; neque cacochymia, aut obſtructione laborantes, ſolum corripi, verum quosvis ferè homines. Quæ veriſſima ſunt. Nam non putreſcunt tantummodo humores, verum & ſpiritus & ſolida ſubſtantia putreſcere poteſt. Omnia enim, igne excepto, Ariſt. ait putreſcere. Neque cauſam ſolum internam ha- B bet putredo, verum etiam externam, quæ tam valida eſſe poteſt, ut nulla cacochymia, nulla obſtructione laborante corpore, afficere tamen queat, vel humores, vel ſpiritus ipſius cordis, vel ejus quoque ſubſtantiam. Alterum erat, quod objiciebas, non omnia quæ ſiccant adverſari peſti. Neque id ipſum ego aſſero: ſed id tradebam, pleraque ea, quæ peſti adhibentur ſiccandi virtute eſſe prædita. Non eo tamen inficias, præter ſiccitatem, alias vires concurrere mihi occultas, quibus tota ſubſtantia eam oppugnent. Aut quod certæ putredini (ſunt enim illæ variæ & infinitæ certum quoddam repugnet temperamentum (ſub quo mixtionem primorum corporum compræhendo) quod peſtem tollat, in quo tamen ſiccitas po.iores ferè partes ſibi vendicat. C

De Paracelſo quod ais moliri Eraſtum, non improbo; quamvis malim bonas horas melius collocari. Nam refellere quæ abſurdiſſima ſunt (ut ſunt pleraque hominis illius philoſophica, & non pauca dogmata medica) non magni ingenii cenſebitur. Ipſius autem nonnulla medicamenta, multorum uſu & fructu comprobata, velle ſophiſmatibus evertere; neque boni, neque eruditi fuerit viri. ut enim aliàs ſcripſi, ars noſtra infinita eſt, quod dies multa aperiat, ignota veteribus: Deterat quoque non pauca, & oblivione ſepeliat. Stoli- D ditatis autem, ea rejicere, etiam ab anu profecta, quæ huic vel illi morbo depellendo præſtare, ipſa experientia demonſtrat. Ego tamen ab illo viro, omnia ſumma exſpecto. His vale. Raptim Roſtochii 22. Junii 1571.

EPIST.

EPISTOLA IX.

HENRICUS SMETIUS MED. Lemgovianus,

THOMÆ ERASTO MED. PROFESS. HAIDELBERG. primario, præceptori colendo.

A S. P. D.

Gratulatur de ſcriptorum ſuperiorum editione, & Henr. Brucæi judicium, atq; expectationem de propoſito Eraſti, indicat.

DUm æſtate ſuperiore illuſtris comitis Spiegelbergici filio unico, febri tertiana duplice notha afflicto, operam darem, obſervande præceptor: epiſtolam à te XX. Aprilis exaratam, ſecundo
B demum Junii in arce Pirmontana accepi: quæ quanto me gaudio perfuderit dici non poſſit. Amoris enim tui erga me, antiquæque benevolentiæ erat plena. Quid vero optabilius amantibus accidere queat, quam redamari ab illis, quos ipſi diligunt, ac obſervant. Ego ſanè in lubrica iſta, atque ludicra rerum viciſſitudine, unicum adverſus omnia fortunæ tela ſolatium (quantum quidem homo homini præſtare poteſt) ex amicitia mutua exſpectandum exiſtimo.

Quod ſcripti tui de occultis medicam. viribus editionem, una cum tractatu de purgantibus promiſiſti, gratiſſimum id ſanè mihi accidit. Exoptarunt enim illud multi homines eruditi. Disputationes autem tuæ de nova medicina Paracelſi, ut præter multorum ſpem prodibunt, ita medicorum & philoſophorum ſtudiis erunt imprimis utiles, & propter materiæ varietatem perquam jucundæ. Sed res eſt laboris fœcundiſſima, tam propter implicatos abſtruſarum rerum labyrinthos, quàm inuſitatum philoſophandi genus, atque vocum monſtra. Neque video, unde huic controverſiæ æqui judices quæri poſſint, præſertim cum novi iſti philoſophi, Ariſtotelis, Platonis, Socratis philoſophiam, Galenique & Hippocratis, adeoque veterum omnium doctrinam ſuperbe rideant, pro nihilo ducant; ſolum Paracelſum admirentur, adorent. E-
D runt tamen lucubrationes iſtæ tuæ, eruditis omnibus voluptati. Henr equidem Brucæus philoſophus non vulgaris, interq; medicinæ profeſſores ordinarios in Academia Roſtochiana primarius, quique per multos annos Bononiæ cū Italis doctorib. verſatus eſt, in hæc verba menſe Junio, ad me ſcribebat: De Paracelſo, quod ais «
moliri

» moliri Eraſtum, non improbo: quamvis malim bonas horas melius
» collocari. Nam refellere, quæ ſunt abſurdiſſima (qualia plæraque
» hominis illius philoſophica, & dogmata medica non pauca) non ma-
» gni ingenii cenſebitur. Ejus autem medicamenta nonnulla, multo-
» rum uſu fructuque comprobata, ſophiſmatibus velle evertere: ne-
» que boni neque eruditi fuerit viri. Stoliditatis autem, ea rejicere et-
» jam ab anu profecta, quæ huic, aut illi morbo propellendo præſtare,
» ipſa experientia demonſtrat. Ego tamen ab illo viro omnia ſumma
» exſpecto. Hactenus ille.

Commendarat me idem Brucæus (jam fere annus abiit) duci Mechlenburgenſi Joanni Alberto: ejusque juſſu Joachimicos unciales ducentos, præter alia commoda in ſtipendium aulicum offerebat, cum praxeos libertate. Quam ego conditionem (licet hac mea Lippienſi duplo opimiorem) aliquot de cauſis, quas chartæ non libenter committo, recuſavi, tametſi mutandæ ſedis cauſas, nequaquam leves haberem: verum heroïnæ viduæ, erga me meosque, benignitas ſingularis; & luculenta de filio ejus jam pubertatis annos egreſſo ſpes, me detinuerunt. A

Quod in recenſendis Paracelſicorum argumentis pluribus, operam à me petis: facerem perlibenter, ſi plura noſſem. Antagoniſta enim meus cauſæ fortè diffiſus, certamen intermiſit, unico Celſi dicto, ad prolixas meas reſpondens: ſcilicet, non eloquentia, neque diſputationib. ſed medicamentis oportunis morbos tolli. B

In libro Petri Severini de Idea medicinæ Philoſophicæ (quem nuperrime Antuerpia accepi) uberrimum diſputandi campum reperies. Deus pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, te reipublicæ literariæ, artique communi ſervet quam diutiſſimè incolumem, Amen. Lemgovio 17. Martii 1572.

EPISTOLA X.

HENRICUS SMETIUS MED. Lemgovienſis.

HECTORI MITHOBIO MED. HANOVERANO. S. P.

Reſpondet ad literas ejus, & de mirabili Hilmari à Munchhuſen (copiarum, ſub Caroli Quinti auſpiciis quondam ductoris) morbo ſententiam ſuam aperit. D

LIteras tuas Hamelonię feſtinanter, ut dicis, neceſſitate ſic urgente, ſcriptas, clariſſime ſimul ac doctiſſime vir, hodie poſt ſecundam à meridie accepi: quibus aliquot affectuum hiſtoriam, qui à

Cal.

Cal. Octobris huc usque in ægro, qui peritiæ tuæ commiſſus eſt, contigerunt, recenſes. de quibus, quia temporis diuturnitate, ſuaque acerbitate ægrum medicosque pariter fatigant, opinionem meam côſiliumque requiris. Næ tu ſincerus, & ab omni arrogantia alienus es, quem in re perplexa (qualia eruditiſſimis, immo peritiſſimis artis noſtræ profeſſoribus, innumera quotidie occurrere poſſunt) ab alio ejusdem profeſſionis homine, multo etiam imperitiore, & adhuc obſcuro, ſententiam rogare haud piget.

Ego vero licet nec doctrinæ nec artis tantum mihi arrogem, ut
A tibi ſcientia artisque Medicæ operibus excellenti, conſilii aut operæ quicquam conferre poſſim: nihilominus, quandoquidem (qui tuus eſt candor) id officii à me petis: dicam quod ſentio, rogans interim, ut, re & tabellario moram longiorem non indulgente, deliberationem minus maturam, temporis brevitati aſcribere digneris.

Affectus in ægro adhuc præſentes (ut ante actos omittamus) qui maximè torquent, quantum ex epiſtola colligo, ſunt dolor vehemens in oſſe ſacro, ad anum, ac perinæum, immò per longitudinem penis, ad glandem usque ſe extendens. cum aſſidua ſimul deſidendi cupiditate, cruentaque dejectione. interdum quidem fecibus liqui-
B dis: ſæpius tamen ſcyballis rotundis, ac duris conjuncta. Caſus ſic habet: homo ſexagenarius (ſolitus aliquando hæmorrhoides pati) ex longo itinere, victuque intemperanti, in diarrhæam incidit, à Cal. Octobris usque ad Chriſti natalitia, continuantem. Qua per remediû ſuppreſſa, circa umbilicum tormina, anique lancinationes, cum excretionibus raris ſecutæ ſunt. Quam ob rem accerſiti Brema medici conſilio uſus, dubia valetudine in quadrageſimam usque ſe habuit. Recruduit deinde diarrhæa, copioſamque ſanguinis excretionem attrahebat. Ad hoc ſymptoma vocatus D. Mithobius Hanoverenſium medicus circa finem Martii, deprehendit excrementa alui ro-
C tunda, dura, cruore ſincero, multoque ſuper jacente. ſcybalis autem diſruptis, nihil cruenti intus admiſtum latuiſſe. Nonnunquam tamen liquidis fecibus cruorem undiquaque exacte permiſtum. Pati ægrum in oſſe ſacro ad anum usque, ac taurum, immo per penis longitudinem, usque ad glandem, dolores vehementes, non continuos quidem, ſed ad ſingulas deſeſſiones (quæ frequentiſſimæ erant) exacerbantes Excrementa tamen, fere pauca, rotûda, & dura fuiſſe. Adhibitis tandem à te remediis diarrhæam cruentamque excretionem mitius habuiſſe. Lancinationes interim circa taurum, anum, & os ſacrum, nihilo remiſiſſe: aſſiduam deſidendi cupiditatem urgere. ad
D cujus conatum, excrementum ſequi, cum modico craſſoque cruore. Nuper admodum, infuſo clyſmate, poſt XI. & plura excreta ſcybala, dolorem tamen permanſiſſe. Sequente inde excretione liquidiore, cruciatum multo quam ante, acerbiorem factum. Propendiſſe autem ex ano quiddam, quod extractum, Lumbrici inſtar XVIII. pollicum longitudinem æquabat. idque ſiccum durumque, ſed in nodulo,

quem

quem ad finem habebat, excrementum incluſum. Manere nihilominus cruciatus oſſis ſacri, ani, penis, ſibi prorſus ſimiles. Ad hunc ferè modum habet hiſtoria.

Ex qua aliud colligere nequeo, quam inteſtinum rectum ulcere affectum eſſe. Indicio ſunt aſſiduus egerendi conatus, dolor oſſis ſacri ad anum pertingens, atque cruoris adjuncti ratio: Scybalis videlicet nihil cruoris intus immiſtum, ſed extra oblitum eſſe. & eo, quod à tauro per penem ad glandem usque dolor ſentiatur; ſuſpicor affectum ſphincteri valde vicinum eſſe: excitatum forte, ab acrimonia humorum (qui primo diarrhæam generarunt) imprudenter ſuppreſſorum: niſi per diuturnum eorum profluvium, inteſtini tunicam arroſam putemus. Cruentam dejectionem, non hepatico, aut meſeraico fluxui, ſed hęmorrhoidi internæ reſeratæ imputandam potius exiſtimo. dicis enim ſanguinem ſincerum multumque ſcybalis ſuperjacere. Nam qui ab imbecillo hepate promanat; non ſincerus cruor, ſed dilutus & loturæ carnis recenter mactatæ aſſimilis exiſtit. Dilutior quoque illo, meritò neque multus eſſe debet ſanguis, qui ex venis meſeraicis exſtillat, quum hæ venæ ſanguinis ſolummodo rudimentum, ex chylo primum faciant. Hęmorrhæis autem, quamvis à portæ ramo in ſplenem exporrecto oriatur, & ad rectum inteſtinum deſcendens, ſanguinem plerumque craſſum, nigricantem, melancholicum, utpote lienis excrementum, aut alimentum ejus ſuperfluum adducere & excludere ſoleat; tamen poſtquam illum eructavit, diutiusque aperta manet, feculenti & craſſioris loco, ſinceriorem alium ac laudabilem ab hepate attrahere, foraſque evomere ſubinde obſervata eſt, ſicut in nobilis viri Reineri Donopœi hæmorrhagia ſanguinis libras circiter quinque per alvum ante ſeſquiannum effundente, accidit. Quamvis & ſincerus cruor ex venæ cavæ per os ſacrum deductæ ramulis in ani muſculos inſertis, inter enitendum exprimi poteſt. Adde quod ſinceritas ſanguinis, non ex ſuperioribus inteſtinis hæmorrhagiam factam teſtetur, ſiquidem à fecum permiſtione libera eſſe nequiret. Quare ab inferioribus, vel ſaltem à colo provenire neceſſe eſt. Quin etiam locus, unde cruor prodit, diverſus eſt ab illo, in quo ulcus conſiſtit. hunc enim in recto eſſe oſtendimus, neque procul à muſculo clauſorio: partem verò ſanguifluam paulo ſuperiorem, nempe in colo eſſe oportet. quippe ſcybalis cruorem ſuperjacere ſcribis, quod poſterius illum excerni arguit. Scybalorum autem generationem atque copiam, fortaſſe non male quis, famelicis jam poſt longam diarrhæam meſaraicis, coloque propter dolorem ab ulcere excalfacto; attribuerit. Excreta illa res, ſicca, dura & 18. digitos longa, quum non ipſe viderim, quid ſit, non facile dixerim. neque enim internæ inteſtinorum tunicæ portio eſſe poſſit, eo quod tum ſicca tum dura eſſe nequiret, ſed potius humida & mollis & putrefacta, neque absque dolore vehementi extrahi potuiſſet, quamvis ejus non

A B C D

ejus non memineris: præterea & dyſenteriæ diuturnæ ac ſerpentis, immo depaſcentis indicia præceſſiſſe cum graviſſimis cruciatibus debuerant. At neque Lumbricus rotundus fuerit areſactus, quia humiditas inteſtinorum prohibet, nimiaque longitudo 18. pollicum, nec non nodulus fini ejus adhærens & excrementum incluſum habens. De lato Lumbrico ſuſpicari, longitudo quidem non diſſuadet (vidi enim quendam talem, tres pedes fabriles lõgum, præter aliquot fruſta minora, à Reinero Donopœo excretum) ſed figura & cohærentia ſeminib. cucurbitæ excorticatis, albedoq; ſimilis & fragilitas,
A nõ poſſet ignorari. Quapropter de re mihi nõ viſa ſententiã ſuſpẽdo.

Cæterum ad curationem quod attinet, vereor complicatorum horum affectuum curam prorſus difficilem fore. Metuo quoque, ut ulcus inteſtini, cicatricem admittat. Eſt enim jam aliquot menſium & quidem loco humido & excrementis obnoxio. & niſi diligentiſſimè caveatur, vel carcinoma, vel fiſtulam minatur. Indicationes curandi ſeſe contrariæ offerunt. Scybala, humectantia, lubricantia, oleoſa, & nonnihil extergentia requirunt. Cõtra ulcus, ſiccantia, replentia, parumque aſtringentia deſiderat. hæmorrhagia ruptæ apertæ aut eroſæ venæ, emplaſtica, conglutinantia, ſtyptica poſtulat. Dolor anodyna
B exigit. In dubiis caſibus ab eo quod magis urget inchoãdum. hæmorrhagiæ, quia vires admodum labefactat, primum occurri debet, per venæ ſectionem, modicis vacuationibus iteratis, ſanguinem fluxurũ revellendo; deinde hypocyſtidẽ aqua fabrili ſolutam, & imagine tragacanthæ permiſtam, clyſteridio infundendo, promanãtem ſanguinem reprimere, anaſtomoſin venæ claudere oporteret. Opus autem foret haud modicam eſſe infuſi quantitatẽ, ut altius aſcendere, & ad ſanguifluum vaſis oſculum pertingere poſſet Dolor deinde per anodyna primi generis, adhibitis fomentis, inſeſſibusq; leniendus. Intro altheæ & ſymphyti majoris radix, aqua fabrili decocta per anum in-
C jicienda, quod præter doloris mitigationem ulceri neutiquã adverſetur. fortè doloris acerbitas opii aliquid admiſceri, aut pilulas de cynogloſſa exhiberi poſtulabit. Conglutinationi ulceris, bolus Armenia, terra ſigillata, ſanguis draconis, ſævũ aprillum, tragacantha, & ſimilia abſq; morſu deſiccantia, modiceq; aſtringẽtia, vel clyſteris modici forma, vel ſuppoſitorii figura inſeri poſſint: niſi abſtergere prius ulceris ſordes opus ſit, cũ decocto hordei furfurũ & melle oleoq; roſaceo. Ad elicienda ſcybala decoctum althææ (quæ præterquã quod lentorem habet, aſtringit quoq; nonnihil) cum oleo roſaceo infundere licebit, citra magnum ulceris incommodum. Abſtinendum à
D purgantib. deorſum, ne noxius humor ad partem affectam protrudatur; potiusq; per diuretica, aut ſudorifera, aut vomitoria evacuatio tentanda. Nec ſcybala, niſi neceſſitate poſtulante, & quidem rarò, ſubducenda, ut inteſtina ſicciora maneant.

Hæc ſunt, peritiſſime Mithobi, quæ ut voluntatis erga te meæ promptitudinem declararem, de eſſentia, cauſis, locis affectis, & curandi

randi methodo, propoſitorum affectuum, ſummatim pro temporis conceſſi anguſtia cogitare & perſcribere (feſtinante tabellario) licuit. quæ ſi conſummato judicio tuo placere intelligam: feci quod debui. Sin minus: quod potui. Exactior enim de præſentis, quam abſentis ægri morbo, ſententia ferri ſolet. feliciter vale. Lemgovio 28. Aprilis 1572.

EPISTOLA XI.

A

THOMAS ERASTUS MED. PROFESſor Haidelberg.

HENRICO SMETIO MED. Lemgovienſi. S.

Se Antiparacelſicorũ priorem partem transmiſiſſe. Et Henr. Brucæi ſententiam ſibi placere ſignificat. ejuſdemq; de ſcriptis ſuis, ubi ea perlegerit, judicium liberum poſtulat. B

TUas ante triduum accepi, Doctiſs. atque Cariſſime Smeti, ex quibus videre videor, te priorem Antiparacelſicorum noſtrorum partem nondum vidiſſe; quam tamen ſuperioribus nundinis autumnal.bus ad te miſit Doct. Simon Grinæus noſter, cui hoc in mandatis dederam, quum ego Stutgardiam eo tempore vocatus, Francofurtum venire non poſſem. Miſit is exemplaria duo ad D. Echthium, ut alterum eorum tibi porro transmitteret. Suum ille recepit. tibique tuum ſe transmiſiſſe reſcripſit, ubi ubi hæreat.

Valde mihi placet judicium D. Brucæi: quem virum judicii eſſe non vulgaris exiſtimo. Sanè pœnituit me ſæpius conſilii cæpti. Tam enim ſunt abſurda, quæ refutare me oportet, ut memetipſum mei miſereat. Deſeruiſſem opus, niſi interim occaſio daretur res utiles rectè explicandi. Quid in prima parte præſtiterim, & ſecunda (quarũ illa prioribus nundinis, hæc proximis exiit; tertiam autumnalibus hisce, quartam poſt anni ſpatium prodituram ſpero) judicabunt docti, & pietatis ſtudioſi. Si non mihi adulantur, viri ex omnibus prope Germaniæ noſtræ locis doctiſſimi, in prima parte plerisque omnib. ſatisfeci: immo plura dedi, quam ipſi fuiſſent petituri. Hanc, quia te non accepiſſe ſuſpicor: rurſus una cum parte altera mitto. Tertia medicis opinor magis grata erit. Atque in ea explicare ſtudeo, quæ per multi numquam plene intellexiſſe videntur. Cum hac diſputationem de cauſa continẽte, cum poſtrema verò tractatum de occultis pharmacorum proprietatibus, & purgantium natura edere conſtitui.

C

D

Quod

Quod Brucæus inquit abſurda dogmata, tum medica, tum phyſica refellere, non magni cenſeri ingenii, recte dixit. Neque ego profecto mihi plus ingenii, quam aliis arrogo: ſed modulo meo contentus ſum. Semper quoque optavi, ut ab ingenio & iudicio, adeoque doctrina, ac aliis adiumentis paratiores in certamen prodirent, & ſi alia nollent, ſaltem blasphemias refutarent. Quod quia facere præter unum vidi neminem: atque ad impietatem publicam ſilere, impium iudicavi: non potui non meo officio defungi: præſertim, cum ad id me tot undique viri docti impellerent.
A Abſit interim, ut cogitem utile aliquid, fructuque multorum comprobatum, ſophiſmatis ſciens ac prudens evertere. Bona enim & tuta remedia, ſive ab anu, ſive à pueris profecta ſint, reiicere, ipſe quoque ſtolidi hominis eſſe arbitror. Ego ſane, quæ Paracelſus bene vel docuit, vel fecit: non modo non damno, aut attenuo: verum etiam laudo, & amplifico. Quod ſi à me ſumma exſpectat vir ille, fallitur. Non enim ab homine mediocri ſunt exſpectanda maxima. Hoc tantum exſpectet volo: quę à bono viro & pietatis veritatiſque ſtudioſo poſtulari debent. Illum ipſum virum ego propter publicum bonum, oratum etiam atque
B etiam velim: vt noſtris perlectis libere damnet, quæ repræhenſionem mereri videbuntur. Erit hoc mihi gratum, atque te ſponſorem eſſe cupio: me non modò non culpaturum, quæ liberiùs taxaverit: verum etiam publicas pro inſtitutione gratias acturum. Nihil enim quæro aliud, quam utilitatem multorum: gloriam non deſidero: nec ad quas res utilis mihi ſit, ſcio.

Mortem nunc magis meditor: ad quam uſque, ſi vanæ gloriolæ aura exporrigatur: ulterius non extenditur. Satis mihi gloriæ partum eſt: ſi bona conſcientia vixero. Hæc ad tuas literas 17. Martii ſcriptas, reſpondere placuit 18 Aprilis. 1572. Haidelbergæ. Domi-
C nus Ieſus incolumem te conſervet. Amen.

EPISTOLA XII.

HENRICVS SMETIVS MED. Lemgouienſis

THOMÆ ERASTO MED. PROFESS. HAIdelb. primario. S. P. D.

Primam ſecundamq; Antiparacelſicôn partes ſe accepiſſe, & quo ſenſu D. Brucæi ſententia accipi debeat. quantumq; vir ille D. Eraſto tribuat. exponit.

EPiſtolam tuam, obſervande præceptor, 18 Aprilis miſſam 25 demum Auguſti, una cum Antiparacelſicôn tomo primo atque

ſecundo Colonia accepi. Quod autem prioris partis exemplar unum in vere ad me pervenerit: id ego epiſtolio per Doct. Marſtallerum Rinalemio (ubi Hilmarum Munchuſium tribunum militarem ægrotantem una mecum obiter inviſerat) ad vos, ut dicebat, proficiſcentem, menſe Maio, cum gratiarum actione ſignificavi. Bina hæc à te profecta munera, cum propenſa animi gratitudine, ſummo in pretio habebo.

Quod D. Brucæi cognati mei ſententiã, de Paracelſicæ medicinæ examine á te ſuſcepto perſcripſi: neutiquam id eo feci, ut ab incæpto te deterrerem: quin potius ut maturationẽ urgerem. Quantum .n. vir ille tibi tribuat, vel hinc ſatis declarat, quod omnia ſumma à te exſpectet. Quid namque tu poſſis, ex libello collegit, in quem forte Antuerpiæ inciderat, quo formandorum ſyllogiſmorum rationem breviſſimam, nec non Logices, Dialectices, ſcientiæque demonſtrativæ diſcrimen oſtendiſti. Quo lecto ille tamquam ex ungue Leonem agnoſcebat. Famam autem doctrinæ tuæ jamdudum, cum ante annos XII Bononiæ ſimul viveremus, non ex me ſolum, verum & ex Italis ipſis audierat. Quamobrem cum te tanti faceret, maluiſſet te bonas horas melius collocare: indignam, putà, ingenio tuo materiam hãc arbitratus. Nihilominus, ubi lucubrationes haſce tuas viderit, quam utilem reipublicæ operam, vel hoc in negotio navaveris, haud dubiè agnoſcet & ipſe. Scribam itaque illi utque de laboribus tuis liberrimè judicet, monebo. & quod petis, pro candore & gratitudine tua, me ſponſorem dabo. A B

Petri Severini Dani Ideam legere cœperam: ſed propter inuſitatum ſcholis philoſophandi genus: lectionem proſequi tæduit. Quid ſibi velit, non intelligo. Adeo ludit vocabulorum monſtris. De quo tibi quid videatur, & quo loco haberi debeat, à te diſcere percupio.

Reliquos Antiparacelſicôn tomos, tertium nempe, & quartum ſuo tempore exſpectabo. Cæterum ut te valentem ac longævum gloriæ ſuæ ſcholisque omnipotens Deus, ac Dominus noſter Ieſus conſervet, ex animo precor. Lemgovio 29 Auguſti. 1572. C

EPISTOLA *XIII.*

HENR. SMETIUS ELECT. PALATINI Medicus.

HENR. BRUCÆO MED. PROFESSORI Roſtochienſi.

D

DE

Diarrhæa & diſenteria contagioſa. Item de cæco per nares vidente.

BIennium pene totum abiit, honorande cognate, ex quo relicta Weſtphalia cum terna, mea, ſocrus, & affinis familia, huc commigravi.

migravi, atque Friderico tertio Electori Palatino obligatus, in aula eius operam medicam navo. Princeps eſt ſexagenarius, obeſus, catarrhis tenuibus, ad pulmones ſubinde decumbentibus obnoxius, cætera ſanus, vegetus, alacris, prudens, moderatus, humanus: tanto ſincerioris religionis ſtudio affectus, ut non ſolum ſubditorum mores, ſed & ſuos ipſius, ad pietatis normam conformes exigat: adeoque vitia illa (quæ alibi committi impune ſolent neglectum putà verbi divini, blaſphemias, execrationes, ſcortationes, ebrietatem, legibus publicatis ſeverè puniat. Valemus Chriſti gratià omnes, & filiolo dum hic verſamur, aucti ſumus. urbem hanc cùm territorio Rhenano per æſtatem, autumnum, & hiemem nuperrimam, triplex contagii genus haud ignaviter afflixit, putà diarrhæa, dyſenteria & peſtis. Diarrhæa adeò maligna erat, ut quoſdam ante diem tertium ſuſtulerit. Pleroſque pertinaci lentoque fluore emaciabat. Non paucis in dyſenteriam, aut teneſmum degenerabat. Quoſdam una cum alui profluvio, & vomitus excruciabat. Nonnullis aderat febris. Multos dyſenteria ſine prægreſſa diarrhæa, ſtatim à principio invadebat. Quibusdam dyſentericis ſingultus pervicax adhærebat, quorum tamen aliqui convaluerunt. Optimè cum illis agebatur, qui pharmaco ſibi peccantem humorem confertim educi patiebantur, adeò ut quidam vel ante tertium fuerint reſtituti. Plærique etiam dyſenterici, qui circa morbi initium medicamento purgati fuerant, ab ulcere inteſtini felicius, ſecurius, citius curabantur. Qui verò vel ex imperitia, vel metu illud omiſerant: longa & immedicabili proluvio contabeſcebant: eoque magis quòd Germani ferè ad clyſteris nomen indignentur, commoda ſic remediorum (craſſioribus nempe læſis inteſtinis) applicatione deſtituti. Fuerunt, qui ſudorifera potione per cutem evacuati melius habuerunt. Epidemiam hanc pravo ſucco, per annonæ (quæ his locis tunc fuerat, & nunc eſt) ſummam difficultatem, congeſto, accedente æſtatis ſuperioris calida humidaque conſtitutione, attribuendam exiſtimo. Inteſtina contagio obnoxia reddiderat, eorundem imbecillitas, longo novelli vini uſu (quod ex anni 1573. vindemia, crudum, auſterum, acidumque prorſus erat, omphacio deterius) contracta, cuius potus omnibus flatus, pleriſque dolores colicos aut iliacos, multis paralyſin etiam brachiorum, & manuum (contracturam vocabant) unà cum atrophia conciliavit.

Si de monſtro audire libeat, narrabo, Cæcum quendam utroque oculo orbum, naſo pro oculis utentem vidi, cuius beneficio, objecta omnia diſcernebat. Is dextro oculo ante annos multos, quum puer eſſet priuatus fuerat. Tandem iuuenis factus (ruſticus erat) ex ceraſo in palum dumi ligneum faſtigiatum delapſus, vultum impegit, vt naſum vnà cum oculo ſiniſtro, gena, palpebra vtraque, & ſupercilio diſrūperet, adeo fœde, vt Chirurgus, oculi

globum evulſum prorſus crederet, eumque palo inhæſiſſe. Cicatrice tandem inducta, poſt annum ab accepta plaga, dum in gramine apricatur, forte lucem atque floſculorum candorem humi animadvertere occepit, per naſi cavitatem. & jam per quinque, aut ſex annos continuos, viſionem eo modo exercuit, ut quicquid offeratur naſo oculato diſtinguat exactè, ſed deſpectando: ſuſpectando enim lucem ferre nequit. Medicorum igitur collegio, ut examinaretur pridie Cal. Martii juſſu Electoris exhibebatur. cum ſuo enim Chirurgo in ius vocato, contendebat. Portentoſæ itaque huius viſionis modum, cauſamque eſſe depræhendimus, quod ſicut palpebra ſuperior, abrupto muſculo attolli amplius non poterat, ſed conglutinata quoque cum adnata oculi tunica coaluerat: ita etiam avulſo muſculo, qui oculum verſus angulum acutum retrahere ſolebat, pupilla in angulum naſi ſe prorſus abdiderat. Et quia oſſilla naſi non fracta modo ſed & luxata quodammodo, concinnè reſtitui non potuerunt, accidit ut naſus preſſior, latiorque, ſiniſtra præſertim parte evaſerit, adeoque eiusdem naris meatum patentiorem curatio reliquerit, per quem diſtorta latitanſque pupilla, videndi munus obibat, & res quaslibet naſo obvias inter noſcebat. A

D. Eraſtus de contagio hic diſputavit, diſputaturus quoque de morbis ſubſtantiæ. De utraque materia Theſes cum officioſa ſalutatione ad te mittit. rogans ut liberrimè ſententiam perſcribas, quod officii loco habebit. Antiparacelſicis ſuis dudum, edita quarta parte, finem impoſuit, de quibus etiamnum iudicium tuum requiro. Tractatum illum de occultis pharmacorum proprietatibus, deque purgantium facultate, quem rogatu meo olim manu ſcriptum, miſſumque ante annos decem, apud me Antuerpiæ vidiſti, in lucem emiſit. Salutabis communem cognatum D. Battum, cui theſes communes eſſe velim, ut velitationem noſtram de Medicina Paracelſica, morbisque ſubſtantiæ recolat, & diligentius examinet. Bene vale Haidelbergæ 30. Aprilis. 1575. B C

Theſes.

DE CONTAGIO, AD DISPUTANDUM PROPOSITÆ, AD QUAS, PRÆSIDE D. THOMA ERASTO, reſpondebit M. TIMOTHEUS MADERUS, Haidelbergæ, die 6. Martij, anno 1574. D

Theſis. I.

QUI ex diſputatione de contagio ſe evoluere, quæq; ad eã pertinẽt recte ac diſcrete intelligere cupit, eũ nominis ſignificata accuratè

accuratè diſtinguere, & quo ſenſu, quove loco poſitum ſit, non oſcitanter obſervare oportet.

II.

Quatuor autem modis (cum de morbis ſermo eſt) uſurpari notavimus. Nam aliquando pro morbo per contagium contracto ponitur. Vſitatius ſeminarium, quod vel in aëre ſparſum volitat, vel veſtibus aliisve rebus affixum hæret, ſignificat. Non rarius pro ipſa morbi ab uno ad alium tranſitione, ſive pro ipſamet inquinatione accipitur. Proprie ſumitur, cum de qualitate morborum effertur,

A qua commorantes contaminant.

III.

Prima ſignificatio cum ſit maximè impropria, merito à nobis hoc loco rejicitur. Quippe morbus, qui ſe ipſum veluti multiplicans in vicina corpora profert, à contagio contagioſus denominatur: contagium non rectè vocatur. Sic qui contagione acquiritur, ex contagio natus dicitur: ipſum contagium eſſe perperam creditur. Idem tamen contagioſus etiam eſt, quatenus vi ſeipſum propagandi prædiτus, non quatenus ab alio ſuſcitatus eſt.

IV.

B In ſecundo ſenſu ſubſtantiam ſignificat è morbido corpore profectam: quæ vim in ſe retinet, morbum in ſano corpore, in quod ſe forte inſinuaverit, talem creandi, qualis ille eſt, à quo ipſa manavit.

V.

In tertio ſignificato nil aliud eſt; quàm ipſa morbi communicatio, ſeu transfuſio, ſeu motio, qua morbus ſe ex uno corpore in alia diffundit.

VI.

Quarto modo acceptum (quomodo nos plerumque accipiemus)

C proprietas & vis eſt certorum morborum, per quam ſe extra ſubjectum ſuum effundere, inque alia ingerere apti ſunt.

VII.

In hac promotione minimè putandum, eos ſubjectis ſuis deſertis aliena occupare. Præterquam enim quod accidentium de unis ſubjectis in alia transmigratio jam olim impoſſibilis demonſtrata fuit, de morbis hoc ne imaginari quidem poſſumus. Etenim accidentia ſunt membrorum, non humorum. Quocirca ſic ad alia arrepunt, ut interim de ſuis non recedant.

VIII.

D Quare ſi neque derelinquunt ſubjecta priora, neq; ſine ſubjecto tamen de corpore uno ad aliud traducuntur, rectè nuper diximus, contagionis ſeminarium, ſubſtantiam eſſe.

IX.

Etſi verò contagium ab antiquo verbo contago deductum contactum includere videtur, multo tamen eſt contactus ſignificatio

anguſtior, quàm ut de omni contagione pronunciari poſſit: niſi nimis licenter eo abuti velimus Hac de cauſa mentionem contactus, in definitione contagii requiri non credimus.

X.

Ut enim ſeminarium abſque contactu corpus nullum labefaciat, atque ob id in ſeminarii definitione contactus rectè collocetur, in cæteris tamen contagii ſignificatis locum habere non poterit.

XI.

Etenim tangere ſe proprie dicuntur, quorum extremitates ſeu fines ſimul ſunt. 5. Phyſ 3. At ſola corpora ſuperficies obtinent. A
Quare inter ſola corpora naturalis contactus (de Mathematico aut Metaphorico non loquimur.) invenitur: ut ſcite Lucretius cecinerit.

Tangere enim & tangi, niſi corpora, nulla poteſt res. Quare cum contagium prima, tertia & quarta, ſignificatione corpus non ſignificet, per contactum haud rectè definietur.

XII.

Adde quòd contagioſis morbis affectos ſæpius, quàm vellemus, experimur plurimos contaminare, qui ad eos propius non acceſſerunt, nedum eos attigerunt. B

XIII.

Nec ſatis ſcitè excuſaveris diſtinctione contactus per medium & ſine medio. Etenim homines, inter quos ſpatium quodvis intercedit, ſe nequaquam tangere, ſed deinceps ſeu ἐφεξῆς habere dicuntur. At inter ἅπτεσθαι & ἐφεξῆς ἔχειν, diſcrimen prorſus maximum eſſe, is tantum neſcit, qui omnia neſcit.

XIV.

Quod ſi evaporationes contagium transportantes ab inquinante corpore ad inquinatum uſque continuatæ ſemper forent, ſpeciem aliquam haberet excuſatio. Jam quia ſæpe non continuantur, ſed C
interrumpuntur (ut cum in veſtibus, aut rebus aliis talibus receptæ ſunt) quomodo poterit contactus defendi?

XV.

Quæ de ſpirituali qualitate comminiſcuntur aliqui, propoſitum non explicant. Ut enim contagium fiat, qualitatem realem à contaminante ad contaminatum transmitti oportet: quæ eundem illum ſpecie morbum in corpore ſano, id quod exporrigitur, generare valeat, qui in ægro, à quo translata fuit, prius inhærebat: quique inficiente ſemoto nihilominus in infecto permanere poſſit. At qualitas ſpiritalis ſeu intentionalis (Hoc nomine crebrius nominatur) D
neque amota re, cujus eſt qualitas, rebus, ad quas extenditur, adhæreſcere, neque ſubjecti vires aliis imprimere, neque medium alterare, aut in eo perſiſtere valet. Quis rerum ſimulachra in ſpeculis poſt res ablatas reſtare putet? Quis magnetis virtutem in ferro relictam poſt ejus amotionem notavit? Quis corporis noſtri partes

virtute ſentiendi per nervos à cerebro communicata præditas nervis obſtructis, quovis momento inſenſibiles effici neſcit? Quis non in aëre, veſtibus, rebus aliis contagionis ſeminaria perſiſtere expertus eſt? At hoc non ſpiritualium, ſed realium qualitatum proprium eſt.

XVI.

Evidentiæ conſentit ratio. Fieri enim nulla vi creata poteſt, ut rerum qualitates ac vires propriæ in alieno ſubjecto, amotis rebus, quarum proprietates ſunt, firmiter inhæreant. Nam proprium eſ-
A ſet non proprium: quod etiam fingere abſurdum fuerit. An in ferro vis Magnetis, ablata omni ejus ſubſtantia, unquam derelicta fuit? Non arbitror. Nulla certè qualitas in paſſo permanens, poſt agentis receſſum à ſpiritali qualitate producitur. Tales enim à qualitatibus ſubjectum per ſe alterantibus naſcuntur. Spirituales autem qualitates nec medium, nec aliena corpora, per ſe alterant. Hac de cauſa neque novam miſtionem inducunt, neque priorem mutant. In contagio autem prius temperamentum corrumpitur, ac novum invehitur. Quoniam in omni contagio eſt corruptio, quam alterationem realem non præcedere impoſſibile eſt. Quocirca morbos
B per contagium natos, à ſpirituali qualitate ortos nullus affirmabit, quiſquis eos poſt abitum agentis cauſæ perſeverare intelligit.

XVII.

Cæterum ex tribus morbi generibus, nec qui in continui ſolutione conſiſtunt, nec qui inſtrumentales appellantur, contagioſi per ſe & primo cenſeri debent.

XVIII.

Intelligitur id ex hoc primum, quod nullus morbus de ſuo ſubjecto in aliud tranſire poteſt. Alienum ergo ſubjectum, ſubſtantiæ
C duntaxat transmiſſione, quæ in ſe naturam & potentiam eandem retinet, commaculat. Sed ne quidem fingere licet, quomodo in halitu aut vapore tota inſtrumentalis morbi eſſentia comprehendatur. Cauſæ etiam horum morborum quantitate magis ac ſæpius cum peccent, quàm qualitate, facilè intelligimus contagioſos eſſe non poſſe.

XIX.

Deinde ex hoc etiam, quod morbi ſeminarium qualitatem in ſe habere oportet efficientem. Figura autem, numerus, magnitudo, ſitus, continui ſolutio non ſunt actionis ullius principia. Niſi enim
D aliquid ſit movens, omnia hæc per ſe nihil agent. Quocirca ſi maxime hoc daremus, inſtrumentales morbos in halitu, ut in ſubjecto, transvehi in corpus aliud poſſe, inutilis nihilominus eſſet eorum trajectio.

XX.

Illi ergo tantum morbi contagione multiplicantur, inque

alios propagantur, qui vel halitus exſpirant vel alia corpuſcula procreant, totam in ſe morbi eſſentiam, inſtar ſeminis cujuſdam comprehendentia. Quod quia ſimilaribus morbis ſolis datum eſt, nulli alii per ſe contagioſi ſtatui debent. Nulli enim alii in omnibus affecti loci particulis toti inſunt. Quo etiam fit, ut ſine parte affecta, nulli alii de corpore uno in aliud transferri queant.

XXI.

Ex his autem morbis, neque humidi, neque ſicci, neque frigidi, contagio promovent ſe in alios. Illi propter impotentiam agendi: (Nam humiditas & ſiccitas qualitates ſunt admodum ignavę: & cum caliditate frigiditateque comparatæ materiæ potius, quam formæ, rationem obtinent: hoc eſt, patiendi magis quàm agendi principia A
exſiſtunt) hi propter reſiſtentiam contrarii (Nam corpora ſana valido ſuo calore frigidos halitus facile vel repellunt, vel priusquam imprimere aliquid poſſint, alterant.) & frigidorum vaporum exhalantium paucitatem. Quoniam ex frigido morbo tum pauca, tum nonnihil præcalfacta, & à calore extenuata, exſpirare neceſſum eſt.

XXII.

Rationes eædem efficiunt, ut nec frigidi ac humidi, nec frigidi & ſicci morbi, ſive cum materia, ſive absque materia ſubſiſtere ponantur, contagioſi eſſe poſſint, quantiſper nullam qualitatem aliam adjunctam habent. B

XXIII.

Sed & calidi, quicunque citra putredinem, vel caliditate ſimplici, vel cum humiditate aut ſiccitate copulati lædunt, contagioſi non ſunt. Etſi enim primæ qualitates (præſertim caliditas & frigiditas) in res cunctas quomodo libet temperatas & miſtas ſe inſinuare, & in omnem mutabilis mundi materiam propagare habiles ſunt, ad appropinquantes tamen inſtar contagioſorum non arrepunt. In cauſa eſt, quod ejusmodi qualitates, in rara & pauca exhalatione, vires C
non magnas poſſident: & levi negotio ex alieno ſubjecto, antequam id ſibi penitiſſime aptaverint, delentur. Quàm facile, quæ alieno calore, ſcilicet ignis, Solis, rerum aliarum, calefiunt, iterum frigefiant, nemo ignorat. Secundæ qualitates, difficilius expunguntur: imò ſubjecto non transmutato nunquam exſtinguuntur: niſi forte non totius ſubjecti qualitates ſint, ſed in parte aliqua facile ſeparabili inhæreant.

XXIV.

Præclare hanc rem expoſuit Hippo. libro de Veteri medicina: in quo, cũ multis oſtendiſſet quàm facile acquiſititius calor ſimplex ex D
re qualibet profligetur, hæc tandem addit. ᾧ οὖν διαταχέως οὕτω παραγίνεται τὸ ἐναντιώτατόν τε καὶ ἀφελόμενον τὴν δύναμιν ἀπὸ ταυτομάτου, τί ἂν ἀπὸ τουτέου μέγα ἢ δεινὸν γένοιτο; ἢ τίνος δεῖ πολλῆς ἐπὶ τουτέῳ βοηθείας, εἴποιεν ἄν τις; ἀλλ' οἱ πυρεταίνοντες τοῖσι καύσοισί τε καὶ περιπλευμονίῃσι, καὶ ἄλλοισιν ἰσχυροῖσι νουσήμασιν οὐ ταχέως ἐκ τῆς θέρμης

θέρμης ἀπαλλάσσονται, οὐδὲ πάρεστιν ἐνταῦθα τὸ θερμὸν ἐπὶ τὸ ψυχρόν. ἐγὼ δὲ τοῦτό μοι μέγιστον τεκμήριον ἡγεῦμαι εἶναι, ὅτι οὐ διὰ τὸ θερμὸν ἁπλῶς πυρεταίνουσιν οἱ ἄνθρωποι, οὐδὲ τοῦτο εἴη τὸ αἴτιον τῆς κακώσιος μοῦνον: ἀλλ' ἔστι καὶ πικρὸν καὶ θερμὸν τὸ αὐτὸ, καὶ θερμὸν καὶ ὀξύ, καὶ ἁλμυρὸν καὶ θερμὸν: καὶ ἄλλα μυρία, καὶ πάλιν γε ψυχρὸν μετὰ δυνάμιων ἑτέρων. τὰ μὲν οὖν λυμαινόμενα ταῦτά ἐστι. συμπάρεστι δὲ καὶ τὸ θερμὸν, ῥώμης μετέχον. ὡς ἂν ἡγεύμενον καὶ παροξυνόμενον καὶ αὐξανόμενον ἅμα ἐκείνῳ: δύναμιν δὲ οὐδεμίην πλείω τῆς προσηκούσης δηλαδή.

A

XXV.

In his verbis duo nos perſpicue docet Hippocr. quæ ipſæ quoque res vera eſſe comprobant. Unum eſt, primas qualitates in ſubjectis alienis non diu inhærere, ſed cito promteq; pelli. Ex quo nemo non perſpicit, quam ob cauſam contagio ipſis attribui non debeat. Alterum eſt, ſecundas qualitates (inter quas putredinem in præſentia numeramus) diutius permanere, efficaciusq; agere primis qualitatibus: ſi præſertim calorem actionis ſuæ ſocium adeptæ fuerint. Hinc Ariſtoteles quoque in valde contagioſis ὑπέκκαυμα requirit.

XXVI.

B Ergo contagioſi morbi ſunt, non qui vapores ex ſe emittunt ſola calefaciendi, frigefaciendi &c. poteſtate præditos, ſed qui halitus diffundunt virtute corpora, quibus adhæreſcunt, corrumpendi, inſignitos. hoc eſt, qui præter qualitates primas, quæ perfacile abolentur ac hebetantur, vires alias pertinaciores nacti ſunt: quibus non alterare ſolum vicina corpora, verum etiam perdere queant.

XXVII.

Hanc ſive qualitatem ſive potentiam, putredinem eſſe dicimus, his rationibus perſuaſi: Prima eſt, quod in externis ſola putreſcentia videmus vicina corrumpere putredinis communicatione: ſicut C in fructibus rebus apparet. Secunda, quod in omni contagione putredo cernitur; ſicut inductione oſtendi facilè poteſt. Tertia, quod nullus quantumvis pernicioſus morbus, dummodo expers ſit putredinis, contagione in alios proſerpit: quod ſimiliter inductio probat. Quarta, quòd in omni contagio, fit corruptio ſubſtantiæ, non ſecundum totum, ſed ſecundum partem ſive particulam: idque ſenſim. At talis corruptio, eſt putredo. Sic enim Ariſtot ſcribit. οὐ μὴν ἀλλὰ ἰδίως γε λέγεται σῆψις ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων, ὅταν χωρισθῇ φύσεως. Quare cum per putredinem duntaxat particulatim ſic diſſolvantur ſubſtantiæ (calore nativo, qui tamquam vinculum contine-D bat, diſſipato) ut ex eis vapores putridi caloris transvectores tolli, & ad propinqua deferri cum contagio queant; perſpicuum eſt, putredinis opera, morbos contagioſos fieri.

XXVIII.

Calor ſanè putridus non eſt ſimplex & pura caliditas, ſed in certa miſtione conſiſtens qualitas: ſicut rubedo, ſalſedo, odor &c. Quò

fit, ut ſine putri halitu vel corpuſculo, de tota per putrefactionem diſſoluta ſubſtantia elevato, ad alia corpora tranſmeare non poſſit. Non enim extra proprium ſubjectum inſtar primarum qualitatum (quas in ſubjecto quomodolibet temperato miſtove inhærere poſſe ſupra monuimus: & in Antiparacelſicis demonſtravimus) fingi debet. Aliæ corruptionis ſpecies, vel totum ſimul perdunt, vel effluvia contagium ad alia tranſportantia non progenerant. Nam ſive igne crementur animalia, ſive jugulentur, ſive ſuffocentur, aut ſtrangulentur, ſive veneno tollantur, ſive alia ratione perdantur, numquam exſpirans halitus, qualitatem occiſionis cauſam efficaciter, propter tum antedictas tum adhuc dicendas cauſas, transfert ad alia. A

XXIX.

His addi hoc etiam poteſt, quod Ariſt. idem ſenſiſſe videtur. Nam cum in Probl. quærit, cur Phthiſici contagio inficiant alios: non hydropici, aut epileptici, &c. ideo fieri ait, quia expirent πνεῦμα φαῦλον καὶ βαρύ. Quibus mox hæc verba ſubjicit, τάχιστα δὲ τὰ νοσήματα ταῦτα ἅπτεται πάντων, ὅσα τούτου (πνεύματος) φθειρομένου γίνεται. Quid aliud quam putredinem intelligere potuit per τὸ φαῦλον & τὸ βαρύ; Equidem ſpiritus phthiſicorum à ſpiritu Pleuriticorum, Aſthmaticorum &c. nulla re alia differt. Clarius ſe explicat, cum ſpiritum corruptum habere illos dicit, qui celeriter commorantes inficiant. De qua enim corruptionis ſpecie alia loqui potuit, quam de putredine proprie dicta? Quæ impropriè ſic vocatur, & naturali generationi oppoſita eſt, non corruptio, ſed naturalis corruptionis finis exiſtit. Naturalem corruptionem, quæ ſenſim fit ab internis ſeu naturalib. cauſis toto ætatis decurſu, certum eſt eum non intellexiſſe. De violenta non magis accipere poſſumus, cum in hac contagium nullus unquam ineſſe judicaverit: ſicut jam monui. Qui enim fumi ex corpore violenter occiſo (vel pereunte) profluentes, in aliis corporibus ignes, gladios, laqueos, venena &c. vel horum vires qualitatesve generent? Quis neſcit ſuffocati evaporationes, ſuffocationem aut ſuffocandi poteſtatem tranſportare ad alios non poſſe? Quocirca proprie appellata putredine (quæ corruptio eſt ſecundum partem facta) ſpiritus contagioſorum corruptos eſſe exiſtimavit. B C

XXX.

Ad extremum confirmat illud quoq; noſtram ſententiam, quod contrariæ opinionis defenſores, aut nullis aut valde levibus argumentis noſtram oppugnant, ſuam verò frigide nimis probant. Tam non pugnant putredinem eſſe, & vicina putrefacere, quàm non pugnant caliditatem eſſe, & proxima calefacere. Pannos non oportet putridos eſſe, ſed ſufficit, ſi ſeminarium putredinis aliunde receptum in ſe claudant. ἀπόχεσιν νοσερὰν requiri fatemur, ſed σηπεδονώδη eſſe dicimus. Sine obſtructione putredinem generari, fructus computreſcentes, aliaque infinita probant. Rabidi canis venenum putredinis expers eſſe nequaquam concedimus. Nec D

defendi

defendi poſſe putamus, calorem ejus nativum ab alieno corruptum non eſſe: cum ferme rabiei cauſa ſit æſtus. Aequè verum eſt, contagium remediis putredinem curantib. non tolli aut impediri.

XXXI.

Plus difficultatis in eo non eſt, quod quidam repente mortui feruntur in contagione peſtilente, cum ſe ſanos eſſe putarent. Nam hic etiam putredinem in ſpiritibus vel cordis humoribus, (qui nutritionis cauſa per ſubſtantiam ejus diffuſi erant) adfuiſſe probant, quæ diximus. Nec mirantur docti, quod nihil ægri præcipui mali ſenſerunt.
A Nam in Ephemera & Hectica (vel ſimili diſpoſitione) ſenſus mali prope nullus ineſt.

XXXII.

Cum ſpiritus putreſcere negant, longius à vero diſcedunt. Etenim corpora ſunt miſta: ex ſanguine genita: & modo tenuiores ac puriores, modo turbidiores ac craſſiores exiſtunt. Qui autem dubitari poteſt, an putreſcant ſpiritus, cum aerem putreſcere certum ſit? Ariſtot. cap. 4. lib. 5. De generatione animalium luculente docet, vaporem putreſcentem ſitum nuncupatum efficere: & eundem in capillis putrefactum caniciei autorem fieri. Supra eum celeris conta-
B gionis cauſam, in ſpiritus putredine ſtatuere audivimus. Illud ne mentione quidem dignum eſt, quòd ſola viventia putreſcere arbitrantur.

XXXIII.

Difficilius explicatu illud eſt: quod non omnes è putredine orti morbi contagione in alios diſperguntur. Cauſa hujus eventus non eſt ſemper una: ſed frequenter (imo plerumque) plures vel omnes concurrunt. Equidem vel natura & qualitas rerum putreſcentium, vel ipſe putredinis modus, vel ejusdem gradus, vel aliud ſimile, putredinem in alios invadere prohibet.

C XXXIV.

Si res putreſcens vel ſicca nimis ſit ac lentoris expers, vel humidior, quàm ut partes ejus cohærere facile poſſint, vapores emittit innoxios. Tales enim facillime alterantur à re qualibet. Quod ſi res, ex quibus exhalant, calorem vel nullum, vel non magnum & durabilem recipere natæ ſint, minus adhuc detrimenti adferunt. Cum oſſa putreſcunt, cartilagines, ligamenta, non valde contagium communicant aliis, propterea quod vapores ex eis pauci excitantur: & neque longius feruntur, neque putredinem pertinaciter retinent.

XXXV.

D Modos putredinis multos eſſe nullus, puto, neſcit. Significavit hoc nobis Hipp. cum in 3. Epidi. ſic ſcripſit. *ἢν δὲ τὸ ῥεῦμα σαπιστάμενον οὐ πύῳ ἴκελον, ἀλλὰ σηπεδών τις ἄλλη.* Intelligimus idem ex Ariſt. ſcriptis. atque ex nuper citato loco. Non minus perſpicimus ex quotidianis eventibus. An non ſubinde quædam ita putreſcunt, ut ex ipſis nihil generetur? Quis neget aliam eſſe ſanguinis putredinē,

cum

cum in pus mutatur, quàm cum in grumum corrumpitur? An non eſt alia putredo vini, qua in acetum permutatur, ab ea, qua in vappam inutilem convertitur. Sic aliter putreſcunt carnes, cum à cauſticis & venenatis corrumpuntur, quàm cum alia ratione naturam ſuã perdunt. Equidem res pleraſque aliquando cum magno calore, aliquando ſine evidente ac valde ſenſibili caliditate putreſcere cernimus, quod in hoc negotio præcipue notandum eſt. In qua enim putredine puſillus calor eſt, vapores generans, ea minus quoque diffunditur.

XXXVI.

A

Gradus in putredine qui negat eſſe, ignarus eſt rerum omnium. Quædam leviter ſolum putreſcunt: quædam longius progrediuntur: quod non ſolum in humoribus noſtris obſervamus, verum etjam in pyris quibuſdam, meſpilis, cornis, ſorbis, aliiſque compluribus deprehendimus. Nam ex his aliqua vix ſunt edendo, antequam putredinis gradum aliquem conſecuta ſint: quæ ſi putreſcant ulterius, ingrata, inutilia, pernicioſa, evadunt.

XXXVII.

Etſi ergo tantum putridi morbi contagioſi ſunt, tamen & ſub certo gradu, & certo modo putridos eſſe, ac in materia etiam eſſe oportet, quæ in halitus ſolvatur neque nimis ſiccos, neque nimis humidos & aquoſos, ſed viſcoſos, & putridam caliditatem conſtanter conſervare potentes. Conſuetarum febrium putridarum fumi vel propter omnes, vel aliquas ex his cauſis tantum calefacere: ac proinde contagionis expertes eſſe videntur. B

XXXVIII.

Eſt ergo contagium putrida caliditas, ſubjectum in vapores diſſolvens ægrè mutabiles ſive alterabiles, eandem ad vicina corpora qualitatem transportantes. Morbi autem contagioſi ſunt, quicumque inſignem habent putredinem: atque ex ſubſtantia putrefacta, cui inhærent, vi caloris ſui flatus calidos multos, putredinem diu ſervare aptos, diffundere poſſunt. C

XXXIX.

Sic igitur fit contagii propagatio. Alienus calor in hominis certi ſanguine, exempli gratia, per occaſionem aliquam receptus, eũdem, (calore ingenito profligato) putrefacit, ac ſubſtantiam ejus diſſolvit. In hac diſpoſitione partes ejus aliquæ evaporant ejuſdem caloris participes: quæ ad ſanguinem conſimilis temperamenti perlatæ (quacumque id ratione factum putetur) eum ſic inficiunt, quomodo primum corrupiſſe diximus: id eſt, ſimilem ſive eandem ſpecie putredinem inducunt. Vbi enim efficiens & materia non diſcrepant, idem ferè conſequitur effectus. D

XL.

Cauſa ex his elucet, cur alii aliis facilius ab ægrotantibus contaminentur: cur à certo morbo certæ ſolummodo partes præcipue inquinen-

inquinentur: cur eadem contagio non in quævis animalia graſſetur: Sicut enim vapor ex putrido pomo elatus, non ligna, non pannos, non homines, non fructus quoslibet, ſed temperatura ſimiles, præſertim ejusdem ſpeciei, promtè corrumpit, ita ex putrefactis pulmonibus exſpirans halitus ferè ſolos pulmones putrefacit. Sic flatus ex corrupto ſanguine exhalans ſanguinem celerius perdit. Sic ſanies ex putridis cutis humoribus exſudans cutaneos humores cõtactu ſuo præcipuè commaculat. Idem de cæteris quoque eſt judiciũ.

XLI.

A Quod ex contagioſis morbis alii exitioſi ſunt, alii periculo carent, tum putredinis qualitas & modus, tum rei putreſcentis natura efficiunt. Morbus gallicus magis nocere videtur putredinis qualitate, quàm partium, quas primò corripere ſolet præſtantia. Phthiſis non tam propter ipſam putredinis qualitatem, quàm propter pulmones, quos vitiare conſuevit, obeſt. Scabies neutro modo metuenda eſt. Febris peſtilens utroque noxiam adfert. Nam ſpiritum, ſanguinem, cor, præcipuè contaminat: & putredinem habet vitæ noſtræ ſummè repugnantem.

XLII.

B Morbos hæreditarios, non recte in contagioſorum cenſu poni, facile ex dictis perſpicitur. Etenim per contagionem non ipſum eſſe, ſive generationem, ſed potius non eſſe, ſive corruptionem acquirimus. Præterea, qui generat, cum ſemine aptitudinem ſolam ad certos morbos transfundit in genitum: at qui contagio afficitur, habilis prius fuit. Ideò enim contagio, non quaslibet partes aut quosvis obvios vincit, quia non ſunt ad patiendum ſimiliter omnes apti.

XLIII.

Nec minus ille quoque morbus, per contagium factus perperam dicetur, qui ex aëris prava qualitate primum genitus fuit, dum nulla C in eo expiratio putrida è morbido corpore profecta ineſſet. Quippe aëris corruptio, qualis qualis ea ſit, morbus non eſt: nec ægrotare aër dicitur, cum propriè loquimur. Principium & cauſa contagioſi morbi rectè vocabitur aeris vitium: contagium non rectè nominabitur. Tunc enim contagium factum rectè dicimus, cum inquinans & inquinatum ſimili morbo laborant. Aerem autem quis febrire præter Paracelſicos opinetur?

XLIV.

Impropriè etiam laborare per contagium cor, exempli cauſa, dicitur, quando putredo ex aliis partibus, in quib. fortè incepit, ad ipſum D arrepſit. Nam contagium inter duo animalia, non inter animalis ejusdem partes, aptè ſolum conceditur ab iis, qui hanc rem accuratè examinarunt.

XLV.

Non impropriè ſolum, verùm etiam abſurdè loquuntur, qui cerebrum per contagium vexari ajunt, quotiens aura frigida ex pedibus aſcendens

aſcendens in cerebrum Epilepſiam efficit. Quis enim pedes Epilepſia laboraviſſe putet, antequam ad cerebrum aura illa perveniſſet? At oportet eundem ſpecie morbum in contaminante & contaminato eſſe. Adde, quod ſine putredine contagium non eſt. Quare cum hic vapor non ſit neceſſario putridus, ne Epilepſia quidem talis neceſſariò à putredine orta putabitur.

XLVI.

Reſtat adhuc unum explicandum, quod jam olim doctos exercuit, cur, ſi putridus vapor ab ægris ad ſanos putredinem efficacem transportat, non etiam ſalubris halitus ſanitatem infectis reſtituat? A Non minus enim pertinaciter hic quã ille ſæpius inhæret: quod odorati fumi firmè ac dilucidè probant. Reſponſio dialectica fuerit, plura requiri ad conſtructionem, quàm ad deſtructionem: & in plerisque rebus citius bona malis cedere, quàm bonis mala. Propius ad quæſitæ rei naturam accedit, ſi non mediocritatem exceſſum, ſed hunc illam vincere, dicatur. Morbos autem exceſſus eſſe, ac ſanitatem in mediocritate conſiſtere, certum eſt. Quocirca poterunt morbidæ excretiones, excedentem in ſe qualitatem habentes, mediocritatem corrumpere. ſalubres exſpirationes, quarum potentia remiſſior, morbos tollere non poterunt. Quare non mediocria extremis, B ſed extrema extremis in curationib. recte ſolemus opponere.

XLVII.

Quòd ſi tota totius corporis virtus & potentia morbi generationẽ non potuit prohibere: quo pacto exhalatio minus, aut non amplius, virium habens, genitum profligaverit? Adde, quod Naturæ morbos, maximè verò factos, curant, non remedia: niſi quatenus inſtrumenta ſunt Naturæ operantis. ſed halitus è ſanis effluentes, Naturæ facultates robuſtiores aut potentiores, quàm ante morbum fuiſſent, reddere nulla ratione valent: quod perfacile ij intelligunt qui, quomodo & à quibus Naturæ vires collapſæ, aut oppreſſæ inſtaurentur, C non neſciunt.

XLVIII.

Veriſſima ſolutio hæc eſt, quod in quavis contagione ſubſtantiæ alicujus corruptio fit: quæ nec à Natura, nec à remediis corrigi (in miſtis enim fruſtra exſpectatur regreſſus à privatione ad habitum) ſed ſola corruptæ ſubſtantiæ ablatione emendari poteſt. Cæterum vapores ſalubres non exturbare poſſe corrupta, controverſia, puto, caret. Hoc enim Naturæ ſolius eſt munus & officium. Tantum porrò abeſt, ut pauci halitus Naturam à morbo oppreſſam erigant, ut citius ipſi quoque inficiantur, vel certè diſſolvantur: quod facillime & D citiſſimè fieri ſolet.

XLIX.

Adde quod ex ſanis corporibus emanantes ἀπόῤῥοιαι, nõ ſic omnẽ corporum, quorum ſunt effluvia, poſſident facultatem; quomodo putridæ ἀποκρίσεις totam putrefactæ ſubſtantiæ potentiam & proprietatem

catem continent. Quippe ſeminis rationem habent hæ: quod de illis judicari non poteſt. Nihil enim poſſunt aliud, quàm tepide calefacere.

L.

De odoratorum exhalationibus idem fermè ſtatuendum eſt. Etenim odor cum ſit qualitas in certa miſtionis proprietate ſubſiſtẽs, extra proprium ſuum ſubjectum, fingi nec debet nec poteſt. Quocirca non poterit odorata res per effluvium ſuum, odorem eundem in aliter miſto corpore ingenerare, niſi eadem illam miſtionis ſpe-
A ciem in ipſo gignat, quam ipſa ſortita prius fuit. Jam verò quæ miſta ſunt eodem modo, ſpecie non differunt, ſed conveniunt. Fieri enim non poteſt, ut materiæ duæ ſimiliter temperatæ discrepantes formas participent. Quare ut odor idem in alieno corpore naſcatur, generationem præcedere oportet. Vt autem generatio fiat, loco certo, materia determinata, & effectore definito opus eſt. Odor igitur roſæ (exempli gratia) produci in re alia nulla poteſt, quàm in roſa, & à planta roſas ferente. Spiritus odoratus ex roſa exſpirans, plurimum quoque differt à calore illo, qui roſæ author & effector eſt. Sanè odorem roſa, non cum naſcitur, ſed circa maturitatis tempus primum
B acquirit. Omnia igitur cum deſint veſtibus, (has enim pro exemplo nunc ponamus) quæ ad roſæ generationem neceſſaria ſunt, roſæ odor ab odorato roſarum halitu procreari in veſtibus nullo unquam tempore poterit. Hic ergo odor roſæ in veſtibus ſolum reperitur, quẽ halitus ex roſis profecti in ſe retinent. Ratio alia eſt corruptionis: quæ quovis loco à plurimis & diverſiſſimis cauſis efficientibus ſuſcitari in re qualibet ferè poteſt.

EPISTOLA XIV.

C HENRICUS BRUCÆUS MEDICUS Roſtochienſis,

HENRICO SMETIO ELECT. Palat. Medico.

Cenſura de theſibus contagii.

Literæ tuæ, cognate chariſſime, eo mihi fuerunt gratiores, quo minus de toto rerum tuarum ſtatu conſtabat. Nam ubi locorum vi-
D veres, quid ageres, quæ nunc eſſet vitæ tuæ ratio, planè ignorabam. Nunc autem intelligo in aulam protractum, provinciam ſuſcepiſſe multis ambitioſis optandam. Homini autem ſtudioſo, & qui parvo queat eſſe contentus vitandam. Noſti illud; ſi pranderet olus, patienter regib. uti, Nollet Ariſtippus. Sed ſubjicies fortè: ſi ſciret regibus uti, faſtidiret olus qui me notat, &c.

Cæterum

Cæterum ad literas tuas venio,quibus ſententiam meam de theſibus Contagii,& morborum ſubſtantiæ,iſthic diſputatis, petis. Alteras de contagio legi, Fracaſtorii opinionem amplectentes, quam & nos alibi in noſtris diſputationibus ſecuti ſumus. Animadverto tamen multa fuſius doctiſſimum Eraſtum hic eſſe perſecutum:& nõ pauca in dubium vocaſſe doctiſſimeque diſſolviſſe. Illud autem miror,cur febres putridas non velit eſſe de eorum numero,quæ contagio in alium propagentur: Cum videamus infantes lactantes,facile à nutricibus febre laborantibus infici; & pueris,qui febricitantibus concumbunt, febrilem affectum communicari. Neque enim ea eſt natura contagii,ut quosvis afficere debeat: Ita enim paucos morbos contagioſos reperias: ſed id ſufficit,ſi in aliquos putrida exhalatione affectus propagetur. Rurſus quod 16.theſi affirmat nullam qualitatem permanentem,produci à ſpiritali qualitate,agente ſublato, neſcio an omni ex parte verum ſit. Species enim colorum, quæ à rebus viſibilibus deciſæ in oculum feruntur, viſibili ablato,relinquunt nonnunquam qualitatem oculo impreſſam,ut vel flava,vel alba, aut alterius coloris objecta conſpiciantur, quod idem evenit Solem fixius intuentibus. ut de illa vulnerum curatione taceam, quæ inſtrumentorum obligatione, quibus vulnus inflictum eſt, perficitur & aliis malis,quæ per imprecationes,aut conjurationes, prolatione verborum inferuntur,aut tolluntur. Sed hic dæmon, intellectus noſtri imbecillitati ſubvenit,& ab ignorantia tuetur,atque in cauſæ occultæ,ne quid ignorare videamur,locum ſuccedit. Hæc pauca occurrerunt,de quibus quid ſentias proximis literis expecto. Theſes de totius ſubſtantiæ morbis, nondum legi,dato otio diligenter perlegam. Diu enim me torſit iſta quæſtio, ad quod morborum genus referri debeant. Nam veteres non ignoraſſe ſubſtantiæ corruptionem ſatis patet,& ob id ſub aliquo trium generum conſtitui voluiſſe, dubium non eſt. Hic ſcrupulus ſi mihi hoc ſcripto eximatur, magnas tum tibi,tum Eraſto gratias ſum habiturus. Bene vale. Saluta uxorem & D.Nicol.Dobbinum virum clariſſimum.Roſtochii x1.Julii an.1575.

A B C D

Epistola XV.

Henricus Smetius Elect. Palat.Med.

Henr. Brucæo Med. Profess. Roſtochienſi.

Adhortatio ad morbos ſubſtantiæ impugnandos.

Literas ad te nuper,cognate honorande,pridie Cal. Auguſt. dedi, quibus rerum mearum & conſilii de ſuſcepto apud Electorem Palatinum medendi munere,rationem explicabam, ut ſiniſtram de me opi-

me opinionem tibi eximerem. Nunc demum D. Eraſti ad tuam de theſibus contagij, ſententiam, reſponſionem mitto, quam tabellarij inopia hactenus differri coëgit, hujuſmodi autem eſt, quam tibi placituram & ſatisfacturam ſpero. Si quid tamen erit, q requiras, officium Eraſto feceris, ſi id liberrime ſignifices. Nihil enim viro gratius accidere poteſt, quam doctorum hominum colloquiis occupari, præſertim illis, quæ ad veritatis inveſtigationem pertineant. Quantopere autem cenſura tua ſit delectatus, vel ex reſponſionis ſuę procemio videbis. Quamobrem etiam de aliis, morborum nempe A ſubſtantiæ theſibus, quotidie judicium tuum expectamus, de qua re maturè ut cogites, rogamus. Eſt enim negotium maximi, uti ſcis ipſe, momenti, & quod celebrium virorum animos jam dudum torquet, adeoque novatoribus, ut ab antiqua doctrina deficerent, occaſionem præbuit. Hoc illud eſt de quo cum Doctore Leu. Batto, cognato communi morbos ſubſtantiæ, variis, ex Fernelio, Fallopio, Paracelſo rationib. adductis, aſſerente, ante annos quatuor aut quinque tam crebris epiſtolis diſputabam. Qua velitatione, quamvis parum pro ſubjecti dignitate præſtiterim, ſaltē id conſecutus ſum, quod athletæ majores ad rem ſtrenuè gerendam, ſtimulum ſenſerint exemplo mei, quem primum hac ætate illud attentaſſe Eraſtus exiſti- B mat. Tu verò exercitatior quoque pugil, vide ut hac in paleſtra conatus meos virtute tua multò exſuperes, cuius ego laudi nequaquam invidebo, quin potius me gloria tua in veritatis inquiſitione, & communis artis defenſione, obumbratum gloriabor. Hinc tibi anſam dari puta, ſi nondum legiſti ſaltem inſpiciendi nugas noſtras, quas à Batto repoſces: vale, & Battum noſtrum peramanter à me ſaluta, qui ſi quid ex chymicis laboribus præclari, ſi quam in curandis difficilioribus deſperatiſque morbis gloriam aſſequatur, ſcire deſidero. Salutat te D. Eraſtus, ſalutat te D. Volcherus Coiterus Friſius Reip. Nurm- C bergenſis medicus ordinarius, Chirurgus & anatomicus excellens, qui principem Joannem Caſimirum Electoris Palatini filium ſecundum in Galliam copias ducentem, adeoque die Martis hinc profectum, comitatur. Iterum vale. Haidelbergæ. 3. Decemb. 1575.

EPISTOLA XVI.

THOMAS ERASTUS MED. PROFESSOR Haidelberg.

AD

D HENRICI BRUCÆI DE THESIBUS CONTAGII cenſuram, reſponſio, ad HENR. SMETIUM Med. Elect. Palat. ſcripta.

QUÆ ex literis Medici clariſſimi D. Henrici Brucæi, Medicinæ in Schola Roſtochiana Profeſſoris deſcripta, ad me heri miſiſti,

vir ornatiſſime & compater honorandiſſime hodie mane ſumma cum voluptate perlegi. Heri, quia ſerius Schonoſia, quo animi gratia cum amicis exſpatiatus fueram demum reverti, non inſpexi. Ago tibi gratias maximas, quod viri eruditiſſimi judicium explorare, mihique communicare placuit. Ipſi Brucæo non parum obligatum me eſſe ſentio, quod de rebus utilibus nos commonefecit: ac doctrinæ Humanitatiſque ſuæ guſtum nobis præbuit. Intelligo autem duo eum in noſtris theſibus de contagio deſiderare: quorum prius eſt, quod ex febribus putridis aliquas contagioſas eſſe negavimus: alterum quod vires proprias & ſpiritales rerum numquam ſic imprimi alienis ſubjectis aſſeruimus, ut re, cuius ſunt proprietates, à mota, in eis firmiter inhærere poſſint. A

De priore capite cum nemine contendero, qui putredinem unam alia magis minuſve contagioſam conceſſerit. Quod cum D. Brucæum ſtatuere videam, non valde mihi in eo laborandum eſſe puto, ut conſuetas febres putridas contagionis expertes eſſe monſtrem. Si .n. contagioſæ ſint, adeò certè leviter ſunt tales, ut cum alijs quibuſdam comparatæ, merito ab authoribus ferè cunctis, tales non eſſe judicentur. Ego certè non requiro in morbo contagioſo, ut in quoſvis invadat: ſed ſi aliquando certos aliquos contaminet, contagioſum eſſe aio. Illud interim in medendo me non animadvertiſſe fateor, lactantes infantulos, ſi mater aut nutrix febriciter easdem recipere febres, quibus lactantes laborant, quæcumque inquam communibus febribus affectæ ſunt. Aliis morbis eos nonnunquam corripi obſervavi, At propter corrupti lactis ſuccum: eisdem inquinari, non notavi. Etſi verò alia, & quidem evidens cauſa reddi poteſt huius accidentis, tamen contradicere non volo, priuſquam diligentiore animadverſione, veritatem huius rei perſpexero. Sed nec alterum uſu venire vidi, pueros ſcilicet cum febricitantibus cubantes eisdem febribus infici: niſi à putredine maligna ortum habuiſſent. Gratiſſimum proinde accidit quod de his ſum monitus, quæ in mentem mihi non admodum venerunt. B C

In altero capite maior eſt difficultas & obſcuritas. Probat ſuam ſententiam D. Brucæus quatuor argumentis: quorum unum hoc eſt: Qui fixè ſolem intuentur, ſplendorem eius in oculis retinent, etiam poſtquam aſpicere eum deſierunt. Alterum tale eſt: colorum ſpecies re viſibili ablata, interdum in oculis qualitatem derelinquunt, qua alba vel flava &c. videntur eſſe, quæcumq; aſpiciuntur. Tertium ab imprecationibus, & coniurationibus, verborum prolatione factis, ducitur: ſicut quartum ab unguentis deſumitur, quibus gladii vulnerum effectores, illinuntur & obligantur. Ad primum reſponſio eſt in medio. Nam ſplendor ſolis non eſt abſolutè ſpiritualis qualitas, ut de ea in theſibus nos locuti ſumus, ſed medium quodammodo locum habet inter qualitates corporeas & ſpiritales. Quippe & medium & res alias occurrentes per ſe ſenſibiliter immutat. Nos D

autem

autem ſpiritales vires aut facultates in 16. theſi appellavimus, quæ neque medium neque alia corpora quælibet per ſe alterare ſenſibiliter ſolent: hoc eſt quæ abſque medii alteratione in certis duntaxat rebus efficaces ſunt: non quasvis obvias ſenſibiliter afficiunt. Adde, quod ſic fere lux ſolis oculis incommodat, quomodo tonitru auditui nocet; ut enim tonitru auditum deſtruit, non quoad ſonus eſt; ſed quoad cum aëre eſt violenter moto, & in aurem delato; ita lux Solis, viſionem impedit, non quoad lux, & veluti color quidam eſt; ſed quoad aërem lucidum cōfertim in oculos impellit, eoq; modo oculorum
A conſtitutionem vitiat, ac ſpiritus viſioni ſervientes diſperdit. Qualiter denique à ſolis luce in oculis relicta, non ſic eſt permanens, quomodo nos de hac re diſputavimus, & morbos per contagium natos ſtabiles perdurare cernimus; ſed brevi, poſt lucidi corporis ablationem momento, evaneſcit. ſi non remanet in aëre Solis lumen eo diſcedēte aut occidente; qui poterit credi in oculis firmiter inhærere? Non lumen Solis in oculo relictum eſt, ſed aliud quiddam tale, in ſpiritibus oculorum lucidis, aut eorundem tunicis apparet. Summa eſt. qualitatem ſpiritalem vocavimus in 16. theſi propriam cujusque rei qualitatem ſeu facultatem: quæ, modo nobis incognito, ſic agit, ut effectus ejus,
B etiam in diſſitis rebus animadvertatur, nulla interim ſenſibili mutatione in medio facta. Quippe reales ſeu corporeæ poteſtates, ſic agunt in res remotas, ut earū actio medium quoq; mutet. Harum effectiones remanere ipſis ab euntib. cernimus, illis recedentib. nihil relinqui videmus. Hæ temperamenta rerum immutant, illæ tale nihil efficiūt.

Hinc ad alterum quid reſpondendum ſit, perſpicuè patet. Ingenue dico, me ex inſpectione nivium & rerum atrarum oculorum ſenſiſſe defatigationem, ac dolorem: viſionis denique impeditionem: ſpeciem coloris viſi in oculis derelictam numquam percepi. Relinquitur ea in ſenſu communi: in oculis non permanet; niſi ſi humor aliquis
C pupillam, humoresve eorum tingat. Quod ſi maximè per breve ſpacium, veſtigium aliquod receptæ ſpeciei reſtaret, tam diu tamen non remaneret, ut ad oppugnandum nos perduci valeat. At non remanet rei viſæ aut coloris ſpecies: ſed per accidens nonnunquam dum ſpecies recipitur, oculi turbantur. Equidem colorum ſpecies in oculum venientes, nil aliud ſunt, quàm imagines & ſimulachra verorum colorum. Quo fit, ut aliud agere non poſſint, quàm figurare ſeu repræſentare ea, quorum ſunt imagines. Nulla enim res ultra ſuam agit ſpeciem. Quomodo igitur ſe ipſos propagaverint aut firmaverint in oculis aut ſpeculis, quæ ſine objectis ſubſiſtere nullo
D momento videmus? Si plura hic requiris, quæ Ariſtot. 2. de anima de hoc negotio diſputavit, inſpicito. Ad tertium & quartum non peteris à me, puto, vel tu vel D. Brucæus, ut prolixius reſpondeam: ſi modo legiſtis, quæ de virtute atque efficientia verborum 1. parte Antiparacelſ. diſputat. de imaginatione, faſcino, atq; aliis, itemq; hac ipſa de quæſtione à pag. 169. uſque ad 192. diſputavimus. In ea diſputa-

tione inter alia, hæc etiam continentur. Si qua verborum eſt virtus & poteſtas, eam vel ex ſe ipſis habent, vel aliunde acquirunt. Si in ſe habere putentur, vel propter materiam eis inerit, vel propter formam. Quæcunque enim rebus naturalibus natura inſunt, propter alterum horum eis inſunt. Materia porrò verborum eſt ſonus, aut ſi mavis, aër ſeu fuligo, quæ in corde acervatur, & vi muſculorum thoracis, aut diaphragmatis per aſperam arteriam, extruditur, ſonumque impulſu ſuo in larynge ſuſcitat. Forma autem eſt artificialis, ſoni articulatio, ſeu conformatio: quam animal beneficio laryngis linguæ, palati, labiorum, anteriorum dentium, pro arbitrio ac voluntate ſua fingit, format ac perficit. In materia facultatem iſtam mirabilem nemo quærit, arbitror; ſive quis ſonum pro materia accipere velit, ſive fuliginem ejus cauſam, ſive utrumque junctim materiam nominet. Hæc enim cum in omnibus verbis eadem ſint (immò cum in brutis etiam ſint) nulla erit in verbis alia, quam majoris & minoris differentia. (Egent enim alia copioſiore, alia parciore fuligine conatuque.) Quo poſito perit omne figmentum de conceptis verbis in conjurationibus & imprecationibus. Idem flens & ridens, male ac bene precans, &c. nanciſceretur: dum eadem eſt natura horum: idemque ſonus, quoad pro materia ſumitur. A B

In forma ſi quæras divinas illas vires ſanandi ac inducendi morbos, minus invenies. Si enim articulatio, aut figuratio ſecum afferret, hanc poteſtatem materiæ, ubicumq; & quandocumq; ea materię, ſeu exhalationi illi accideret, vim eamdem verba illa ſemper & ubiq; obtinerent: quod falſum eſſe certo conſtat: & quotidiana experientia vanum demonſtrat. Deinde neceſſum foret, ut ab inſtrumentis, à quibus verba finguntur, tantæ vires infunderentur materiæ. Quis autem non amens & delirus (de doctis loquor) putet illiusmodi potentiam à larynge; lingua, labiis, halitui; ſeu fuligini, quæ vocis materia ponitur, imprimi & communicari? ſi ſic haberet res, non referret, à quo & quando pronunciarentur; ſed à quocumque, & quovis tempore, ac loco, prolata, idē ſemper efficerent. At conſtat nec quolibet loco, & tempore, nec à quolibet ad murmurata valere. Quiſquis enim citra ſuperſtitionem profert, fruſtra & ſine fructu aut ſucceſſu profert. Cæterùm à nobis demonſtratum alibi ſæpe fuit, formas ab arte profectas non eſſe principia, & per ſe cauſas naturalium alterationum & proprietatum. Quippe eſſentia earum conſiſtit in figura, ſitu, &c. quę alterationem rebus per ſe nullam adferunt. Sed nec capaces reddunt proprietatum naturalium; quæ à materia & forma duntaxat compoſitis tribuuntur. Sanè artificiales formæ, quoad ſunt tales, inſtrumenta quædam efficiuntur operum artificialium: non autem admirabilium virtutum, quas rebus natura inſervit, vel cauſæ, vel ſubjecta fiunt. Quoniam materiam non mutant, ſed figuram ſolum ejus extremitati inducunt. C D

Quam

Quamobrem neceſſum eſt, ut, cum verba neque propter materiam ſuam, neque propter formam, tam ſtupendas vires ſortita ſint, à re quapiam alia acceperint: ſi quidem poſſidere tales putentur. Non eſt porro pro cauſa afferenda voluntas. Etenim intelligere & velle, ſunt actiones intus manentes: in aërem vel ſonum minimè transeunt. Quocirca imaginabile non eſt, qua ratione verba vires voluntate tales, ſi maxime in ea ineſſent, recipere poſſet. Adde quòd vel ex hoc falſitas hujus rei perſpicitur, quod hujuſmodi virtus in materia nulla abſque antecedente alteratione inſculpi poteſt. Jam
A verò confeſſum eſt doctis omnibus, voluntatem ſive animam, licet ſpiritus & membra movere primo valeat, alterationis tamen principium propinquiſſimum non eſſe. Quippe omne alterans, per qualitatem in ipſo exiſtentem, alterat. Caret autem anima talibus qualitatibus. Hinc eſt, quod verbis ingenerare per ſe primo vim illiusmodi non poteſt. Quomodo verò ſanabunt verba, ſi alterandi poteſtate deſtituuntur? At in ſe non habere, aut ab anima non accepiſſe ea tale quippiam, illud etiam probat, quod plurimi ſine fructu ea pronunciant, qui ſumme effectum conſequi concupiſcunt. Carent enim re aliqua, propter quam à certis murmurata efficacita-
B tem habuiſſe nonnuncquam viſa ſunt. Hæc autem res, ut ex ante dictis indiſſolubiliter oſtenditur, verbis accidit aliunde: ab eorum natura vel anima non emanat. Excipiat hic forte aliquis, nihil vetare, quin aliquid in compoſito inſit, quod in neutra componentium naturarum ineſt: ac proinde verba accipere ab articulatione ſeu pronunciatione (dum enim pronunciantur, articulantur ſolùm) quod tamen ipſa in ſe, ut in ſubjecto, non habent. Animal namque nutriri ac ſentire poteſt propter animam, tametſi neque corpus neque anima per ſe conſiderata, aliquid horum in ſe, tamquam in ſubiecto, habeant. Reſpondeo, haud eſſe ſimilia quæ ponun-
C tur ſimilia. Ex anima & corpore fit unum τὸ δὲ τι ſubſtantiale: at ex ſono & ejus figuratione, quæ artificiale quiddam eſt; non item. Deinde etſi anima non ſit ſubjectum propriorum accidentium prædictorum, videlicet nutricationis, ſenſionis, & ſimilium, eſt tamen eorum principium & cauſa: quod ejus definitio probat. At de articulatione ſonorum, ne quidem fingere tale quippiam audeas. Addere his poſſis, quòd anima, talium actuum ſecundorum cauſa non eſt alibi, quàm in compoſito. Nam ſeparata cum eſt à corpore, eodem illo momento periere ſimul omnes ἐνεργείας tales: uti omnes intelligunt ac ſentiunt homines. Quare ſi anima tale
D quid largiri poneretur aëri ſeu exhalationi, quam verborum materiam fecimus (ſonus & articulatio cum ſint accidentia, non poſſunt ſubjecta effici talium proprietatum) ſtatim tamen ac extra os evolaſſent, evaneſcerent. Non enim in ea deinceps anima quicquam infundere poſſit. Minus adhuc imaginabile eſt, quomodo verborum materia retineret illas vires ab articulatione impertitas, ipſa non

amplius exiſtente. Tunc enim eſt ſolum, quam diu fit. Quare in momento fermè ſanabunt. At ſanatio naturalis, fit in tempore partibus alteratis. Ergo miraculoſa fuerit talis ſanatio, non naturalis. Quo poſito, ſatis patet à majore virtute, quàm quæ in verbis inhærere queat, talia proficiſci. Quare non à verbis, ſed ab alia poteſtate miracula iſta efficiuntur.

Non inficior, verbis pronunciatis conſecutum fuiſſe aliquando effectum. At à verborum hoc vel propria vel acquiſita vi, profectum id fuiſſe conſtanter nego. Etenim capacia talium poteſtatum non ſunt verba, ſive ad materiam eorum, ſive ad formam reſpicias. Quî enim ſonus articulatus, hoc eſt, accidens, quod non eſt, niſi dum fit, tantarum virium ſubjectum efficiatur? Ingenuè quod ſentio, dicam, magnæ inſcitiæ in Philoſophia argumentum eſt, putare, verba ſubjici tantis poteſtatibus poſſe. Quòd ſi ergo eis prolatis conſequatur effectus; vel accidit, ut tunc pronunciarentur, cum ille fieret: vel à nobiliore agente effectus fuit. Equidem quæ in re aliqua ineſt potentia quippiam agendi, ea frequenter, immò ſemper id efficit, cum non impeditur: verba autem rariſſimè, & à certis ſolum admurmurata, viſa ſunt aliquid interdum effeciſſe. A

Quod igitur? ocioſane ſunt verba, virtuteque nulla prædita? immo maxima & admirabiliſſima. Quippe animas ea intelligentium, in omnes formas transmutant: ac fermè miraculosè inflectunt, & trahunt in partes quasvis. Verùm ſignificando, quæ eorum propria & ſola actio eſt, talia faciunt. Etenim verborum vis ac facultas omnis, conſiſtit in ſignificando animi cogitata: nec alium per ſe uſum habent; nec ob aliam cauſam datus eſt homini à Deo ſermo, quàm ut eo animi ſui cogitationes aliis aperiret. Hanc porrò facultatem ſignificandi non habent naturâ (Nam nec à materia, nec à forma obtinent) id eſt, non ſignificant naturaliter, ſed ex pacto & conſenſu inter homines facto: quod ex eo facilè quisque perſpicit, quòd aliena lingua loquentes minimè intelligimus. Signa proinde ſunt, non naturalia, ſed artificialia, ſive ex pacto. Etenim naturale ſignum omne, vel eſt cauſa, vel effectus rei ſignificatæ, vel ab eadem cauſa producitur, a qua res ſignificata efficitur. Quorum cum nihil de verbis verè dici poſſit; palam eſt, naturaliter ea non ſignificare. Adde quod ſicut cogitationes animi apud omnes ſunt eædem, ſic verba eadem eſſe, atque ab omnibus intelligi oportebat. At Germanici Idiomatis verba audienti Italo, Gallo, Polono, Græco, Hungaro, &c. ſi non didicerint prius linguam noſtram, nihilo plus ſignificabunt, quàm bruto alicui. Significant igitur verba iis ſolis, inter quos convenit, ut res talis, nomine tali appelletur: quod ex pacto eſt ſignificare. B C D

Ex modò dictis iterum liquet, falsò attribui verbis virtutem profligandi aut infligendi morbos. Si enim apud audientes & intelligentes ea ſolum agunt, morbi autem nec audiunt nec intelligunt ulla verba; certum eſt fruſtra ad morbos auribus ac mente carentes

dici:

dici:niſi ſi cum Paracelſo, animalia aurita libeat ponere. Ergo vel incaſſum pronunciantur, vel ad intelligentes dicuntur. Non ad ægrotantem: Primò, quia tales curatores plerumque ægro abſente ſuas conjurationes recitant. Deinde quia eaſdem obſcurè & tacitè ferè muſſitant ac ſubmurmurant. Demum, quia nihil ægro ex auditione virium accedit. Nemo enim dat, quod non habet. Verba autem in ſe non habere tales potentias ex retro dictis perſpicitur. At excitant credulitatem, in ſpem ſanationis audita verba? Non nego confidentiam & ſpem ſalutis magnum in curatione momentum habere: at verba curandi vim per ſe poſſidere iterum nego. Etenim hoc modo per accidens juvant: minus credulo (id eſt, à ſuperſtitione alieno) nihil conducunt. Adde quod major tunc vis credulitatis foret, quàm verborum. Quæ cum licitis modis poſſit excitari, conjuratione & incantatione accendi non debet: quæ ſine impietate aperta uſurpari nulla ratione poteſt.

A

Præter ægrotum nemo eſt, qui verbis excitari adferendum opem valeat, niſi vel ad Deum, & ſanctos ejus, vel ad Dæmones dirigantur: ſive hoc occultè & implicitè fiat, ſive apertè & explicatè agatur. Equidem poſt Deum, ejuſque miniſtros ſanctos, & Cacodæmones impuros, nullæ creaturæ mentis participes factæ videntur, quæ verba intelligere, intellectaque exequi; ſolitæ ſint. Admirabilia etiam opera, quæcùmque majora ſunt, quam ut natura per ſe (aut eo ſaltem modo) efficere conſueverit, quæcumque nec ad notas, nec ad occultas naturæ vires aptè poſſunt referri, omnibus ætatibus vel Deo, vel Angelis, vel impuris ſpiritibus rectè attributa fuêre. Cæterum pugnare cum vera pietate, conjurationes & imprecationes iſtas, conceptis verbis factas, ad depellendos morbos, mirum ſi aliquis in tanta veritatis luce non videat. Ad Deum igitur aut ſanctos ejus fruſtra dirigantur. Deus enim non creavit Medicum, ut virtute extra ordinem naturæ ad verba accedente, morbos pellat: ſed ut naturalibus pharmacorum poteſtatibus curet: ſicut alimentorum inſitis in creatione facultatibus nos alit ac ſuſtentat. Non eo inficias Deum per ſanctos miraculosè plurimos ſanaviſſe. At hoc neque perpetuum & ordinarium eſſe, neque conceptorum verborum virtute fieri, voluit: quemadmodum nec abſque cibis, nos vult vitam producere longius, tametſi aliquos, cum ei viſum fuit, abſquè omni alimento longo tempore ſervavit. Ideo ſcribit Siracus Deum feciſſe Medicum, ut pharmacis, quæ ex terra pullulant, quæque pharmacopolæ varie miſcent, morbos fugent: non ait mandatum eos accepiſſe, conceptis verbis ſanandi. Cap. 8. v. 1. 4. 8.

B C D

Reliquum eſt igitur, ut in tali curatione Dæmones illis verbis advocent in ſubſidium: poſtquam alia res nulla reperitur, quæ paciſci cum talibus Medicis potuerit. Verba enim, ut oſtenſum eſt, ex pacto ſolum valent. Ergo intervenit conſenſus & pactum aliquod ſaltem tacitū, inter Dæmones & conjuratorem, ut conceptis illis verbis,

certo modo, & ceremoniis pronunciatis præſto ſit. Et ut, qui nunc ea pronunciat, pactum hoc interveniſſe neſciat, & ab aliquo, tamquam rem utilem, bonam, & à pietate non diſſentaneam didicerit (ꝙ ſæpe idiotis accidit) nõ tamen non peccat graviſſime, qui eis utitur. Nam commercium habet cum dæmonib. propter pactum quod cum illo pactus eſt, qui primus talibus verbis curare cœpit. Sane quiſquis à malis ſpiritibus diſcere aliquid cupit aut obtinere, defector appellari aliquo modo poteſt. Fit.n. defectio non tantum opere, ut cum quis fidem abnegat, aliquid in Cacodæmonum nomine inchoat ac perficit, notis ac ſignis ignotis quippiam ab eo petit, verum etiam A
verbis quando videlicet citra abnegationem, invocatione, conjurationibus, orationibus ſuffumigiis, ceremoniis aliis, vel neſciens ab iis aliquid exſpectat. Pactum ipſum conſiſtit vel in verbis vel in factis: at operis perfectio in virtute dæmonis ſita eſt.

Quæ cum ſic neceſſario habeant; perſpicuum eſt, iſta à nobis non adferri, ut Dæmon in occultæ cauſæ locum ad excuſandam ignorationem noſtram ſuccedat: ut D. Brucæus affirmat. Non enim adeo ſumus ambitioſi, ut omnia ſcire videri velimus: nec ita excordes, ut non intelligamus infinities plura nos neſcire, quam didicerimus: illarum, inquam, rerum, quas cognoſcere optavimus & B
tentavimus. Quamquam mihi omnino perſuadeo, hæc omnia ab ipſo non dici ſeriò: ſed tantum voluiſſe audire exiſtimo, quid ad ea vel tu, vel ego reſponſuri ſimus. Ego ſanè vix ullum eruditum, & in doctrina pietatis inſtitutum vivere arbitror, qui opinetur ideo nos dæmonibus nequam tribuere, quæ conjurationibus & ſimilibus rebus aliis quidam ſe rentur efficere, ut noſtram inſcitiam legamus. Quippe cogit nos tum divina tum humana philoſophia id aſſerere: ac demonſtravit omnium ſeculorum experientia, rectè affirmari. Quin imo negare velle, inſaniam pariter & impietatem omnes illi indicant, qui Dæmones eſſe credunt. Profectò Paracelſus qui hoc C
ſtuduiſſe unice videtur, ut omnes homines impietate ſuperaret, vix unquam negare fuit auſus, coniuratores ope Dæmonum potius, quàm virtute verborum admirabilia illa perpetrare.

Summatim repetam, ut planius intelligas. Verborum vis alia nulla, quam ſignificandi, quid is cogitet, qui loquitur. Nam ſicut ſenſiliũ, ſpecies, quatenus ſenſus movẽt, in res ſenſu carentes non agũt teſte Ariſt. 2. de anima, cũ tota rerũ univerſitate, propterea, ꝙ vim aliam nullã poſſident, q̃ ſenſus movendi: ſic verba quoad ſoni articulati ſeu certi idiomatis verba ſunt, nil agunt in res auditu, vel ratione carentes: propterea ꝙ aliud nihil poſſunt, quam animi conceptiones repræſentare. Significant aũt propter pactũ & conſenſum: non natura. Quocirca non ſignificant ratione carentibus, quoniam paciſci nobiſcum non potuerunt, ut vox talis rem denotet talem. Rationales porro creaturæ nullæ ſunt nobis notæ, extra hominem, præter Angelos & Dæmones. Verba igitur poſt Deum, à ſolis Angelis, Dæmonibus & hominibus intelliguntur. Ab illis linguarum idiomata omnia videntur percipi: D

hominibus illud ſolum ſignificat, quod didicerunt: id eſt, in quod diſcendo conſenſerunt. Conjuratorum itaque verba, ſi quidem ad res inanimatas, aut nil audientes, ac intelligentes dicantur, vim nullam habent. Solis enim intelligentibus ſigna & notæ ſunt: aliud efficere nihil poſſunt, ut retro oſtenſum eſt. Nam articulatio, quæ eorum forma eſt, non eſt, niſi dum fit: nec vim ullam habet aliam, dum exſtat, præter antea dictum. Materia autem, ſeu aër, nulla virtute alia præditus eſt, quam ea, qua omnis alia fuligo per exſpirationem ex thorace exiens ornata eſt. Quo fit, ut à nullo agente talis in ipſam natu-
A ralis proprietas induci valeat. Quippe omnes tales poteſtates, ex materiæ potentia, ab efficiente educuntur. Quis verò putet tãtorum miraculorum potentiam in excrementitia illa fuligine latere?

Quocirca ſi admirabilis effectus certorum verborum pronunciationem conſequatur; non verbis, ſed alij virtuti aſcribere cogimur: quæ ſcilicet verbis illis invitata, illecta incitata, vel pacti admonita fuerit. Argumento eſt, quod nec ſemper, nec à quolibet, nec quovis modo pronunciata valẽt. Oportet enim pronunciatorem ſuperſtitioſum, ac Dæmoni notum eſſe: & certis ceremoniis pronunciare. Quare neceſſarium eſt, ut eis veluti ſigno & pacto advocentur, vel
B Angeli vel Dæmones. At cum quid extra, præterq; ordinem, ac modum à Deo inſtitutum, aut id petitur, quod petere Deus vetuit; ab Angelis; aut ſanctis Dei miniſtris non exauditur. Reſtat igitur, à Dæmonibus factum eſſe. Cæterùm virtute verborum conceptorum velle morbos curare, cum Dei mandato pugnat: uti vel ex 19. cap. Act. perſpicitur. Quare opera Dæmonum peragitur ejuſmodi curatio. Sanè Magicum vocarunt eruditi omnes, quicquid ſupra naturæ vires vi carminis fieret. *Ver. 13. 14.*

Si excipiat aliquis ſanctis verbis id conantem non videri peccare, graviore eum ſe ſcelere aſtringere aſſeverabo. Etenim, ex citato pro-
C xime loco Actor. confutatur aperte hæc opinio. Et cum, qui ſacris abutitur verbis, contra Dei voluntatem (alius enim uſus eſt verbi divini: & propter aliud nobis datum eſt.) ad conjurationes traducens, ea veluti ſacramenta quædam faciat, ſive ſigna & teſtimonia fœderis inter Dæmones & coniuratores icti, quo modo non ſceleratiſſime videtur errare? Nec mirari quiſquam debet, quod Deus juſto judicio improbis ſpiritibus poteſtatem faciat, non nunquam id faciendi, quod à conjuratore poſtulatur: quo irretitum eum in impietate & ſervitute retineant. Notum eſt ex 1. ad Rom. cap. Deum ἀπείθειαν hominum, nefarie à Deo ad Dæmones transfugientium, ejuſmodi
D cæcitate punire: ut malint à Diabolis ſalutem expectare, extra ordinem à Deo præſcriptum, quàm à Deo per media ab ipſo inſtituta ſervari.

Linimenti illius deſcriptionem, quo gladij vulnerum effectores illini præcipiuntur, ante annos ferme 19. à D. Burchardo Mithobio, viro pietatis & doctrinæ laude clariſſimo Ducis Erici Brunſuicenſis

Medico experientiſſimo, accepi. Miratus tunc ſum (nuper enim ex Italia in Franconiam vocatus conceſſeram) inter pietatis veræ cultores, adhuc inveniri homines adeo ſuperſtitioſos, qui impiis talibus nugis fidem haberent. Atque ut ipſa re abſurdiſſimam ſuperſtitioſorum opinionem confutaremus, chirurgis aliquot dedimus citra ſuperſtitionem uſurpandum: qui in ipſo opere vaniſſimum deprehenderunt. Si D. Brucæum crederem opinari, linimento huic vim & efficaciam ineſſe vulnerum abſentum curandi, quando ferro, quo inflicta ſunt, illinitur: hac ipſa de re, ad eum fuſius ſcriberem: Ad te (quem rectius inſtitutum in Chriſti primum, deinde etiam philoſophorum & medicorum ſchola ſcio) fruſtra plura dixero: & quam alienum ſit à pietate veritateque illius modi figmentum, pluribus demonſtrare conarer. ubi enim aut quomodo contactus, vel corporalis vel ſpiritualis (ſine quo actio nulla naturalis, vel fingi poteſt) monſtrabitur? aut à quo vires abſentes alterandi mutuari putabitur? abſit verò, ut de viro tanto, de cujus eruditione, vel ex hoc ſcripto præclariſſimè ſentire cogor, tale quid credam. Hæc habui quæ hoc tempore tibi reſponderem, in quibus ſi quid deſiderabis, addam abs te admonitus. Pluribus de capite poſteriore, quam de principio ſtatueram, diſſerui, propterea quod multos, & ex his etiam non indoctos quosdam, & à pietate minimè alienos, per imprudentiam & incogitantiam hic impingere video. Copioſius tamen hac ipſa de re egi in parte I. Diſput. noſtrarum, ſicut ſupra monui. Hoc ſolum ad extremum addam, valde periculoſum eſſe pharmacis uti, quorum vis major eſt, quàm ut naturæ eorum rectè aſſcribi, vel unde ea profecta ſit, perſpici queat. Metuendum enim ſemper nobis eſt, ne ex pacto cum Dæmonibus inito efficaciam illam nacta fuerint: & dum ea uſurpamus, tacitè & inſcienter Dæmonib. malis blandiamur, ac ſerviamus. Vale in Chriſto Jeſu feliciſſimè Calend. Auguſt. 1575.

A B C

Epistola XVII.

Henricus Brucæus Medicus Roſtochienſis.

Henrico Smetio Med. Elect. Palatini ad D. Tho. Eraſti reſponſionem de Contagio nonnulla replicat.

S. P. D.

D

GRatias tibi maximas debeo, cognate chariſſime, quod eruditiſſimi viri literas, doctrina haud vulgari refertas, ad me miſeris, ex quib. ut voluptatẽ non mediocrẽ cœpi: Ita eruditionẽ admiratus ſum. Placuit n. D. Eraſti ſcribẽdi ratio qua veterũ more, cauſis ex rei natura petitis,

ra petitis ſua confirmat,non ut hodie pleriſque (qui eruditi haberi volunt) in more poſitum eſt, tanquam prætoris decreta, ſua proponit. Quod autem ad febres attinet putridas, quas omnes in contagioſorum numero repoſui, puto id ipſum ex ipſius putredinis natura conſtare. In corpore enim putrido, ut nativus calor exhalavit, & extraneus eſt introductus in humido: ita hic vicinorum corporum nativum calorem vitiat,vel educit, & inducit præter naturalem, putredineq; afficit,exhalante materia putrida,& vicina corpora petente, ut in pomis & aliis præſertim humidioribus, quæ putredini magis ſunt ob-
A noxia,animadvertimus. Vicinioribus n.putredo communicatur,iisq; quæ magis ad putredinem ſunt parata; nam agentis actio ſuſcipitur in materia diſpoſita. Verum tamen eſt aliam putredinem in humido magis pingui, & viſcido conſiſtere, eamque magis eſſe contagioſam, aliam verò in humido aqueo, quæ cum in materia tenuiore (quæque facilè diſſipatur, & minus hæret) conſiſtat:non mirum,minus eſſe contagioſam, & pro contagioſis morbis febres communes minus cenſeri, quamvis omnis putredo plus minusve contagioſa ſit. Porrò lucem & colorem, facilè patiar à qualitatibus illis ſpiritalibus excludi:quamquam colores viſum afficere judicem, nulla mutatione
B ab ipſis in medio facta, licet medium requirant diaphanum & lumine perfuſum. De eo quoq; nulla eſt controverſia, vehemens ſenſibile, aut corrumpere,aut admodum labefactare ſenſum, ut de magna luce & ſonis violentis conſtat. Speciem autem nonnunquam in oculo relinqui coloris, non puto pugnare cum iis, quæ ab Ariſt.lib.2.de anima traduntur: Cum ipſa viſio fiat, multiplicatione ſpecierum viſibilium in modum coni, cuius baſis ſit in re viſa, vertex in oculo, quid igitur abſurdum, in oculo aliquantiſper ſpeciem remanere, etiam ſublata re viſibili & cono, ut ab Allace propoſitione prima ſuæ perſpectivæ evidenter docetur.

C Quæ de verborum poteſtate doctiſſimè à D. Eraſto diſputantur, refelli meo judicio non poſſunt,dum neq; materiæ, neq; formæ conveniant,& à voluntate hanc facultatem conſequi nequeant, ſintq; ad placitum vocabula rebus impoſita, neq;, ut alibi rectè Ariſt. propter noſtrum affirmare, vel negare, ulla conſequatur in reb.mutatio.Itaq; ad Deum, vel angelos & ſanctos, aut Dæmones horũ affectuum cauſam, qui ad verborũ conceptorum enunciationem ſequuntur, referẽdam arbitratur. Curationes autem morborum, quæ coniurationibus imprecationibusq; perficiuntur,Dæmoni aſcribit:Movent tamẽ quędam mihi ſcrupulum quod nõnulla videãtur ejus eſſe generis, quæ ad
D Dæmones referri minimè queãt, in quibus nullũ pactũ videtur interceſſiſſe. Videntur enim pacta ob id contrahi, & quæ pactis ſunt compræhenſa præſtari, ut ea ratione ſecum paciſcentes abducantur à veri Dei cultu,aut ut aliqui in ſua impietate confirmentur. Quæ cauſæ in hominibus, quibus verus Deus eſt planè incognitus, locum non habent, neq; enim à verò Deo ſunt retrahendi, quem penitus ignorant,

aut

aut impietate confirmandi, cum in Idolorum cultu à teneris annis ſint imbuti. Scribit Aloiſius Cadamuſtus cap. 18. navigationum Indicarum ſerpentes ovibus infeſtos in regno Senegæ cultui idolatrico dedito, noctu catervatim caulas petere, abigique conceptis quibusdam verbis, & hanc rationem aliis pluribus haud eſſe ignotam. Quid quod Trallianus, ubi de calculo agit incantationum vim in morbis ſanandis agnoſcit, & in eandem ſententiam uſu edoctum Galenum deſcendiſſe teſtatur. Quibus temporibus cur Dæmon fuerit tam officioſus, & hominibus benignus, fateor me cauſas non perſpicere: cum illæ, quibus potiſſimum impelli debebat in hisce hominibus locum non haberent. Quid quod Græcos pleroſque medicos, vel Dę- A
mones ignoraſſe, aut eorum vim in morbis inferendis, vel tollendis, eſſe aliquam, non exiſtimaſſe, veriſimile ſit: cum nuſquam eius, quod ſciam meminerint. Nam Hippocraticum illud eſſe in morbis quiddam divinum, quomodo intelligi debeat, Galenus in commẽtario indicat, & ipſe Hippocrates in tractatu: morbi caduci ſatis aperit. Hi tamen ſummi viri medici; & Philoſophi, quibus rerum naturalium verborumque poteſtas imprimis fuit perſpecta, iis quæ evidenter apparent, aſſentiri maluerunt, quam vim incantationum per ſe tollere. Per ſe dico: Nam Dæmonum (à quibus talium effectuum cauſæ, qui incantationes ſequuntur, ſolum peti poſſe viden- B
tur) non meminerunt. Porrò conceptis verbis inſtituere curationem impium eſſe, non poſſum mihi perſuadere, præſertim cum, qui Magia inferuntur morbi, Magia ſolum curentur. At pacta cum Dæmonibus non ſunt in eunda fateor, quod autem pacta cum aliis inita ad alium transeant, & eadem impietate obſtringant, id non eſt veriſimile; cum pacta efficiat paciſcentium conſenſus. Qui ſi à nobis longè abſit, & in conceptorum verborum uſu, quibus malum tollitur, nihil impium contineatur, divinumque auxilium imploremus; non video quicquam à religione alienum, & bono pioque viro indignum committi. ut enim ſi quæ ſalutaria humano generi ab ho- C
minibus ἀθέοις eſſent profecta, ea amplecteremur, non reſpicientes authores: ita ſi quæ à Dæmone utilia forent demonſtrata, non arbitrarer reijcienda. Quid quod nonnullos effectus in morborum curatione, qui verborum conceptorum enunciationem, aut deſcriptionem comitantur, ad bonos quoque genios ſive angelos referre queamus. Cur enim hos non tam promptos ad ſublevandum, quam alios ad nocendum cenſeamus, præſertim in morbis, ubi naturalibus auxiliis deſtituimur. Neque obſtat Sirachidæ locus cum ſolis pharmacis ex terra pullulantibus utendum eſſe non ſcribat. neque artes curioſas (quarum in Actis fit mentio) huc pertinere exiſtimo, D
cum hæc cognitio ſerviat humano generi, & ſalva religione (cum nullum intercedit pactum, nec verba ullam impietatem complectantur, & Deus invocatur ut actionibus adſit) poſſint hi curationum modi in uſum trahi: Hanc ſententiã approbavit Conſtantinus

Magnus

Magnus Codicis lib.9.tit.10. leg.4. Eorum, inquit, eſt punienda ſcientia, qui magicis accincti artibus aut contra ſalutem hominum moliti, aut pudicos hominum animos ad libidinem deflexiſſe deteguntur. Nullis verò criminibus implicanda ſunt remedia humanis quæſita corporibus. At dices fortaſſe, niſi interveniente pacto, fruſtra verba ſubmurmurari. Refellit hanc ſententiam, id quod Lipſiæ annis abhinc 12. vel 15. evenit, ubi puella non intelligens quid ageret ob ætatem; dum nutricis actionem totam qua in ciendis tempeſtatibus uſam ſæpius viderat imitatur: tonitrua fulguraque excitavit,
A quibus villa, haud procul ab urbe diſſita, conflagravit, ut mihi retulit D.Nevius, & innumeris civibus conſtat. Nam puella in ſenatum adducta, deliberatum fuit utrum in eam jure poſſet animadverti, Juriſconſultorum autem ſententiis deciſum, non poſſet puniri, cum ob ætatem, quid ageret, planè ignoraſſet. De unguento, quod conſtellatum nominant, quo inunguntur arma, quibus vulnera ſunt inflicta, & curantur, exiſtimo vera eſſe quæ multorum conſenſu affirmantur fieri; & facta eſſe nulla conjuratione aut incantatione interveniente. Scio hæc cum naturalibus actionibus pugnare, in quibus contactus requiritur, cuius generis ſunt, alterationes, ab-
B ſterſiones, &c. Negare tamen ea, quæ fieri videmus, turpe eſt. Magis autem laborandum puto, in cauſæ veræ inveſtigatione, quam in eorum, quæ evidentia ſunt, everſione. Et admiremur potius nonnulla, quum iam multa eveniant, quæ nullas cauſas naturales in ſe continere judicamus. Cuius generis non pauca ſunt, quibus enervantur ad venerem homines, in quibus, longè minus quàm in unguẽto, cauſæ effectus cognoſci poſſunt. Verùm, cum intelligam ab D. Eraſto hanc materiam proculdubio doctiſſimè & ſubtiliſſimè in Antiparacelſicis explicari, ego hoc ſcripto excitatus, ſtatui locum hunc, & univerſum opus perlegere. Hoc omni tempore, quo ferè
C abſui ob Illuſt. Principis Ioannis Alberti valetudinem (quem Deus Opt.Max. ex his calamitatibus ad vitam beatiorem evocavit) nihil ferè agere potui. Sic mea vita perpetuis quaſi fluctibus fuit agitata. Nam cum huc potiſſimum me recepiſſem, ut ſtudiis vacare poſſem: evenit, ut longè magis diſtraherer, dum ægroti maximam tẽporis partem mihi ſurripiunt: ut decreverim brevi huic vitæ generi in univerſum renunciare, quod alienarum miſeriarum eſt perpetuum quoddam theatrum, cum non exiguis curis implicitum: & iis ſtudiis potiſſimum vacare, quæ ſolam veritatem ſibi proponunt, quibuſque meliores evadimus. Oportet enim aliquem ponere cupidita-
D ti terminum cum paucis ſit natura contenta. Scriptum illud, de morbis in ſubſtantia, ceperam legere; ſed nondum potui tantum ocij conſequi, ut perlegerem, fit autem in eo mentio caloris natiui, eum non eſſe cœleſtem, idque à D.Eraſto alibi eſſe demonſtratum. Id ſcriptum ad me mitti velim, quod in eadem ſim ſententia, & videã. Fallopium, Curæum & Cratonem idem ſentire. Non dubito autem D.Era-

D. Eraſtum, pro ſua ſingulari, & rara eruditione, id ita confirmaſſe, ut nullus dubitandi locus amplius relinquantur. Bene vale. Et me, ut facis, ama. Februarii die 24. Roſtochii anno 1576.

LIB. SEXTVS.

EPISTOLA I.

HENRICUS SMETIUS ELECT. Palat. Med. A

HENR. BRUCÆO PROFESSORI Roſtochiano, Ad D. ERASTI.

Antiparacelſica, & Theſes de morbis ſubſtantia legendas hortatur.

LIteras tuas 24. Febr. ſcriptas 28. Martii accepi chariſſime cognate, ex quibus Eraſti reſponſum tibi & placuiſſe & ſatisfeciſſe intelligo. Inhærere tamen ſcrupulum tibi qualemcumq; ex Magiæ effectis animadverto, quem tamen lectione Antiparacelſicæ diſputationis præſertim partis primæ penitus exemptum iri confido. Illic n. plenè de incantatione, de faſcino, de philtris, aliisq; magicis ludibriis diſſeritur. Quod a. ſcriptum Eraſti ad te mitti cupis, ubi de calore nativo agit, illum non eſſe cœleſtem, ſed elementarium id in altera Antiparacelſ. eruditè docet. velim itaque te in ſententia perſtare, ut opus illud Eraſti perlegas, quod, meo judicio, lectu digniſſimum videtur. Theſes quoque de morbis in ſubſtantia, rogo ut ſeriò & cum judicio examines, & cenſuram tuam (ut de contagio feciſti) liberè (quod decet) feras, rem nobis facturus gratiſſimam. Exquire etiam, quid novatores judicent, quid Battus noſter, quid Memmius de illis ſentiant, & ecquid præclari in deſperatis morbis præ cæteris medendo præſtet. Habet Eraſtus præ manibus tractatum, quo uſum chymicorum remediorum examinat, præſertim ex metallis petitorum, utrum tutò intra corpus exhiberi poſſint. Doleo mortem principis veſtri Jo. Alberti, herois ſine controverſia optimè de ſtudiis, & religione meriti. Quod praxi medicæ in univerſum renunciare decreveris; neſcio quàm piè feceris. B C

Rectè ſentis ponendum cupiditati aliquem eſſe terminum; cum paucis natura ſit contenta. Et ſanè theatrum quoddam perpetuũ alienarũ miſeriarũ eſt practici vita. Poſſis quoq; non minus commodare vitæ communi, & Reipublicæ, ſi iis te totum ſtudiis dedas, quæ ſolã veritatis inquiſitionem ſibi proponunt, ut inventam, & aliis porrò tradant, verùm recordari oportet nõ nobis natos nos eſſe, ſed & proximo; talentumq; nobis à Deo concreditũ non eſſe humi defodiendũ; D

denique

denique benignum eſſe afflictorum malis non tam condolere quam opitulari, neque majus Eleemoſynæ genus eſſe poſſe, modo ſine ſucceſſi reſpectu, aut gratitudinis ſpe fiat. Conſecutus es præclara ingenii eruditionis, & judicii dona à Deo: artemque longa exercitatione habes, ut minus laborioſa deinceps tibi ſit ægrorum curatio. Eraſtus hominum qui vivunt occupatiſſimus, cum ſcribendo tum docendo: nulli tamen vel gratis operam ſuam denegat. Bene vale 13. Apr. 76.

A

THESES.

DE MORBIS TOTIUS SUBSTANTIÆ AD DISPUTANDUM PROPOSITA, ad quas, præſide D. THOMA ERASTO, *reſpondebit, Deo volente, M.* THEOPHILUS MADERUS. *Haidelberg. Anno 1575.*

I.

B Morbi omnes in corporis noſtri partibus, ut in proprio ſuo ſubjecto, inhærent. Partium autem duo ſunt genera ſumma: ſimilares videlicet, atque inſtrumentales. Totidem quoque morborum genera eſſe oportet: ſi pro varietate ſubjectorum rectè diſtinguuntur propria eorum accidentia. Morbi igitur omnes ſunt aut ſimilares aut inſtrumentales: præter continuitatis ſolutionem. Quæ, quia utriſque accidere poteſt, communis eſt ambarum morbus.

II.

Quòd ſi morbi aliqui vel materiæ, vel totius ſubſtantiæ exſtant, C neceſſarium eſt, ut vel ad ſimilares, vel ad inſtrumentales, vel ad communes referantur.

III.

Cæterùm non cenſeri totius ſubſtantiæ morbos inter inſtrumentorum vitia, ex eo liquet, quod ad inſtrumenti integritatem & perfectionem (quæ in juſta partium conformatione, magnitudine, ſitu, & numero, conſiſtit) tota ſubſtantia nequaquam pertinet.

IV.

Eadem ratio in continuitatis ſolutione locum habet. In hac enim qui totius ſubſtantiæ morbos quæret, totam partium ſubſtantiam D nihil eſſe aliud ſtatuere oportet, quàm earundem continuitatem. Quanquam ne ſic quidem uſum aliquem haberet iſta morborum multiplicatio. Quippe unitas partium aliter lædi nequit, quàm diviſionis modis illis, qui à veteribus enumerati ſunt.

Quare

V.

Quare ſequitur, totius ſubſtantiæ, ac materiæ morbos (ſi qui tales exiſtunt) inter ſimilarium partium morbos collocari debere, quòd & horum inventores nobiſcum profitentur. Quod autem ſimilares partes, quoad ſimilares ſunt, non ſola intemperie unitatisq; ſolutione laborent, ſed & alios inſuper morbos ratione materiæ, ac totius ſubſtantiæ, patiantur; his fermè rationibus demonſtrare aliqui conantur.

VI.

In quibus ſanitas partium conſiſtit, aiunt, in eiſdem morbus quoque reperitur. At ſimilarium ſanitas conſiſtit, in partium ſingularũ A
materia, temperamento, & forma ſeu ſpecie. Quamobrem tria ſtatui oportet ſimilarium morborum genera: unum materiæ: alterum temperamenti: tertium formæ, ſeu totius ſubſtantiæ.

VII.

Ad materiam pertinent, nimia durities aut mollities: craſſities aut tenuitas: denſitas aut raritas: adſtrictio ſeu tenſio aut laxitas. (His aliqui perperam addunt ſenſus acutiem, atq; dolorem.) Quòd enim propter hæc, temperamento nõ mutato, partium actiones lædantur, multa oſtendunt: ut quòd ventriculus aliquorum nec ace- B
tum, nec ſinapi fert: quod odoribus certis aliqui mirificè vel juvantur; vel offenduntur: quod morbi ventriculi, jecinoris, &c. adſtringentia perpetuò poſtulant quòd vires Galenus aſſerit in ſpiritus, carnis, & ſolidarum partium juſta quantitate & qualitate conſiſtere: quòd immoderate laxantia vires idem diſſolvere ait: quòd tenuitatem cerebri ingenij felicioris cauſam conſtituit.

VIII.

Jam quòd totius quoque ſubſtantiæ morbi dentur, illud primum probat, quod veriſimile prorſus eſt, ſic partes agere, quomodo Struthii venter. Hic autem ferrum coquit, non caloris Elementalis aut in- C
ſiti temperamenti ratione, ſed totius eſſentiæ natura. Deinde quòd Galenus etiam ſubtilius philoſophatus temperationem à tota ſubſtantia diverſam ponit. Item, quod libro 2. ad Glauc. immoderate laxantia robur ſolvere, refrigerantia calorem exſtinguere, qualitates extraneas vim & facultatem debilitare ſcribit: quo in loco tria morborum genera in ſimilaribus manifeſtè ſedibus diſcludit. Item quòd idem νοσερὴν ἀπόκρισιν affirmat magis totius ſubſtantiæ proprietate, quàm nota qualitate nocere. Denique quòd medicamenta totis ſubſtantiis morbos ſimiliarium partium pellentia inveniri aſſeverat. Cum itaque omnis actio ſit ex contrariis ſub uno eodemque ge- D
nere comprehenſis (ac fieri non poſſit, ut aut qualitas in ſubſtãtiam, aut ſubſtantia in qualitatem primum & per ſe agat) neceſſum eſt, ut qualitatibus ſuis qualitates noſtri corporis, & tota ſubſtantia totam partium ſubſtantiam primo afficiant. Hoc autem qui poſſet contingere, ſi nullus totius ſubſtantiæ morbus exiſteret?

Alij

IX.

Alii quidam ſic idem probant. Similaris pars vivens & agens, præter materiæ & temperamenti ſimilem ſubſtantiam, formam in ſe habet occultiorem, qua eſt os, caro, nervus: quaque vivit. Patiũtur igitur duplices morbos, quoad ſunt ſimilares: & quoad inter ſe differunt ac vivunt. Hos vel morbos totius ſubſtantiæ, vel formæ, vel alio modo nomines licet: modò non ignores, ſingularum partium formam actionum earundem (magis quàm temperiem) causã exiſtere: & quemadmodum virtus & robur eis feruntur accepta, ſic vitia quædam in eis ſtatuenda eſſe.

X.

A Huius proinde generis morbi ſunt, quicumque nec materiæ nec temperamento aptè attribui poſſunt: quales ſunt febres putridæ: & peſtilentes: morbus Gallicus: contagioſi: venenati: & maligni alii.

XI.

Vt quàm vera ſint jam dicta perſpiciatur, ſcire primùm oportet, quid ſit tota ſubſtantia. Horum morborum inventores, hac in re, ut in pleriſque aliis, quas novare voluerunt, non ſibi conſtant. Primum dicunt eſſe perfectionem & integritatem, qua res unaquæque

B conſiſtit. At conſiſtunt res ſuis formis in materia ritè concinneque præparata: nec alia re ulla opus habent ad eſſentiæ ſuæ conſtitutionem. Nihil ergo aliud fuerit iſtis tota ſubſtantia, quàm compoſitum ex materia & forma.

XII.

Deinde cum ſpiritus & innati caloris diſsolutionem à vigiliis, laboribus, in edia, ſtrangulatu, extremo & penetrabili frigore factã, totius ſubſtantiæ morbum nuncupant, ſpiritum & calorem inſitum nomine totius ſubſtantię intelligere videntur. Quo illa verba etiam

C ſpectant: Neceſſe alias haberi cauſas, quæ diſſoluto temperamento putredinem invehunt, alias eſſe, quæ innatum calidum exſtinguunt atque diripiunt. Hæc autem diſſolutio, eſt totius ſubſtantiæ corruptio. Item, venenorum ferocia, in nativum noſtrum divinumq; calorem, ipſumq; vitæ principium maximè ac primùm ſævit.

XIII.

Ideo autem videntur ſpiritum atque calorem totam vocare ſubſtantiam, quia ſibi (verbis quibusdam Ariſtotelis peſſimè intellectis decepti) perſuaſerunt, originem eorum cæleſtem eſſe non Elementarem: atq; animam & facultates eius in uniuſcuiuſque partis

D innato ſpiritu & calore inſitas principales actionum omnium cauſas exiſtere. Quoniam igitur ſpiritus cum ingenito calore lædi adeoque deſſipari (temperamento vel nullo modo, vel leviter offenſo) atq; eo modo actiones ac vitam ipſam tolli iudicant, horum exſtinctionem totius ſubſtantiæ morbum nominant.

XIV.

Aliter rurſus loquntur, quando cũ congenito calore formam & facultates coniungunt: & compoſitum ex ſpiritu, calore, forma & facultatibus, totam ſubſtantiam appellant. Totius verò ſubſtantiæ nomine inquiunt, & inſitum calorem, & facultates, ipſamq; formã complectimur. Huc & illa referri ex parte aliqua poſſunt: Partis autem tota ſubſtantia eſt, quam & ſpeciem, & interdum facultatem appellamus. Item, quando ſpirituoſam in nobis ſubſtantiam, ad formam carnoſam & ſolidam ad materiam referunt. A

XV.

Iidem non rariùs totam ſubſtantiam dicunt eſſe formam ſive ſpeciem: ut ex ante citatis patet. Nec aliud ſenſère, cũ in ſimilari parte morbos quoſdam materiæ, nonnullos temperamenti, deniq; aliquot totius ſubſtantiæ ſtatuerunt: quia in ea inſint Materia, Temperatio, & Forma. Item quando ſic ſcribunt: Cauſæ totam rei ſubſtantiam primùm & per ſe invadentes, totius ſpeciem exterminant, parum admodum læſo temperamento. Deniq; cum toties nobis inculcant, nihil intereſſe, ſive tales affectus totius ſubſtantiæ, ſive formæ, aut ſpeciei morbos vocemus, &c. B

XVI.

Rurſus cum putredinem aſſerunt morbum eſſe totius ſubſtantię, aliud à forma videntur per totam ſubſtantiam intelligere. Etenim putredo eſt affectus corporis miſti, quo ad miſtum eſt: non aut formæ aut miſti, quoad formæ particeps eſt. Quamobrem nihil aliud hoc pacto accepta tota ſubſtantia fuerit, quam proprietas miſti.

XVII.

In hac ſignificatione utitur paſſim Galenus nomine totius ſubſtantiæ: quod in eius lectione cum judicio aliquo verſatis notiſſimũ eſt. In præſentia ſufficiat unum illum locum citaſſe, qui in 4. de ſimpl. pharm. pot. ca. 14. legitur, ubi tam clarè docet, quid per totam ſubſtantiam intellexerit, ut clariùs docere vix alius poſſit, &c. C

XVIII.

Quod totius ſubſtantiæ nomine Galenus expreſſit, hoc Avicennas initio lib. 2. Canon complexionem ſecundã nominavit: Ariſtoteles principio lib. 2. de part. animal. ſecundã compoſitionem, (δευτέραν σύνθεσιν, ἢ σύστασιν) vocavit. Alii vel ſubſtantiæ, vel materiæ ac temperamenti cuiusq; rei proprietatem nuncupare ſoliti ſunt.

XIX.

Errant ob id plurimum, qui morbos totius ſubſtantiæ ex Galeno volunt probare, atq; aliud per totam ſubſtantiam intelligunt ab eo, quod Galenum ſic nominare diximus. Nec ſpeciem ſeu formam ſic vocavit Galenus: nec ex materia & forma ſubſtantiæ effectrice (quã in pleriſq; rebus ne eſſe quidem putavit) compoſitum: multò minùs ſpiritum & congenitum nobis calorem ita nominavit: ſed cuiuſquã rei materiam propriam aptè temperatam iſto nomine extulit. D

XX. Sci-

XX.

Scire poſt hæc convenit, quid propriè ſit pars ſimilaris, & quid inſtrumentalis: item quæ ſit actio ſimilaris atq; inſtrumentalis: & quod earum ſit diſcrimen. Equidem non quicquid in ſimilari parte ineſt, ipſi tamquam ſimilari ineſt: ſive ad naturam ſimilaritatis (liceat mihi ſic loqui) ſpectat. Etenim magnitudinem, figuram, &c. habent etiam ſimilares partes; quæ tamen ad earum naturam, quo ad ſimilares ſunt & dicuntur, non pertinent. Eodem modo non quodvis in ſimilari parte vitium inhærens, actionemq; impediens, pro morbo
A ſimilari habendum eſt: ſed illud ſolum, quod actioni eius, quoad ſimilaris eſt, impedimentum adfert.

XXI.

Cæterùm partium viventium (de his enim agimus) aliæ vocantur ſimilares, aliæ inſtrumentales: propterea quod actionem edere poſſunt vel ſimilarem vel inſtrumentalem. Quę neutrius eſt inſtrumentum, homonymωs ſic nominatur: ut ſcite docuit Ariſtoteles. Hac de cauſa illis deſcribendæ ſunt rebus, quæ ad actionem earum conferunt. Videndũ proinde initio eſt, quæ & qualis actio ſit ſimilaris, aut inſtrumentalis.

XXII.

B Actio purè ſimilaris tres in ſe conditiones habet. Vna, quòd à partis ſuæ temperie inchoatur. Altera quòd ab eadem etiam abſolvitur. (Multæ namq; actiones à temperatione quidem principium ducunt, quæ ab eadem ſola non perficiuntur tamen.) Tertia, quòd abs qualibet ſimilaris partis particula integra & perfecta editur. Actio enim ſimilaris, ſicut aliæ ſubſtantiarum proprietates, cum corpore ſuo dividua eſt: atq; in omnibus particulis ex equo inſidet. Colligitur hinc, illud, quod actionis ſimilaris cauſa eſt, æqualiter per omnes eius particulas extenſum eſſe: non in una magis, quam in alia, inhærere.

XXIII.

C Pure inſtrumentalis (ſunt enim ex ſimilarib. & inſtrumentalib. miſtæ, ut ſic dicam, actiones plurimæ) ea eſt, quæ à temperie ſola nec inchoatur: nec abſolvitur: nec niſi à toto inſtrumento perfecta editur. Etenim inſtrumentalis actio à certa totius inſtrumenti magnitudine, figura, numero, ſitu, & connexione cũ aliis, (quæ extra totum inſtrumentum invenire aut fingere nullus poteſt) duntaxat perficitur. Quo etã fit, ut totius inſtrumenti & partium eius, nec nomen nec ratio ſit eadem.

XXIV.

Quare pars ſimilaris ea fuerit (cũ propriè loquimur) cuius particulæ omnes eandẽ habent cũ tota naturam, definitionem, & nomen: ſi-
D ve quæ non in alias, quàm eiuſdem naturæ ac nominis partes, dividi poteſt. Namq; in partes ſpecie differentes (aut non eandem vim & potentiam ſervantes) diſtrahi poteſt, actionem ſimilarẽ non edit. Quamobrem nec ſimiliaris dici debet.

XXV.

Inſtrumentalis è contra dicitur, quæ tota ſolùm partibus ſuis

omnibus iunctis, inque unam eandemq; actionem conſpirantibus, actionem perfectam edit. Huius particulæ & partes, quia eandem cũ tota actionem edere nequeunt, nec nomen & eſſentiam, nec poteſtatem totius obtinuerunt: cuius rei gratia ſpecie à tota manifeſte differunt.

XXVI.

Illud præterea noviſſe expedit, quod nam illud ſit, à quo actiones proxime manant. Quippe neceſſarium eſt, ſi morbus ſit affectus primo lædens operationes, ut eius rei ſit vitium, quæ proxima eſt actionum cauſa. Quamobrem ſi compertum habebimus, quot & quæ ſint actionum proximæ cauſæ in ſimilaribus, illud etiam intelligemus, in quot & quibus rebus ſimilaris morbus ſit quærendus. Actio porro uno modo conſiderari poteſt, ut ſimpliciter eſt actio: non hæc vel illa actio. Altero, ut eſt certa & definita aliqua ſpecies: ut viſio, auditio, ambulatio, ciborum concoctio. Tertio, ut eſt laudabilis vel illaudabilis actio. Differunt enim tria hæc, Actio ſimpliciter ſeu generaliter accepta: Actio ſpecialis ſive determinata: & actio bona vel mala. A

XXVII.

Animum principium & cauſam actionum omnium eſſe, confeſſum eſt cunctis. At per ſe conſiderata, cauſa dici poteſt actionis generaliter intellectæ: quod ferme tamtumdem eſt, ac ſi nullius dicas. Nam ſicut genera ſeorſum non extant (niſi quatenus νοήματα intellectus noſtri ſunt) ſed in ſpeciebus ſolummodo ſubſiſtunt, ſic actio ſimpliciter accepta nulla eſt: niſi quæ in definitis ſive ſpecialibus actionibus ineſt. Actionis porrò certæ author eſt Anima: ſed non ſine inſtrumento actioni edendæ deſtinato: ſicut Ariſtoteles libro 1. de Anima capite 3. demonſtravit. Vt ſine inſtrumentis nullius ipſa determinatæ actionis cauſa eſt, ita cum diverſis diverſarum, cũ omnib. omniũ, (una ſecundum eſſentiam exiſtens) principium eſt ac dicitur. Actiones enim ſint compoſitorum, non componentium: ſicut omnibus omnium ſeculorum intelligentibus rectè viſum eſt. B C

XXVIII.

Quia verò impoſſibile eſt vel fingere aliquod inſtrumentũ, quod neq; convenienter naturæ, neq; inconvenienter affectum ſive diſpoſitum, ſive quod neq; ſanum neq; ægrum ſit, (contrariorum enim medio carentium alterum ineſſe in ſubiecto, circa quod verſantur. prorſus eſt neceſſarium) impoſſibile quoq; eſt actionem aliquã fingere quę neq; congruens neq; incõgruens, id eſt, quę nec bona nec mala ſit. Sanitas igitur atq; morbus cauſæ proximæ ſunt omnium actionum. D

XXIX.

Quocirca non poteſt fieri, ut pars vivens ſeu animata, ſecundum naturam affecta ſit, atq; actionem edat malam: ſicut è contra fieri nequit, ut actio aliqua ſit vitiata, quamdiu eius inſtrumentum aptè congruenterq; diſpoſitũ eſt. Quippe vel nõ rectè definierunt morbũ

veteres,

veteres (quando affectum eſſe dixerunt actiones primo lædentē) vel neceſſitatem habent, quæ diximus. Etenim effectus cujuslibet unius, cauſa propinquiſſima non eſt niſi unica: licet antecedentes poſſint eſſe plures. Jam quia morbi definitio rectè tradita eſt; conſectarium eſt, ut partium diſpoſitione viciata, neceſſariò pro vitii qualitate & quantitate oblædantur earumdem actiones: & actione partis alicujus oblæſa, vitium inſit in inſtrumento ejus. Nec minus neceſſarium eſt, ut diſpoſitione cujuslibet partis illæſa permanente, morbus in ea nullus inſit. Quare nec ſine morbo actio talium A partium impediri, nec actione impedita, morbo vacare poterunt.

XXX.

Poſtremo videndum eſt, quænam diſpoſitio ſimilarium partium proprias functiones primò offendat. Hoc intelligi nequit, priusquam conſtet, quæ ſit partis ſimilaris, quoad eſt ſimilaris, propria operatio. At hæc alia eſſe non poteſt, quàm naturalis cujusque partis appetitio, attractio, retentio concoctio ſeu alteratio, aſſimilatio, appoſitio, unitio, expulſio. Quippe nullæ aliæ in omnibus partium ſimilarium particulis, quantumvis puſillis, inſunt. At ineſſe B in omnibus æqualiter totam actionem oportere, in 22. oſtenſum fuit. Hoc dato, neceſſarium eſt alterum illud dari, nempe diſpoſitionem; ſimilaris actionis cauſam, ſimiliter in omnibus particulis ineſſe. Quare temperamentum cogimur ſtatuere ſimilarium actionum cauſam. Etenim præter temperamentum, & formam, & materiam, nihil in omnibus ſimilarium partium particulis huc pertinens reperitur. Quæ præter jam dicta inſunt, ad inſtitutum præſens nihil faciunt: teſtibus illis ipſis, quibuscum agimus.) Quo fit, ut vel temperamentum, vel forma, vel materia, judicanda ſit cauſa actionis ſimilarium partium.

C XXXI.

Sed formam abſque inſtrumento corporeo nihil agere, jam declaratum fuit. (Docuit idem Ariſtot. multis in locis: & in 1. de Anima cap. 3. ex profeſſo repetivit: tam non poſſe Animam ſine corporeis organis agere docens, quam non poteſt artifex inſtrumentis carens artis ſuæ opera exercere.) Si abſque membrorum diſpoſitionibus agere poſſent formæ, perperam definita fuiſſet ſanitas, quòd ſit diſpoſitio corporis, à qua primò actio editur. Quippe non corporis diſpoſitio proxima eſſet actionis cauſa: ſed forma ſive anima. Cæterum quod abſque membris poteſt tum bene, tum malè D agere, idem abſque læſione membrorum pati & oblædi etiam poteſt. Jam ſi per ſe primò pati poſſunt formæ, etiam generari & corrumpi abſque objecti offenſa poſſunt. At cum nec habitus, nec diſpoſitiones per ſe primo pati queant, & ad ſubſtantiam quoque non ſit motus (ut Ariſtoteles demonſtravit) qui paterentur hoc pacto formæ, res plane divinæ? Taceo quod actio (præſertim verò cor-

rumpens) tantum inter contraria viſitur. At formis nihil eſt primò contrarium. Item ſi per ſe actionũ cauſa foret Anima, eodem ſemper modo ageret: nec defatigaretur unquam: id eſt, agendo non pateretur. Hoc enim ſolis formis uſu venit, quæ qualitatibus aut partibus organicis agunt. Item non omnis morbus eſſet affectus corporis: nec uſum haberent neceſſarium ad actiones omnes inſtrumenta, ſive membra. Denique non eſſent actiones compoſitorum, ſed componentium.

XXXII.

Quod ſi maximè aliquis hic hæret, ſaltem de anima noſtra certus A
eſſe poteſt, quòd immortalis & ſpiritualis ſit ſubſtantia: quæ ab his rebus fluxiis & corporeis pati per ſe primò nil poſſit. Si enim calefieri aut frigefieri per ſe poſſet, calida aut frigida eſſet: atque inſtar aliarum rerum interimi etiam poſſet: quod veritati cælitus nobis patefactæ repugnat. Quinetiam Ariſtot. loco citato idem nobis oculorum exemplo expoſuit: cum in ſenibus obtuſiores fieri proprio vitio non animæ defectione, aſſeveravit.

XXXIII.

» Sed fruſtra ſtudemus hæc probare, cum illi, contra quos præci-
» puè diſputamus, eadem aſſerant, his verbis: Quùm corporis pars ſo- B
» la primum & per ſe functionum ſit opifex, ejus duntaxat integritas
» & firma conſtitutio functiones perficit, & ſanitas eſt: infirma verò
» atque vitioſa primùm & per ſe functiones evertit: hæcque ſola mor-
» bus cenſetur. Item, Forma ope materiæ & temperamenti deſtituta,
» nihil efficit. Jam quod anima mutari nequeat: non minus diſertè
» affirmant his verbis: Nihilominus partes ipſas hic ſtatuimus prin-
» cipales proximasque functionum cauſas: ſive quòd recondita pe-
» nitusque abſtruſa ſit animæ facultatumque ſubſtantia: ſive quod ad
» agendum inprimis neceſſaria ſit inſtrumentorum vis: ſive quod for-
» taſſe (ut præſtantiſſimis Philoſophis viſum eſt) animæ facultatum- C
» que ſubſtantia immutabilis nulla vi, nulloque morbo labefactari atterive poſſit. Nihil in his verbis diſplicet, (vera enim ſunt omnia) niſi quod animæ noſtræ ſubſtantiã fortaſſe immutabilem ait: (Rectius Plato θεοῦ ξυμφήσοντος non ſe dubitaturum oſtendit) & quod ob eam cauſam ſuſpicatur partes principales functionum cauſas, quia animæ ſubſtantia abſtruſa ſit.

XXXIV.

Aliud igitur à forma ſi eſt id, quod ſimilaris actionis eſt cauſa Reſtat, ut vel materiæ aſſignetur, vel temperamento adſcribatur. Materia pro cauſa poni non debet: ut quæ neque ſubſiſtere, neque D principium & cauſa ullius actionis abſque ſuo temperamento cenſeri poſſit. Nam ut res naturales omnes propter quantitatem dividuæ ſunt, ita propter materiam patibiles dumtaxat, ſed propter qualitates in ea inhærentes, agendi vi præditæ ſunt. A temperamento igitur manant actiones ſimilares ſupradictæ, ſcilicet, Attractio, Retentio,

tentio, Alteratio, Expulſio, &c. Quæ cum à partium raritate, denſitate, laxitate, adſtrictione, craſſitudine, tenuitate, (mollities & durities pro cauſarum diverſitate modò inter ſimilares, modò inter inſtrumentales collocantur) non debilitentur, ſi mutatio in primis qualitatibus nulla ſit facta, manifeſtum eſt, ad ſimilares morbos hæc vitia non attinere.

XXXV.

Ex prædictis nullo colligitur labore, morbos totius ſubſtantiæ nullos dari. Quod enim nec inter continui ſolutiones, nec inter in-
A ſtrumentorum affectus, reponi debeant, manifeſtum; & ab horum morborum inventoribus conceſſum eſt. Quod nec inter ſimilares cenſeri valeant, ex ſupradictis evidenter demonſtrari poteſt. Si enim morbi eſſent ſimilares, actionem partium ſimilarium primò & per ſe læderent. At hæ cum in proprio partium ſingularum temperamento atque unione conſiſtant, lædi non poſſunt, temperamento & unitate non mutatis. Aut ergo idem ſunt temperamentum & tota ſubſtantia: aut non æque primò actiones lædunt.

XXXVI.

Si reſpondeat aliquis, totius ſubſtantiæ morbos, non primum
B ſemper lædere paulò ante dictas ſimilarium actiones; fruſtra effugium quæri reſpondebo. Etenim actio ſimilaris, quæ verè modo ac propriè talis ſit, nulla excogitari alia poteſt: ut clarè ac firmè ſatis probatum videbit, qui ſuperiora attentè examinaverit. Quæ præter ante dictas operationes in quavis ſimilari parte inſunt, eæ ad partem ſimilarem, quoad ſimilaris eſt, (hoc eſt, quod ſimilarem edit actionem) minimè ſpectant: ſed ad eamdem, quatenus pars inſtrumenti aliqua eſt, pertinent. Talis eſt, exempli gratia, muſculi actio, qua tum contrahitur, tum laxatur.

XXXVII.

C Præterea nihil eſt in parte ſimilari actionibus deſerviens, præter temperamentum & formam, ſive animam. At formam partium, id eſt, Animam, (Materiæ qualitates aliæ nulli actioni, quàm inſtrumentali, utiles eſſe poſſunt: cum nullius ipſa ſit principium efficientiæ) ægrotationis obnoxiam non eſſe certum eſt. Cujus ergo rei vitia dicentur totius ſubſtantiæ morbi, ſi temperamenti non erunt?

XXXVIII.

Et cum ægrotare illa tantum poſſint, quæ actionis cauſæ propinquiſſimæ exiſtunt; videndum eſt, num tota ſubſtantia per ſe ullius actionis cauſa exiſtat? Si nullus ſit, fruſtra de morbis ipſius ſolliciti
D ſimus. Si eſſe alicujus cauſa dicatur, demonſtrari eam oportet. At demonſtrari nulla poterit. Etenim operationes partiũ univerſæ, aut ſunt ſimilares aut inſtrumentales, aut miſtæ: quæ ſcil. ambarũ naturam participaverũt. Generatio ſanguinis, exempli cauſa, eſt actio ſimilaris hepatis. Quod multus uno tẽpore generatur ſanguis, vaſorũ multitudo & capacitas efficit: atque ob id inſtrumentali accenſetur

functioni. (Actio inſtrumentalis multò patet latiùs, quàm actio voluntaria.) Sicut in hepate ſupra ſimilares, inſtrumentales, & ex his compoſitas actiones, nulla alia oſtendi poteſt, ita in aliis quoque partibus nulla ineſſe monſtrabitur.

XXXIX.

Quæri deinde poteſt, utrum tota ſubſtantia morbum pati queat, temperamento illæſo permanente? Si affirmetur, (quod nonnullos facere ex ſupradictis liquet) & ab eo morbo actio aliqua lædi ſtatuatur; incredibile eſt, quàm abſurda conſequi ſit neceſſe. Primum actio læderur, partium diſpoſitione nulla mutata: Quippe nec unitas, nec inſtrumentale aliquid, nec temperamentum:) quod fieri non poſſe abundè jam ante demonſtravimus. Etenim nulla eſt in tota hac rerum univerſitate actio, quæ non ſimul ſit vel bona vel mala actio. At bonitas & malitia actionis cujuslibet talis eſt, propter diſpoſitionem partis, à qua editur, congruam vel incongruam. Jam extra continui ſolutiones, inſtrumentales diſpoſitiones, & intemperiem, nulla reperitur in corporibus noſtris diſpoſitio præter naturam: quæ actionis cujuſpiam cauſa exiſtimari debeat. (nam raritas, laxitas, tenuitas, &c. ad materiam referuntur.) Quæ igitur erit diſpoſitio totius ſubſtantiæ, propter quam actio ejus fiat bona vel mala?

A

XL.

B

Deinde actiones hæ neque aptæ, neque ineptæ dici poterunt: cum abſque diſpoſitione ulla edantur. Inſtrumento enim actionis ſpeciem: Inſtrumenti diſpoſitioni aptæ vel ineptæ, bonitatem vel vitium actionis acceptum ferri debere monſtratum fuit.

XLI.

Præterea actio aliqua partis ſimilaris (totius videlicet ſubſtantiæ) integra remanebit, licet naturale ipſius temperamentum corruptum ſit: quod non modò ſeculorum omnium judiciis contradicit: verumetiam ipſis inexplicabile manet. Quomodo enim tota ſubſtantia ſeu forma (frequenter pro una eademq; re ponunt duo hæc) inoffenſe agit temperatione corrupta, ſi quemadmodum alibi aſſeverant, temperamenti ope deſtituta nil efficit? Quod porrò juxta eorum placita tota ſubſtantia poſſit integra & inoffenſa permanere, temperamento depravato; vel ex eo intelligatur, quod dicunt, ſic totam ſubſtantiam à temperatione dictare, quomodo putredo ab intemperie differt. At ſecundum iſtos putredo gignitur ſine intemperie: & rurſus intemperies ſine putredine oritur. Quare & totam ſubſtantiam oportet, cum & ſine intemperie inveniri illæſam. Nos contra ſcimus, fieri nulla vi poſſe, ut, quod putreſcit, intemperatum non ſit: cum nativi caloris exſtinctione definiatur putredo: niſi ſi forte temperationem inculpatam eſſe judicant, cujus principalis qualitas calor periit.

C

D

XLII.

Poſtremò ſecum ipſi pugnant alia quoque ratione: dum in ſimilari parte tria ſolum ſtatuunt actionibus commodantia vel incommodantia

modantia: Materiem, Temperiem, Formam. Formam per ſe primò
lædi non poſſe (per accidens dumtaxat patiuntur formæ, ſubjecto
ſcilicet alterato) certum eſt. Materia ſine ſua temperie nec ſubſiſte-
re, nec animo comprehendi rectè valet: ut quæ ſecundum analogi-
am ſolum Ariſtot. vel ſpuria ratione Platoni duntaxat percipiatur.
Quippe temperamentum id eſt, per quod materia una ab alia differt:
ſive per quod miſtum, quoad miſtum eſt, ſubſiſtit. Per hoc cum ma-
teria quælibet talis ſit, qui fingetur offendi offenſione ad ipſum non
pertingente?

XLIII.

A Quinetiam ſentiendi actum lædi cernimus, quoties particulæ
temperatio vitiata eſt. Etenim frigus, ſiccitas, humiditas, &c ma-
nifeſtè impediunt & obtundunt ſenſum. Clariùs ex eo perſpicitur,
quòd non omnes illæ partes, ad quas per nervos ſenſus derivatur, ſta-
tim ſentiunt. Ut enim ſenſus capaces ſint, certo modo temperatas
eſſe oportet. (Ariſt. lib. 1. & 3. de Anima, ob id oſſa, pilos, plantas, &c.
ſenſu carere aſſeverat, quia nimis terrea ſint.) Cur enim alii aliis a-
cutiùs aut obtuſiùs parte aliqua una vel pluribus ſentiunt? In cauſa
non ſunt ſpiritus & facultas dum in membra convenienter influunt:
quod poſitum volumus. Cauſa igitur in ipſa membri diſpoſitione
B quærenda eſt. Quòd ſi facultates aliunde membris cõmunicatæ ni-
hil agere in eis poſſunt, abſque beneficio inſiti temperamenti, quo-
modo eorum propria ſubſtantia aliquid efficiet, quoties propria
temperies vitiata eſt?

XLIV.

His adde quod fieri nullo pacto poteſt, ut tota ſubſtantia, quic-
quid ea tandem putetur eſſe, morbum acquirat ſine motu. Nam
cum morbus ſit διάθεσις quædam præter naturam, ſine mo-
tu non inducitur. Etenim corpora, habitus & diſpoſitionis ratione,
non moventur: ſed quieſcunt. At alio quodam moto diſpoſitiones
C ſunt, vel non ſunt. Ergo vel alteratio, vel loci mutatio præcedit
morbi totius ſubſtantiæ generationem. Si ſolus motus localis ante-
cedat, inſtrumentalis gignitur morbus. Si alteratio præeat, tempera-
menti vitium ſuccedet. Nam primarum duntaxat qualitatum alte-
ratio, morbum inducere ſimilarem poteſt. Sanè non datur motus
ſive alteratio, vel in prima, vel in ſecunda, vel in quarta ſpecie qua-
litatis: ſed tantum in tertia. Mutantur ergo patibiles qualitates pri-
uſquam tota ægrotet ſubſtantia. At illis mutatis, ſive tota ægrotet
ſubſtantia, ſive integra perſiſtat; læduntur partis actiones: nec niſi
temperamento reſtituto reſtituuntur.

D

XLV.

Deniq; certum eſt, totam ſubſtantiam corpus eſſe: ſiquidem mor-
bis obnoxia ſtatuatur. Nam morbus eſt affectus corporis: non aut
formæ, aut rei alius incorporeæ. Quocirca ſuis diſpoſitionibus non
caret, quarum ratione agat & patiatur: cum fieri nulla ratione poſſe
oſtenſum ſit, ut actio edatur à re naturali, quæ nec laudabilis ſit,

nec illaudabilis. At bona qui reddatur mala, diſpoſitione non mutatâ? Oblædi igitur diſpoſitionem totius ſubſtantiæ oportet, priusquam actio ejus bona, efficiatur mala. Cæterùm corporum diſpoſitiones mutari aut corrumpi nequeunt, niſi ſubjectum vel diſtrahatur, vel ſecundum qualitates patibiles alteretur. Illa mutatio inſtrumentalem morbum, aut continui ſolutionem parit, alteratio qualitatum primarum effectricium (reliquæ ad actionem ſimilarē per ſe nō conferunt) intemperiem creat. Rurſus ergo temperamentum neceſſariò mutabitur, antequam noxia ad totius ſubſtantiæ diſpoſitionem pertingat. Equidem corpora ſecundum ſanitatē & morbum moventur, ſed quieſcunt, cum ſint motionum termini. Ut igitur in corpore tum ſanitas tum morbus ſit, materialia (ſic vocant Recentiores) ſanitatis & morborum moveri oportet. A

XLVI.

Ad argumenta facilè ex declaratis reſpondebitur. Negamus tria in ſimilaribus morborum genera ſtatui dolore: quia ex tribus, ſcilicet Materia, Temperamento, & Forma compoſitæ ſunt. Morbus enim cum ſit ejus rei vitium, quæ actionis propinquiſſima eſt cauſa, neque Materiæ, neque Formæ, ſed compoſito (propter ejus temperationem, unitatem, & organicas partes) per ſe & propriè accidit: ut propinquiori actionū cauſæ. In ſimilarę igitur parte nulli alii morbi inſunt, quàm unitatis & temperationis. Materiæ ſine temperamento conſideratæ qualitates ad inſtrumentaliū morborum conſtitutionē concurrere: Formam immutabilē eſſe, firmè oſtenſum eſt. B

XLVII.

Accidentium in VII. theſi comprehenſorum, quædam propter materiæ qualitates jam dictas contingunt. Ventriculo & hepati, &c. adſtringentia conveniunt, non quatenus ſimilares ſunt partes: ſed quatenus actionem edant vel inſtrumentalem vel miſtam. Quædam propter ſenſus acrimoniam accidunt: quem conſtat partes quaslibet exquiſitum magis minusque habere, non propter raritatem vel denſitatem materiæ; ſed temperamenti proprietatem. Hanc ob cauſam certorum hominum ventriculos acria non tolerare, ſcitè à Galeno affirmatum eſt. C

XLVIII.

Sunt qui propter ἰδιοσυγκρασίαν certos odores aut ſapores ferre nequeunt: quod tamen non toti ſpeciei, ſed paucis in ea individuis uſu venit. Et quibus accidit, non horrent ab acribus omnibus, vel graveolentibus cunctis, ſed certos quosdam ſolum, vel ſapores vel odores abominantur. Si propter materiæ raritatem (exempli gratia) fugerent acetum, acria omnia eamdem ob cauſam vitarent. Sed acribus aliis ſæpe delectantur. Quocirca neq; materiæ, neq; Formæ, ſed temperamenti proprietati aſcribenda eſt hujus accidentis cauſa. D

XLIX.

Frigoris, caloris, laborū, &c. alii aliis patientiores ſunt, nō propter prædictas

prædictas materię qualitates tantùm,ſed multò magis propter ejuſdem temperationem, conſuetudinem, calorem è corde ampliorem, aut parciorem influentem. Sic dolores alii aliis ferunt moderatius; tum ob dictas ac ſimiles alias cauſas; tum ob qualitatem à cerebro magis minusque communicatam.

L.

Ingenii & cogitationum celeritas,organica magis quàm ſimilaris actio eſt: ut ex prædictis perſpicuè liquet. Equidem ſpirituum naturam,cerebrique ac capitis tum temperationem, tum conforma-
A tionem magis ac propius ſequitur,quàm materiæ conditiones.

L I.

Admirabilius eſt, quod ex eo novos morbos cudunt, quod virium eſſentiam Galenus dixit conſiſtere in ſpiritus, carnis, & ſolidarum partium, juſta qualitate & quantitate. Nam ipſemet hæc 11. Meth.1.& 3.item 12.Meth 5.ita dilucidè expoſuit,ut quomodo novis morbis fabricandis ſerviant, ego non videam. Tantundem eos juvat,quod ad Glauc. ſcribit, immoderatè laxantia, itemquem calefacientia,& frigefacientia,denique qualitates quasdam extraneas vir-
B tutem diſſolvere. Dubium non eſt, quin pluribus modis vires debilitari ac ſolvi queant An ob id Galenus tribus iis modis,quos hoc loco enumeravit,tres morbos ſedib.diſcluſit?

L I I.

Nihilo firmiora ſunt,quæ in 8.recitantur. Partes corporis noſtri ultro concedimus agere totius eſſentiæ natura: non ſolius caloris & temperamenti inſiti ratione. De Struthione,utrum is abſque ingeniti caloris & temperamenti opera ferrum conficiat,ſicut iſti aſſerunt,affirmare nil aliud volo,quàm non eſſe ei fruſtra datam ſuam
C temperationem. Vidi quidem Struthionem avidè arripere & deglutire ferrum: at utrum concoxerit,& quomodo concoxerit,calorisne ſui beneficio, an ſine eo, non vidi. Puto autem coctionis modum eundem eſſe in Struthione, qui in aliis cernitur animalibus: quæ cuncta caloris & temperamenti ſui auxilio ingeſta conficiunt. Sed de homine ſermo nobis eſt. Eum qui aſſumta coquere ſine opera caloris & temperamenti demonſtrabit,rem miram præſtabit.

L I I I.

Galenum aliquando temperamentum à tota ſubſtantia diſtinguere fatemur: at temperamenti nomine idem ſemper intel-
D ligere negamus. Sæpe ei qualitatem manifeſtam, ex ſimplici primarum qualitatum confuſione ortam ſignificat: cui vires alias nullas adſcribit; quàm calefaciendi, frigefaciendi, &c. pro vincentis in miſtione qualitatis unius aut duarum poteſtate. Non raro qualitatem occultiorem ex diverſis diverſarum miſti partium temperationib. ortam,ſic vocat. Illa ſine ſubjecto intelligitur: hæc

hæc abſque peculiare & propria materia animo non concipitur. In illa vis ſuperantium qualitatum duntaxat æſtimatur: in hac quid omnes ſimul junctim unà cum ſubjecto poſſint, expenditur. Illa nota & ſenſibilis qualitas eſt: hæc ſenſibus non percipitur.

LIV.

Iſto modo uſus eſt nomine temperamenti cum virium diſſimilitudinem, quam in rebus deprehendimus maximam, à temperationis earum diſſimilitudine proficiſci ait: cum ἰδιοσυγκρασίᾳ hoc eſt, tẽperamenti proprietate res diſtingui aſſerit: cum propter eandem admirabiles in rebus vires quibusvis ineſſe contendit: quibus hæc alimenta nobis ſint, illa venena, &c. A

LV.

Etſi igitur temperamentum à tota ſubſtantia differat, cum pro nuda qualitate ponitur, non tamen ab eadem diſtinguitur, cum pro qualitate ex disparibus diſſimilium ſubjecti partium temperationibus conflata (quæ ſine ſubjecto ſuo nec ſubſiſtere, nec definiri, nec intelligentia percipi valet) ſumitur. Eadem hæc (certam videlicet materiam ſua certa temperatione inſignitam) totius ſubſtantiæ nomine complecti voluiſſe Galenum, nullus dubitat, qui eum in pleriſque rebus nihil aliud agnoviſſe apud ſe cogitat. B

LVI.

Quocirca non rectè aliqui totius ſubſtantiæ morbos à temperamenti morbis ſe junxerunt. Quippe totius ſubſtantiæ partes ſecundum Galenum ſunt, Materia, & ejusdem Temperatio. At Materia apud eum nullius actionis cauſa proxima eſt: ſed Temperamentum. Hoc ergo ſolum lædi oportet, quoties actio ponitur læſa. Iidem ergo ſunt totius ſubſtantiæ, & temperamenti morbi. Eadem ratio locum habet, ſi (quod cum Ariſtotele & rectè philoſophantibus omnibus faciendum eſſe cenſemus.) Formam illis, tanquam tertium addas. Nam hæc etiam tametſi prima & princeps cauſa eſt actionum, non tamen eſt proxima. Morbus autem proximæ cauſæ vitium eſt: non remotioris. C

LVII.

Ne hoc quidem aliquid probat, quod quędam totis ſubſtantiis nobis magis adverſari ajunt, quàm qualitatibus. Non enim rectè concluſeris, tota ſubſtantia inimicum eſt nobis: Ergo morbum totius ſubſtantiæ in nobis generat. Nam & effluvia peſtifera, & medicamẽta ſeptica, tota ſubſtantia nobis contraria ſunt: quæ tamen calefaciendo, putrefaciendo, erodendo, nos offendere nullus neſcit. Sic nominantur, quæ non propter copiam, ſed propter ingenitam malitiam inimica nobis ſunt: & amici in ſe nihil omnino continent: atque ob id à nobis vinci nunquam ſic poſſunt, ut uſum aliquem ex eis percipiamus: ut multis Gal. in 3. de Temper. 4. & 3. de ſimpl. pharm. poteſt. 22. expoſuit, &c. D

Non

LVIII.

Non firmius eſt argumentum à medicamentis tota ſubſtantia ſua, vel juvantibus vel nocentibus ſumptum. Quippe nihilominus ſuis in nos qualitatibus agunt. An non alimenta propter totam ſubſtantiam alimenta exiſtunt? An in ea non agit ventriculus noſter calore temperamenti ſui? Omnino. Quid igitur prohibet, quo minus pharmaca totis ſubſtantiis nobis adverſa, ſuis qualitatibus in calorem & temperamentum ſpiritus & partium ſolidiorum agant? Quid aliud eſt tota medicaminum ſubſtantia, quàm talis materia tali temperie prædita? Equidem nulli formæ vel ſpeciei aſcribi eorum
A actio poteſt: (quam, priusquam agant, amiſerunt) ſed ſoli cadaveri, ut ſic vocem, accepta ferenda eſt. Num ergo materia ſine qualitatib. agit? Minime gentium. Incunctanter dico, nullam ſubſtantiam corpoream paſſionem realem & permanentem corpori alieno imprimere, abſque opera primarum qualitatum: niſi laceret, diſſecet, contundat, &c.

LIX.

Rectè ob id aſſerunt, nec qualitatem in ſubſtantiam, nec ſubſtantiam in qualitatem primo agere. Quippe actio inter contraria
B eſt. At nec qualitas ſubſtantiæ, nec ſubſtantia qualitati per ſe contraria eſt: cum generibus differant. Ex hoc autem non ſequitur, medicamenta totis ſubſtantiis inimica, non agere ſuis qualitatibus: aut nō agere in corporis noſtri qualitates. Si enim tota ſubſtantia partium corporis noſtri, calore ſuo agit in alimenta, cur non tota ſubſtantia nobis adverſantia ſuis etiam qualitatibus in nos agere putentur? Sicut enim alimenta à nobis, ita nos à pharmacis vincimur. Quæ tota ſubſtantia ſecudum Galenum agunt, ea qualitatibus totius temperamenti agunt: non una vel duabus duntaxat qualitatibus.

LX.

C In IX. Theſi multa examinatu digna habentur. Primùm non loquimur nos de parte ſimilari mortua. Deinde formam ſubſtantiæ nullam, in partibus ſimilaribus corporis noſtri aliam agnoſcimus, quàm animam: quæ partes omnes æquè informat, ac vita donat. Tertiò negamus morbos in ſimilaribus inveniri, qui formæ morbi cenſeri poſſint. Etenim formam ægrotare non poſſe, ſatis dictum eſt. Quocirca nulli ſunt in ſimilaribus, & quoad ſimilares & viventes ſunt, morbi alii, quàm qui temperamento accidunt. Quos alii materiæ morbos nominant, hos ad inſtrumentales rectius referri poſſe, præclarè viderunt etiam ex ipſis aliqui.

D LXI.

Illud quomodo excuſem, non invenio, quod omnes ajunt, parum referre, quo quis modo morbos, de quibus agimus, appellet, totius ſubſtantiæ, an formæ. Conſtat enim morbos affectus eſſe corporis, non formæ. Quomodo igitur non ſit repræhendendus, qui morbum aliquem formæ morbum, non corporis, nominet?

Non

LXII.

Non improbo, quòd formam magis dicunt cauſam actionum, ipſa temperatione.ſi rectè accipiatur.Etenim forma eſt princeps cauſa actionum: ſed per ſe & ſine temperie atque inſtrumentorum cõgrua diſpoſitione agere nil poteſt: uti jam ante diximus. Hæc eadem & individua ſecundum eſſentiam propriam exiſtens, partes diverſiſſimas informat: & pro earum diverſitate facultatibus dividua quodammodo efficitur.

LXIII.

Graviſſimus igitur error eſt putare, ſingulas corporis partes ſimilares, peculiari forma vivere. Ex quot formis ſubſtantialibus conſtaret homo, ſi vera eſſet opinio? aut quid Ariſtoteli hanc opinationem in primo libro de Anima capite quarto, verè & ſolidè refellenti, reſpondebimus? Et ſi quælibet pars virtute propriæ formæ ageret, aut viveret; quod eſſet animæ munus, niſi quod velut ocioſa ſpectatrix (aut imperatrix tantùm) aſſideret? Agunt partes omnes virtute ſui temperamenti, quibus anima, ut inſtrumentis, utens, tam diſcrepantes actiones (una cum ſit tota in toto corpore, & tota pariter in ſingulis ejus partibus) exercet. Cum ſine anima conſiderantur, præter ſubſtantiæ proprietatem, id eſt, materiam talem hoc certo modo temperatam, nihil reperies. Quoniam ergo forma ſubſtantialis omnium eſt una, actiones autem diverſæ; non à forma, ſed à temperamentorum proprietate diverſitas illa omnis oritur. A B

LXIV.

Si corporis noſtri partes prius formarentur, ac deinde anima eis infunderetur, propriam in ſingulis formam fingere poſſemus. Jam dũ ab anima informante omnes effingi conſtat, fruſtra plures formas comminiſcimur. Hoc voluit Ariſtoteles (non id, quod illi dicunt) monere, cum os, carnem, nervum, &c. non à calido. frigido, &c. ſed ab eo, quod actu eſt, ſive ab ipſa forma, figurari ſcripſit, &c. C

LXV.

Virtus & robur accepta feruntur partibus ſimilaribus, non quoad ſunt forma præditæ, ſeu animatæ: ſed quatenus aptè ſunt temperatæ. Etenim ſæpe uſu venit, ut partes viventes magnam virium ſuarũ partem amittant. Quare ut robur earum in conveniente temperie conſiſtit, ita ejusdem quoque debilitatio in intemperie cauſam obtinet. De propriis viribus, quas ut ſimilares poſſident, loquimur.

LXVI.

Cum putredinem morbum faciunt totius ſubſtaniiæ, per totam ſubſtantiam ſe nil aliud, quàm miſtum intelligere nobis probant: D quod ſupra etiam diximus Eſt enim putredo affectio, non formæ, nõ rei alius, quàm miſtæ, quoad miſta eſt. Fœdè igitur ſemetipſos oppugnant. Et cùm impoſſibile ſit, rem aliquam putreſcere temperamento ejus non corrupto, cur totius ſubſtantiæ potius, quam temperamenti morbum vocant? præſertim cum nemo neſciat, temperamento

mento corrupto, quomodo per putredinem corrumpitur, (alia eſt ratio, cùm qualitas aliqua præter modum augetur ſolùm: & non prorſus exſtinguitur) ſubſtantiam neceſſariò interire.

LXVII.

Attamen curatio, inquiunt, diverſitatem monſtrat. Etenim intemperiem curamus qualitatibus contrariis: putredinem & venenoſitatem funditus exſtirpare conamur. Aliud ergo eſt à putredine intemperies. Differunt iſta, fateor, (ſed non ſic, ut à ſpecie temperies: quod ab his inſcitè affirmatum legimus) attamen nihil probant:
A quia poſterius ſine priore cogitabile non eſt. Ergo nec putredo ſine intemperie. Ideo non eadem eſt curatio, quia intemperies eſt veluti fiens aut inchoatum quid, putredo tamquam perfectum. In illa fit corruptio, in hac facta eſt. Nam eſt corruptionis ſpecies putredo. Cum ergo corrupta reſtitui nequeant, rectè jubemur radicitus tollere. Quæ adhuc putreſcunt, nec dum putruerunt, ea corrigit alteratio per contrarias qualitates inducta: ex quo facilè diſcrimen intelligitur. Quæ ſubitò interimunt, nec ſpiritus vitales diſſipant, ea vel exſtinguunt, vel putrefaciunt eosdem. Totam ob id eorum ſubſtantiam primò (illæſo temperamento) offenſam fuiſſe, quis opinetur
B intelligens.

LXVIII.

Ergo morbi totius ſubſtantiæ nulli ſunt: & qui pro talibus habētur, rectè ſub intemperie veteres complexi fuerunt. Quos materiæ morbos vocant, ſub inſtrumentalib. continentur. Sine fructu etiam diſtinxeris à cæteris, tum hos, tum illos, præter & contra morem veterum: propterea quòd nec recta curationis ratio in ullo variat, nec dignotio facilior redditur. Quinimo ex antiquorum principiis rectiùs cognoſcuntur, & feliciùs ac certiùs percurantur.

LXIX.

C Falſitas opinionis, ex authorum inſuper inconſtantia deprehenditur: dum totam ſubſtantiam modò formam, modò ejusdem facultates, ſæpe ſpiritum & calorem ingenitum, aliquando ex his compoſitum, denique materiæ proprietatem eſſe dictitant. (Quaſi verò non plurimùm iſta inter ſe omnia differant.) Qua in re dum quid potiſſimum ſequantur, neſciunt; mirum non eſt, eos non eosdem ſemper morbos pro totius ſubſtantiæ morbis ponere. Quis ignorat frigus & calorem, labores, vigilias, &c. intemperatos reddere ſpiritus?

LXX.

Admirabiliſſimum eſt, quod, cum Animam & facultates ejus in
D ſpiritu & calore innato collocent, atque ob id ſpirituum diſſolutionem à quacunque cauſa profectam, aliquoties totius ſubſtātiæ morbum clamitent, ſpirituum affectus nihilominus morbos eſſe negāt: & nec per ſe, nec proximè absq; interventu morbi functionib. incōmodare aſſeverant: atque duntaxat morborum cauſas exſiſtere

conten-

contendunt. Nos ſpiritus, præſertim vitales, generaliſſimum & communiſſimum Animæ inſtrumentum (& cauſam, ſine qua agere partes nullæ queant) eſſe dicimus. Equidem nec vitam, nec temperamẽtum ſuum tueri, vel breviſſimo tempore poſſunt, absque ſpiritus & caloris è corde perpetuo influxu: quod tum abſciſſio membrorum, tum arteriarum interceptio, tum morbi quidam clarè demonſtrãt. Ergo ſive ad perfectionem & complementum ſubſtantiæ partium ſimilarium viventium pertinere aſſeras, ſive neges, noſtra nunc nihil refert: dummodo illud nobis detur, quod res ipſa fateri cogit, ſimilarium partium actiones integras eſſe non poſſe, quotiens vel non rectè temperati ſunt ſpiritus influentes, vel non juſta quantitate adſunt. A

LXXI.

Quæ de origine innati caloris diſputant, alibi confutavimus: ubi genuinam verborum Ariſtot. mentem copioſè declaravimus. Nihil magis & evidentiùs cum omni philoſophia pugnat, hac caloris de cœlo deductione: quomodo ipſi eum de ſideribus devocant. Vnum hoc in præſentia dicam: imaginabile non eſſe, quomodo proprius alicujus rei calor extra ſuum ſubjectum exſiſtat & conſervetur. Facilius calor ex corde in membra influens in eisdem absq; novi ſpiritus affluxu conſervetur, quàm in ſublunaribus & mutabilibus hisce rebus calor de cœlo & ſideribus veniens permaneat. Ille namq; cum ſuo ſubjecto, ex corde ad membra usque exporrigitur: hunc cum ſubſtantia ex ſideribus defluente ſimiliter ad nos deſcendere quis opinetur? At illum extra cor non generari, ac ſine continuato affluxu nullo fere tempore in membris conſervari nimis notum eſt. B
29. Martii anno 1575.

EPISTOLA II. C

HENRICVS BRUCÆUS MED. Roſtoch.

HENR. SMETIO ELECT. PALAlatini Medico.

THESES DE

Morbis in ſubſtantia ſibi in plerisq; placere, ſuſpendere tamen judicium, donec accuratiùs relegerit. D

ERo brevior, quoniam difficiles tertianæ ita volunt, quæ me avocant. Legi ſcriptum D. Eraſti de morbis in ſubſtantia, aut quod eos evertit. De quo non eſt quod hoc tempore proferam meam ſententiam, quod percurrerim tantùm. Placent tamen pleraque. Nam morbos illos, quos ipſi ad ſubſtantiam referunt, qui in partium putredine

tredine conſiſtunt, veterib. non fuiſſe ignoto ſatis patet quum de gangræna, ſphacelo, & aliis à putredine partium pendentibus meminerint. Et ob id Gal. ad ea morborum genera referenda exiſtimaſſe, quæ ipſe in lib. de differ. morborum enumeravit, ſemper iudicavi. Ad quod autem genus potiſſimum referri debeat, fortè non ita convenit. Legam denuò ſcriptum accuratè, & tunc plenius de hoc ſcribam, meiſq; , uti vis, collegis communicabo, quamvis & D. Levino alterum exempler miſeris. Bene vale, & D. Eraſtum data occaſione plurimum meo nomine ſalutato, nec non D. Nicol. Dobbi-
A num. Roſtochio 15 Maii 1576.

EPISTOLA III.

HEN. SMETI. MED. ELECT. PALAT. MEDIC. HENR. BRVCÆO MED. PROFESSORI Roſtochienſi.

Vrget accurationem relectionem ſcripti de morbis in ſubſtantia, quum res ſit maximi momenti.

B NIhil ſcribere ſtatueram, quum ſententiam tuam pleniorem de theſibus Eraſtinis contra morbos ſubſtantiæ, quotidie expectē, quod & te facturum, epiſtolo 15 Maii dato, polliceris. Moneo itaque iterum, ut accuratius relegas, pleniuſq; reſpondeas. Meretur enim hanc operā res iſta, de qua tantum rixarum exortum eſt, ut & ſecuta inde ſeditio, in rei Medicæ politia defectionem civium multorum attraxerit. Immò niſi maturè graviſſimorū virorum conſilio tempeſtivè occurratur, totius noſtræ reip. everſionem metuam. Tanta hoc ſeculo hominū ingeniis levitas, tanta iudicii imbecillitas, rerūq; novarum ſtudium innatum eſt. Scire aueo, ecquid magni in deſpe-
C ratis morbis, præ cæteris præſtent, uti de ſe iactare ſolent, Chymici veſtri. Valemus Chriſti gratia omnes, vale & tu feliciter, Battumque noſtrum cum amicis aliis ſaluta. Haidelbergæ 2 Iulii 1576.

EPISTOLA IV.

HENRIC. BRUCÆUS MED. Roſtochienſ.

HENRI. SMETIO ELECT. PALAT.
D Medico.

Cenſura.

Theſeon de morbis ſubſtantia.

SEriús cum tua, tum mea expectatione, tuis literis reſpondeo: cuius quamvis multas cauſas afferre queam, ſuperſedebo: cum

magna temporis pars nihil agendo effluxerit. Perire enim iudi-
co omne illud, quod ſtudiis non datur. Factum autem eſt, dum huc
illuc diſtrahitur animus, ut ſæpius intermiſerit quod fuerat aggreſ-
ſus. Hiſce tamen diebus me lectioni theſeon de morbis ſubſtan-
tiæ dedi. nam controverſia, ob veterum auctoritatem, digna eſt,
quæ ab omnibus cognoſcatur, & à clariſſimo doctiſſimoque philo-
ſopho pariter & medico D. Eraſto tractetur. Quis enim rectius ve-
terum auctoritatem contra novatores tueri queat, non video. Ità-
que non poſſum non probare ipſius ſententiam, qua aſſerit mor-
borum in ſubſtantia aſſertores, ſibi non conſtare in ſubſtantiæ ipſi- A
us explicatione. Dum nunc formam, nunc divinum calorem, nunc
ſpiritum, nunc mixtum ipſum, ſubſtantiæ nomine ſeſe intellige-
re declarant. Porro formam non affici illæſo temperamento rectè
confirmat: & huius ſententiæ auctores non negant, quando actio-
nes ſimiliarium partium non vitiari, niſi temperamento male af-
fecto, perſpicuum eſt. Et originem caloris eſſe cæleſtem, alibi refu-
tavit, quem locum nondum legi. Sed vidi Fallopii doctiſſimi me-
dici ſcriptum breve, idem ſentientis, & Curæum in libello de ſenſi-
bus & ſenſilibus. Porrò putredinem, mixti affectionem eſſe, luce
ipſa clarius eſt. Hanc autem inter ſubſtantiæ morbos, ab ipſis refer- B
ri conſtat, eamque veteribus non ignotam. morbi in putredine ſuã
eſſentiam habentes teſtantur. Nam & gangrenæ, & viſcerum alia-
rumq; partium putreſcentium meminere, & procul dubio, ad mor-
borum, ab ipſis commemoratam ſpeciem, referendam exiſtimarũt.
In quo autem genere reponi debeat affectio partis, cuius particula
aliqua computruit, quæ radicitus eſt tollenda, neſcio utrum apertè
ſcriptum reliquerint. Quamvis enim ſine antecedente intemperie
putredo non fiat; & ante perfectam corruptionem, rectè quis dixe-
rit, partem intemperie laborare, ea tamen completa, ut particula,
quæ communi vita non fruitur, ſit reſecanda, non video quomodo
ad intẽperiem quis referat potius, quàm ad ſolutionẽ continui, aut C
defectum in numero, ubi partem integram corrũpi contingit. Quid
enim intereſt ablatam eſſe partem aut planè corruptam adeſſe. Ne-
que illud etiam intemperiem confirmat, quod ut plurimum pars,
quæ communi vita fruitur, in eius generis affectibus intemperie
laboret quando eadem pars pluribus morbis affici queat, hic autẽ
particulæ putrefactæ ratione, quæ affectio relinquatur in parte non
corrupta, quæritur. Verum hic ego non admodum iudico laboran-
dum: in id potius incumbendum, quæ peſtiferarum, venenatarum
putridarumq; affectionum ſit natura, & quomodo his, indicatione D
ex morbi natura ſumpta, occurere queamus. Tu autem metuis ve-
teris medicinæ everſionem, morbis in ſubſtantia poſitis? Ego ſen-
tio, ſive quis ſubſtantiæ morbos vocet, quorum eſſentia ignota
eſt, quales ſunt peſtiferi, venenati, & multi à putredine penden-
tes, aliique, ut comitiales, ſive ab ignota ἰδιοσυγκρασίᾳ naturæ ini-
mica

mica pendere quis dicat, in idem redire, quantum ad curandi rationem ſpectat. Ad ea enim recurrendum eſt remedia, quæ ſpecifica proprietate, id eſt tota ſubſtantia (quæ Galeno proprietas temperamenti,) ſubveniant: non autem manifeſtis qualitatibus, primis & ſecundis, ſuccurrant: quando his nihil profici videmus. Habes itaq; breviter meam ſententiam. Facit autem D. Eraſtus mentionē ſcripti alicuius in quo medicamenta Paracelſi ſuſcipit examinanda, hoc ſi editum eſt. velim ad me mitti. Bene vale, & uxorem ſaluta. Roſtochii 30 Martii 1577.

A

EPISTOLA. V.

HENRICVS SMETIVS MED. Palat.

HENR. BRUCÆO MED. PROFESS. ROSTOCH. Reſponſum.

Eraſti ad acceptas obiectiones mitti, iudicet liberè. Eraſtum n. Smetii cum Batto velitatione perlecta ſtimulatum, hanc rem ſolidè pertractare velle.

B

SCRIPSI ad te XI Semptembris de meo ex patria reditu, rebusque Belgicis. Nunc D. Eraſti reſponſum mitto, ad obiectones tuas, contra theſes de morbis ſubſtantiæ, ad quas malui ipſummet, quam me reſpondere, quum ab ipſo non à me ſint conſcriptæ. Deinde, ut diſcuſsis omnibus, quæ veritati offundi poſſint, nebulis, C ſemel tandem lucem difficultatis huius, intueri queant opinionum tenebris immerſæ mentes, quæ ob iudicii imbecillitatem tenebrionum quorundam præſtigiis hactenus patuerunt.

Si quid erit quod minus placebit, liberè iudica. Non abſiſtet Eraſtus, donec planè ſatisfecerit, & tibi, quemadmodum non tantum nobis (quum publicè de hoc argumento diſputaretur) verùm & multis tum Italis, tum Germanis, & quidem Scholæ Patavinæ profeſſoribus, abundè reſpondit. ſtatuit enim iſtud ſubiectum ſolidè tractare, ne quis dubitationi locus relinquatur, ad quod ipſum velitatio illa inter D. Levinum Battum, & me quondam D ſuſcepta, quam legit, extimulavit. Si quid porrò ſcribes, ad D. Dobbinum literas mitte, is curabit, ut rectè ad me perferantur. vale & Battum cum Memmio ſaluta, & quid de theſibus hiſce Eraſtinis ſentiant, inquire. Francodalii 4. Novembris 1577.

EPISTOLA VI.

THOMÆ ERASTI MED. PROFESS. HAIDELBER. Ad Henr. Brucæi Med. Profeſſ. Roſtochi. Cenſuram & obiectiones adverſus theſes eius, de morbis ſubſtantiæ Reſponſio.

EXCELLENTE doctrina, virtute, ac pietate vir, D. Henricus Smetius, Electoris Palatini Medicus, tuas mihi literas, vir doctiſs. 16 Calend. Octobris (citius non potuit, quia in patria abſens fuit) mihi legendas obtulit: in quibus partim probas noſtrum de morbis totius ſubſtantiæ ſententiam, partim non abſolutè probas, A
ſed nonnihil adhuc dubitas, & dubitationis capita hæc animad-
1 verti inter legendum: Quo referenda ſit putrefacta & emortua
2 pars? Quo morbo pars relicta, ſit dicenda laborare? Quæ natura
3 ſit peſtiferarum, venenoſarum, & putidarum affectionum? Quo-
4 modo hiſce, indicatione á morbi natura petita, occurrendum ſit? B
5 Denique concludis, quocumque tandem nominetur iſtius modi af-
fectus, ad ſpecifica tamen remedia in curatione ſemper devenien-
dum eſſe. Hæc ſunt ad quæ tibi reſponderi videris cupere.

Ad primum quod attinet, minimè eſt opus nos laborare. Non enim pars putrefacta & emortua nobis aliud indicat, quam ſui ablationem: quemadmodum cadaver non aliud poſtulat, quam ſepulturam. Non enim à morte revocare tentat aliquem medicus, cũ à privatione ad habitum virtute naturali, redire nulla res poſſit. Deinde conſtat ipſas naturas eſſe morborum medicatrices. Quomodo ergo curabitur pars mortua? eò ergo referenda eſt pars mortua, quo C refertur totum corpus mortuum. Et ut hoc non cadit ſub conſiderationem medici: ita nec illa. De cadaveris amotione & ſepulturа, de extinctæ partis reſectione & ſeparatione, duntaxat cogitandum reſtat. De hac re ſatis dictum eſt in theſibus de totius ſubſtantiæ morbis, theſi *66* & *67*.

Pars relicta, quæ putrefacta nondum eſt, ſi nihil putridi, aut intemperati in ſe habeat, morbo laborat, qui vel in numero, vel magnitudine diminuta eſſentiam ſuam habet. Initio autem, cum putrefacta pars ſeiuncta primum eſt (ſive ferro, ſive igne, ſive alio modo ablata ſit) & continui ſolutione & intemperie plerum- D que afficitur. His percuratis deeſt vel numerus, vel magnitudo naturalis.

Natura affectionis peſtiferæ & putridæ, intemperies eſt, non ſimplex illa quidem, ſed cum malitia comite. Item omnis putredo, tum fiens, tum facta, eſt calida intemperies, á calore alieno partibus impreſſa, ut latè declaravimus in theſibus de putre-

putredine. Peſtis quoque cum propriè accipitur hoc nomine, nil aliud eſt, quàm maligna & pernicioſa putredo: quam in theſibus de totius ſubſtantiæ morbis, intemperiem eſſe demonſtravi. Quocirca nil aliud eſt putredo, quæ adhuc fit, quam inæqualis intemperies calida: quæ autem facta jam eſt: intemperies facta, ſeu æqualis. venena quoque nos alterando occidere, tam eſt notum, ut admonitione vix opus habeat. Cæterum per magna eſt differentia inter putredinem & putredinem exitioſam. Etſi enim omnis putredo eſt corruptio: non tamen omnis in corporibus noſtris orta putre-
A do, eſt malefica ſeu pernicioſa vitæ. In ſcabie certè eſt putredo. Atque ex putridis humoribus, naſcuntur, in omnibus propemodum hominibus, vermes in inteſtinis. At ab iſtiusmodi putredine per ſe nullus periclitatur, niſi malignitatem contrahat. Ergo cum ſint putredinis modi, ſeu ſpecies plurimæ, pro diverſitate ſcilicet graduum, varietate rerum putreſcentium, & diſcrepantia cauſarum efficientium, ut in theſibus de putredine oſtendimns: mirari nullus debet, quod peſtilentem putredinem quoque ſub putredine contineri aſſerimus. Quod ad cauſam attinet (de aliis nihil attinet hoc loco & tempore diſſerere) effectricem; ea eſt ſemper caliditas aliena, ſed
B tamen non unius modi, & generis ſemper exiſtit, cum ſæpè à ſimplici calore; aliquando à putrido, excitetur putredo. Sed & putridus calor non perpetuo putrefacit; verum aliquando generat, maturat, coquit. Etenim à putrido ſtercorum calore excludi pullos certum eſt, ſi aptè temperetur: & qui venenatus eſt calor, putredinem aliquando efficit, venenatæ qualitatis omnis expertem. Finge enim venenum putridum in vaſe aliquo incluſum (ut fuligo aut vapor, aut ſubſtantia nulla transpirare valeat) rem aliquam tangere & calefaciendo putrefacere: putreſcit res tacta ſimplici putredine, ac ſi ab ignis calore puro corrupta fuiſſet. Si autem cum caliditate
C vapor aut ſpiritus putridus ex vaſe ad eam rem perveniat; non ſimplex amplius putredo, ſed venenata putredo producetur. Hæc cauſa reddi etiam poteſt, in ovis. Nam ſi ſtercoris vapor putridus per ovi teſtam penetret non excludet pullos, ſed putrefaciet ova. Eadem ratio eſt, ſive putrida ſubſtantia ſit incluſa; ſive quod ab ea calefit, ſic munitum ſit, ut nulla ſubſtantia, ſed ſola caliditas ad ipſum pervenire poſſit. Accidit ergò putridis rebus plurimis aliquando, ut cum eo, quod putreſcunt, propter cauſæ putrefacientis qualitatem, etiam pernicioſam vim acquirant. Quod cum in peſte eveniat, haud eſt difficile viſu, naturam peſtis, eſſe putredinem (ſive
D intemperiem calidam) cum peculiari malitia, ab efficiente cauſa invectam. Quippe non ſimpliciter, aut ſuperficiem duntaxat calefaciendo, putrefacit obiter ſolum, ſed celeriter & profundè partes, quas apprehendit, corrumpit. Non ob id tamen putredo non eſt, quia vehemens putredo eſt, ac celerius aliis, res propinquas contaminat & perdit.

Hinc & ad quartam interrogationem tuam quid reſpondendum ſit, patet. Etenim indicatur nobis putrefacta, quovis modo poſſibili eſſe exigenda, & ne longius putredo ſerpat, prohibendum. Faciunt hoc frigida & ſicca, quod ipſa putredinis natura nos docet, quæque perſpirationem expediunt, & obſtructa citò deobſtruunt. Quoniam autem celeriter apprehendit, ac brevi tempore latè propagatur profundeque ſe inſinuat; feſtinanter ſuccurrere oportet. Quod cum facere nobis non ſit poſſibile, mirabile videri non debet, quod tam multi ex hac putredine pereunt. Conſideret apud ſe, qui nondum percepit, quanta celeritate putredo, quæ in gangrænis A oritur, in vicinas partes pervadat. Quàm porrò ſit difficile, putredinem ſimplicem lentè progredientem ſiſtere; vel una nos ſcabies, aut quæ in levibus ulceribus fit, docuerit. Cum quis febri miti & ſalubri laborat, quæ à putredine profecta eſt non mala, quantis opus eſt rebus, antequam eam expugnemus? Sed de hac in præſentia ſatis eſt dictum: præſertim cum repetenda iterum ſint, in reſponſione ad concluſionem tuam. Etſi ex modo dictis poſſit reſponſio peti, ad id quod ais, omnino ad ſpecifica veniendum in curatione, quoquo nomine affectus tales nominentur: placet tamen hic aliquid prædictis addere. B

Conſtat ex dictis, opus hic eſſe putrefacta vacuantibus, vel per alvum, vel urinas, vel menſes, vel hæmorrhoidas, vel ſudores (de venæ ſectione & per eam facta vacuatione nihil opus eſt hic plura dicere) & ne latius ſerpat prohibentibus, quæ videlicet obſtructiones aperire, ſanguinem & humores ventilare, denique refrigerare, & exſiccare poſſunt. Hæc qui admovet, an non indicationi ſatisfacit? Quod ſi viſceris alicujus imbecillitas, ut cordis, concidat; nullus dubitat, quin & hujus interim ſit habenda ratio. At hic, talibus, inquies, non curatur peſtis, aut non pelluntur venena: cauſa jam dicta eſt. Quia enim antevertit medicaminum horum efficientiam C (cauſæ non ſunt obſcuræ peritis Medicis) & cordis ſubſtantiam, ſeu vires proſternit, priusquam extingui ea poſſit, voti non efficimur compotes: at occulta vi agentia pharmaca (perges) multos liberarunt: Reſpondeo; neque te, neque alium quemquam, vel unius exemplum producturum, hominis à peſte liberati, per medicamentum ſpecifica virtute (intelligo occultam totius ſubſtantiæ proprietatem, quali magnes ferrum trahit) agens: cum contra ego verè aſſeverare poſſim, plurimos omnibus temporibus & locis perſanatos pharmacis virtute nota agentibus. De qua re ſi te dubitare ſuſpicarer, probarem multis experientiis Gallorum, Italo- D rum, Germanorum. Si purgantia objicias: Negabo tibi ulla vel venenoſos, vel peſtiferos humores ejusmodi facultate magis vacuare, quam non tales. Deinde ſi talis ineſt proprietas in illis omnibus, quæ ab auctoribus effusè laudantur, infinita fermè, ac nihil ſimile inter ſe habentia pharmaca, eadem illa ſunt poteſtate

prædita:

prædita: Quod ſi fieri nullo modo poteſt.

Equidem quæ latente virtute dicuntur profuiſſe, vel vacuando, vel concoquendo, vel ſanguinem & ſpiritus augendo, vel refrigerando, vel exſiccando, cuncta commodarunt. Et quamvis libenter fatear quædam ex his medicamentis, experientia magis, quam ratione & methodo inventa, uſurpataque primùm fuiſſe: Ex hoc tamen minimè ſequitur, poteſtatem, qua contulerunt, ignotam occultamque ſeu ſpecificam eſſe. valdè multa, uſus & experientia, juvare certos morbos, docuerunt: quorum efficientiæ cauſas, poſt-
A eà perſpicaces homines præclarè viderunt. Non eas noverant prius, quia eas res, vel non viderant, vel non examinarant: & proinde quibus eſſent præditæ viribus, agnoſcere numquam ſtuduerunt. Poſteà verò quàm utilitatem earum perſpexerunt; qua facultate talia præſtarent, indagare cæperunt, ac invenerunt. Numquam autem inveniſſent, ſi verè ſpecificæ ſeu occultæ fuiſſent. Certè quotquot ego conducere adhuc animadverti (ſunt enim hic ut in aliis etiam infinita, quæ creduntur magis prodeſſe, quàm re ipſa proſunt) notis poteſtatibus commodare perſpexi. Cogitemus hic etiam veterum artem valdè mancam & mutilam fuiſſe, ſi ſpe-
B cificis iſtis pugnandum eſt potius, quam methodo conſtantibus pharmacis. At conſtat eos non infelicius, (ne dicam felicius) peſtem curaſſe, quam ſuis ſpecificis poſteriores curarunt, ac etiamnum curant. Quamobrem cum ſpecificorum iſtorum raro mentionem fecerint, rarius ea uſurparint: perſpicuum eſt eorum vim non eſſe tàm fructuoſam & utilem, quàm aliqui non ſatis prudenter ſibi perſuaſerunt. Nova eſt iſta ſpecificorum laudatio effuſa, ab homine omnium, qui multis ſeculis vixerunt, perditiſſimo & imperitiſſimo, in medicinam ætate noſtra primum introducta.

C In tot & tam præclaris Hippocratis & Galeni operibus quota eſt horum mentio, in curatione peſtis, gangrenæ, venenorum hauſtu, ac ſimilibus morbis? Quod ſi abſque ſpecificis iſtis tales morbi curari nequeunt; valdè diminutam artem nobis tradiderunt veteres omnes. Quotusquiſque enim talium meminit? Aëtius & Trallianus aliqua nonnunquam recenſent; ſed partim fœda & abominanda, partim ſuperſtitioſa, impia & ridicula, partim etiam repertu impoſſibilia, aut difficillima.

Quam præterea fidem ipſimet talibus habuerint, ſatis declarant, cum ſe audita referre, aut inutilia expertos eſſe ſcribunt ac le-
D ctorem inſuper monent, ut non magnoperè his confidat, ſed methodo inventis utatur. Te vehementer oratum velim, ut tecum cogites, utri plures ejusmodi morbos omnibus ſeculis curarint; illine, qui ſpecifica iſta jactant, an qui veterum methodo uſi, ratione invenerunt medicamenta? Ego ſane nullum adhuc ab

illis ſanatum vidi, plurimos nefariè occiſos cognovi: Ab his contra plurimos methodicè percuratos novi; ut paulò ſupra dixi. Quæ ars eſſet medicina, ſi talibus ſanarentur, gravioribus illis morbis correpti? Nulla. Apertè namque Galenus 2. de compoſ. ſecundum locos: οὐδένα λόγον ἰατρικὸν ἔχειν talia ſcribit, ac res ipſa docet. Rationem haud multò poſt ſubjungit, quod ejusmodi pharmaca oporteat omnem morbum, omni tempore, in omni ægro depellere. Quod ſi faciat καὶ ἡμεῖς αὐτοπάθειαν αὖθις μαρτυρήσομεν, οὐκ ἐνέργειαν ἧς ἔχει κρείσσως. Ut de me ipſo dicam, qui tenuitatem meam lubens agnoſco, non cunctabor tibi promittere, me apertam & conſentaneam rebus cauſam tibi redditurum, de medicamentis illis, quæcunque probaveris certò curare poſſe venenoſos & peſtiferos affectus: Si unum hoc mihi dederis, quod negare nullo jure potes, nos exquiſitum temperamenti & mixtionis gradum perfectè cognoſcere non poſſe. Hæc enim ratio eſt, cur ex duobus pharmacis, quæ temperationem videntur ſenſibus noſtris eandem obtinuiſſe, alterum altero nunc magis, nunc minus juvet. Hinc verò non rectè concluditur, prorſus ἄγνωστον & ſpecificam eſſe talem facultatem; ut enim experientia primum diſcrimen indicavit: tamen ratio poſtea cauſam comprehendit. Hæc ad tuas, doctiſſime Brucæe, interrogationes reſpondere placuit: non tam tua, qui his non eges, quam mea cauſa. Cupio enim & me ipſum exercere in veritatis inveſtigatione, & multò magis ab aliis velim excitari, ut in hoc ſtudio aſſiduè permaneam: & ſi qua eſt in me facultas, aliis proſim. Dabitur fortaſsè occaſio argumentum hoc pleniùs tractandi. Dominus Jeſus nobis ſemper adſit. Amen. 14. Octobris 1577. Heidelbergæ.

Tuæ humanitatis Studioſiſſimus

THOMAS ERASTUS.

DISPUTATIO THOMÆ ERASTI MED. DOCT. DE PUTREDINE.

Theſ. I.

ARISTOTELES lib. 4. cap. 1. Meteor. putredinem definit his verbis: σῆψις ἐστὶ φθορὰ, τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας, καὶ κατὰ φύσιν, θερμότητος, ὑπὸ ἀλλοτρίας θερμότητος: αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἡ τοῦ περιέχοντος. Putredo eſt, inquit, interitus proprii, & naturalis in quovis humido caloris, ab adventitio calore profectus: ſcilicet ambientis.

II.

Hanc definitionem omnes eruditi, qui poſt Ariſtotelem vixerunt,

runt, Medici pariter & Philoſophi, ſummo conſenſu meritò probarunt. Etenim quæ in juſta & bona proprietatis cujuslibet finitione ineſſe oportet, in hac reperiuntur omnia. Nominis conceſſa omnibus notio: Subjectum proprium & cauſa. Et λόγος ὀνοματώδης generis rationem obtinens, his continetur verbis: φθορὰ τῆς οἰκείας, καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος: Subjectum: quod cum cauſa differentiæ vim locumque tenet, expreſſit, cum dixit; ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ. Cauſam expoſuit verbis reliquis; ὑπὸ ἀλλοτρίας θερμότητος.

A

III.

Nec putandum eſt aliud vel aliter Galenum ſenſiſſe, quando putredinem ſcripſit eſſe; μεταβολὴν τῆς ὅλης τοῦ σώματος σηπομένης οὐσίας, ἐπὶ φθορὰν, ὑπὸ τῆς ἔξωθεν θερμασίας. Quod Galeno ſignificat tota ſubſtantia, hoc Ariſtoteli ſignificat naturalis & proprius calor in ſuo humido: id eſt, in ſua materia. Non poteſt enim res ulla perire, incolumi nativo calore permanente (teſte Ariſtotele de juvent. & ſeneſt. 4. de reſpirat. 8. de brevi & longa vita cap. 5.) quem Galenus frequenter naturam & totam ſubſtantiam nominat.

B

IV.

Si quæ eſt differentia, hæc fuerit, quod Galenus de mutatione ad corruptionem, quæ adhuc fit, potius videtur loqui, quàm de corruptione facta. Quanquam nihil vetat, tum hujus verba de facta, tum Ariſtotelis de ea quoque, quæ etiamnum fit, accipere.

V.

Cæterùm ut natura & definitio putredinis exactiùs intelligatur, modi, quibus calor naturalis cujusque rei interire poteſt, declarandi ſunt. Quos quia ignis corruptioni reſpondere cenſuit cum C Ariſtotele Galenus; quot modis perimatur ignis, conſiderare oportet.

VI.

Perit ignis ex ſententia Ariſtotelis tribus modis, ſcilicet σβέσει & μαράνσει, denique ἐνδιαστροφῆς. Etſi autem Ariſtoteles in lib. de juuent. & ſeneſt. cap. 4. duos priores modos, ſub tertio contineri oſtendit, tamen, quia is in illis etiam comprehenditur, & bipartita in σβέσιν & μάρανσιν tributio, propoſitam diſputationem magis illuſtrat; hanc retinebimus: præſertim cum ipſi quoque Ariſtoteli crebriùs uſurpata fuerit.

D

VII.

Ignis igitur occidit vel σβέσει; quem interitus modum extinctionem vocabimus; vel μαράνσει, quem modum poſthac Marcorem aut tabem nominabimus. Et extingui dicitur, quoties à contrario ſeu frigore perimitur: Marceſcere, quando ſeipſum atterit.

VIII.

Hoc diſcrimen expreſſit Ariſtoteles lib. de juvent. & ſeneƈt. cap. IV. his verbis: καλῦμεν δὲ τὴν ἀφ' ἑαυτῦ, (φθοράν) μάρανσιν: τὴν δὲ ὑπὸ τῶν ἐναντίων, σβέσιν: Senſus eſt, ignem duobus modis perire, videlicet à calore & frigore. Nam μαραίνεσθαι, (marceſcere) tunc etiam dicitur, cum à vehementiore igne diſſipatur.

IX.

Sic & congenitus cujusque rei calor occumbere ſolet, vel extinctione, vel marcore ſeu tabe. Extinctione quidem, quando à re frigida, ſive externa, ſive interna corrumpitur. Marcore; quando à calore calor, ſine frigoris acceſſione perditur. A

X.

Tot verò ſunt differentiæ utriusque ſpeciei, quot modis calor vel à contrario frigefieri, vel à calore tabefieri, quomodo libet, poteſt. Haud aliter enim modi, ſeu ſpecies corruptionis caloris, in ſuo ſubjecto diſtingui poſſunt, quam pro cauſarum corrumpentium varietate agendique modo.

XI. B

Totidem ergò modis interit nativus calor, quot ignis perire modis poteſt. Etenim extinguitur, & à frigido cibo, potu, aqua, aere, pharmacis: Et à diviſione ſubjecti, ut jugulatione, diſcerptione, ſanguinis profuſione, aut alia quavis immodica vacuatione. Duobus his modis extingui ignem, apertè docet Ariſtoteles lib. de Reſpirat. cap. VIII. Omnia enim hæc frigefaciendo calorem perdunt. Tabeſcit quoque tum natura, tum vi, ſeu morbo. Naturaliter marceſcit, cum ſeipſum tractu temporis (citra violentiam aut morbum) conficit. Violenter tabeſcit, cum alimentum juſto celerius depaſcitur: Quod duobus itidem modis contingit. Aliquando enim propter negatam reſpirationem per ſtrangulationes, ſuffocationes, obſtructiones ſuffocatur: Sæpè ob alieni caloris acceſſionem auctus diſſipatur, aut corrumpitur. C

XII.

Patet ex dictis, non ſic σβέσιν aliquam naturalem inveniri, ſicut μάρανσις aliqua naturalis exiſtit. Non enim illa, ſicut hæc corruptionis ſpecies in violentam & naturalem diſtribuitur: propterea quod non ſic naturaliter poteſt à contrario calor exſtingui, ſicut à ſe ipſo paulatim poteſt naturaliter abſumi: Ergo ut duplex eſt, caloris à calore profecta corruptio; ita duplex quoque ſtatuitur ab Ariſtotele μάρανσις. D

XIII.

Pro cujus rei declaratione ſciendum eſt, caloris in viventibus interitum, mortem vocari ab Ariſtotele; quod ex his verbis patet:

patet: ἀνάγκη τοίνυν, ἅμα τῷ τε ζῆν ὑπάρχειν, καὶ τὴν τοῦ θερμοῦ τούτου (συμφύτου) συντήρησιν, καὶ τὸν καλούμενον θάνατον εἶναι τὴν τούτου φθοράν.

XIV.

Quo poſito, ſequitur neceſſariò, marcorem aliquem eſſe naturalem, & aliquem violentum ſeu morbidum; quod ibidem affirmat Ariſtot. his verbis: τελευτὴ δὲ καὶ φθορά, βίαιος μὲν ἡ τοῦ θερμοῦ σβέσις, καὶ μάρανσις (φθαρείη γὰρ ἂν διὰ ἀμφοτέρας ταύτας τὰς αἰτίας) ἡ δὲ κατὰ φύσιν τοῦ αὐτοῦ τούτου, μάρανσις διὰ χρόνου μῆκος γινομένη καὶ τελειό-
A τητος. Mors & corruptio inſiti caloris violenta & per σβέσιν, & per μάρανσιν contingit. Ejusdem verò naturalis marcor accidit temporis tractu & perfectione.

XV.

Clarè oſtendit Ariſtoteles in his verbis, nativum calorem marceſcere tum naturaliter, tum violenter: Simul etiam differentiam inter duas iſtas τῆς μαράνσεως ſpecies ſeu modos indicat: dum naturalem ab inſito calore ſenſim longo perfectoq; temporis ſpatio, absq; ullius acquiſititii affectus interventu gigni ait. Ex quo ſequitur, violentam ab externa cauſa interdum breviſſimo tempore invehi. Quæ
B omnia diſertis verbis Ariſtoteles paulò ante proximè adducta verba, expoſuit. Nullus neſcit, ſenectutem nonnunquam à morbis maturari, ideoque cum properatione quadam induci.

XVI.

Calor igitur vel natura occidit (& vocatur hæc interitus ſpecies μάρανσις κατὰ φύσιν, marcor naturalis) vel vi ſive morbo, ut Ariſtoteles loquitur. Cæterum violenta caloris reſtinctio eſt duplex: Nam vel ſe ipſum violenter conficicit, (quæ corruptionis ſpecies μάρανσις βίαιος, marcor violentus nominatur) vel à contrario disperditur & σβέσις dicitur. Pluribus modis calor non interit. Qui enim
C propter alimenti inopiam accidit, in jam enumeratis modis comprehenſus eſt.

XVII

Manifeſtum nunc eſt, caloris corruptionem, quæ per putredinem accidit, marcoris ſpeciem quandam exiſtere. Inter exſtinctionis certè modos collocari nequit. Non enim à contrario, ſeu frigore externo, rerum putreſcentium nativus calor perimitur, ſed à calore adventitio corrumpitur: ut poſitum nobis fuit.

XVIII.

At calor, inquiet forſan aliquis, non à ſolo frigore exſtinguitur: ſed ab immodico etiã calore celerrimè disperditur. Nã & parvus ignis
D à magno diſſipatur, & imbecillis ellychnii flãma in ferventiſſimo ſolis æſtu reſtinguitur. Hic caloris interitus ad tabẽ, ſeu marcorẽ, referri nõ poteſt: ſi modò rectè μάρανσιν Ariſtot. poſuit corruptionẽ caloris eſſe, in qua calor ſeipſũ conficit. Satis notũ eſt, ignem parvum, quoties à majore extinguitur, ſeipſum non cõſumere, ſed à potẽtiore ſtatim ab initio, tantũ nõ ſubitò disperdi. Quare non quilibet caloris

violentus

violentus interitus à calore quovis modo effectus, ſub tabe cõprehenditur: aut non in omni marcore calor ſeipſum conſumit. Hac de cauſa videtur Ariſtoteles hunc modum à tabe diſtinguere in 3. ſect. probl. 5.

XIX.

Reſpondeo Ariſtotelem omnem caloris aut ignis interitum à calore profectum, inter marcoris ſpecies numerare: ut ex libro de juvent. & ſeneƈt. lib. de reſpirat. cap. 8. & 3. ſect. probl. 27. (juxta diviſionem Græcorum) perſpicere cuique licet. Deinde ſi maximè daremus, ejusmodi caloris corruptionem rectiùs inter ſpecies τοῦ σβέσιος, quàm τοῦ μαράνσιος poni: non poſſet tamen putredo inter extinctionis modos recenſeri. Non enim ſic prorſus corrumpitur calor inſitus per putredinem violentam, quomodo ignis ab igne extinguitur. Diverſitatis ratio eſt, quod ignis in alienæ materiæ ſuperficie, aut certis ſolum partibus, inhæret, nativus autem calor, qui in putredine corrumpitur, per omnes ſubjecti proprii partes diffuſus, in omnibus æquè inſidet, omnesque æqualiter regit ac temperat. His adde quod calore ignis exſtincto, non eſt neceſſe, ut materia vel ſubjectum, in quo inerat, ſimul pereat: cum nativo calore perdito, neceſſariò ſubjectum corruptum ſit. Differentiam Ariſtoteles tacitè ſignificavit, cum lib. de reſpirat. cap 36. interitum animalium perfectorum & imperfectorum eundem dixit eſſe, quatenus in utriſque calor deficiens, cauſa eſt corruptionis: non eundem eſſe, quatenus in animalibus, exſtinctio caloris cordis, mortem adfert: licet implantatus aliarum partium calor non ſubitò ſimul pereat. Sed & ignis parvi exſtinctionem à majore factam, nulli, quod ſciam, putredinem putarunt: Combuſtionem quandam potius cum Ariſtotele judicarunt. Denique falſum illud Ariſtotelis dictum foret, ignem non putreſcere.

XX.

In problem. populariter magis loqui Philoſophum; accurationem phyſicam non ubique ſervare, notum eſt. Quanquam in hac cauſa hic etiam à nobis ſtet: ut ex loco citato patet. Cum priore loco modos ſeorſum numerat, ſecum non pugnat. Qui non concedit, ratione eadem coactus dabit, corruptionem caloris, ex alimenti defectu natam, nec ſub exſtinctione, nec ſub marcore comprehẽdi: quod manifeſtè falſum eſt.

XXI.

Si qua reperitur in miſtis (præter combuſtionem) corruptio caloris, nuper dictæ ignis corruptioni ſimilis, in ſolis animalibus, influente ex corde calore viventibus, invenitur. Hic enim calor breviſſimo tempore per ſuffocationem, aut negatam reſpirationem diſſipatur: nec ob id ſtatim cordis, aliarumque partium corporis ſolidiorum, temperationes ſimul corruptæ ſunt. Si enim cum Galeno lib. de reſpirat. cor ponamus funiculo in lychno reſpondere; vitalem ſpiritum,

ſpiritum, ejusque caliditatem flammæ; putare licebit, ita ferè interire cordis flammam, ſubſtantia ejus ſolida illæſa manente, quomodo Elychnii corruptione. Tale quippiam ſolet in ſummo æſtu accidere meſſoribus, ut diſſipatis ab aëris immodico calore ſpiritibus, ſubitò moriantur.

XXII.

Notandum inſuper eſt, quod calorem putreſcentium dicit ab alieno corrumpi in humido. Si enim humidum abſumatur à calore peregrino, ante nativi interitum; non putrefaciet, ſed à putredine
A præſervabit. Hac de cauſa fructus, quos imputres ſervare cupimus, calore ignis vel ſolis exſiccare jubemur. Scitè ob id dictum eſt à quibusdam, non calorem ſiccum, ſed humidum putredinis parentem authoremque eſſe. Nam calor absque humiditate non putrefacit, teſte Galeno lib. 3. de compoſ. pharm. κατὰ γένη cap. 2. poteſt tamen in re putreſcente, tanta ineſſe humoris copia, ut à ſicco etiam calore prius corrumpatur inſitus calor, quam humiditas ejus diſſipari potuerit.

XXIII.

Poſtremò obſervandum eſt, quod calorem putrefacientem, ait eſſe calorem ambientis: non ſolius aëris. Etenim putreſcunt res plu-
B rimæ in aqua & in terra. Ideò Ariſtoteles, cum reddere vellet cauſam, cur hyeme res minus putreſcant, quàm æſtate, vel per æſtum; hæc ſcribit: Ἐν μὲν γὰρ τῷ χειμῶνι ὀλίγον ἐν τῷ περιέχοντι ἀέρι καὶ ὕδατι τὸ θερμόν. Palam hic oſtendit, ſe per ambiens, non ſolum aërem intelligere. Si cui placet, omnia ob aeris in aqua & terra contenti calorem putrefieri, is non dubitabit aſſerere, putredinem in corporib: noſtris genitam, ab ejusdem calore ſuſcitatam. Sic enim per intimas omnes partes animalium diffuſus eſt aer & flatus; ut vetuſtus ille author libri de flatibus omnes prope morbos à ſpiritu ſeu aëre produci crediderit. Qua ratione verò, aër intra corpora contentos hu-
C mores, ac ſpiritus putrefacere poſſit, ac ſoleat; declarat Ariſtoteles ſect. 3. probl. 2.

XXIV.

Quanquam, ſi verum dicere oportet, videre non poſſum, cur, cū à vapore ac fuligine intra corpus retenta, putredo ſuſcitatur, ab aëre potius, quam ab hac ipſa fuligine procreatam affirmare oporteat? Ariſtoteles certè calorem alienum dixit eſſe τοῦ περιέχοντος, id eſt, cōtinentis. Non ſolius aëris. Paulò pòſt & aquam hoc nomine appellat. Quid ergo vetat & terram & fuligines iſtas eodem nomine comprehendere? Vbicunque putredinis mentionem aliâs facit, ab alieno
D calore effici ait: nec contrahit ad rei certæ calorem. Non ergò tam auguſtam putavit τοῦ περιέχοντος ſignificationem, quam aliqui putant. An putrefactio per contactum putridi corporis orta, negabitur à continentis calore ſuſcitata? Non arbitror: Rectius ergo Galenus Ariſtotelis mentem intellexit 2. de feb. diff. cap. 9 ſic ſcribens: δοκεῖ γὰρ μὲν ὀρθῶς Ἀριστοτέλης εἰρηκέναι, τὴν σῆψιν ὑπὸ θερμότητος ἀλλο-

τρίας

τελείας γίγνεται· λέγω δὲ ἀλλοτρίαν, τὴν ἔξωθεν, οὐκ ἔμφυτον, οὐδ' οἰκείαν ἕκαστον τῶν ὄντων.

XXV.

Excrementa, fuliginesque corruptionis naturæ cauſas aliquando eſſe: vel ex 3 de long. & brevit. vitæ (ut experientiam taceamus) conſtat. Quæro igitur, quam corruptionis ſpeciem invehant, quoties plus juſto calefacta, morbos mortemque inferunt. Non σβέσιν. Quoniam calefacta (teſte Ariſtotele cap. 8. de reſpirat.) corrumpuntur οὐ ψυχόμενα, ἀλλὰ μαραινόμενα. Ergò μάρανσιν efficiunt: non quidem naturalem: ut quæ ſolummodo ætatis decurſu eveniat. Ergo morbidam & violentam. Quocirca cum non ſint combuſtionis cauſa, qua alia ratione, quam putrefaciendo interficiunt? Quod putredines inducant humoribus, quotidiana demonſtrat experientia: Nec in probl tacuit Ariſtoteles. Quare ſi nomine continentis non ſunt comprehenſa, manca eſt Ariſtotelis definitio: nec καθόλου cauſam putredinis adfert, quod & falſum eſt, & abſurdè cogitatur. A

XXVI.

Partibus definitionis declaratis, ſpecies putredinis conſiderare convenit. Duas ponit Ariſtoteles libro quarto meteor. 1. cap. Naturalem & morbidam. Illam καθόλου ſeu generalem, ſimplicis ortus contrarium communiſſimum, naturalis cunctarum rerum interitus finem, ac terminum vocat: Hanc κατὰ μέρος ſeu particularem, violentamque corruptionem, & putredinem propriè nominari aſſerit. B

XXVII.

Naturalis ob id prior illa dicitur, quia rebus non antè accidit quàm nativus calor (nullo morbo nullaque vi aut cauſa præter naturam coactus) ita ſeipſum longo ætatis tractu debilitavit ac fregit, ut à leviſſimo ambientis calore diſperdi citra violentiam poſſit. Vniverſalis & καθόλου vocatur: quia ut cunctis rebus naturaliter occidentibus tandem ſupervenit, & totum æqualiter ſubjectum (partium proportione ſervata) corrumpit. Generationis ſimplicis contrarium maximè commune nominatur: quia ſicut per generationem ſimplicem, ex ſimpliciter non miſto, fit miſtum ſimpliciter; ita per hanc ex miſto fit non miſtum ſimpliciter: hoc eſt, quia per eam miſtum ita ſolvitur in Elementa; ſicut ex Elementis per ſimplicem ortum, generatum fuerat miſtum. Hinc & finis naturalis corruptionis appellatur, quia miſta ulterius non poſſunt corrumpi, cum in Elementa ſoluta ſunt. Nuncupavit autem Ariſtoteles putredinem: quia & nomine proprio apud veteres carebat, & eodem ferè modo contingit, quo propriè vocata putredo rebus accidit. C D

XXVIII.

Species altera, violenta ſeu morbida (atque ideò naturali, contrà poſita) vocatur: quia in ea calor inſitus præter naturam, ante legitimum

timum tempus à natura præfinitum, diſſolvitur. Accidit enim hæc rebus quibusvis, tempore & loco quolibet: tum etiam cum maximè vigent. Particularis dicitur, tum, quia totum non ſimul & ſemel cõprehendit. (Non enim neceſſarium eſt, parte ſanguinis vel carnis, &c. putrefacta, totum ſanguinem, totamve carnem ſtatim computreſcere) tum quia tot ſunt fermè hujus ſpecies ſeu modi, quot ſunt res putreſcentes, cum ſua quædam cuique ſit propria qualitas. Hinc eſt, quod ex re tali putrefacta, tale quid generatur, quale ex nulla alia generari poſſit. Hinc diverſitas conſiſtentiæ, odorum, ſaporum, colo-
A rum, &c. in rebus putridis oritur. Meritò igitur hæc particularis vocatur, illa verò univerſalis & communis dicitur, cũ per ipſam omnia ſimiliter in Elementa ſolvantur. Quoniam igitur ſola particularis putredo veteribus nota fuit; rectè Ariſtoteles monuit, eam propriè uſitateque putredinem appellari.

XXIX.

Hinc facilè differentia harum duarum ſpecierum putredinis perſpicitur. Naturalis tantum in fine durationis naturalis accidit: Et quidem neceſſariò evenit. Particularis omni tempore & loco ſupervenire poteſt: nec tamen neceſſariò ulli rei accidit. Illa eſt naturalis
B corruptionis, naturalis terminus: hæc violenta & morbida paſſio exiſtens, non ſinit res, quas occupavit, naturaliter interire: Illa totum diſſolvit: hæc partem unam duntaxat ab initio corripit. A qua deinde, niſi prohibeatur, in partes alias ſerpit. Illa eſt miſtorum, quatenus miſta ſunt, ſolutio in Elementa. Hæc talis miſti eſt corruptio, in tale miſtum: Vt vini, in acetum: Corporis vivi, in cadaver, &c. Non enim ſtatim in Elementa diſſolvitur, quod propriè vocata putredine corrumpitur. Illa opponitur generationi ſimplici, ut naturalis corruptio. Hæc adverſatur generationi tali, ut morbida & violenta corruptio. Illi ſola natura aditum parat. Hanc ars etiam inducere poteſt. Il-
C li Elementa non ſunt obnoxia. Huic etiam elementa (igne excepto) non prorſus pura & ſincera ſubjiciuntur. Ex illa nullum generatur miſtum aliud. In hac generantur tum animalia, tum res aliæ.

XXX.

Definitionem ſi rectè poſuimus, probeq; declaravimus, nullo negotio ad ea quæ objici poterunt, ex prædictis reſpondebimus. Primũ igitur quærenti, qua re differat putredo à combuſtione, cum utrobique calor inſitus ab alieno perdatur? Reſpondebimus, non quamvis caloris congeniti abs peregrino profectam corruptionem putredinẽ eſſe. Etenim per putredinem corrumpitur calor manente multa hu-
D miditate. In combuſtione cum calore humiditas abſumitur. Idcircò de putridis multa rectè dicuntur, quæ de cobuſtis nulla ratione efferi poſſunt. Nam & humidiora fieri dicimus putrefacta: Et humorẽ à calore non amplius regi: Et calidiora fieri propter accenſum humorem.

XXXI.

Si evaporare cum calore humidum contendas, non inficiabor.

(idem

(idem enim Ariſtoteles quoque affirmavit) ſed totum exſpirare cõſtanter negabo. Remanet enim in naturali putredine aquei aliquid: licét humidum, quo calor alebatur, & in quo præcipuè inſidebat, lõgo temporis ſpatio maxima ex parte unà cum calore exhalaverit. Diſſipatur ergò in putredine calor, quoties ab externo auctus, alimentum præparatum abſumit, priusquam novum comparaverit. At totum humidum, quod velut alimentum erat, non educit: quod vel ex eo quoque perſpicuum fiat, quod ex putrefactis rebus compluribus, certa animalia naſcuntur. In putredine igitur perit calor in humido, ſed in combuſtione, unà cum humido. A

XXXII.

In ſuffocatione longè major eſt difficultas. Non facilè dictu eſt, quomodo à putredine propriè nominata differat Cum hic etiam inſitus cordis calor in animalibus à circumſtante calore, accenſaque fuligine, propter negatam reſpirationem, perimatur. At nullus hunc interitus modum, appellavit putredinem, ut arbitror: licet τοῦ μαράνσεως ſpeciem cum Ariſtotele (de juventute & ſenectute cap. 5. atque alibi) omnes conceſſerint. Conſtat etiam contrarium, ſuffocari ſcilicet, idem eſſe ac putreſcere. Quid enim aliud patitur calor partium obſtructione laborantium, quando propter obſtructionem vẽtilatio ejus impedita eſt? B

XXXIII.

Vtrumque verum videtur. Nam & ſuffocata animalia non dicimus putrefacta: Et per obſtructionem ſimili modo calorem ſtrangulari, quo per ſuffocationem prohibita reſpiratione ſtrangulatur, omnes aſſerunt. An in nominibus magis, quam in rebus, diſcrimen hæret? In cauſa eſt, quod in animalibus duplex calor invenitur, videlicet influens ex corde, & in ſingulis partibus inſitus. Influentis igitur, & communis partium omnium caloris interitum, ab intercepta reſpiratione ortum, ſuffocationem potius nuncupare placuit, C quam putredinem. Contra vero inſitum partibus, ab eisdem cauſis corruptum, putredinem magis libuit appellare, quàm ſuffocationẽ. Quanquam ad hunc modum putrefacta frumenta, fructus, res alias, (cum propter copiam arctè nimis denſantur & compinguntur) vulgò etiam dicere ſolemus ſuffocata.

XXXIV.

Cauſam diverſæ appellationi præbuiſſe videtur, quod poſt influentis caloris corruptionem, nullum relinquitur putridum cadaver, (ut ſic vocem) quemadmodum in putrefactione aliorum corporum; Etenim animale ſuffocato, aut jugulato, non continuò amittunt tum carnes, tum aliæ partes naturam, inſitamque temperationem ſuam: quamvis absq; influente conſervare non diu poſſint. Igitur cum in putredine res oporteat ita corrumpi, ὡς χωρισθῆναι τῆς φύσεως, in caloris verò influentis exſtinctione tale nihil ſtatim appareat, ſuffocationem vocare maluerunt. D

Quæri

XXXV.

Quæri præterea poteſt, quomodo á coctione differat putrefactio.
Equidem in generatione ſanguinis ex chylo (exempli gratia agit) ie-
cinoris calor in chyli calorem, eoq; ſoluto & corrupto novam intro-
ducit temperationem & formam. Quæ caloris corruptio cum fiat
ab alieno, ſcilicet hepatis calore, putrefactus videtur chylus, non au-
tem concoctus: niſi & res alias putrefactas, quoties vel animal, vel
aliud quippiã ex iis naſcitur, concoctas exiſtimare nos oporteat. Par
ratio eſt generationis chyli ex ingeſtis alimentis aliorumq; humo-
A rũ, adeoq; ipſius nutritionis. Et, ſi cocta nulla fuit putrida, ne in pu-
re quidem laudabili, putridi aliquid in eſſe dabimus.

XXXVI

Dicimus neq; chylum, neq; aliam rem ullam, putreſcere, cum ex
ea tranſmutata generatur aliquid præſtantius. Mutatio enim nomẽ
ſortitur à fine & termino, ad quem à natura dirigitur, non ab eo, à
quo progreditur: Si, inquam, ad digniorem formam naturaliter
adipiſcendam deſtinata ſit. Hinc ſcitè negat Ariſtoteles 3. de gene.
rat. animal. cap. 11. Sponte orientia ex putredine oriri: licet ſine pu-
tredine talium nihil fiat. Nihil, inquit, gignitur σηπόμενον, ἀλλὰ
B πεπτόμενον. Rationem adiicit, quia putredo & putrefactum, excre-
mentum eſt rei coctæ.

XXXVII.

Ergò generationem fieri dicimus, quando ex ſubſtantiali muta-
tione rei alicuius, oritur res nobilior, & ad huius ortum illa à natu-
ra fuit ordinata: maximaque ſui parte in perfectius permutatur.
Putreſcere autem putamus, quando res aliqua forma & temperatio-
ne perfectiore amiſſa, deteriorem acquirit, maximaque ſui parte
inultis redditur: Licet ex aliqua particula nonnunquam boni aliquid
oriatur. Etenim in putrefactis quibusdam, partes aliquas dulces, ad
C principium animalis conſtituendum, ſecerni docet in proximè ci-
tato loco Ariſtoteles. Nihil interim vetat, quin excrementum, quod
in coctione ſecretum eſt, putrefactum concedamus, dum pars maxi-
ma rei coctę perfectiorem formam inducit. De coctione propriè di-
cta (in qua non mutatur ſubſtantia) diſputare, non eſt huius loci.
Pus quoq;, licet non ſit abſolutè putridum, tamen putredinis ex-
pers nullis argumentis oſtendetur.

XXXVIII.

Dubitari inſuper poteſt, qui ab alieno calore dicatur omnis pu-
tredo fieri? Cum ſæpè nativus calor auctus ſe ipſum perdat. Natura-
D lis calor ſe ipſum non ſic auget, ut proportionem ſubiecto cõgruen-
tem amittat, ſed ab alieno ſemper eiuſmodi incrementum prove-
nit: quod duobus modis contingit. Nam vel propter calores exter-
ni acceſſionem maior evadit, vel propter retentos inflammatosque
vapores, qui ſubinde vacuari ſolebant, copioſior acutiorq; effici-
tur. Hi enim in corpore propter obſtructionem incluſi, plus ſolito

incaleſcunt, & vicinas partes ſimul accendunt. Vtro modo auctus ponatur congenitus calor, ab alieno circumſtanteq; dicitur corruptus, id eſt ineptus ad hoc factus, ut temperamentum ſuum ſervet. Quocirca Elementis aliter temperatis, novæ miſtionis aut temperationis author fit, ac princeps. Noſter igitur eſt, ac non noſter: Naturalis & alienus: idem atque alius: ut ſect. 4. probl. 14. declaratum reperimus. Quo autem modo calor nativus cum peregrino iunctus ſemetipſum perdat, ſect. 3. probl. 5. aliisq; in locis pluribus dilucidè ſatis expoſitum legimus. A

XXXIX.

At nondum patet, inquiet aliquis, quomodo putredo naturalis à calore ambientis inducatur? Contradicentes videntur orationes, putredinem omnem à peregrino calore effici: Et putredinem quandã naturaliter evenire. Nam ut naturalis generatio eſt, quæ ab internis cauſis naſcitur; ita oppoſitam ei corruptionem convenit ab internis cauſis, nulla vi externa interveniente, proficiſci. Aut igitur non competit omni putredini tradita retrò difinitio, aut putredo naturalis nulla invenitur.

XXXX. B

Nos verò nihil dubitamus ex Ariſtotele affirmare, omnem putredinẽ ab alieno calore ortũ habere: quod definitio clarè probat. Idẽ lib 5 de generat. animal. cap. 4. repetivit his verbis: γίνεται δ᾽ ἡ σῆψις ὑπὸ θερμότητος μὲν πᾶσα· οὐ τῆς συμφύτου δὲ, ὥσπερ εἴρηται ἐν ἑτέροις In 2. ſect. probl. 33. idẽ docetur σήπεται γὰρ πᾶν· τὸ σηπόμενον, ὑπὸ ἀλλοτρίας θερμοῦ, ὑπὸ δὲ τοῦ οἰκείου πέπτεται Idem Galenus atque alii omnes & ſenſerunt & dixerunt.

XXXXI.

Definitionem quoque ab Ariſtotele propoſitam violentæ putredini propiùs convenire omninò credimus, his perſuaſi rationibus. C Primum, quód poſt hæc verba, οὐ μὴν ἀλλὰ ἰδίως, &c. de putredine legimus, de violenta videntur magis eſſe dicta (licet etiam naturali poſſint aptari) quod [illegible] alia, tum poſtrema hæc verba, καὶ ζῶα ἐγγίνεται τοῖς σηπομένοις, apertè ſatis probant. Qui enim naturaliter putrefactis, hoc eſt, ex rebus in Elementa diſſolutis, animalia naſci putemus? Deinde quòd in omnibus ſuis ſcriptis nullo in loco, quantum meminiſſe poſſũ, de alia quàm propriè vocata putredine, loquitur. Tertiò, quòd nullus author vetuſtus, alius, quàm particularis putredinis mentionem facere nóſcitur. Quartò quòd cum magis decebat propriè nominatæ, quam impropriè, & à nullo alio ſic appellatæ, definitionem tradere. D Poſtremò, quòd naturalis putredinis deſcriptionem propriam & peculiarem attulit, his verbis, γίνεται δὲ ἡ φθορὰ, ὅταν κρατεῖ τοῦ ὁρίζοντος τὸ ὁριζόμενον, διὰ τὸ περιέχον. Et ſanè, decebat eum corruptioni, quæ generationi naturali opponeretur, oppoſitam aſſignare deſcriptionem. His addi poteſt, quòd in definitione mentio nulla fit marcoris: quem oportet naturalem

putredi-

putredinem præcedere. Quare illam nobis putredinem definit,quę omni tempore & loco accidere poteſt.

XXXXII.

Etſi verò in definitione corruptionis naturalis, mentio quoque fit continentis, non ob id tamen naturalis non eſt. Nam ſi naturalis mutatio non eſt, quando cum cauſis naturalibus iungitur ambiens,impoſſibile eſt corruptionem aliquam naturalem ſtatuere. Etenim τὸ περιέχον ſive ambiens, pro natura viribusque ſuis res, quas ambit, perpetuò alterat, et cum efficientibus cauſis naturalibus
A ſemper concurrit. Indicavit hoc Ariſtoteles,cum in libro. de long. & brevit. vitæ cap. 4. ſcripſit; τὸ περιέχον ἢ συμπαθὲς, ἢ ἀντιπαθές: cumque ob hanc cauſam res quaſdam in alia loca tranſlatas, meliús aut deterius, habere magisque aut minus diuturnas eſſe affirmavit. Notum eſt Hippocratis illud, γνώμην ἀληθέων ἐν τοῖσι μακροῖσι νοσήμασι, συμφέρει. An generatio naturalis nulla eſt, quia cum nativi caloris actione, ſemper iungitur actio caloris continentis? Ergò ſive frigefaciendo exſtinguat, ſive calefaciendo tabefaciat, omnis erit corruptio violenta.

XXXXIII.

B Quod cum manifeſtè ſit falſum, fateri oportet, non omnem ambientem actionem; quæ naturaliter agentibus ſupervenit, violentam eam reddere. Quoties ambiens corpus intra mediocritatem calens,nativum alicuius rei calorem, qui ſeipſum longo temporis tractu ſenſim confecit, & ad infimum ferè debilitatis gradum deduxit, diſſolvit,naturaliter hæc res interiiſſe dicitur. Quæ ſic moriuntur animalia,ea deſertè Ariſtoteles ſcribit mori, οὐδενὸς βιαίου πάθους αὐτοῖς συμβαίνοντος, de reſpirat.cap. 16. Sed & ſine dolore ex leviſſima cauſa interire ait, διὰ τὸ ὀλίγον εἶναι τὸ θερμὸν, ἅτε τοῦ πλείστου διαπεπνευκότος ἐν τῷ πλήθει τῆς ζωῆς. Contra evenit, cum calor vege-
C tus eſt ac robuſtus. Non enim ſine violento calore externo tunc opprimi poteſt inſitus.

XXXXIV.

Video etiã nonnullis ambigi, ſpiritus nũ putreſcere poſſint? Tenuiores & molliores eſſe aiunt, quam ut ab alieno calore propiús diſſolvantur, diſſipari enim, priuſquam tale quid perpetiantur. Hac de cauſa febrem in ſpiritibus accenſam inter putridas non numerari iidem affirmant Quibus accedit, quod in perpetuo quodam motu exiſtentes, putreſcere nullo pacto valeant: Cum hoc accidat rebus humidis potius, & propter impeditum motum reſpirare non
D potentibus.

XXXXV.

Sed horum opinionem, ratio, experientia, & authoritas Ariſtotelis refellit. Quippe certum eſt, miſta omnia etiam imperfecta putreſcere poſſe. Et ne Elementa quidem impuriora (igne excepto) hac in parte tuta eſſe. Spiritus autem noſtros miſtos eſſe, adeoque

ex rebus ſæpè multumque miſtis gigni, controverſia caret. Deinde cum & calefiri & frigefieri viciſſim poſſint ſpiritus, quî putabimus putreſcere nunquam poſſe? Ariſtoteles certè talia cuncta putredini obnoxia putavit, ſect. 25. probl. 19. Denique cum quæ ſua natura non fœtent, ſi fœtidi nihil eis permiſceatur, fœtere abſque putredine non poſſint, ſpiritus nonnunquam putreſcere certiſſimum eſt. Nam graviſſimè aliquando olent: quamvis nihil eis fœtidi admiſtum ſit. Docet item experientia, exhalationes à rebus quibuslibet (aqua etiam) expirantes, interdum putreſcere: quod ſitus & canitiei exemplis Ariſtoteles probat libr. 5. de generat. animal. caput 4. & 5. Simile quippiam in 10. quoque ſect. 17. probl. legimus Quam eandem ſententiam in multis aliis præterea locis comprobavit. Sect. 3. probl. 7. & 10. item ſect. 7. probl. 4. quo in loco & tabidos, & peſtilente morbo affectos putridum exhalare ſpiritum ſcribit. Aſſentitur Alexander (quiſquis tandem fuerit author) lib. 2. probl. 43. Mirum certè ſit, ex aqua exhalantes vapores putredini obnoxios eſſe, ac ſpiritus noſtros, qui ſinceri nuſquam & nunquam reperiuntur, à putredine immunes exiſtere. A

XXXXVI. B

Quid clariùs eo dici poteſt, quod ſect. 13 probl. 7. dicit? Aërem videlicet in ventriculo contentum per ieiunia calefactum, putrefacere ſpiritus & pituitam? Nec aliud voluit, cum eadem ſect. probl. 10. ſic ſcripſit; ἀλλὰ σήπεται ἡ ἰκμὰς καὶ τὸ πνεῦμα εἴσω μᾶλλον ἐγκαταλειπόμενον. Sic cum ſect. 10. probl. 41. dicit; omnia μὴ κινούμενα καὶ ἀπατμίζοντα celeriter putreſcere, vapores & exhalationes facilè putredine affici oſtendit.

XXXXVII.

Patet ex prædictis omnibus, non aliud, vel aliter Ariſtotelem de putredine propriè nominata protuliſſe ac ſenſiſſe, quàm Medici & Galenus de hac re ſtatuerunt. Facilè quoque ex iisdem reliquæ difficultates, quas tum Argenterius, tum alii de hac re propoſuerunt, diſſolvuntur: ut pluribus hic iam non ſit opus. Anno 1577. C

LIBER.

D

LIB. SEPTIMVS.

EPISTOLA I.

In Hipp. Aph. I. ſect. 5. lib. 6. epidem. naturæ morborum Medicæ commentariolus,

A HENRICI SMETII MEDIC.

AD

HENR. BRUCÆUM MED. PROFESS. Roſtochienſ.

QUUM anno 1561. cognate honorande, impenſi in ſtudia Medica laboris, ab ampliſſ. Bononienſis Academiæ collegio, teſtimonium legitimè conſecutus, relictis ſcholis Antuerpiam artis factitandæ gratia me contuliſſem: ſæpè mihi illud magni Hippocratis pronunciatum: νόσων φύσιες ἰητροί, occurrebat; quo morbos à natura ſanari affirmante, Medicinam minimè neceſſariam, B eamque exercentes inutiles eſſe, exiſtimari poſſet. Et ſanè opinione tali imbuti non pauci, dum ægrotant, nec Medicos conſulunt, nec Medicinam pellendo morbo quærunt; totum morbi decurſum naturæ permittentes. Quo fit, ut multis in locis, immò Vrbibus non paucis, nulli Medici exiſtant: multi quoque à Medicinæ ſtudiis deterreantur.

Quamobrem de hoc axiomate, jam tum aliquid commentari ſtatuebam: ſi per ægrorum neceſſitates importunas (dum illic per ſexennium degebam) licuiſſet. Quin neque in Weſtphalia comitiC bus Lippiæ totidem annos obligato, neque poſtea Sereniſſimo Electori Friderico tertio Palatino ad Rhenum per quinquenniū à Medicina exiſtenti, tantum otii conceſſum fuit: Dum tandem illo vita defuncto, Neoſtadium ad docendam in nova ſchola medicinam vocatus, veteri propoſito (cujus me tu bis terue tanquā promiſſi reum ſubmonuiſti) porrò calamum admovi. Quod delineatum quodammodo tantum, anno 1579. ad Medicum clariſſ. Tho. Eraſtum, præceptorem quondam meum tranſmittebam, cenſuram doctiſſimi viri expectaturus. Hoc meum ſcriptum inter chartas ejus inventum (nam non multò pòſt Heidelberga Baſileam demigrabat) viduæ D ipſius maritus Bibliopola, unà cum aliis aliquot ſui prædeceſſoris opuſculis, folio majori per Johannem Wechelum Anno 1590. Francofurti excuſis, evulgavit; opinatus tanti viri fœtum eſſe. Quod ubi vidi, dolui factum. Neque enim tale erat quod publicationem tum mereretur. Quare illud recognoſcere tandem viſum fuit, ſicut & nonnullas alias lucubratiunculas noſtras. Tritum igitur hunc

magni Hippocratis aphoriſmum, (qui eſt ſtatim initio ſect. 5. lib. 6. Epidemion, his tribus verbis conſtantem: Νούσων φύσιες ἰητροί (quo naturas morborum Medicas appellat) quid ſibi velit; quid veri, quid falſi contineat; & quatenus ſe extendat, pauliſper examinemus, & primùm quidem de NATURÆ vocabulo videamus.

Naturæ appellatio variis modis accipitur. Aliquando enim pro Deo ipſo, ut apud Ovidium: Nec Solem proprium NATURA, nec aëra fecit. Item pro Chao apud eundem: unus erat toto NATURÆ
6. Epid. vultus in orbe, quem dixêre Chaos. Aliquando pro rei ſubſtantia;
ſect. 6. cum dicitur: NATURA oſſis, carnis, nervi, bilis, pituitæ. Aliquando A
1. Epid. pro conformatione partium in utero; ut cum dicit Hippocrates:
conſt. 1. Quorum natura ad phthiſin vergebat, Galeno ſic exponente, quòd
2. Aphor. forma anguſti pectoris eſſent: Aliàs propenſionem ingenii deſignat,
comm. 34. dicente Hipp. lib. 1. de lege, Medico futuro primò omnium natura
3. Apho. 2. opus eſſe: Natura n. repugnante omnia irrita fieri. Aliàs pro temperamento ſumitur, ut cum inquit Hipp. Naturarum aliæ ad æſtatẽ, aliæ ad hyemem, benè aut malè ſe habent. Item lib. de diæta: Hujuſmodi naturæ vivaciſſimæ & ſaniſſimæ exiſtunt. Plerunq; tamen, iſta voce intelligunt, cum Philoſophi, tum Medici, formam ſubſtantialem, hoc eſt, vim & eſſentiam ingenitam rebus, qua agunt B
6. Epid. & ſe conſervant. Sic Hipp. Natura inerudita, indocta, ea quæ ne-
ſect. 4. ceſſaria ſunt, facit. Sic Plato in Phædro Naturam eſſe facultatem ad agendum & patiendum inſitam. Item Ariſt. 2. Phyſic. cap. 1. Natura eſt principium quoddam, & cauſa motus & ſtatus ejus, in quo eſt primò, per ſe; & non per accidens. Idem 4. Metaph. cap. 4. Natura eſt eſſentia eorum, quæ in ſe, quatenus ipſa ſunt, motus principium continent. Auctor finitionum Med: Naturam definit eſſe vim, quæ ex ſe ipſa movetur, auctor generationis, formationis atq; perfectionis. Galenus noſter lib. 2. de ſympt. cauſ. cap. 1. Naturam dicit facultatem omnem illam, quæ animal, ſive voluntatis C
nutu, ſive citra hunc, gubernat. Sic quoque in comment. 15. lib. 1. aphoriſ. eandem mixturæ Elementari acceptam fert. Lib. 3. de temperam. cap. 4. his verbis. Naturam cum dico, univerſam ſubſtantiã ac temperiẽ, quæ ex primis Elementis calido, frigido, humido, ſicco conflatur, ſignifico. Quia autem neceſſe eſt, in illa Elementorũ permiſtione (ut animal vivat) calidum cæteris commiſtis prævalere; id-
lib. 1. aph. circò naturam alibi ex Hipp. ſententia, calorem naturalẽ ſolidas par-
comm. 15. tes regentem appellat. Ideoq; Hipp. lib. 1. Aphor. 14 dicit: Eos qui
lib. 4. aph. creſcunt, calidi innati plurimum habere: Senibus verò calidi innati
comm. 37. parũ ineſſe. Idem mox aph. ſequenti: Ventres hyeme & vere naturâ D
calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi: quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Mox quid per vocẽ (NATURA) voluerit, cauſam addens explicat: Tunc enim, inquit, calor innatus plurimus.
lib. de ri- Quanquam alio in loco hac voce, non ſolum temperamentũ aut ca-
gore c. 13. lorem innatum, ſed animam ipſam intelligere non obſcurè videtur.

Calorem,

Calorem, inquit, non acquiſititiũ, neq; animalis generatione poſteriorem, ſed ipſum primum, ac ab initio genitũ & innatum. Et certè natura ipſa atq; anima, nihil aliud quã hic calor eſt Quare ſi eſſentiã per ſe, ac ſemper mobilẽ ipſam intellexeris, nihil erraveris. Sic Gal.

Eſt autem calor iſte duplex, communis nempe & proprius: Communis quidem, qui ex corde, velut fonte quodam, per arteriarum tubos, ad particulas omnes dimanans, ſpiritũ vitalem impertit. Proprius a. qui ſingulis corporis noſtri ſolidis partib. ſeminis beneficio ingenitus eſt, & fixus appellatus, à cõmuni illo influẽte vocato fovet.

A Cum itaq; natura (quem calorẽ innatum, temperamentũ, totam ſubſtantiam, atq; animam, Galenus appellare non dubitat) ſit omnis illa facultas, qua animal tam ex voluntatis arbitrio, quam absq; illo, ut dictum eſt, gubernatur: ſequitur actionum omnium auctorem, naturam eſſe, ſi modò in agendo non impediatur. Talis autem conſtitutio, in qua omnes corporis actiones rectè obeuntur; ſanitas vocatur. Quare non abs re fuerit; Naturæ, ſanitatẽ acceptam referre: Hujusmodi autem ſanam conſtitutionem corporis conſervare non poſſumus ſine convenienti modo earum rerum, quas non naturales appellant. Aërem enim ad vitalis caloris recreationẽ, neceſſariò in B ſpiratu attrahimus. Alimenta ad ſubſtantiæ noſtræ, quam calor nativus continuò depaſcitur, nutritionẽ, & corporis noſtri augmentũ, aſſumuntur. Motus, ad caloris noſtri vegetationem, alimenti diſtributionem, excrementorum propulſionem, corporis reſiccationem, & membrorum robur conducit. Quies, defatigatis exercitio partib. ſolatio eſt, attritas vires recreat, concoctionem promovet. Somnus cibos conficit, humores concoquit, animi ægritudines oblivione delet, mentis inſaniam corrigit, animales Spiritus, vigiliis exhauſtos, renovat, & totum corpus humectat. Vigiliæ animalibus actionibus edendis neceſſariæ ſunt, & ad publica privataque vitæ munia requi- C runtur corpusq; agendo exſiccant. Et cum jam ſingulæ etiã corporis partes nutriri debeant, quicquid hiſce nutritionibus inutile ſuperat, id pro excremento colligitur, & congruis meatibus (meliusque vigiliarum tempore) expurgatur: Hujusmodi ſunt mucus, ſputum, urina, fæces alvi, ſudor, inſenſibilis tranſpiratus, menſes, hæmorrhoides, ſemen. Quorum ſi vel unum præter juſtum tempus & modum detineatur, mox animal noxam incurret.

1. Sympt. cauſ. ca. 1.

Gal. art. par. c. 85.

Præter jam dicta, & animi perturbationes recenſentur, quibus cum variè afficiamur, ſi modũ exceſſerint, facilè morbos accerſunt, adeoque mortem ſæpè, cujusmodi ſunt ſpes, metus, gaudium, tri- D ſtitia, ſolicitudo, ira, verecundia, amor, odium, & ſimilia.

Hæc ſanè omnia mediocria eſſe oportet, ut ſanitas conſtet; ſi quid autem à mediocritate notatu dignum divaricet; naturæ ſtatim damnum infert, quo ſi actiones ipſius lædantur, jam morbus appellatur.

At quia ſanum corpus ex ſimilaribus & inſtrumentalibus partibus

componitur: Similarium verò ſanitas in quatuor primarum qualitatum commoderatione conſiſtit: Sanè in earumdem immoderatione morbus invenietur: Nempe vel calida vel frigida, humida vel ſicca, naturæ modum manifeſtò excedente idque ſimpliciter, vel compoſitè. Rurſus cum ad inſtrumentorum ſanitatem etiam requiratur decora conformatio, numerus, magnitudo, & poſitio partium conveniens: profectò quicquid in his peccati fuerit, id ipſum pro morbo æſtimabitur. Similiter ad probam conſtitutionem partium, tam ſimilarium, quam inſtrumentalium, opus eſt, unitæ & continuatæ maneant. Si quod enim unionis incidat divortium, haud dubiè & illud morbus erit, utriſque communis. Ambæ enim dividi, divelli, & rumpi poſſunt. A

His ita conſtitutis videamus, omnium ne morborum, aut nullorum omninò; an verò quorundam tantum Naturæ ſint medicatrices. Si omnium dixerimus; ſanè fruſtra Medicina excogitata foret, in quam tamen tot præclara ingenia tot jam ſeculis deſudarunt. Et certè uſus ipſe oſtendit: quoſdam eſſe affectus, qui naturæ vim
2.aph.42. contemnant. Nam fortem apoplexiam ſolvere impoſſibile eſt. Præ-
6.aph.18. terea profundum veſicæ, cerebri, cordis, præcordiorum, inteſtinorũ
6.aph.19. tenuium, ventriculi, jecoris vulnus, lethale eſt. Similiter quoque. B
6.aph.24. cum diſciſſum fuerit os, cartilago, vel nervus, vel genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coaleſcit. Si quod inteſtinorum gracilium diſcindatur, non coaleſcit. Ex quibus perſpicuum eſt, non omnes morbos à natura curari.

Sin nullorum eſſe putemus; certè id abſurdiſſimum fuerit: Sæpius enim ægrotat animal, cum tamẽ nullo accedente extrinſecus remedio ſua ſponte convaleſcat, ſicut in febribus non rarò, & ſolutionib. continui levioribus ſubinde apparet. Reſtat igitur ut quorundam tantum Medicam Naturam eſſe ſtatuamus. Quod cum ita ſit, qui nam hi ſint morbi, quos natura per ſe curet, qui nam rurſus, ad quos Medicinæ miniſterium requiratur: Tandem & quos affectus ſola ars, abſque naturæ præſidio tollere poſſit. An præterea ulla ſint vitia quæ tam artis quam Naturæ leges aſpernentur, ideoque inſanabilia dici mereantur, pauliſper inquiramus. C

Morborum, ut paulò antè attigimus, alii ſimilaribus, alii inſtrumentalibus accidunt, alii utriſque communes exiſtunt, iidem vel ſimplices vel compoſiti. Similarium eſt temperies vitiata, eaq; aut nuda qualitas, aut cum affluxu ſubſtantiæ qualitate præditæ, de quarum ſubdiviſione infra ſuo loco. Inſtrumentalium partium iſta ſunt vitia: videlicet indecens vel conformatio, vel numerus, vel magnitudo, vel collatio. Conformatio indecens eſt, quoties aut figura, aut cavitas, aut aſperitas, aut lævitas partis, à naturali modo receſſerit. Quorum partitionem convenientem ſuo loco perſequemur. D

Similaribus verò & inſtrumentalibus communis affectus, eſt ſola unionis ſolutio, quæ pro modo, & partium, in quibus conſiſtit, diverſi-

diverſitate, appellationem variat, ſicut infra apparebit.

Compoſitorum morborum varia eſt ratio, Interdum enim ſimilaris ſimilari permiſcetur, ut calida, vel frigida intemperies nuda, ſiccæ aut humidæ nudæ, ex quibus intemperies conjugata: vel rurſus qualitati ſubſtantia; ut humor aliquis additur: Fitque pro diverſitate affluentis humoris, vel Eryſipelas, vel phlegmone, vel ædema, vel ſcirrhus. Quæ tandem commiſta pro conjunctorum conditione, appellationem ſortiuntur, ut phlegmone Eryſipelatoſa, vel ædematoſa, vel ſcirrhoſa dicatur.

A Interdum ſimilaris inſtrumentariæ jungitur, ut phlegmone in manu exorta; intemperies & tumor, partis illius figuram vitiant.

Aliquando ſimilaris communi copulatur, ut ulcus cum calore. Nonnunquam contingit inſtrumentalem inſtrumentali morbo concurrere; ut in luxatione, ſitus oſſium, figuraque partis pervertuntur. Accidit etiam aliquando inſtrumentarii & communis conjunctio; ut diſtorta manus & ſimul vulnerata. Eſt quoque ubi omnia tria conveniunt, putà in vulnere phlegmonoſo, in quo ſolutio continui, unà cum figuræ vitio, (per tumorem) & intemperie calida humidáque componuntur. Perveſtigatis jam morborũ differentiis, inquiramus quorum morborum NATURÆ ſint Medicatrices,

B ſumpto ab iis, qui ſimularibus partibus accidere poſſunt, exordio. Sunt autem hi, ut ſupra dictum eſt, temperies vitioſa; Eaque vel nuda qualitas, vel cum affluxu ſubſtantiæ qualitate præditæ, conjuncta. Nuda qualitas vel toti corpori, vel parti, accidit, Eaque calida vel frigida, humida vel ſicca. Nuda intemperies calida totius corporis, ut febris, uſtio à ſole, vel igne. Et quia ſe ſtatim in limine febris offert; priusquam indagemus, quatenus illa naturam medicam agnoſcat, neceſſe eſt, ut quotuplex ea ſit cognoſcamus.

C Tria ſunt, teſte Hippocrate, quibus corpus humanum conſtat, nempe continentia, contenta, & impetum facientia, hoc eſt, partes ſolidæ, humores, & Spiritus, quorum ſingula febrium ſubjecta eſſe poſſunt. Quare & tria ſunt prima febrium genera, pro ſubjectorum numero. Si in ſpiritibus conſiſtat calor: Ephemera febris dicitur: ſi in humoribus, humoralis: ſin in partibus ſolidis, hectica appellatur. Ephemera duplex eſt; videlicet ſimpliciter ſic dicta, & quæ plurium dierum vocatur. Humoralis trifariam dividitur, in continentem, continuam & intermittentem. Continens quæ & ſynochus vocatur, triplex eſt, accreſcens, & in eodem vigore con-

D ſiſtens. Triplex quoque eſt continua, quemadmodum & intermittens, pro humoris ſpecie, & paroxyſmo: tertianæ, quotidianæ vel quartanæ nomen ſortientes. Hecticæ triplicem quoque differentiam habent: vel enim Ephemeras, vel ardentes febres, vel nobiliorum partium affectus calidos ſequuntur. Hæc ſummaria eſt febrium diſtributio.

An igitur febrium omnium naturæ ſint medicatrices, primùm nobis excutiendum eſt. Ephemeræ ſanè cum in ſpiritibus, ut materia diſſipabili conſiſtant; plærunque ſolius naturæ beneficio per ſudores, vel madores, vel vapores, prius curantur, quàm vel Medicus ferè advocari vel adeſſe poſſit. Nec videntur neceſſaria eſſe ad febris hujus depulſionem, molimina illa balneorum, frictionum, unctionum, quæ Gal. tot verbis lib. 1 ad Glauc. cap. 3. & 8. methodi inculcat; cum ſuis Græcis hæc ſcripſiſſe videatur, quibus lavari, fricari, ungi, in deliciis, & quotidianum erat: adde, quod & finito paroxyſmo, qui ipſam febrem finire ſolet, hæc adhiberi mandat. A

Eveniunt profectò & iſtæ febres, illis ſæpè populis, quibus balnea, frictiones, unctiones ignota ſunt, nedum inſueta; qui tamen non minus bellè convaleſcunt ab Ephemeris, quam illi, quibus Græca remedia admoventur, quæ potius reliquiis morbi diſcutiendis, aut præſervationi, ne malum recurrat, aut in deterius vergat, facere videntur.

Si laſſitudo Ephemeram ſuſcitavit; certè natura calori (quem labor & motus, præter naturam conciliarunt) unà cum ſudore finem imponit, extrudendo vaporem cum fuligine per cutem, idq; citra Medici miniſterium. Quod in muſculis, ligamentis, tendonibus, nervis, articulis, reliquum eſt ſiccitatis & attritionis, id ipſa quies & victus, humectando demulcet. B

Si ab ebrietate, ab ira, furore, intenſa cogitatione, mœrore, metu, aliiſque vehementioribus animi affectibus, accenſis ſpiritibus, febris gignatur: ubi vapor fuliginoſus per cutem diſſipatus fuerit, ceſſat febris: nihil conferente ad curationem Medico

Si quis ob exuſtionem à ſole, frigefactionem, denſationem cutis, aſperitatem aut ſiccitatem ejuſdem, aut ob nimium ſomnum febricitet: cum ferè hæ cauſæ ſolitam tranſpirationem detineant (licet natura poros cutaneos, dum ſudorem molitur, aliquantum relaxet) videtur tamen æger (ut putridæ periculum evitet) Medici opera pluſculum indigere: quo caſu balneũ, frictio, unctio, ut cutis rarefiat & molleſcat (ubi natura non ſatisfacit) contulerit. C

Quoties verò dolor, ſyncope, evacuatio nimia, vigiliæ, aut cibi calidi Ephemeram generarunt: omnis ſpes in medico eſt, ut dolorem leniat, vires per ſyncopen aut evacuationem lapſas reficiat, ſomnum conciliet, victum refrigerantem præſcribat.

Sic quoque ſi à crudelitate nidoroſa, orta ſit febris, ut corruptus chylus, vel ſurſum vel deorſum educatur (ne putridam ſuſcitet) & ventriculus roboretur; potiores Medico partes incumbunt, quemadmodum etiam in ea, quæ à glandularum inflammatione dependet: Medici eſt inflammationi & ulceri, unde inflammatio oritur, proſpicere; nihil aut minimum natura conferente. D

Cum autem fames, vel ſitis Ephemeram provocarunt, Natura nihil:

hil: Medicus parum; coquus plurimum ad ſanitatem facit. Ex quibus planum fit, ne Ephemeras quidem omnes Naturam per ſe curare poſſe; ſed in quibusdam Medicum naturæ præſtare: Quamvis interim paroxyſmos Natura ſola, ut inchoat, ita ſola eosdem ſemper finit, quaſi in arenam, cum morbo conflictatura, deſcendens.

In Ephemeris plurium dierum (quas ſynochos non putridas vocant) quia metuitur ob durationem putredo, etiam Medici induſtria ad venæ ſectionem & rationem victus, requiritur.

Sequitur humoralium diſquiſitio, quas, quia putredinis par-
A ticipes ſunt, putridas appellant, & pro foco putredinis, vel intra vel extra majora vaſa (inter alas & inguina poſita) diſtinguuntur. Si intra vaſa totam ſanguinis miſcellam putredo corripuerit, naſcitur ſynochus putrida diſtincta ab illa, quæ putredine caret (de qua inter Ephemeras diximus) vel febris continens dicta, eaque triplex: Si fervor à principio ad finem usque eundem vigorem ſervet, ἀκμαστικὴ, ſi magis magisque accreſcat, ἐπακμαστικὴ: Sin contra decreſcat calor, παρακμαστικὴ, nominatur. Quod ſi unus tantum humor intus putreſcat, continuæ nomen ſuſcipit; eaque rurſus pro humoris natura, triplex: Si bilis putrefiat: tertiana
B continua, καῦσος dicta; pituita putreſcente, quotidiana continua: Melancholia corrupta, quartanæ continuæ appellationem obtinet.

Cum verò extra majores venas, humorem putredo invaſit, intermittens febris excitatur: Triplex hæc quoque: à bile quidem accenſa, tertiana; à dulci pituita, quotidiana; à vitrea ἠπιαλὸς; à melancholia, quartana intermittens originem trahit. Atque illæ rurſus ſunt, vel exquiſitæ vel nothæ. At quid in his poteſt natura? Perſæpè profectò uſu venit, ut non ſolum ſynochos putredine carentes; verùm etiam à putredine dependentes, & continuas quoque natura ro-
C buſtior perſanârit, expulſa per criſin putredine, per nares, per alvum, per urinas, per cutem, per uterum, ſibi viam molita. Quia tamen in tanto aſſiduoque ardore, naturæ viribus, ne ad finem usque perſiſtere poſſint, non immeritò metuimus: Succurrit ſolicitudo artificis, variosque modos perquirit, ut incendium vel extinguat, vel ſaltem mitiget; dum craſſa prius attenuando, lenta incidendo, viſcida tergendo, obſtructa reſerando, tranſpirationem, vacuatione per commodas vias facta, expedit; coctionem juvat; partes debiles firmat, putredinem corrigit.

Hæc autem omnia triplici artis inſtrumento: putà victu, medica-
D mentis, & manus opera adminiſtrat. Idem de intermittentium curatione; ſive exquiſitæ, ſive ſpuriæ, ſive ſimplices, ſive compoſitæ exiſtant, ſentiendum. Nam naturæ non facilè obediunt, niſi artis auxilium illa imploret, ad ſubminiſtranda ea, in quibus ipſa deficit.

Nunc porrò ad Hecticas progrediamur, quarum calor jam non

ſpiritus

ſpiritus modo, aut humorum maſſam; ſed altius inſinuatus, etiam ſolidas partes invaſit. In quibus, quid natura, quid ars præſtare poſſit, perſcrutemur. Hecticarum tria ſunt genera, unum quod ab Ephemeris febribus ortum duxit, & à cauſis προκαταρκτικῶν, triſtitia ira, laſſitudine nimia, aut ſolis fervore dependet. Alterum, quod febres acutas, & ardentes malè curatas excipit; per quas humiditas ſubſtantiæ cordis, magna ex parte abſumpta eſt. Hæ verò non tantum hecticæ ſunt, verum etiam μαρασμώδεις. Tertium genus diuturnos nobiliorum viſcerum affectus, calidos præſertim, ut Eryſipelata, aut phlegmonas cerebri, pulmonis, thoracis, diaphragmatis, ventriculi, A hepatis, coli, renum, veſicæ, meſenterii aut uteri ſequitur. Sciendum etiam hecticarum aliquot eſſe gradus. Nam quæ exquiſitè conſiſtunt, atque ad μαρασμὸν vel tabem pervenerunt; non modò curatu difficiles, ſed & incurabiles omninò ſunt. Quæ verò non diu cœperunt, ſpem curationis faciunt: Si quæ autem medio modo ſe habent, prout aut principio, aut conſiſtentiæ propius accedunt, ita vel facilius vel difficilius conſaneſcunt.

Gal. lib. 1. de diff. feb. c. 8.

Quid igitur in ſanabilibus hecticis poterit natura? Certè nihil prorſus per ſeſe. Cum enim calor innatus etiam dum adhuc temperatus eſt; humidum ſuum illud oleoſum, primigenium, ut ſe alat, B continuò depaſcatur, adeò ut (niſi tantundem, aut amplius quid, ex conveniente nutrimento, quotidie in abſumpti locum reponatur) animali omninò pereundum foret. Quid futurum putemus, ubi calor ille in igneum (quod in omni febri accidit) mutatus fuerit? Hoc autem calore, Natura, ut inſtrumento opus habet, tum ad alias, tum ad nutriendi augendique corporis functiones, qui ſi ob intemperiē febrilem ineptus eſt: naturæ ad alimoniam, nedum ad augmentum animantis ſervire minimè poterit: Et cum cauſam intemperiei, natura in hecticis (quia habitum corporis occupavit) nec concoquere, nec excutere (quod in aliis febribus ſæpe ſolet) poſſit; non eſt, quod C à natura hecticam curatum iri ſperemus. Quamobrem omnis in arte ſpes hæret. In cujus ſolum poteſtate remedia conſiſtunt, quibus febris iſta profliganda venit, qualia ſunt victus ratio humectans, & refrigeratoria, cum balneorum, unctionumq; convenientium commoda adminiſtratione.

Reſtat intemperies illa calida, quam toti corpori ſolis æſtus, vel ignis introduxit: uſtionem à ſole factam natura fortaſſe umbroſo frigidoque loco, per quietem & frigidæ potum ſanaverit, ſed uſtulationem ab igne impreſſam non ita: Vix enim ſine cutis contractione, excoriatione, aut ſimili ſolutione continui accidere poteſt, D quæ artis officium requirunt.

Hactenus nudam intemperiem calidam totius corporis perſcrutati ſumus. Offert ſe frigida, humida & ſicca. Si frigore univerſum corpus obriguit; calor naturalis robuſtior ſe à centro ad circumferentiam expandens, reſtituere ſubinde per ſeſe ſolet, poſteaquam

illud in aërem temperatum illatum fuerit, aliquando etiam Medici-
nam implorat.

Humida intemperies, totius laxitatem quaſi quandam, & muci-
ditatem corporis generat. Ad hanc natura ſiccandam, ſine artis mi-
niſterio nunquam ſufficiet.

Ad ſiccam univerſi corporis intemperiem, qualis eſt μαρασμὸς,
nihil ſpei nec in natura, nec in arte pariter ſitum eſſe, ſupra oſten-
dimus.

Vbi verò partem aliquam corporis nuda intemperies, puta vel
A calor nimius, vel frigus, vel humiditas afflixit, à natura ſanitas expe-
ctari poſſit. Sin ariditate membrum ſqualleat, artis beneficium ac-
cedere neceſſe eſt; Sed nudæ intemperies partium rariùs accidunt.

Sæpius autem uſu venit, ut intemperiem particularem, alicu-
jus ſubſtantiæ affluxus, calidæ, frigidæ, humidæ, aut ſiccæ comitetur.
Sed jam non amplius ſimplices morbi, aut ſimilares tantum ſunt:
Sed etiam compoſiti atque inſtrumentales fiunt, videlicet tumores,
præter naturam dicti, qui magnitudinem partis deformant. Si cali-
dus humor affluat, phlegmone, eryſipelas, herpes, anthrax, furuncu-
lus, phygethlon, phyma generantur. Ex his Eryſipelas ſi purum eſt,
B natura ſubinde per ſe diſcutit, furunculum quoque per ſe plerunque
ſanat. Verum ad herpetem, anthracem, phygethlon, phyma, & phle-
gmonem (quamvis exteriorem) medicinam in ſubſidium vocat. At
in reconditis inflammationibus, phrenitide, angina, pleuritide, peri-
pneumonia, hepatide, nephritide, aut quæ aliis nobilioribus viſcerib.
accidere poſſunt, nec nomine peculiari donatæ ſunt: Natura velut
ſibi diffiſa, totam ſe arti permittit. Hæc venæ ſectione, humoris co-
piam minuit, influxurum ſanguinem revellit, influentem derivat;
illum qui influxit, evacuat, dolorem mulcet, fervorem reprimit, par-
tem roborat, maturationem promovet, reliquias materiei diſſipat.
C His accenſeri poſſint aneuryſma, gangræna ſphacelus, tumores & ipſi
calidi, aut ex calidis originem trahentes. Aneuryſma enim tumor
eſt ſanguine ſpirituoſo plenus, qui ex dilatata, aperta, rupta, vel vul-
nerata arteria gignitur, quoties integra cute, vel per cicatricem rur-
ſus unita, corpus arteriæ, quod propter continuam pulſationem glu-
tinari non poteſt, diviſum manet; quale Thomas Jungelingus An-
tuerpiæ in pectore, inſtar mannæ virgineæ, habebat: Et Italus quidam
proxeneta in poplite oblongum & Joannis Andriſii mercatoris uxor
in ſcapula ſiniſtra ad finem cervicis an. 1566. Gangræna eſt particulæ
incipiens, & adhuc fiens mortificatio, ob inflammationis magnitu-
D dinem ſuſcitata. Sphacelus verò eſt mortificatio jam abſoluta & cō-
firmata, membri ſenſu vitaque prorſus deſtituti, orta plerunque ex
gangræna propter inflammationem invaleſcente. Vidi tamen to-
tum ſcrotum frigore Sphacelatum, & utrumque crus gelu, uti & pe-
dem abſque tumore emortuum, deçidiſſe. Nullus ex his affectibus
naturæ majeſtatem reveretur: Soli chirurgiæ ſubjecta. Imò vix
aneuryſmati

aneuryſmati manus adhibere audet Medicus, difficultatis & imminentis hæmorrhagiæ periculo deterritus.

Quod ſi frigidus humor in particulam decumbat; œdema, alphus albus, vitiligo enaſcuntur. Oedema aliquando natura ſponte curat, ſive morbi, ſive ſymptomatis rationem habeat, ferè tamen Medicinam ſociam aſciſcit. Si morbus eſt, humiditatem partis (quam natura impotentior tollere non poteſt) ars ſiccantibus atque diſſipantibus medicamentis abſumit, membrum firmat iis, quæ leviter aſtringunt. Sin ſymptoma fuerit; niſi ipſius cauſa (nempe viſceris alicujus morbus, ſicut in hydrope, tabe, cachexia) prius auferatur; nihil nec natura nec ars œdemati profuerit. Alphus albus & vitiligo λεύκη dicta, pituitæ ſoboles exiſtunt, & naturæ ſolius imperium cõtemnunt. Sed ſuſcipiente naturæ partes Medicina, obediunt, excepta illa vitiliginis ſpecie, in qua cutis acu puncta non ſanguinem, ſed lacteam humiditatem profert, aut cutis panniculo laneo aſperiore perfricatæ color, non rubeſcit, ſed albus manet; vel ſi plura corporis loca obſideat, aut vetuſtius ſit malum; tunc enim minus ſpei in Medicina habere cenſetur. A

Jungitur quoque intemperies cum humidæ ſubſtantiæ acceſſu, ut in hydrope, aſcite, & ſarcite. In aſcite humor ſeroſus intra vacua peritonęi ſpacia, tanquam in utre colligitur, idque vel per omenti venas recluſas, vel per hepatis cirrhoſi tuniculam alibi ruptam vel eroſam ſenſim inſtillatus. In ſarcite per univerſum corpus ſubter cutem, à vaſorum oſculis eructatus, humor diſpergitur, eſtque veluti totius corporis œdema, cui rectiſſimè Latinum intercutis nomen quadrat. Natura aliquando per ſe hydropem, putá ſarciten, curat, cùm ſcilicet ſaburram venarum per inteſtina deturbat, teſte Hippocrate aph 14. ſect 6. Ab hydrope habito, ſi aqua in ventrem fluxerit, ſolvitur morbus. Et aph. 29. ſect. 7. Qui Leucophlegmatia detinetur, ſi fortis ventris fluxus ſupervenerit, à morbo liberatur: videlicet, ſi cauſa hydropis levior fuerit, putà ex immodica hæmorrhoidum menſiumque profuſione, ex fluxu muliebri, ex frigidæ potu. Quãquam ne ſic quidem unà cum tumore, ipſius quoque cauſa, nempè jecoris refrigeratio tollatur; quæ ut ante tumorem erat, ita & poſt ipſum reſtat, novumque attollere tumorem potis eſt. Multò minùs tali ventris fluxu, graviores hydropis cauſæ extirpabuntur, qualis eſſe poſſit hæmorrhoidum menſiumque omnimoda ſuppreſſio, ſcirrhus jecoris, vel lienis, cordis, pulmonis, ventriculi, meſenterii, inteſtinorum, vel alterius viſceris magnus & frigidus affectus, aut abſceſſus, à quibus jecur per conſenſum afficitur. Nam ubi hydrops dyſenteriam, affectionem cœliacam, lienteriam, orthopnœam, icterum, hepatis inflammationem, aut ſcirrhum ejusdem, cachexiam, febres longas, dolores podagricos, aut iſchiadicos conſequitur; ad Medicinam confugit, ſummamque artificis diligentiam exigit. Quos enim morbos priusquam hydrops accederet, curare, dum ſoli eſſent, natura non potuit:

ruit: quomodo acceſſione hydropis auctos, eosdem naturæ faciliores curatu fore putabimus? Cum alioqui tam contumaces plerunque ſunt, ut naturæ atq; artis ſimul imperiũ contemnant; quod in tympanite, in hydrope alio, aſcite inveterato, aut eo, qui morbos acutos aſſequitur, aut qui habitum corporis corrupit, videre licet: Suſcipitur enim in his fruſtra omnis medicatio. Sub hoc cenſu non malè comprehendas hydropem uterinum, hydrocephalum, abceſſus omnes & collectiones, ut atheroma, melicerida, in quibus liquidior ſubſtantia latitat: Ad quorum curationem ars requiritur, licet abA ſceſſus ex calidis humorib. relicti, exeſa per acrimoniam puris cute, ſæpè ſponte erumpant, & hydrops uterinus ſtatis menſium periodis, recluſo uteri oſculo, ſubinde exhauriatur.

Aliquando ſicca ſubſtantia intemperiei accedit, ut in ſcirrho, cancro, Elephantiaſi, lepra, pſora, tophis chiragricis & calculo. Scirrhus exquiſitus, eſt tumor frigidus, durus, doloris & ſenſus expers, ex craſſo, lentoque, ſed exſiccato ſucco, interdum à principio natus, ſæpius tamen per chirurgorum imperitiam à calidis tumoribus, ut inflammatione aut Eryſipelate impuris, plus juſto refrigeratis ſuſcitatur, idque tam intra quàm extra corpus contingere poteſt Nam in liene, B hepate frequentiſſimus eſt. Qui extra oritur, quanquam non ſit exquiſitus, nec vetus: quia tamen gemino medicamento, affatim & emolliente & diſſipante indiget, nunquam ſoli naturæ, imò vix artifici adjuncto paret.

Quid igitur ſi exquiſitus, aut vetus ſcirrhus evaſerit? tunc ſanè moliare quantum potes, nihil effeceris. Intrinſecus in liene aut hepate conſiſtentem, modo non ſit exquiſitus, nec diu cœperit Natura remediis adjuta, aliquando evincit, conferente ad hoc plurimum calore animantis humido, ſpirituum tenuitate, viſcerum qualicunque laxitate, vaſorum quæ in illis ſunt, copia & amplitudine, meatuumq;, C per quos expurgari poſſunt, vicina & aperta commoditate. Cancer quem latentem, vel occultum, vocant (neque enim de exulcerato loquimur) inæqualis eſt tumor, cum dolore pungente, latè ſe extendĕte, aliquando indolens quoque & ſtupidus, ex ſanguine atrabilario in particulam impacto, à quo cutis ex cineritio rubet, aut ſublivet, & venæ atro ſanguine undiq; turgeſcunt, quibus notis cancri marini formam imitantur. Prima cancri rudimenta, ne augeſcant, prohibere licet, teſte Ægineta; & Galenus morbum per ſui initia ſæpè ſe ſanaſſe affirmat: Sed ubi in molem inſignem ſatis attollitur, nemo ſine manus opera potuit curare. Hoc enim malum propter D ſucci craſſitiem non conſaneſcit, utpote quod nec repelli, nec diſcuti queat, nec totius corporis purgatione cedat, tamque maleficum, ut mitiora contemnens remedia, vehementioribus irritetur & excandeſcat. Imò cancros in pectore obortos, Aëtius omninò deploratos pronunciat, quemadmodum & eos, qui in capite, collo, humeris, ſub alis & inguinibus generantur. ſunt

enim

enim hi incurabiles. Nam præterquam quod perfectè tolli non poſſunt; hæmorragiæ timor incumbit, ne ex ea æger inter medicantis manus pereat Et quicunque in penitioribus corporis partibus conſiſtunt; utpote in inteſtinis, in utero, in palato, in ano aut oculis, manus opere tolli propter ſitum partis nequeunt. Quare non immeritò à cancris occultis abſtinendum eſſe omnino Hippocrates monet, aph. 38. part. 6 cùm ait cancros omnes occultos melius eſt non curare, niſi eos excipias monente Galeno, qui in ſumma corporis parte hærent, & quos unà cum ipſis radicibus reſecare poſſis.

Si per univerſum corpus & cutem atrabiliarius humor diffunditur: Elephantiaſis naſcitur, in qua cutis inæqualiter dura, craſſa, aſpera, ſtupeſcens, ex rubore liveſcens, ſquamoſa, & ſæpè ulceribus fœda evadit, velut univerſi corporis cancer. Si recens adhuc malum eſt, ut nihil ex ſummis deciderit, nulla infeſtarit exulceratio, neque tumores plurimum emineant: ſola verò facies quodammodo ſit decoloratior; ſed ita, ut non admodum deformis appareat; curationẽ, jubente Paulo, experiemur: Alioqui morbo victis manus admovenda non eſt: Vnde liquet nec in cancro, nec in Elephantiaſi naturam quicquam poſſe. Si quid ſpei eſt, ars præſtare debet. Lepra & pſora atrabilarii quoque affectus; ſed cutanei tantum; cum pruritu aſperi, quibus corpus paulatim abſumitur: Lepra quidem altius, circularibusque eroſionibus (teſte Paulo) cutem depaſcit, & piſcium modo ſquammas ex ſe remittit: Pſora verò ſummam corporis cutem exedit, varias figuras habens, furfurea magis quam ſquammoſa, ex ſuperficie deſcendunt: Sed ne hæc quidem cutis vitia, naturæ ſoli obtemperant, tamen artis mandatis morigera, cum purgantium pharmacorum unctionumque extergentium apparatum experiuntur. Referri poſſint & huc gangliæ, ſtrumæ, ſteatomata, quippe duriora ſunt, quam ut per ſe diſſipari queant, vix aliud quam chirurgiæ imperium agnoſcentia: Sicut & calculi, & tophi chiragrici.

A

B

C

Recenſitis hactenus ſimilarium partium affectibus proximè inſtrumentalium vitia ſuccenturiantur, quæ quatuor ſunt, nempe conformatio, numerus, magnitudo & collocatio indecora. Conformationis vitium eſt quadruplex, cum figura, vel cavitas, aſperitas, vel lævitas particulæ à naturali modo receſſerit. Figuræ vitium fit, vel in utero, & connatum dicitur, vel extra uterum & adventitium vocátur; qualia in vatiis, aut valgis qui crura cancrorum modo extrorſum; In varis, qui introrſum contorta gerunt. Et quibus caput minus rotundum, oblongum aut acuminatum eſt.

Figuræ defectus reſtituere natura nullos; Medicus plurimos poteſt, præſertim ſi ætas adhuc tenera, & oſſa cerea ſint. Sæpiſſimè enim obſtetrices, nutrices, matres deformia infantis membra, manu & faſciis fingere videmus. At ubi adoleverint; non ita morem gerunt fingenti, duriora oſſa. Figuræ vitium in diſtorto ore per alterius maxillæ paralyſin, in diſtorto genu, manu, pede, per luxationem, ars emendare

D

emendare poteſt. Cavitas vitiatur, cum ſinus vel meatus nimis ampli ſunt, vt ventriculi, thoracis, ſcroti nimia capacitas; dilatatio pupillæ in oculo, venæ in varice, arteriæ in aneuryſmate. Aut cum rurſum idem ſinus, vel meatus ſunt nimis anguſti, aſtricti, compreſſi, obſtructi, vel oppleti, vel coäliti. Anguſti, ut thoracis depreſſio ad phthiſin proclivis. Aſtricti, ut pororum in cute denſitas, ex ſiccitate, frigore, balneo aluminoſo. Aſperæ arteriæ & æſophagi compreſſio ab angina: Vrinarii meatus, à tuberculo, aut tumore vicino, aut à vinculo iniecto. Obſtructi, cum venæ, arteriæ, inteſtina, ureteres, cutis ſpiracula, meatus veſicæ ab inhærente materia. A velut infarctu minùs ſunt pervia. Oppleti, vt ventriculorum cerebri, in apoplexia: Vteri in mola, veſicæ in calculo: Bronchiorum pulmonis repletio, ex præfocante catarrho. Coäliti, ut ſi oculorum palpebræ, oris aut genitalis muliebris labra aut podex, ut in atretis, vel natura, vel chirurgi incuria, per σύφυσιν coaluerint.

Ex his cavitatis morbis nimiam amplitudinem, aut anguſtiam (ſi à nativitate ſint) nec natura nec ars corrigere poteſt. Sin verò adventitia ſint, ut ventriculi dilatio ex voracitate aut bibacitate aſſueta: Amplitudo cervicis vterinæ, & genitalium ex partu. Item earundem partium coarctatio, vi medicamentorum inducta: illa B vel naturæ beneficio, vel artis ſubſidio iuvantur. Aſtrictionem pororum ex ſiccitate, frigore, balneo aluminoſo, aut ſimili aſtringenti medicamento: Compreſſionem aſperæ arteriæ & æſophagi ex angina: Meatus vrinarii á tuberculo vicino, inteſtinorum gracilium ob tumorem aliquem in ileo morbo, natura & ars moderantur. Obſtructiones cavitatum, ut vaſorum, & inteſtinorum, ſæpè naturæ robur, vel conſumendo vel extergendo, materiam infarctam per ſe expedit. Aliquando artificis miniſterio indiget. Oppletiones ventriculorum cerebri in apoplexia, vteri in mola, bronchiorum pulmo- C nis in catarrho præfocante: vis naturæ expultrix non rarò evacuat. at in calculum maiuſculum, qui veſicam replet, aut meatu urinario maior eſt, nihil natura iuris habet: cum ſolam chirurgiam agnoſcat. Iam verò ſi lingua, fauces, palpebræ, cutis, ungues, aut ſimiles natura læves partes exaſperentur: Conformatio læditur quæ mala arti magis, quam naturæ obtemperant. Sicut & lævitas vitioſa, partium natura aſperarum, ut ventriculi, ſi cibum, inteſtinorum, ſi chylum, vteri ſi ſemen retinere nequeant, non naturam ſed artem Medicam requirunt.

D Porrò numerus inſtrumentalium partium inter morbos recenſetur, quoties vel abundat, vel deeſt aliquid. Abundat, vel res naturalis, ut ſextus digitus, tertius teſticulus, germen in naribus, nympha in collo uteri: unguis in oculo: vel res toto genere præter naturam abundat: ut Lumbrici, aſcarides, lapis in veſica & renibus: in palpebris grando: Huc refer verrucarum genera, callum, pus, aut alia abceſſum contenta.. Deeſt aliquid numero, cum dens ademtus:

teſticulus aut os exſectum: Brachia, manus, crus, pes, ampu
aut à nativitate deſunt. Ad defectus vitiũ referri poteſt ophi
pecia, & ptiloſis, in quibus pili defluunt à capite, à palpebris.
turales numeri exceſſu peccantes, natura auferre nunquam
quapropter Medico id muneris impoſuit.

Ex iis tamen quę pręter naturam omninò ſunt, quędam p
ſa tollit, ut pus in puſtulis, aut abſceſſibus quibuſdam, per m
tem ſponte erumpentibus, lumbricos, aſcarides, arenas, lapill
renibus & veſica minutiores, ſæpe deturbat. Verum ubi cōte
ceſſuum alieniorem ſubſtantiam ex frigido humore adepta A
matureſcere non poſſint, quales ſteatomata, atheromata, m
des. tunc medicina ſuppetias venit, ſicut ad calculos veſicæ, &
maiores, ad verrucas, myrmecias, acrochordonas, callos, clav
mos exſcindendos ſuccurrit. At defectus in numero, dent
ſum, teſtem exſectum, digitum, aurem, pedem, naſum, crus, a
membrum mutilum, nec natura, nec ars ſupplere unquam
Quanquam dentes exemptiles, naſosq; novos ex agglutinat
taq; alterius membri cute efformatos, artis induſtria invene
phiaſin, alopeciam, ptiloſis, aliaq; pilorum vitia, natura aliqua
la, exturbata omni humorum pravitate, ſanare, novòſq; pil B
nerare poteſt: ſæpius tamen artis opem advocare cogitur,
morbo gallico, barbæ capillorumq; defluvium oſtendit.

Quoties pars aliqua maior, aut minor, quám ex uſu ſit, e
morbus in magnitudine appellatur. Si quid magnitudinem d
exceſſerit, ut ſi lingua adeò excreverit, ut intra oris limites co
nequeat, ſi naſus vltra labra propendeat, ſi labra, auris, digit
nus, pes, crus, teſticuli, genitalia, vbera, aut alia deniq; pars, ſu
naturæ conveniat, adaucta ſint: nihil horum ars, nihil natur
dinem redigere potuerunt. Carnis tamen incrementum in v
bus aut ulcerib. eveniens (ὑπερσαρκωσιν vocāt), Medicus, nō C
compeſcit. Si quid contrà infra iuſtummodum defectu ali
vel tabe imminutum eſt, id ipſum aliquando natura ſola, no
quam Medicina inſtaurat.

Collocatio ſeu poſitio inepta eſt, cum vel in ſitu, vel in co nſu
aut copulatione peccatur. Situs pervertitur in luxatis, dent o-
culisque exertis, in enterocele, epiplocele, uteri atque a o-
lapſu. In conſenſu vitium eſt, cum mutua partium ſoci læ-
ditur, ut in ſtrabiſmo, in copulatione, ſi ligamento aliquo xa-
to, aut intenſo, aut diſrupto, motus partis offendatur. Huc ſp ant
vinculum linguæ, & pudendi immodicum, coaleſcentia digit um, D.
palpebrarũ, cũ & labra oris, vteri, ſedis cohærent, in iis, quos ἀ
quaſi imperforatos (quib. nativum vitiũ erat) veteres appell ſo-
lebant. In his malis nihil natura valet, cum omnia chirurgi ci-
ciantur. Et hæc quidem de morbis, qui inſtrumentalibus p
accidunt, dixiſſe ſufficiet.

hem

Sequitur affectus utriſque communis, quem unitatis ſolutionem vocant, quæ pro ſubiecto, natura, & modo appellationem variat, ut iam vulnus aliâs vlcus, aliquando punctura, inciſio, contuſio, attritio, ruptura, fractura, fiſſura, vaſorum dilatatio, transcolatus, ἀναςομωσις, eroſio dicatur: Nō rarò quoq; nomē ignorat. At quid in hoc communi morbo agit natura? Sane permultum. Nam ipſa diviſas particulas, velut glutino vnit, carnem generat, cava implet, callum producit, aliena ſeparat, cicatricem obducit. Ergo ne omnia perficere videtur? Non equidem. Nam diſtantia vul-
A nerum labra adducere, pus & ſordes eluere, ſitum membri effluxioni puris idoneum ſervare, fracta oſſa aptè componere, læſas partes ritè obligare, vaſorum vulnera, vel eroſiones ſanare, minimè ipſa poteſt; hæc munia Medico relinquit. At nervorum, venarum arteriarumque per tranſverſum factas inciſiones, vaſorum dilatationes, ut varices & aneuryſmata, item arteriarum vulnera: ſanè nec natura, nec Medicus contrahere, vel unire rectè poſſunt.

Hactenus ſimplicium morborum triplex genus per ſpecies & differentias perluſtravimus, & quid in ſingulis natura, quid ars præſtare poſſit, expendimus. Conſectarium videretur compoſitos ex-
B cutere: verum, cum illi nihil aliud ſint, quam ſimplicium variæ inter ſeſe complicationes, qui ſatis ſuperque examinati ſunt, ſupervacaneum foret, illorum perquiſitione tempus terere, præſertim cum ex ſimplicibus compoſiti facillimè æſtimari poſſint.

Quare ad ſymptomatum inquiſitionem accedamus. Multa enim ex illis appellationem morborum apud vulgum ſunt adepta. Inter quæ apoplexia, epilepſia, convulſio, ſurditas, cæcitas, aſthma, icterus, diarhæa, dyſenteria, dyſuria, hæmorrhagia, Item varii dolores capitis, oculorum, dentium, colli, lateris, coli, renum, coxendicis, arthritis, podagra, & ſimilia vitia. Cum autem morbus ſit af-
C fectus, primo & per ſe actionem lædens. Sequitur actionis læſionem, velut effectum morbi, & ſymptoma perpetuum eſſe, ut quā diu iſtud adſit, etiam morbus adeſſe colligatur. Ex actione læſa alia ſequuntur, quæ vel partium ſubſtantiæ, vel excrementis inhærerent, atque ita exurgit triplex ſymptomatum genus.

Actionum aliæ ſunt animales, aliæ naturales. Animalium aliæ ſunt ſenſiles, aliæ motrices, aliæ rectrices, ſive principes. Senſus porrò quinque: viſus, auditus, odoratus, guſtus, tactus. Motiva actio ab animali facultate naſcitur, eaque unica eſt, putá voluntaria, quæ potentia à cerebro per nervos tranſmiſſa, à muſculis obitur.
D Principes ſunt imaginatio, intellectus, recordatio.

Naturales actiones ſecundum partes ſimilares & inſtrumentales conſiderantur: ſimiliarium cenſentur quatuor, attractio, retentio, alteratio & expulſio, quæ omnibus & ſingulis etiam minutiſſimis particulis innatæ ſunt. Inſtrumentalium operationes ſtatuuntur, ventriculi quidem, appetentia & chyloſis; iecoris hæmatoſis,

lienis, fæcis melancholicæ attractio, folliculi fellei, bilem excrementiam colligere venarum diſtribuere ſanguinem: Habitus corporei, eſt nutritio: Pectoris, reſpiratio: Cordis & arteriarum pulſatio, quarum utraque vitalis dici ſolet, quia ſpiritui, calorique vitali inſerviunt: Et licet ſub motrice locari debere videatur: tamen quia arbitrio nequaquam paret, nec excitare aut impedire, cum velimus, queamus: rectius ad naturales actiones refertur. Ita quoque renum officium eſt, ſeroſum liquorem elicere, veſicæ verò eundẽ per ureteres demiſſum colligere: ſicut uteri munus, ſemen concipere, & fœtum fovere & ſic de reliquis. A

Harum actionum quælibet bifariam lædi poteſt: Tum quod nullo modo, tum quod malè fiat. Et malè quidem, rurſus bifariam: Quum vel debiliter, vel depravatè obitur. Læſarum actionum quædam, propriis nominibus ſunt denotatæ: Cæcitas enim, privatio viſionis nuncupatur, hebetatio, eiusdem debilitas, hallucinatio, viſus depravatio. His in auditu reſpondet ſurditas. gravis auditio, & tinnitus. Olfactus, guſtus, tactus appellatione communi, vel perditus vel hebes, vel depravatus vocatur. Motus ſi amiſſus eſt, paralyſis dicitur, ſi imbecillis torpor, ſi depravatus, plures habet ſpecies: quales ſunt, tremor, convulſio, palpitatio, concuſſio, pandiculatio, oſcitatio, ſternutatio, tuſſis. Imaginatio aboletur, in caro, & catalepſi. Deficit in comate & lethargo, depravatur in delirio. Intellectus amittitur in amentia, deficit in ſtultitia, depravatur in delirio. B Recordatio perdita, deficiens vel depravata, oblivio maior, aut minor appellatur. Omnium & principum & ſenſuum & motus actionum ſummam iacturam, oſtendit apoplexia & Epilepſià. Vt itaq; ab his duobus ſummis malis exordiamur, quid in his natura, quid ars poſſit, exploremus. Apoplexia correptus dicitur, ſi quis ſubitò mentis omni actione, ſimulq; ſenſu & motu priuatur, ſola reſpiratione qualicunq; reſervata, omnibus thoracis muſculis, propter vrgentem neceſſitatem, cum inſigni imbecillitate coniunctam, cooperantibus. De qua Hippocrates 2. ſect. aph. 42. Apoplexiam fortem ſolvere impoſſibile. Debilem verò non facilè. Fortem, in eius comment. Gal. vocat cum reſpirant quidem, ſed magna vi & labore. Fortis item adeſt & illis, ſed minus, qui nec intentam, nec violentam, inæqualem tamen, atq; inordinatam, nec non intermittentem habent reſpirationem. Sicut in quibus aliquem ſervat ordinem, debilior exiſtit, & ſi modo quæ neceſſaria ſunt, adhibeantur, citò curari poteſt. Omnes apoplexiæ fiunt, eodem teſte, cum animalis virtus ad partes inferiores fluere non poteſt: aut propter affectionem inflammationi ſimilem, quæ in ipſo cerebro conſiſtit, aut propter ventriculos eiusdem, pituitoſo aut melanholico humore oppletos, ut idem aſſerit commentario in aphoriſmum 56. & 57. ſect. 6. Eſt igitur huius attoniti morbi cauſa, vel inflammatio ce- C D

rebri vel obſtructio ab humore aliquo craſſo facta. Obſtructionem aliquando ſolvit natura, expultricis inſultu humorem peccantem per quartum cerebri ventriculũ vel in alterutrum ſpinæ, membraneo ſepto diſtinctæ, latus protrudente, unde ſequitur hemiplegia, aut paraplegia, vel paralyſis vocata, putà alterius lateris reſolutio, vel in utrumque ſpinæ latus humore peccante protruſo, unde reſolutio totalis ſequitur. Inflammationem verò cerebri, natura nunquam per ſe; fortè artis ſubſidio. ſanguinem prudenter educentis, erit levatura.

A Epilepſia, quum non ſit abſimilis apoplexiæ (nam non ſolum in ea mens. ſed & ſenſus & motus omnis voluntarius eſt interceptus) eò differt, quod toto corpore, citra ſenſum & arbitrium convellatùr. Hujus cauſa non in obſtructione ventriculorum cerebri à craſſorum humorum copia (quod cum Galeno plerique hactenus Medici faciunt) ſed in moleſto ſenſu rei (ſeu vapor ille, ſeu humor pravus & malignus, vel minimæ molis exiſtat) vellicantis membranulam illam prætenuem, quæ ventriculorum ejus ſuperficiem internam undiquaque inveſtit, ſtatuenda meo judicio, potius videtur. Ideoque ſolutionem quandam continui fientem ſtatuo, ſicut B in levioribus punctionibus aut tenſionibus. De quo latius in theſibus noſtris de Epilepſia anno 1587. publicè hic diſputatis. Cujus paroxyſmum natura, dum cauſam vellicantem amolitur (contractione aut colliſione parietum, qui in ventriculis cerebri ſunt, inter agitandum facta) ut inchoat, ita finit: Quemadmodum in ſternutatione diminutè fieri videmus. Verùm regenerationem ejus non ſemper impedire poteſt, ad quod medicinam implorat; quæ & ipſa ſæpè finem ſuum aſſequi nequit; propter fomitem mali, in loco abſtruſo latitantem, imbecillitatem putà, ex intemperie alicujus particulæ ſæpè nobis ignotæ; vel ad quam pertingere C non datur: ut exquiſitum ſenſum & tenuem ſubſtantiam cerebri prætercam, eorum argumento, qui ferè hoc morbo laborant, multis aliis plerumque ingenioſiores exiſtunt, quod præſtantiſſimorum virorum exempla, qui huic malo obnoxii fuerunt, oſtendunt, Julius Cæſar, Carolus Quintus, Mahometes, aliique non pauci.

Obvio, quæ memoriæ: amentia & fatuitas, quæ rationis labefactatio eſt: Cùm ab intemperie cerebri, frigida naſcantur: ſicut etiam imaginationis defectus in comate & lethargo: ejuſdemq; abolitio, in caro & catalepſi, quæ ab intemperie frigida cerebri, ſimul atque D humida proficiſcuntur: nihil auxilii à natura ſibi promittunt; ſed ab arte expectant; Sin autem ab humoris pituitoſi copia, aut eodem cum bile aliquanta permiſto, ſive etiam à ſanguinis abundantia (quod in catalepſi Aëtius obſervavit) hæc mala proveniant: Natura humorem peccantem proturbando, ſponte ſua aliquando curat, plerumque tamen artem ſubſidio advocat.

Viſus, auditus, odoratus, guſtus offenduntur, ſi culpa hæret vel in facultate à cerebro per nervos dimanante, vel in primario ſenſuū horum inſtrumēto, vel in partibus ipſi miniſtrantibus. Facultas culpam habet, cum per inſignem aliquam intemperiem, obſtructionem, compreſſionem, tumorem aut ſolutionem continui, quæ in cerebro aut nervo contigerit, impeditur.

Primarum ſenſuum inſtrumentum (quale in viſu quidem chryſtalloides humor: in auditu autem meatus ejus anfractuoſi extremitas, quæ nervo dilatato committitur. In odoratu verò oſſa naſi ethmoidea, quibus proceſſus cerebri mammillares, & ſub iis, duæ craſſiuſculæ breves, molles & albicantes propagines calvam non excedentes, occurrunt (ſicut in guſtu ſimulare corpus linguæ) in culpa, inquam, eſt primarium inſtrumentum, vel ob intemperiem aliquam vehementiorem, vel ſolitam continuitatem, vel propter ſedem transmutatam (in viſione & auditu) vel propter obſtructionem, in olfactu. A

Partes inſtrumento primo miniſtrantes (quales in viſu ſunt palpebræ, tunica annata, cornea, uvea, ſpiritus animalis, humor aqueus, vitreus, nervus opticus) lædi ſolent: Palpebræ quidem à phlegmone, aut alio tumore præter naturam valdè aucto. Annata tunica, ab ungue, ophthalmia, aut chemoſi. Cornea & quidem illa pars, quæ pupillæ objecta eſt; ſi craſſior, denſior, humidior, aut rugoſa evaſit: aciem viſus hebetat. Si colorem eadem mutaverit, viſum depravat, ſicut in ictero: ſi vulnus aut ulcus profundum acceperit, cæcitatem inducit. B

In uvea vitium eſt, ſi vel foramen ejus, quod pupillam vocant, amplius eſt, quam deceat: ſemperque viſum lædit, vel anguſtius: & non ſemper lædit, niſi poſt nativitatem acciderit; vel ſi divulſum ruptumve ſit, quorum neutro, damnum viſioni notatu dignum affertur. Si uvea extendatur, pupillam majorem reddit, quod fit vel propria ipſius ratione, idque ob ſiccitatem, cujus curatio difficilis eſt, vel ob humiditatem, à qua phlegmone, aliusve tumor & abſceſſus oriuntur, ideoque à perito Medico facilè vincuntur: vel ſit ab accidenti; idque ab humoribus intra ſe contentis, vitreo & aqueo præſertim, ſicut uter ab aqua diſtenditur. Præter hæc Uveæ laxitas, minorem efficit pupillam. Ejuſdem verò vulnus, vel ulcus, viſionem quoque lædunt. Spiritus animalis, ſi paucus eſt; quæ vicina ſunt exactè dignoſcit: At longinqua non videt. Idem ſi multus & humidior exiſtat, longinqua quidem videt, ſed non exactè: ſin paucus ſimul & humidus, nec longè nec exactè cernit. C D

Aquei humoris incrementum prohibet, ne cryſtallinus objecta dignoſcat. Ejuſdem defectus facit, ut uvea in ſe collapſa contrahatur, ideoque pupilla minor reddatur. Craſſities autem ejus viſum obtuſiorem creat, ſicut & color mutatus efficit, ut æger putet, ſe per nebulam, aut fumum, aut alieno colore infectas imagines intueri.

Humori

Humori vitreo, ſicut & cryſtalloidi & aqueo obſcuritas à craſſitie obtingere poteſt.

Nervus autem opticus aliquando vel intus obſtruitur, vel ab adjacente tuberculo aut phlegmone comprimitur.

Partes primo auditus inſtrumento ſervientes, quæ nimirum in meatus auditorii anfractu extrinſecus circumſiſtunt, vitium habent ſi aliquæ earum, vel intemperie, vel continui divortio, vel obſtructione, vel compreſſione afficiantur. Compreſſio autem fit propter tumorem aliquem præter naturam, vel abſceſſum, vel tuberculum

A callosum, aut carnoſum: obſtructio autem propter ſordes meatui inhærentes.

Partes odoratui ſubſervientes (quæ ſunt naſus, cavitas ejus, membrana interna, oſſa ethmoidea, proceſſus cerebri mammillares, aut propagines illæ molles, albicantes, craſſiuſculæ, breveſque, ex cerebri ſubſtantia natæ, nervis ſimiles, membrana molliſſima veſtitæ, calvariam tamen non egreſſæ) odoratum lædunt. ſi naſus plaga aliqua contritus ſit; ſi cavitas aut meatus ejus, polypo, aut tumore impediatur. Si interna membrana intemperie, aut tumore, aut ſolutione continui laboret: Si oſſa Ethmoidea contrita, vel

B obſtructa ſint. Si proceſſus mammillares, aut propagines illæ vitium aliquod ſimile acceperint.

Depravatur autem odoratus; ſi in partibus ſubminiſtrantibus aliquis humor putris hæreat, qui fœdo vapore cerebrum feriat, ut vel ſuaviſſima, fœtere putentur, ſicut in ozæna, quod putridum naſi ulcus eſt accidit.

Pars autem guſtus inſtrumento primo ſubminiſtrans, putà quæ linguam ambit, tunica: ea vel ob intemperiem, vel ſolutionem unionis malè habere ſolet.

In his ſenſuum offenſionibus quid natura, quid ars poſſit, con-

C ſideremus.

In viſus obſcuritate, ſi illa propter cerebri frigidam & humidam intemperiem inſignem: ſi ob ſolutionem unionis, aut craſſitiem & paucitatem Spiritus: Si propter Cryſtalloiden ſuo loco dimotum: aut nervi optici obſtructionem, vel reſolutionem: ſi ob vitrei aut cryſtallini humoris craſſitiem & lentorem: aut copiam defectumve, craſſitiem, vel colorem aquei humoris mutatum: ſi propter corneæ denſitatem, craſſitiem & rugoſitatem, aut ejuſdem vulnus, ulcusve: ſive ob unguem, ophthalmiam, aut chemoſin annatæ tunicæ evenerit: Nihil ſanè præſidii à natura ſola expectari poteſt. In che-

D moſi autem, opthalmia, ungue, in vulnere, ulcere, puſtulis: denſitate, craſſitie, decoloratione corneæ & ſugillatione: in amplitudine & diminutione pupillæ: in ſuffuſione: in cerebri intemperie; in nervi viſorii, ob vicinum tuberculum, vel inflammationem, compreſſione: in oculi protuberatione: in ægilope; haud exiguum medicina auxiliũ conferre ſolet: in reliquis per parũ aut nihil omnino.

In auditus noxa, ſi ob intemperiem frigidam & humidam, [illegible] pter obſtructionem: unionis diviſionem in cerebro, vel nervo au[illegible] torio factam. Si ob primi inſtrumenti locum mutatum: Aut ob [illegible] tium eidem ſervientium intemperiem frigidam & humidam, [illegible] ſtructionem, unitatis divortium, abſceſſum, tuberculum, aut [illegible] des inhærentes acciderint. Nihil natura absque Medici ſubſidio [illegible] vabit.

In odoratus verò guſtusque offenſa, ſi per cerebri nervorum [illegible] affectum facultas impediatur: ſi primum inſtrumentum ſit [illegible] ſum: vel ſi partes illi miniſtrantes ægrè habent: Natura absque [illegible] tis opera perparum valet; ſive intemperies, ſive continui ſolutio, aut meatuum obſtructio curanda veniat. Naſum enim fractum redintegrare; polypum reſecare: tumorem tollere, vulnera, [illegible] ra oris, & narium expurgare, natura ſibi diffidens, arti com[illegible] mittit.

Tangendi ſenſus (de quo etiam dicendum) culpam habet, [illegible] vel nullo modo fit, & abolitus dicitur, ut in apoplexia, Epilepſia, caro, comate; vel malè fit, idque aut diminutè, ut in ſtupore, aut depravatè, ut in pruritu, laſſitudine, ulceroſa, tenſiva, phlegmonoſa, quibus & dolor accenſeri poſſet. Quid natura, quid ars in a- B
poplexia, epilepſia, caro, comate præſtent, ſupra eſt dictum. De ſtupore, pruritu, laſſitudine triplici, & dolore dicamus. Fit autem ſtupor, à torpedinis piſcis contactu; Item à refrigeratione, compreſſione, obſtructione nervorum, idque vel ob craſſorum, lentorum ſuccorum copiam, vel excretionem ſuppreſſam, tuberculum durum, aut vinculum arctum. Pruritus & laſſitudo ulceroſa, à ſucco nitroſo, ſalſo, amaro, eoque tenui, pauco, immoto, mordaci ſuſcitatur. Phlegmonoſa verò laſſitudo, ab acrium humorum abundantia: ſicut tenſiva à bonorum ſuccorum plethora generatur. Dolorem excitant, violentus caloris aut frigoris occurſus. Humores C
acres aut acidi, flatus, vapores, phlegmone, eryſipelas, calculus, itemque quæcunq pungunt, urunt, erodunt, ſecant, tendunt, rumpunt, gravant, contundunt, aut quacunq; ratione continuum diſſolvunt.

Quid autem in talibus affectibus natura, quid ars commodi affert? ſi qui ex humoribus, flatibus, vaporibus aut calculo procreantur, hos ſæpe natura ſponte profligat; humores & calculum, ſi meatibus non ſit major; expultricis vi deturbando; vapores diſſipando, flatus propulſando vel conſumendo. In reliquis ab arte conſilium petit, quæ externas injurias removeat, intemperies calidas refrige- D
ret, frigidas calefaciat; ſicca humectet, dura emolliat, aſtricta laxet, obſtructa reſeret, craſſa attenuet, lenta incidat, viſcida abſtergat, acria contemperet, aut educat, vires refocillet, victus rationem inſtituat. Senſibus examinatis, jam de motu agendum.

Motus aliâs aboletur, alias malè obitur: idque rurſus vel imbecilliter,

cilliter, vel depravatè. Aboletur autem aliquando in univerſo corpore, ut per apoplexiam, catalepſin; nonnunquam in toto corpore, ſed facie ſalva: nonnunquam utroque brachio, utroque crure ſeorſim, & paralyſin dicunt: Aliquando in altero latere toto, ut in hemiplegia; aliquando in una aliqua parte, ut thorace, & apnæan vovocant: In vocis inſtrumenris ἀφωνία dicitur: in ſermonis organo, linguæ paralyſis appellatur; in veſicæ muſculo, urinæ incontinentiam vocitant: ſic quoque oculo, labro, maxillæ, brachio, manui, digito, pedi accidere reſolutio poteſt. Imbecillis eſt motio in in-
A fantibus, in ægrotantibus, in ſenibus & in torpore. Depravatur autem in ſternutatione, tuſſi, oſcitatione, pandiculatione, ſingultu, ructu, nauſea, vomitu: Item in horrore, rigore, palpitatione, convulſione, tremore.

De motu abolito, in apoplexia, catalepſi, hemiplegia & paralyſi, quibus de cauſis fiant, & quid in illis curandis natura, quidve ars conferre queat, ſupra tradidimus.

Ad imbecillum motum quod attinet, qui quidem in infantibus & ægrotantibus eſt, natura ipſa ſucceſſu temporis per ſe corrigere ſolet; partes nimirum corporis humidiores molliores in puerulis,
B ſenſim vi caloris nativi ſiccando, indurando, alimentique acceſſione, ſicut in convaleſcentibus, inſtaurando, ſpiritusque intemperie profligata, novos regenerando. In ſenibus autem propter ſpirituum ex deficiente calore inopiam, atque inſtrumentorum duritiem, gravitatemque cum frigiditate conjunctam, non ſolum natura, ſed & medicina ſuccumbit. In corpore verò, quem νάρκην vocant, eò quod perparum à ſtupore diſtet, easdemque cum illo cauſas obtineat, adeò ut plerunque & tactus & motus impotentia, ſimul coincidere ſoleat. idcircò lectorem eodem remitto.

Depravati autem motus, ſternutatio quidem, à vaporibus caput
C opplentibus, aut ab humoris acrimonia, nares vellicante ſuſcitatur. Tuſſis ab humore tenui, craſſo, lento, ſalſo, aut intemperie pulmonum. Oſcitatio ob vaporoſa aut flatuoſa excrementa in muſculis maxillarum: Pandiculatio, ob eadem per habitũ corporis diſperſa, naſcitur. Singultus (quaſi ventriculi convulſio quædam) ut rem ſubſtantiæ ſuæ moleſtam excutiat, ſive ea ſit ciborum copia, ſive acrimonia alicujus rei, ſive etiam inanitionis nimiæ ſenſus, ob purgationem enatæ. Ructus, eſt flatuoſi excrementi excuſſio, ex ventriculo facta, idque vel ob debilem calorem ejuſdem, vel cibum flatulentum aut frigidi aut alterius pravi humoris præſentiam. Nau-
D ſea & vomitus, ventriculi pravi ſunt motus, quibus in nauſea quidem, ea, quæ orificium ejus: In vomitu autem, quæ cavitatem moleſtant, rejiciuntur.

Quid verò in his depravatis motibus natura? ſanè quam plurimum. Omnes enim iſtæ, actiones exiſtunt, quibus quarundam partium moleſtias excutere molitur: adeoque plerunque per ſe

finem ſuum aſſequitur. Sic quoque in horrore & rigore, (in quibus ſe quoque expultrix depravate movet ob excrementa mordacia per ſenſiles partes delata; in horrore quidem, pauciora & remiſſius mota: In rigore autem, plurima eadem, & celeriter commota) natura ſibi ſufficere ſolet: ſicut per febrium acceſſiones, & criſes, videre licet. Quamvis ab aëre frigido, & frigidorum ſuccorum motu: horror & rigor abſque febri aliquando naſci poſſint: in quibus ars naturæ prævalet.

Quemadmodum in palpitatione atque convulſione utraque ſanè contra naturam, contraq; voluntatẽ in partibus corporis molliorib. A (quales muſculi, nervi, cutis, membranæ, ventriculus, inteſtina, jecur, lien, ſeptum transverſum, veſica, uterus, venæ, arteriæ & cor: non autem cartilago aut oſſa) eveniente palpitatione quidem, in partibus illis, mollibus, ſeſe per intervalla non omnino brevia dilatantibus, idque ob earundem imbecillitatem ex frigida intemperie contractam, quæ halitum aut flatum craſſiuſculum non ſatis attenuare poteſt, ut per meatus cutis, aut membranarum tranſpirare queat. In convulſione autem muſculi & nervi ſolummodo afficiuntur, dum verſus ſua principia violenter magnoque cum dolore retrahuntur, interdum quidem univerſi corporis, ut in Epilepſia: in- B terdum poſteriorum ſolum partium, in opiſthotono: Interdum anteriorum tantum, in Emproſthotono: aliquando omnium, quæ infra caput ſunt, tam ante quam retro ſitarum, in tetano: (quamvis rarius talia contingant) frequentius particulas aliquas ſeorſim (quales maxillæ, oculi, frons, labra, brachia, manus, crura, pedes, digiti) invadit ſpaſmus, cauſamque habet, vel inanitionem, vel repletionem nimiam, vel etiam ſubſtantiam aliquam flatulentam.

Tremor, depravata quoque eſt motio, per exigua intervalla contingens, partim ex membri pondere deorſum nutante, partim C ex facultatis morbo impeditæ, actione compoſita: quæ attollere quidem illam cupit & allaborat; ſed præ imbecillitate non valet: in cauſa ſunt, timor, ira, verecundia, ſenectus, infirmitas ex morbo, alimenti penuria, bilis ſurſum & deorſum erumpens, vehemens alvi aut ſanguinis profuſio, refrigeratio externa, ebrietas, multa cruditas, ignavia & intempeſtiva frigidæ ingurgitatio: item humoris craſſi lentique nervos obſtruens copia.

Quid autem in his ſymptomatibus natura, quid ars facit? In palpitatione ſanè vehementiore, natura ſibi non fidit; artem advocat, quæ calefaciendo, meatus aperiendo, flatus attenuando, faciles D tranſitus parat. In convulſionibus, quæ ab inanitione nimia, & ſiccitate in febribus ardentibus malignis oriuntur, ars ſimul & natura vincuntur. Quæ autem à plethora aut inflammatione gignuntur, natura quidem ſanguine per nares, hæmorrhoidas, aut menſes effuſo, aut diarrhæa commota, aliquando ſublevare conatur: ſubſidio

ſidio tamen artis plerunque indiget. Sic & illam, cujus flatulentus vapor author eſt; medicina partem vel fricando, vel calefaciendo ſolum, diſcutit. In tremorem, qui quidem ob iram, timorem, verecundiam, imbecillitatem ex morbo, penuriam alimoniæ, frigus externum, bilis eruptionem, alvi aut ſanguinis profuſionem, aut ob ebrietatem, aut crapulam accidit; Natura ſibi jus vendicat, cum animum pacando, alimentum ſumendo, calefaciendo, ſucco acri excreto, hæmorrhagia repreſſa, vires redintegrat. In tremorem verò, qui ob mul-
A tam cruditatem, ignaviam, frigidæ copioſam ingeſtionem, aut ob craſſi humoris nervos obſtruentis copiam invaſit; natura medicinæ imperium tradit. In illum interim qui ſenectutis culpa natus eſt; nec natura nec ars ſe dominii quicquam habere, candidè profitentur.

Hactenus ſymptomata; quæ in actionum animalium (ſive principes illæ, ſive motrices, ſive ſenſiles ſint) læſione conſiſtunt, excuſſimus, & quid in profligandis illis, natura, quid ars poſſit, oſtendimus.

Reſtabat naturalium functionum inveſtigatio, inter quas appetentia ciborum, & concoctio. chyli confecti diſtributio, ſanguinis
B procreatio, nutritio, attractio, retentio, alteratio, inutilium expulſio, reſpiratio, cordis & arteriarum pulſatio, generatio ſpeciei, conceptio, & ſimiles. Quarum ſi quæ lædatur; pro læſionis magnitudine, vel abolita omninò, vel deficiens, vel depravata operatio naſcitur.

Ex operationibus autem læſis prodeunt, duo alia ſymptomatum genera: Quorum hoc in excrementorum vitio, illud in affectu corporis ſimplici conſiſtit: Quæ omnia pertractare nimis longum foret. Speramus interim ea, quæ ſupra allata ſunt, ſufficere poſſe, ad Hippocratici illius, tribus voculis conſtantis, aphoriſmi declarationem, qua oſtendimus, non omnes affectus præter naturam (ſive illi
C morborum appellationem, ſive ſymptomatum ſolum mereantur) à natura; ſed quoſdam ab arte medica curari, quoſdam ab utraque ſimul; nonnullos quoque nec naturæ, nec artis imperium agnoſcere velle: Quamobrem reliquorum ſymptomatum diſquiſitione ſuperſedebimus. Fœliciter vale & quid ſentias reſcribe.

EPI-

EPISTOLA II.

HENRICUS BRUCÆUS MEDICUS Roſtochienſis,

HENRICO SMETIO MED. PROFESS. Neoſtadiano.

CENSVRA de

COMMENTARIOLO SVPER APHORIS. ILLO HIPPOCRAT.

NATVRÆ MORBORVM MEDICÆ.

A

Accuſas me quod ternis tuis ad me literis provocatus nihil reſponderim: verum ego quod vel abſim, vel diſtrahar, aut non habeam, quibus literas committam, hactenus non ſcripſi. Fit enim ſæpè ut vel amicorum, vel ægrorum, vel mea cauſa vix ſcribendi otium habeam. Ne de valetudine mea quicquam dicam, quam imbecillem, ut tuear licet, planè reſtituere nequeo. Nunc autem non eſt, quod prætendam, cum ad vos Clariſs. Juriſconſultus D. Nicol. Dobbinus ſit reverſurus, ne putes me veteris familiaritatis oblitum eſſe. Verum ad naturas morborum medicatrices venio. In quibus non planè mihi tecum convenit, quod in hoc aphoriſmo exiſtimes, Hippocratem naturæ nomine intelligere ipſum partium temperamentum, cum ipſum calorem nativum intelligat, qui vel anima ipſa eſt, aut animæ proprium inſtrumentum, ut Gal. cum in libro de maraſmo, tum lib. 1. aphoriſm. explicat; atque ita locus ex lib. de ſympt. cauſis citatus, meo judicio intelligi debet, & conſideratio operum naturæ in viventibus, id ipſum confirmat. Ea tamē ſignificatione naturæ cujus meminiſti, toto ferè lib. de natura humana uſus eſt. Verum de eo non adeò laborandum eſt, illud potius diſquirendum, in quo diligenter & cum laude elaboraſti, qui morbi ſolius naturæ; qui Medici, qui utriusque officium requirant; poſtremò quinam amborum, tàm naturæ, quàm Medici operam contemnant. Quæ quamvis doctè & præclarè perſecutus ſis: Malim tamen ad generalia quædam capita rem deduxiſſe, quam particulatim per morborum ſpecies id ipſum inveſtigaſſe, ut exempli gratiæ, Levis intemperies ſolius naturæ beneficio curatur. Calor enim noſter nativus, omnib. quodā modo

modo opponitur. Rurſus morbi à materia calida exorti, ſæpius Na-
turæ conatu, magna vi materiam victam deturbantis, pelluntur. Sic
enim febres multas ſolvi: Sic acutos morbos ſæpè ſuperari ſcimus:
Natura, aut ſanguinis fluxum, aut dejectionem materiæ copioſam
moliente. Longi verò, tàm naturæ, quam Medici ſtudio tolluntur.
Nam craſſus, lentus, viſcidus humor, à quibus ferè illi dependent, nō
facilè à natura ſola ſuperantur. Sic leves continui ſolutiones Natura
curat: Majores operam Medici una requirunt. Morbi autem inſtru-
mentarii, in numero, figura, connexu vitiato, ad ſolum medicum
A ſpectant: Niſi in figura vitium ratione humoris obſtruentis, aut ex-
aſperantis contingat. Tum enim, ut ſupra dictum eſt, Natura quoque
auxiliatur. Hæc aut ſimilis ratio magis ob oculos poneret, id quod
proponitúr, quam tantum volui indicare, ut per otium de ea cogi-
tes, ſi ita videatur. Illud autem putarem ante omnia explicandum,
quomodo naturæ morborum medicæ: Et Medicus miniſter. Eo e-
nim definito, ſumma capita propoſita tractationis ſeſe offerent. His
benè vale, &, quod facis, me amare perge. Roſtochij x v. Aprilis
M. D. L X X X I.

B

EPISTOLA III.

HENRICUS BRUCÆUS MED. Roſtoch.

HENR. SMETIO MED. PRO-feſſ. Heidelberg.

Queritur de valetudine. Mittit theſes de hydrope à ſe diſ-putatas, & judicium de illis petit.

C

IN ipſo quaſi temporis articulo, cognate Chariſs. hic adoleſcens diſ-
ceſſurus me convenit, quod ægrè tuli, verum cum hominem deti-
nere non poſſem, arrepto calamo, quæ in menten venerunt, literis
commiſi. Dabis autem veniam, quod ſuperioribus tuis non reſpon-
derim. Abfui enim tum temporis, & cum tabellarii Spiram petunt,
non mihi ſemper conſtat. Mediocriter valeo, niſi quod calculus, duo-
bus adhinc menſibus, cœperit mihi negotium facere. Transfero cul-
pam in aquas craſſas, ex quibus hic cereviſia coquitur, & edulia ple-
raque: Eo nomine jam ferè ſolo vino vtor. Magnam tamen cau-
D ſam præbuerunt frequentiora itinera ægrorum cauſa ſuſcepta, apud
quos noſtro more vivere non licet. Spero victus ratione diligentio-
re, aut malum me evaſurum, aut levius afflictum iri. Vtinam eum a-
liquando diem videam: quo ſolum ea mediter, quæ ad vitæ finem fa-
ciant, non ægrorum curis angar & crucier.

Mitto ad te de Hydrope quædam hic diſputata, quod in iis deſi-
deres,

deres, liberè ſcribes, tam in morbi & cauſarum explicatione, quam curatione. Communicabis quoque collegæ amico, & intelliges, quid ipſe quoque addi, vel demi velit. Tumultuariè enim hæc ſunt ſcripta, quod negotiis diſtrahar, & ſtatui hæc ad liniam revocare, & fortè edere aliquando Hydropis curationem, non ex libris petitam, ſed à nobis ſæpius perfectam: Sunt enim hic hydropici plures. Tu ſi quid habeas in eo genere ſingulare, communicare non graveris. Intellexi, neſcio à quo, Doctori Eraſto fuiſſe medicamentum familiare ad vomitum ciendum: id, ſi tibi notum ſit, literis committe, utendi modum & quantitatem ſimul indicans. Habes hic quoque o- A rationem noſtram in hac graduum deſignatione de naturæ, artis, & fortunæ in morbis curandis poteſtate, excitatus tuo ſcripto, quod aliâs communicaſti, lege per otium, & Ariſtarchum agito, ſtatui enim quædam adhuc abjicere. Benè vale cum uxore & liberis. Roſtochii 20. Julij 1587.

EPISTOLA IV.

HENRICI SMETII ANIMAD- B VERSIONES IN THESES D. HENRICI BRUCÆI

De

HYDROPE ET PRIMO QUIdem de ANASARCA.

THeſ. 4. lin. 1. Signa ſunt corpus non nutriri) Quin imò in ana- C ſarca corpus non atrophia, ſed cacotrophia laborat.

Lin. 2. Difficultas reſpirationis) Dubito an id Sarcitæ, ſi ſola ſit, cum aliis commune ſit, cum in ea diaphragma à tumore non prematur.

Lin. 4. Sitis, ſed hæc non accidit facilè in ſarcite. At inter hæc communia ſigna, tumoris non meminiſti, quo tamen hydrops nullus carere poteſt, & quem hydropis genus dixiſti. Oblitus es quoque vitiati coloris & faſtidii ciborum.

Lin. 5. pro os ſtomachi, pone ſtomachum, vel os ventriculi, ſicut & lin. 7.

Theſ. 5. lin. 2. Carne velut in aquam colliquata) At in ſarcite D non caro in aquam colliquatur. Nullus enim eſt calor, à quo colliquari poſſit, ſicut alioquin in hectica aut ardente febri ſubinde contingit, neque colliquata ſubſtantia ſub cutem, ut illic maneat, ſed in ſudores abeat, aut in venas potius fertur, quod in urinis & ſedibus apparet: Verum in ſarcite eſt frigida & humida totius corporis intemperies

Gal lib. 3. de ſympt. cauſis ca. 2. ad finē.

temperies inæqualis, quæ corporis habitum non colliquat, nec diminuit, ſed illum augere & amplificare potius videtur; Spatiis nimirū partium inanib. humoris crudi ſuffuſione repletis, unde prior corporis habitus æqualiter & quidem brevi ſe ipſo turgidior redditur.

Gal. lib. de inæqu. intemp. in principio.

Lin. 4. urinæ croceæ) Tales quidem urinæ in aſcite & tympania ſæpè apparent, ſed an in ſarcite dubito.

Theſ. 10. lin. 5. Vt in iis qui aſthmate laborant) Vidi ſanè aliquot hydropicos & œdemate pedum ex aſthmate affectos, ſed nunquam inde in ſarciten prolapſos, cujus tamen hîc cauſas inquiris: Citius enim A extinguuntur, quam totam propter aſthma cutem aqua ſubeat.

Theſ. 46. lin. 10. Decoquuntur in vino.) Neſcio quàm benè faciant, qui in vino Rhenano aut oligophoro aliquid decoquunt, cū vini virtus, ſuavitas & gratia coquendo pereat, & ſubaceſcat, quod ut evitetur in uſu apud nos ſunt infuſiones, vino non ebulliente, attamen ferveſacto adornatæ, vaſe accuratè obturato, calidoque loco per horas 24. aut diutius repoſito. Admiſcemus nos quoque talibus diaphoretica, imò hidrotica aut ſudorifera, putà Zarſam, Chinam, Gaiacum, ſaſſafraſum & ſimilia purgantibus, non veriti actionum B confuſionem, aut impedimenta mutua confiſi virtuti corporis diſcretici & attractrici, neque ſine felici ſucceſſu, ſicut in Theodoro Bernardo nuper factum.

Theſ. 59 De roborantibus) Sed an non conducibilius, ſi Emplaſtri potius quam olei forma, adhibeantur hepati; propter adhæſum cōtinuatum?

Theſ. 60. Sudores ciendi ſtuffis) Ego calidos lateres, aut lagenas aqua calida plenas, lecto decumbentibus, certis partibus, ut pedibus & lateribus applico, minoris moleſtiæ gratia.

C *DE ASCITE.*

Theſ. 2 lin. 12. Crudi humores inteſtina occupantes, bilioſorum exitum morantur) Non eſt veriſimile meatum veſiculæ χοληδόχον ad jejuni initium deſinentem, ab humoribus, quantumvis viſcidis, craſſis, crudis adeò poſſe obſtrui, ut bilis excretio impediatur, niſi infarctus altius inſederit: videlicet in ipſo jecore, ideoque pauca, aut nulla in κύστιν colligatur bilis, ſed ſanguini potius permiſta aliò abripiatur; quo fit, ut multos aſciticos ictero quoque affectos, & flaveſcentes non rarò viderim, quod ſequenti theſi non negatur.

D Lin. 14. poſt voculam coloratur, in fine θέσεως, adde, vel tingitur urina propter febrem, ob putredinem ab obſtructione pertinaci factam.

Theſ. 3. lin. 4. & generoſorum vinorum multum & frequentem uſum) Non fit mihi veriſimile, vini generoſi multo crebroq; uſu hepar aduri poſſe, ſicut velle videris: Sed contra potius calorē hepatis innatum,

natum, & ſanguificam vim nimiâ vini, quantumvis generoſi copiâ refrigerari & quodam modo ſuffocari, ſicut imbecillem in foco flãmam nimiâ lignorum; aut in lychno nimia olei abundantia reprimere, adeoque opprimere ſolet. Vinum enim quamdiu à ventriculo noſtro concoqui, in ſanguinem bonum verti, & aſſimilari noſtræ ſubſtantiæ poteſt, calefacit, ſed tamen moderatè & calorem nativum adauget. Immoderatius verò ſumptum, inflammatis ſpiritibus aliquando Ephemeram accerſit. Si contra, nec concoqui, nec corpori noſtro aſſimilari queat: Deſtitutum à concoctrice, crudum manet, & in frigidum ſuccum vertitur, qui calorem innatum refrigerat, imò A
ſubinde extinguit, teſte Gal. lib. 3 temp. cap. 2. Atque ea ratione caupones non adurendo, ſed refrigerando hepar & venas, aſcitici fiunt. Adde quod nec vinum, quod divendunt, adeò generoſum, meracum, λεπτομερὲς aut calidum eſt, ut vehementer eos adurere poſſit, & licet Gallica, Hiſpanica, aut etiam Græca ſint, non ea copia aut bibi ſolent, aut poſſunt, nec ita continuò, ut calidam ſiccamque intemperiem abſque febri generent. Humectant enim & calefaciunt non immoderatè quatenus nutriunt.

Nec mihi probabilis videtur Ariſtotelis ſententia, qua probl. 5. ſect. 3. ut citatur in theſi, eos qui mero dediti ſunt, hydropicos fieri B
putat, eò quod vinum calidum caliditati naturali conjunctum citius caloris domeſtici viaticum, quod in corpore supereſt, abſumat, quãvis neque interpres rectè vertiſſe videtur; Sic enim Græce eſt: Ἔοικε δὲ τοῖς ἀκρατοποτοῦσι τοῦτ' εἶναι αἴτιον, ὢν γὰρ θερμὸς ὁ οἶνος μετὰ τῆς φύσει ὑπαρχούσης θερμότητος, μᾶλλον ἀναλίσκει τὰ ἐν τῷ σώματι ὑπάρχοντα ἐφόδια τῷ οἰκείῳ θερμῷ. Διὸ συμβαίνει τοὺς μὲν ὑδρωπικοὺς αὐτῶν γίνεσθαι, τοὺς δὲ ῥευματικούς· τοὺς δὲ εἰς τὴν κοιλίαν. Quæ latinè ita ſonant: Videtur autem mero deditis, id eſſe cauſæ. Vinum enim calidum caliditati naturali conjunctum, magis conſumit viaticum, quod in corpore calori proprio ſuppetebat, unde fit, C
ut quidam ex illis hydrope, quidam fluxionibus, nonnulli ex alvo laborent, quod ſi ita eſſet, corpora talium ebrioſorum antè febre hectica contabeſcerent, quam hydrope intumeſcerent. Sed contra cauponum, aut vinoſorum corpora potius ſucculenta, imò benè habita exiſtentia, hydrope tentari videmus. Quare nec ſimilitudo ignis arundinei, quam philoſophus in fine adducit, huc facit; ſed melius illa, quam ſupra poſui, de flamma ſub ligni, aut olei nimia copia periclitante. Vt aptius hic ea quadret ratio, quam in ſequente ſexto ſcilicet probl. affert, videlicet, quod multum humidum, cum refrigeratum eſt, in multum frigidum ſe convertit, ut calorem ſuperet natu- D
ralem.

Quod autem ad vini ſublimati multum & frequentem uſum attinet; facilius conceſſerim, hydropem naſciturum, calida nimirum & ſicca intemperie jecori introducta: parum ſiquidem in ſe, quod nutriat, habet; eſtque ferè purè medicamentum, quod, præterquam

quod

quod inſigniter calefaciat & exſiccet, etiam tenuium valdè eſt partium, diſſipat calorem nativum humidumque primigenium depaſcitur.

Theſ. 7 lin. 1. Non itaque in ſolam hepatis refrigerationem omnis hydrops eſt referendus: Nec locus affectus ſemper eſt, idem &c. negatur hæc conſequentia. Licet enim febribus ardentibus & inflammationibus, aut alteri intemperiei calidæ aliquando ſuccedat hydrops: non excluditur tamen propterea hepatis refrigeratio ab hydropis cauſa: calore videlicet iecoris innato, fixoque, qui
A ſanguificationis opifex eſt per nimium illum calorem adventitium diſſipato, diminuto, adeoque refrigerato, aut humido radicali abſumpto. Eo puta modo, quem Ariſtoteles probl. in 3. theſi citato inter alios affert, his verbis: Quin etiam præter omnes refrigerandi modos, ille quoque notatur, ut deleta materia, qua quiſque calor ſuſtentatur & alitur, calor etiam ipſe deleatur, quod lucerna demonſtrat, &c. Item circa finem rurſus hæc habet: calor autē ipſe imbecillus propterea manet, quoniā materia, qua contineri adhuc poteſt, imbecilla eſt quo modo ignis, quem arundo reddiderit.
B Hic enim propter materiæ imbecillitatem infirmior eſt, quam qui à ligno præſtatur. Quo fit, ut quod reliquum eſt alimenti, dum neque concoqui, neque aſſimilari poteſt) crudum maneat, & hydropem pariat.

Quin etiam, quod ad locum affectum attinet, nihil obſtat, quo minus idem ſemper ſit hepar Nam licet lienis, ventriculi, renum, meſenterii, inteſtinorū aut aliarum partium culpâ primariâ, hydrops fiat: niſi tamē in conſenſum hepar trahatur, & ſanguificatio lædatur; nunquam generabitur hydrops, quod & ipſi in fine eiuſdem theſis non negatis, his verbis: nullo in hepate præter naturam affectu
C initio conſiſtente, &c. Rectè enim non initio ſed poſtea conſentiente.

Theſi 9. lin. 2. Sed calidas & ſiccas iecoris affectiones quoque vix mihi perſuadeo, durante adhuc calida & ſicca iecoris affectione, aut febri ardente, aut alio acuto morbo, aſciten naſci poſſe: ſed facilè, poſtquam affectus illi calidi & ſicci ſe remiſerint, idque vel illa ratione, quam theſi X ipſe reddis: Nam alioquin citiùs icterum effecerint, vel rurſus extincto calore hepatis nativo, per plurimum potum, durante febri ardente, ingeſtum, aſcites naſcetur.

D Theſi 10. lin. 5. [Bile nimirum ab hepatis calore ſuperaſſata, ex qua ſcirhus genitus eſt) Vix eſt credibile, ex bile ſuperaſſata ſcirrhum creari poſſe. Bilis enim tumores calidos, eryſipela, herpetem procreat. Aſſata ut craſſior, ita acrior facta, eroſones parit, imò ſuperaſſata in atram bilem deterrimam degenerat, & cancrum minatur, citiuſque hominem vitâ privaverit, quam in viſceribus retenta, ſcirrhum gignere queat.

Theſi 27.lin.5. Nec urinam cientibus, quod pleraque ſint calida, multum utemur) rectè quidem. Neque enim tempeſtivum eſt, diureticis uti, priusquam per alvum ſatis præpurgatum ſit corpus, neq; purgare niſi antè commodè præparatum & fluxile redditum, quod nec ipſum, niſi craſſa attenuando, lenta incidendo, viſcida tergendo, obſtructiones deniq; aperiendo, præſtari poteſt. Quid verò ſi caliditatis retundendæ cauſa, aceto aut oxycrato diuretica incoquantur.

Lin 8. Quandoquidem ſedato febris calore) Cum verò febris aſciticorum à putredine dependeat, putredo autem à prohibita per ſpirationе; hæc ab obſtructione, quam humorum craſſities, lentor, viſciditas pepererunt, quemadmodum & ſcirrhos, non ſolum profectò attenuantibus, incidentibus, tergentibus, ſed etiam per alvum purgantibus, utendum fuerit: quibus multò citiùs atque certius febris calor tollitur, ſublata nimirum cauſa, quàm victu ſolo licet accommodato. A

Theſi 31. lin. 1. Ab evacutione inchoanda curatio, malim tamen ante evacuationem præparantibus & aperientibus uti: non quod feroſus humor iis indigeat: ſed obſtructionis & ſcirrhi, qui plerunque ſubeſt, præcedit, gratia. B

Theſi. 34 Hic de victu repetis, quæ theſi 27. ante dicta ſunt.

Theſ. 35 lin. 1. Hic quoq; de purgatione repetuntur, quæ paulò antè theſi 32. dicuntur.

Lin. 5. Diacroci quo hepar corroboretur) Liberet, ſi tempus ferret, de corroborantibus latius tecum diſſerere. Quomodo enim hic corrroborationem fieri velis, ignoro. Si aſtringendo, & quidem communi opinione, hepatis robur in aſcite reparandum putes, neſcio quàm rectè, cum ea ratione craſſis lentiſq; humoribus pertinacius impactis, obſtructiones augentur, & ſcirrhi indureſcunt, quæ laxationem potius requirunt. Sin intemperiem corrigendo, robur addatur: qualis intemperies in aſcite ſtatuatur, definiendũ ante fuerat. Si frigida, malè hic diarhodon & Diatrium ſantalon, ut magis refrigerantia accommodantur. ſin calida: malè ex hiera cum Rhabarbaro purgabimus, purà, ut nimis calidis. Sunt quidem & alii modi, quibus hepar roborari poteſt, de quibus theſin loqui non puto, alias tamen epiſtol. lib. 1. de iriũ imbecillitate agens ſupra diſſerui. De quibus & inter Eraſtum & me olim diſputatum eſt. C

Theſ. 40. Confugitur hic ad παρακέντησιν) de qua quid dicam neſcio Vidi equidem aliquoties adhiberi, ſed nunquam cum ſucceſſu, magno ſane iudicio & prudentia opus habet, ut, an utiliter fieri, deinde an tuto, tantum remedium adminiſtrari poſſit, prius examinetur. Vtiliter quidem fieri nequit: ſi propter hepatis ingentẽ ſcirrhum, aut qualemcunq; ſolutionem continui, ſive in hepatis membrana, ſive in omento, vel venis meſaraicis conſiſtat, aut ſi propter abſceſſum ubicunq; latentem aut ex culpa ventriculi, lienis renum, D

inteſt-

inteſtinorum, pulmonum, per conſenſum aſcites natus fuerit, ut de aliis cauſis taceam. Renaſcetur enim facilè & brevi, etiamſi ſemel exhauſta ſit peritonæi ſentina. Quis autem nos erudiet, ex qua potiſſimum ſcaturigine, abdominis iſta moles aquoſa accreverit, cum rariſſime à principio vocetur Medicus, & cauſas vix ipſe inveſtigare poſſit præſens, hinc rarò precuratur hydrops, nec niſi fortuito ab ipſo Paracelſo percuratum iudico.

Et ut de utilitate fiducia ſit, et de cauſa conſtet, an tamē tutò fieri poſſit valdè dubitē, licet quam maximè in pedes conſiſtere æger poſ-
A ſit. Remedii enim crudelitas metū incutit. Metus vehementer animi vires proſternit, ſpiritusq; vitales ſuffocat, etiam antequam chirurgus manus admoliatur ſicut adoleſcentē nobilem Gallum, qui alioquin ſatis cordatus videbatur, in ipſa actione, præſente D. Eraſto hic ante annos XIII. intermorientē vidi. Adeò præceps eſt & fallax virium lapſus in hydrope. Quin & anaſarca affectū iuvenem ſpecie firmū Lemgovii novi, qui per plateas ingredi, & domum meam, conſilii cauſa, pervenire poterat: tamen priusquā præſcriptis à me medicamentis uti inciperet, intra biduū vel circiter, exſpiraſſe. et quod ad aquæ aſciticæ colluviē attinet, valdè mirandū eſt, eius (quæ tamen to-
B to genere præter naturā eſt, & corpori gravis) pluſcula emiſſione, adeò vires præcipitari, & quaſi ſpiritus una evacuari, cū ſectione venæ, ſanguis ipſe ſæpè ad libram unam, & eò amplius, imò ad libras multas, in abortu, puerperio, vomitu & deiectione ſanguinis, vulnere, abſq; magno, aut ſaltem non tanto periculo, profundi videatur.

Theſ. 41. Sub finem, quicunq; empyici &c. (curavi hîc cū adhuc vivo electore Friderico in aula Medicinā facerem, anno 1576. Curavi inquam per Dei gratiam empyicū quendā, qui per ſeſquiannum ex vulnere adverſo in thoracē inter 6 & 7 coſtā, infra mamillam ſiniſtram inflicto, ſuppuratus, & penè totus abſumptus fuerat, ut præ-
C ter cutem, quod oſſa tegeret, nihil ſuper eſſet, cui ut cōmodius mali ſentinā educerem, in latere eodē, inter X & XI. coſtā nothā, lato ſcalpello ſectione facta, tridui ſpatio vniuersā putridiſſimi craſſiſſimiq; puris cloacam exhauſi: ſingulis tamē dieb. quantitatē non minorem quā libram Romanā una vice, ſine ullâ viriū iacturâ educebam, mirū in hydrope tantū tutò non licere. Superſtes adhuc ille eſt anno 1610 robuſtus militū ductor ſeptuagenario proximus.

DE TYMPANITE.

Theſ. 1. lin. 2. Cum flatib. totum abdomen diſtenditur) Ego hydropē huiuſmodi verè ſiccū Antuerpiæ anno 1563. vidi in puerpe-
D rā quadā mercatoris ancilla, quæ durāte puerperio ex animi ægritudine moriebatur, in cuius diſſecto corpore in peritonæo extra inteſtina ne guttulā quidem aquæ, nec flatus quicquā invenimus: verū univerſa inteſtinorū volumina, imò unà vētriculus ipſe, omnia flatū diſtenta, pellucida & tantū nō omnis excrem ēti vacua viſebantur.

Lin. 3. Eſt item, cum flatu totus corporis habitus diſtendi) Vidi talē

tympaniam univerſalem, aut potius ſarciten flatuoſum, (ſed non ex crudis humorib. per corporis habitum ſparſis, qui in flatus vertũtur) in iuvene quodam robuſtiſſimo Leodienſi, anno 1579. qui ex conflictu, ſubter axilla dextra, ad inſertionem muſculi brachium adducẽtis, uulnus acceperat, quod punctim factũ inter 3 & 4. coſtam in pectoris cavitatem usque penetrarat. Poſtridiè vulneris accepti, toto corpore (poſt unicam noctem) mane turgidus apparebat, non ſolum pectore, ſed & dorſo, ventre, lumbis, imò & ſcroto quoq; , præterea & brachiis, humeris, collo, vultuq; , ut ne palpebras quidẽ diducere poſſet: quin etiam & vertice ipſo, cute ubiq; diſtenta, & tumefacta. Tumor erat tenſus, & cum dolore non parvo, diſtenſis nimirum nervorum fibris, quæ cutem muſculis alligant, & ſenſum ſuppeditant. Huius inſolentis, monſtroſiq; & ſubitanei affectus cauſam deprehendi, ſufflationem pectoris, per vulnus axillare obligatũ, ſubter cute continuò tota illa nocte factam (quomodo veſicam recentem & flaccidam inſerto calamo à pueris inflari videmus) intra verò paucos dies totus ille univerſi corporis tumor evaneſcebat, linimentis diſcutientibus corpori inunctis. A

Theſ. 6. lin. 8. Lien eſt crudi humoris receptaculum) Fortè pro crudi, craſſi dicere volebas. per crudum enim humorem, ut ſcis, pituitoſum intelligunt Medici, ſicut & vos theſi 7. de anaſarca. At non pituitoſi, ſed melancholici humoris, ut ſcis, receptaculum eſt lien. B

Theſ. 7. lin. 1. Quod fiat à calido circa viſcera iintenſiore & potiſſimum hepatis) Nec rationi, nec theſ: veſtræ tertiæ conſentaneum videtur, ut à calido circa viſcera intenſiore flatum oriri arbitremur. Intenſior enim calor, flatum non ſolum oriri prohibet, ſed etiam natum diſſipat. Præterea licet non ventriculo, ſed hepati calorem hunc intenſiorem adſcribamus: videretur ventriculus frigidior, ab hepate calidiore ſibi incumbente, velut à fomento quodam roborari debere, quomodo catellis, manibus, infantibus, aut ſimili fotu impoſito, frigidiores ventriculos calefieri, moris eſt, C & cur non tantundem beneficii frigidulo ventriculo hepar intenſius calidum præſtaret: cum hepar & cor longius inter ſe diſtantia, mutuum ſibi officium conferre teſtetur Galenus cap. 41. artis parvæ, his verbis: Nam quæ ex corde caliditas originem habet;
„ poteſt obtundere eam, quæ ab hepate naſcitur, frigiditatem: ſicut
„ & frigiditas caliditatem. Non diſſimile capit. 37. 38. 40. 42. & alibi
„ hanc paſſim particulam adjiciens; niſi cor obſtiterit.

Theſ. 8. lin. 2. Suppeditante ventriculo materiem) Videtur talis temperamenti inæqualitas, in qua ventriculus frigidior, hepar calidius exiſtit, in hepatis obſtructiones continuatas & pertinaces, inde in ſcirrhos & aſciten potius, quam in tympaniam eſſe proclivis. D Nam intenſior calor pituitam viſcidam reddit, incraſſat, adurit, in gypſum convertit. Remiſſior autem caliditas, flatus gignit, teſte Gal. 3. de cauſ ſympt. cap. 2.

Theſ.

Theſ. 9. lin. 2. A calore genitus) adde imbecilliore; nam ut loco jam citato inquit Gal. perinde in animalibus, neque in caloris ſumma imbecillitate; nec cum idem eſt nimis vehemens; ſed in iis, qui inter hos ſunt, ſtatibus, flatuoſum excrementum gignitur.

THESES

A DE HUMORIBUS CORPORIS HUMANI:

AD QUAS

Præſide Clariſſimo viro

DN. D. HENRICO SMETIO, PROFESſeſſore Medicinæ in celeberrima Heidelbergenſi Academia ordinario, σὺν θεῷ reſpondebit

B

M. PETRUS FOSBERGIUS STETINENSIS POMERAN.

Die Aprilis 16. hora ſeptima in auditorio Medico.

HEIDELBERGÆ

cIↄ Iↄ LXXXVI.

I.

C TRIA ſunt in univerſum, ex quibus corpus humanum eſt conſtitutum, continentia nimirum, contenta, & impellentia. Vocat autem ea Hippocrates lib. 6. epidem. part. 8. Aphor. 9. τὰ ἴσχοντα, τὰ ἐνισχόμενα, καὶ τὰ ὁρμῶντα. Per continentia partes ſolidas intelligens, vel ſimplices, qualis vena, arteria, nervi, membrana, oſſa, cutis, caro, &c vel compoſitas, ut iecur, cor, cerebrum, lien, ventriculus, veſica, &c. Quod nempè aliud quid in ſe contineāt. Per contenta autem humores, eò quod cum liquidi ſint, à ſolidis contineantur. Per impellentia verò ſpiritus indicat, ut qui partes ad actiones obeundas impellant: teſte Gal. lib. de tremore cap. 5.
D ex quibus continentia atq; impellentia miſſa facientes, de contentis, id eſt, de humoribus, hoc tempore duntaxat agemus.

II.

Vocatur autem humor, omnis ſubſtantia corporis noſtri liquida vel fluida: Quo in genere ſunt chylus, ſanguis, pituita, utraque bilis, ſudor, urina, mucus, ſputum, &c.

III.

Humorum alii ſunt ſupervacanei, alii alimentarii. Supervacanei excrementa dici poſſint. Quorum quædam ſunt utilia, quædam inutilia. Inutilia ſunt ſudor, mucus, ſputum, menſes, aurium & cutis ſordes, lotium, alvi fæces, &c.

IV.

Excrementa utilia duplicia exiſtunt, quædam enim ſuo corpori commodant, quædam alieno: Corpori ſuo utilia ſunt, felleus humor in veſicula jecori ſubſtrata collectus: Melancholicus ſuccus in ſplenem congeſtus, de quorum utilitate infrà ſuo loco dicemus. A
Alieno corpori ſerviunt lac & ſemen: hoc quidem fœtus generationi, illud ejuſdem, poſtquam natus eſt, nutritione.

V.

Humores alimentarii nominantur, quod alendo corpori faciant: Horum alius chylus, alius chymus medicis appellatur. Chylus quidem eſt humor ille, qui ex ciborum potuſque ingeſtorum concoctione, ventriculi virtute generatur, Latinè cremor dici poſſet. Chymus verò eſt, qui ex chylo, jecinoris beneficio in ſanguinis formam converſo, gignitur: ſanguis vulgo, ſuccus vocabulo generaliori, quibusdam vocatur. B

VI.

Succorum alii ſunt primarii, alii ſecundarii.

VII.

Primarii ſunt quatuor: ſanguis, bilis, melancholia & pituita.

VIII.

Sanguis bifariam accipi videtur: modò impropriè, modo propriè. Impropriè quidem, potentia in ſe quatuor ſuccos continet. Quamvis tamen, qui ſecta vena effluxit, ubi refrixerit, vel denſatus fuerit, non obſcurè quatuor diverſos ſuccos diligentius conſideranti, repræſentare ſoleat. C

IX.

Alia enim ſanguinis emiſſi pars ſubſtantia tenuior ſplendidè rubens vel flaveſcens apparet, quæ bilis: alia verò craſſior, & nigricans, quæ melancholia dicitur. Sicut rurſus quæ lenta & albicans portio eſt, pituitæ appellationem obtinet. Quæcunque autem ſubſtantia mediocri, & colore obſcurè rubenti ſpectatur, ſanguinis nomen meretur.

X.

Si cui fortè mirum videatur, in ſanguine impropriè dicto tam diverſas partes contineri: is mirari deſinet, ubi muſti naturam examinarit. In quo ſicut partes quaſdam tenues, acres, aërias, calidas D
reperiet quæ dum fervet, nares feriant, ſurſum exhalent, & bullas excitent: Ita vice verſa aliæ craſſæ, auſteræ, terreſtres, frigidæ ſeſe offerunt, quæ in imum deſcendunt. Has fæcem, illas florem vini vocabant. Præter has ambas eſt ipſa vini ſubſtantia. Cui etiam defæcato immiſtæ diu inhærent partes aliæ liquidæ, inſipidæ, aqueæ, humidæ,

midæ, velut adhuc crudæ, quæ temporis ſucceſſu, virtute vini percoquuntur, & in ipſum transmutantur; quibus concoctis vina meraciora, adeoque mitiora evadere ſentimus. Interea tamen iſta, tot tamque diverſarum partium miſcella, vinum aut muſtum appellatur. Similem rationem in olivo recenter expreſſo; adeoque in cereviſia recenti, obſervare licet.

XI.

Sanguis verò propriè dictus, eſt ſuccorum quos epar elaboravit optimus, temperamento calidus atque humidus, aut ſi mavis, temperatus; ſubſtantia mediocris; colore rubicundus; elemento aëris
A reſpondens; qui in ætate creſcente, tempore vernali; temperatura corporis, conſtitutione cœli & regione temperatis; alimento boni ſucci, calido & humido, exercitio moderatò plurimus generatur. Sapore dulcis, cordi, jecinori, renibus, muſculis univerſi corporis, totique carnoſæ ſubſtantiæ alendis neceſſarius atque aptiſſimus; humidum nativum continuo nutrimento inſtaurat, calorem innatum fovet vim concoctricem partium adauget; muſculoſos homines, robuſtos, benè habitos, ſubpingues, venuſtos, colore florido præditos exhibet. Corpora fœtidis excrementis abundantia, & putre-
B dini obnoxia facit. Præterea ingenioſos, confidentes, temerarios, imprudentes, ſemifatuos, negligentes, ſimplices, faciles, credulos, placabiles, candidos, humanos, hilares, voluptuarios, longævos reddit.

XII.

Bilis duplex eſt, una alimentaria, altera ſupervacanea. Alimentaria bilis ſuccus eſt tenuiſſimus colore rutilus vel cum ſplendore rubens, temperamento calidus atque ſiccus, elemento ignis affinis, qui in ætate juvenili & cōſiſtente, tempore æſtivo, temperatura corporis, conſtitutione cæli, atq; regione calidis & ſiccis ſimiliq; nutrimento, atq; exercitio valido & frequēti plurimus generatur. Sapore
C ſubacris vel ſubamareſcens, pulmonib. alendis utilis. Sanguini arteriali, ſpiritibusq; gignendis neceſſarius. Reliquis a. ſuccis, qui intra venas ſunt craſſiuſculi, ut facilius per exiguos ductus in habitum corporis provehantur, commodus exiſtit; facultatem partium attractricem juvat, expulſoriam roborat. Efficit homines graciles, agiles, ex rubro pallentes, perſpirabili, ſicco, ſanoque corpore præditos; acri celerique ingenio valentes, ſolertes, ſapientes, callidos, circumſpectos, vigiles, laborum, negotiorumq; amantes, iracundos, audaces, inconſtantes.

XIII.

D Bilis ſupervacanea duplicis eſt differentiæ: una quidem naturalis, altera præter naturam. Naturalis eſt excrementitius ille humor amarus & acris, qui in veſiculam jecori ſubſtratam (inde χοληδόχον dictam) deponitur: unde proprio meatu, ad jejuni inteſtini initium illabens, exonerandæ alvo ſtimulum addit, lentam inteſtinorum pituitam, magni ſubinde mali cauſam deterget, alviq; fæces tingit.

XIV.

Eſtquè hæc naturalis, vel flava vel pallida. Flava ſubſtantiâ atq; colore mediocris exiſtit. Pallida verò magis eſt, quam illa tenuis & propter ſeroſi humoris admixtionem colore dilutior. Utraque tamen imperio naturæ obtemperans.

XV.

Gignitur nonnunquam & bilis excrementitia præter naturam, & quidem genere quintuplex. Quarum una λεκιθώδης, à ſimilitudine dicitur, quod vitelli crudi ſubſtantiam craſſiorē & colorem igneum repræſentet. Altera πρασώδης, à colore porri nominata. Tertia ἰώδης, quod cum ærugine ſimilitudinem habeat. Quarta ἰσατώδης, glaucum glaſti virorem referens, qui quam braſſica, magis fuſcus. Quinta κυανῆ cæruleo colore infecta. Quæ omnes ex flava bile naturali; vehementia caloris primum in vitellinam, deinde in porraceam, cæteraſq; ſpecies, prout magis minusque aſſatur, transmutata, originem ducunt; & in jecore plerumque atque venis genitæ, id que per morbos graves; putà febres ardentes, aut vehementiſſima exercitia, frequentem iracundiam, famem, ſitim, æſtumque, quæ immoderato calore bilem flavam aduſſerunt, & in pernicioſa hæc genera perverterunt. A B

XVI.

Solent nihilominus & harum pleræque, putà porracea, æruginoſa, glaſtea, cærulea, non rarò ab eſculentis vitioſis (qualia ſunt, allia, porrum, cepa, naſturtium, ſinapi, eruca, & his ſimilia, acria, concoctu difficilia, maximè verò eorundem folia) & quidem in ventriculo generari. Dum enim à ventriculo in chylum verti nequeunt, colorem ſuum retinentia, primum porraceam, ex qua diutius hærente, æruginoſam, caloris vi producunt. Ex hac deinde in glaſteam; porroque in cæruleam transmutantur, quæ licet quam priores minus virides, eo tamen deteriores exiſtunt, quo nigredini fiunt viciniores. C

XVII.

Quin etiam melancholia in duplici eſt differentia, alimentaria nimirum & ſupervacanea; quam modò melancholicum ſuccum, modò ſanguinem melancholicum, modò humorem atrum, non autem atram bilem, medicorum præcipui appellare videntur. Eſt autem alimentaria melancholia, craſſior ille fæculentior & ſubnigricans ſuccus, temperamento frigidus & ſiccus, Elemento terræ affinis, qui ætate decreſcente, tempore autumnali, conſtitutione cæli, temperatura corporis, atque regione frigidis & ſiccis, ſimiliq; nutrimento, laboribus duris, & aſſiduis curis, multus procreatur. Saporem imitatur ſubacerbum, pilis, unguibus, oſſibus cæteriſque craſſioris duræ terrenæque ſubſtantiæ partibus, ipſique ſpleni nutriendis ſervit. Calidioribus ſuccis, adeoque illis, qui conſiſtentiæ tenuioris ſunt, & plus ſatis fluidæ, freno eſt, & ſtabilimento. Facultatem D

membro-

membrorum retentricem roborat. Homines gignit macilentos, colore ſubfuſcos, habitu duriuſculo, ingenio tardo præditos, meticuloſos, ſolicitos, ſuſpicioſos, triſtes, diffidentes, ſolitarios, cunctabundos, ſerios, graves, prudentes, aſſiduos, conſtantes, memores, invidos, fraudulentos, moroſos, difficiles, pertinaces, parcos, avaros, brevi tamen vita fruentes.

XVIII.

Supervacanea Melancholia bifariam quoque diſtribuitur, in naturalem, & illam, quæ eſt præter naturam.

A Naturalis eſt excrementitius ille humor, acerbus & ſubacidus, quem ſplen, ut ſanguinem defecet, ex hepate per multiplices venarum diviſiones prolectat, & in ſe recondit; ut ſibi nutrimento fiat, atque ventriculo non inutilis, quem qualitate ſua acerba (circa ſtomachum infuſus) aſtringit, actionemque ejus firmiorem reddit; imò, ut quidam volunt, ciborum appetentiam exacuit.

XIX.

Excrementitia præter naturam Melancholia, quam atram bilem peculiari vocabulo, & plerunq; nominaſſe Medici videntur, ſecundum Græcos gemina eſt: Una ex ſucco melancholico, vel per putre-

B dinem, vel per caloris vehementiam in cinerem converſo, generatur. Hæc calida, acris, mordaxque propter aduſtionem exiſtit; tantumq; ab excrementitia naturali diſſidet, quantum fæx uſta, ab illa quæ nondum uſta eſt. Quod autem de cinere dicitur, nequaquam eſt illi, qui ex ligno aduſto relinquitur, conferendus. Humores enim ſuo liquore omnino privari, quam diu in corpore ſunt, nequeunt. Sed ea voce ſumma humorum ſiccitas ſignificatur, quantam ardoris violentia in homine conſequi poſſunt.

XX.

Altera præter naturam ſpecies, ex ea fit bile, quam vitellinam

C vocari diximus. Uſtione enim hæc primum in porraceam, deinde in æruginoſam, poſtea in glaſteam vel cæruleam, poſtremò verò in atram bilem propriè dictam, omnium pernicioſiſſimam degenerat. Hæc priori tantò eſt deterior, quantò bilis eſt melancholia acrior. Hæc illa eſt, quæ in terram lapſa fermenti in morem, & quaſi æſtu quodam efferveſcens illam attollit, bullaſque, quales ferventibus juſculis exoriuntur, excitat, quæ craſſitie ſua acri partem, cui inhæreſcit, erodit, quæq; in pernitiem ſemper excernitur. Quanquam eorundem malorum & prior quodammodo particeps exiſtat.

XXI.

D Addunt Arabes tertiam quandam atræ bilis ſpeciem, quam ex pituita ſalſa, eo quod caloris vehementioris non parum habeat, procedere volunt; quæ, ſi multum torreatur, acrem atramque bilem progignere poſſit.

XXII.

Recenſitis hactenus tribus ſuccis ſuperioribus, ſupereſt quartus

quem pituitam dicunt. Eſtque velut crudior totius miſcellæ pars, unde & ſanguis ex dimidio elaboratus appellari ſolet. Differentiæ quoque eſt bipartitæ, alimentaria hæc, illa excrementitia.

XXIII.

Pituita alimentaria, eſt ſuccus alendo corpori idoneus, ſubſtantia liquidus, lentus, colore albicans, temperamento frigidus atque humidus, elemento aquæ reſpondens, tempore hyberno, temperatura corporis, regione cœlique conſtitutione frigidis, pariter atque humidis, victuque conſimili, à ſexu muliebri viriſque effæminatis, adeoq; corporibus in otio multo viventibus, aut alioquin ſedentariã vitam agentibus: quemadmodum etiam ætate puerili & decrepita; in hac quidem non ratione temperamenti (quod gravi ſenectæ frigidum eſt & ſiccum) ſed potius ob caloris nativi debilitatem: puerili autem propter voracitatem plurimus procreatur. Guſtu eſt pituita inſipida, vel leniter dulceſcens. In hepate, ſicut aliæ ſanguineæ maſſæ ſucci, generatur (rudimentum prius in ventriculo nacta) unde in venas cum reliquis defertur, ut frigidas humidasque corporis partes, quales adeps, ſevum, oſſium ſpinæque medulla, cerebrum & ſimiles, nutriat. Nec abſurda fortaſſis illorum opinio fuerit; qui cutem, membranas, fibras, nervos, venas, arterias, tendines, cartilagines, ligamenta; item ventriculũ, inteſtina, uterum, veſicam utramq; ab iſto humore frigido humido lentoque, ſed pro neceſſitate cujusq; magis minusve excocto, alimentum depoſcere, arbitrantur. Sunt enim partes ſubſtantia lentæ, quæ extendi poſſunt, & frigidæ. Utilis eſt etiam pituita, ut lentore, atq; humiditate ſua, linguæ articulorumq; omniũ motus expeditiores exhibeat, & ne labore ſiceſcant, atterantur, aut citò defatigentur, præcaveat. Deinde ſi quando ſanguinis aliqua fiat penuria; ut in illum concoctione convertatur, & hoc modo aliisquoq; membris in alimentum cedat. Ut autem planè in ſanguinis formam tranſeat, non eſt neceſſe, ut in jecur redeat. Verum ad iſtam transmutationem ipſæ venæ caloris viriumq; ſatis obtinent. His omnibus accedit alia pituitæ utilitas, quod fervorem bilis ejusq; ſiccitatem temperet, & ſitim ſoletur. Quin etiam ut inediam diutius ferre poſſimus, præſtat. Corpora reddit alba, ſucculenta, mollia, obeſa, ſegnia, ante annos caneſcentia, otii, quietis, ſomniq; amantiſſima, mores ſedatos, ingenium hebes, ſtupidum, obliviofum, negligens, fatuum, ad actiones obeundas ineptum.

XXIV.

Excrementitia pituita in duo genera dividitur: in naturalem, & quæ eſt præter naturam.

XXV.

Naturalis excrementitiæ ſpecies ſunt duæ: quarum una eſt tenuis & aquea, qualem plerunque ore expuimus, & frequenter aquæ in modum naribus deſtillare videmus, aut à capite in ſubjectas partes per cæca foramina defluere, cum ſummo ſæpiſſimè incom-

incommodo percipimus. Cujus multum per ſudores, plurimum per urinas, velut ſanguinis colatura, aut ſerum jam modica bile infectum, poſtquam alimenti per omnes venas vehiculum fuit, excernitur. Quanquam non omninò hallucinati fortaſſis videri poſſint illi, qui id quod urinam appellamus, primæ quæ in ventriculo fit concoctionis potius, quam poſteriorum quæ vel in jecore, vel in habitu corporis fiunt, alterum, nempe tenuius, excrementum eſſe judicant. Abripi tamen in hepar atque venas, ut craſſiuſculæ ſuccorum miſcellæ vehiculo exiſtat, quo munere perfunctum, à vaſis emulgenti-
A bus in renes, inde per ureterũ tubulos in veſicam ablegatur. Abſurdum enim videri, concoctionis primæ unicum modò excrementũ, idque craſſum in alvum deponendum: Alterius verò tria fore, unum craſſiuſculum, melancholicum videlicet, in ſplenem trahendum, & duo tenuia, hoc felleum, illud urinarium.

XXVI.

Altera eſt muco affinis, quæ caloris beneficio ex tenui illa & aquea, in conſiſtentiam mucoſam (quia aliquid lentoris habebat) craſſeſcit. Tali videmus in diſſectionibus ventriculum atque inteſtina intus oblita. Quidam tamen pituitam ventriculo & inteſtinis ob-
B hærentem, ſubſtantiæ ipſorum excrementum eſſe exiſtimant. Has ambas natura ſubjectas legibus ſuis continet. Aqueam enim coquere & incraſſare, ſi opus ſit, poteſt, aliiſque uſibus, quos diximus commodam habet. Mucoſa, gulam ventriculum atque inteſtina inteſtina intus obtinens, tanquam tectorio munit, quo rerum acrium ſumptione minus lædantur.

XXVII.

Excrementitia præter naturam pituita quadripartita eſt, acida (videlicet ſalſa, vitrea & gypſea. Omnes n nulli uſui eſſe poſſunt, naturæ imperium contemnunt, & plerunque diutius detentæ, morbos
C pariunt.

XXVIII.

Acida à ſaporis qualitate dicta, ex pituita alimentaria naſcitur, ob caloris debilitatem aceſcens, ſummamque cruditatem retinet, ut quæ præterquam à ventriculo, nullam alioquin, nec à jecore, nec à venis eſt conſecuta concoctionem. Hæc ructus acidos in ventriculo exiſtens, in venis verò & habitu corporis, rigores absque febre, ſæpè etiam flatus vagos excitat.

XXIX.

Salſa ex dulci gignitur vel per putredinem; vel per ſeroſæ humiditatis permixtionem; vel rurſus propter terreſtres partes, adu-
D ſtas, acres, amaraſque, pituita naturali admiſtas. Hæc eſt pruritus, ſcabiei, impetiginis & pſoræ mater. Ex hac Arabes tertiam atræ bilis ſpeciem conſtituunt, de qua ſupra dictum eſt.

XXX.

Vitrea quod vitro liquato, & colore & ſubſtantia, ſimilis exiſtat, à Praxagora humor vitreus vocabatur. Ex acida viſcoſa naſcitur, cum calore partis, in qua continetur, tantam craſſitiem adepta eſt, ut

illi facilè adhæreſcere poſſit. Hæc valdè frigida eſt, locisque incluſa acerbiſſimorum dolorum, quales ſæpè in colo accidere videmus, origo.

XXXI.

Gypſea à ſimilitudine, quam propter colorem albicantem & ſubſtantiæ denſitatem cum gypſo habet, nomen acquiſivit. Hæc ex mucoſa aut vitrea genus ducens, caloris vi ſenſim ſicceſcit, adeoque ſæpè indureſcit, ut à gypſi ſoliditate non diſtet. Hanc multorum dentibus, ex lotionis negligentia, fœdam ſcabritiem adferre, & agglutinatam cœmenti in modum lapideſcere, obſervamus. Ex hac tophacei tumores, quibus arthriticorum nodoſi digiti ſæpè rigeſcunt. Ex hac arenulæ & calculi in renibus. Ex hac lapides magni duriſſimiq; in veſica concreſcunt. Hinc lapides ſubinde & in colo inteſtino naſcuntur; tophacei lapilli pulmonum bronchiis aliquando increſcũt. Imò in cyſti fellis ternos lupinis majores, virides in una anatome Bononiæ anno 1560 vidi; dicam amplius, pituitæ gypſeæ fruſtrum, tubuli forma, intus cavum, durum, firmum, pedis longitudine à legato quodam Caroli Quinti Imperatoris colicis cruciatibus multos annos divexato, clyſterum beneficio excretum, Fernel. lib. 6. pathol. cap. 9. teſtatur. A B

XXXII.

Primariis hactenus ſuccis per genera atque ſpecies examinatis: ratio poſtulat, ut de ſecundariis etiam nonnihil dicamus.

XXXIII.

Secundarii autem vocantur, ea de cauſa, quod in nutritione corporis à primariis mox iſti, velut ſecundi, ſubſequantur. Avicennæ inventum eſſe videntur, de quibus lib 1. fen. 1. doct. 4. cap. 1. Et rurſus doctrina 6. cap, 7. Statuuntur autem quatuor.

XXXIV.

Primus eſt illa miſcellæ alimentariæ pars, quæ ex majoribus univerſi corporis vaſis in exilia ſingularum particularum vaſcula, venulas nempe & arteriolas, progreſſa, ejusdem partis qualitate & proprietate perfunditur, ejusque naturam aſſumit, cui alimento futura eſt, neque ullum nomen invenit. C

XXXV.

Alter eſt, quando iſta vaſculis exilibus particularum contenta ſucci portio, per eorundem oſcula cæcaque foramina, undiquaque roris modo, in partis ſubſtantiam, ut eam humectet, influit, ab eaque imbibitur, quo tempore vera fit illius ſucci appoſitio. Quapropter roris appellatione donatur, quanquam non ut ros aquæ ſimilis, ſed ſuperiore ſucco etiam paulò craſſior exiſtat. D

XXXVI.

Tertius eſt, qui jam, poſteaquam appoſitus eſt, concoctione partis craſſeſcit, & incraſſatus eidem agglutinatur, qui partis quidem tempe-

temperamentum, nondum tamen perfectam ejusdem ſubſtantiam attigit, & gluten appellatur.

XXXVII.

Quartus autem, qui jam naturæ vi ita mutationem ſubivit, ut parti perfectè, atque omninò aſſimiletur, veraque nutritione, partis ſubſtantia fiat carnoſa, quod cambium Arabi nominatur.

XXXVIII.

A Videtur autem Avicenna hos ſuos humores ſecundarios collegiſſe ex Gal lib. 7. cap. 6. Method. med. ubi de curatione ſiccæ intemperiei agens, quatuor ſiccitatis gradus ſtatuit.

XXXIX.

Primus eſt, cum præ ſanguinis penuria, humiditas, quæ in propriis particulæ cujusque exilibus arteriis venisque conſiſtit, deficit.

XL.

Secundus verò, cum propria partium, qua aluntur, humiditas, omninò abſumpta eſt. Continetur illa autem in omnibus animalis
B partibus, ceu ros quidam per eas ſparſus.

XLI.

Tertius ſtatuitur ſiccitatis gradus, cum ea liquata ſunt, quorum ſubſtantia ex humore concreto conſtat, quales ſunt caro & adeps.

XLII.

Quartus eſt, ubi ſolida partium ſubſtantia facta eſt aridior. Eſt autem iſta ſiccitas conſummata, adeoque prorſus inſanabilis.

C

THESES

THESES
de
HVMORVM NECESSITATE, ET PROXIMIS HVMANI corporis principiis

Ad quas A

PRÆSIDE CLARISSIMO VIRO
Dn. D. HENRICO SMETIO MEDICINÆ PROFESSORE

Reſpondere conabitur

ENOCUS SARACENUS GENEVENSIS.

Die Martij 27. hora locoq́; conſuetis. An. 1587. B

HEIDELBERGÆ.

THESIS I.

NUPER de humoribus per genera, & ſpecies inter ſe diſtinctis, deque eorundem officiis diſputavimus: Nunc verò quantopere non ſolùm alimentarii, ſed etiam excrementitii humores ad ſanitatem ſint neceſſarii, & quòd non alia, quicquid novatores quidam dicant, noſtri corporis Elementa, aut principia proxima, quam humores alimentarii exiſtant, ut rationibus ex Hippocratica doctrina petitis, demonſtremus, res poſtulare videtur. C

II.

A cognatione humorum.

Quæcunque nobis congenita ſunt, eadem nobis etiam ſunt neceſſaria. Humores alimentarii ſunt nobis congeniti.

Ideoque & neceſſarii.

Major propoſitio eſt vera, ſi ſanè intelligatur de natura in operibus ſuis non aberrante. Nam ſi quod monſtrum biceps, bicorpor, ſenis digitis, aut gemino ſexu naſcatur; talia errore naturæ, licet rariſſimè, eveniunt. Alioquin ne minima quidem in corpore eſt particula, qua ſine incommodo carere poſſimus. Minor eo confirmatur, quod ſicut humores excrementitii naturales ex alimentariis; ita alimentarii ex ſanguine materno, quo fœtus in utero alitur, & augetur, progignuntur. D

Quia

III.

Quia nullo humorum carere poſſumus.

Quorum nullo ſanus carere poteſt, eadem illi ſunt neceſſaria.
Nullo quatuor humorum alimẽtariorum ſanus carere poteſt.
Quamobrem iidem ſano neceſſarii exiſtunt.

Major eſt manifeſta. Minor hinc probatur: puta, ſi fingamus tres tantum eſſe in maſſa ſanguinea partes. Unamque, verbi gratia, terreſtrem, craſſam, & melancholicam portionem deeſſe: tali caſu A primum lien nutrimento idoneo carebit. Oſſa, dentes, ungues, pili, nec firmari, nec procreſcere poterunt. Reliqua humorum miſcella ſtabilimento deſtituetur, & nimis fluida evadet. Bilis tenuitas fræno privabitur, maſſa humorum accendetur, propter bilis & ſanguinis calorem conjunctum, & ſolius pituitæ frigiditati longè prævalẽtem. Quamobrem corruptio reliquos tres humores invadet; ſanitas evertetur, imò tota hominis natura interibit.

Demus pituitam alimentariam deſiderari: mox cerebro nervoſis & membranoſis partibus deerit alimentum: Artuum mobilitas obrigeſcet, præ ſiccitate; perpetua ſiti os vexabitur: Deerit ſan-B guini proximum nutrimentum; nimis ſicca reddetur humorum maſſa: Incaleſcet ſupra modum, una cum bile ſanguis, non ſatis melancholici humoris frigiditate refrænatus. Quapropter ſiccitate, atque febri homo contabeſcet.

Ponamus bilem alimentariam è medio ſublatam: pulmones alimento privabuntur; ſanguis arterialis nullus generabitur. Spiritus vel nulli vel omnino parciſſimi gignentur. Reliqui ſucci, qui intra venas ſunt, craſſiores pigrioresque fient, quam ut expeditè per exiguos ductus in habitum corporis provehi poſſint, bilis tenuitate deſtituti: ideoque obſtructiones facillimè naſcentur. Sicut etiam C putredinis periculo iidem perpetuò obnoxii manerent, niſi bilis ſiccitate ſubamara veluti ſale quodam præſervarentur.

Sed fortaſſis pituitæ excrementitiæ facilis jactura fuerit. Iſta ſi deſit: œſophagus, ventriculusque acrium rerum uſum ferre nequibunt. Inteſtina quotidiana bilis infuſione vellicata, diarrhœam, imò dyſenteriam exulceratione illata patientur. Ventriculus pituita orbatus, nec ſitim nec famem diu tolerare poterit. Idem de reliquis tam alimentariis, quam excrementitiis naturalibus eſt judicium.

IV.

D *A mutua humorum ſuſtentatione.*

Quæcunque ſe mutuò ſuſtentant, eadem ſibi mutuò continuo adeſſe debent.

Humores alimentarii ſe mutuò ſuſtentant.

Proinde iidem ſibi mutuò ſemper adeſſe debent.

Major declaratur exemplo quatuor Elementorum; itemque animæ

animæ & corporis; nec non partium ſtructuræ ad conſervationem totius, nempe mundi, hominis, & ædificii.

Minor licet ex tertia theſi utcunque intelligi poſſit, perſpicuitatis tamen majoris gratia aliquid addendum fuit. Nam pituitam bilis, bilem pituita, ſanguinem melancholicus ſuccus; & viciſſim iſtum ſanguis naturali quadam contrarietate in officio retinet, adeò ut ſi pituita deficeret; bilis ſanè nimis efferveſceret, æſtuque febrili abſumeretur univerſum corpus. Abſente contrà bile, prævaleret pituita; œdemate adeoque aqua intercute turgeſceret totum corpus; nimiaque aquoſitate nativus calor ſuffocaretur; frequentiſſimæ A putredines naſcerentur. Bilis enim, ut ante diximus, eſt velut ſal humorum præſertim frigidorum.

Si melancholia deſit; reliqui humores nimis humidi & fluxiles, corruptuque faciles reddentur: Si ſanguis tollatur, reliqua maſſa nimis ſicceſcet; & frigidior, quàm par ſit, fiet; nilque commodè nutrietur, calor nativus flacceſcet alimento ejus ſubtracto; & muſculis nutritio ſua deerit. Præterea ex pituita facilè generatur ſanguis; ex ſanguine bilis; ex bile melancholicus humor Accedit & huc, quod ſicut pituita excrementitia, craſſo lentore inteſtina à bilis flavæ injuriis, munita defendit: ita vice verſa craſſam pituitæ illuviem B bilis ab inteſtinis eluit & abſtergit.

V.

A perpetua humorum præſentia.

Quæcumque in omni homine, ætate, & ſexu ſemper adſunt, eadem ipſis ſunt neceſſaria.

Quatuor humores alimentarii in omni homine, ætate & ſexu ſemper adſunt.

Quocirca iidem & neceſſarii exiſtunt.

Majori non eſt opus probatione.

Minor fit manifeſta, quod tam in puero & adoleſcente, quam C juvene & ſene; tam in viro, quam fœmina, tam hyeme, & vere, quam æſtate, & autumno; tam in mortuis, quàm viventibus: quatuor humores alimentarii, ſanguis, bilis, pituita, & melancholia, imò & excrementitii naturales reperiantur. Teſtantur illud evacuationes, venæ ſectione, vomitu, dejectione, menſibus, ſcarificatu, hæmorrhoidibus, & ſimilibus factæ; quanquam modò magis, modò minus perſpicuè.

VI.

A diſtinctis humorum officiis. D

Quibus humoribus natura, ad diverſos uſus indiget, iidem ſunt neceſſarii.

Humoribus tam excrementitiis naturalibus, quam alimentariis natura ad diverſos uſus indiget.

Quò fit, ut iidem illi ſint neceſſarii.

Maiorem

Majorem nemo in dubium vocabit.

Minor hac ratione declaratur, quod non ſolum ad alia officia, ſicut ex ſupradictis liquet excrementitii: ad alia alimentarii à natura ſint deſtinati: verum etiam quod excrementitiorum àlius alio, adeoque alimentariorum alius alio munere in noſtri corporis œconomia defungatur. Nam alium ſui uſum excrementitia pituita, alium bilis flava, alium aquoſus, alium melancholicus humor præſtat. Rurſus aliud eſt alimentariæ pituitæ munus, aliud alimentariæ bilis, aliud ſucci melancholici, aliud denique ſanguinis officium: quemad-
A modum in theſibus noſtris de humoribus corporis humani fuſius eſt explicatum.

VII.

A variarum partium nutritione.

Quibus humoribus tot, tamq; variæ humani corporis partes aluntur, iidem ſunt neceſſarii.

Humoribus alimentariis tot, tamque variæ noſtri corporis partes aluntur.

Idcirco & neceſſarii ſunt tales.

Maior eſt rationi conſentanea. Nil enim eſt æque neceſſarium,
B quam nutrimentum, noſtræ fluxilis ſubſtantiæ conſervationi, conveniens.

Minorem confirmat fœtus adhuc in utero reconditus, cuius univerſa membra temperamento, ac ſpecie inter ſe diverſiſſima pili, ungues, oſſa, cartilago, membrana, arteria, vena, nervus, medulla, caro, cerebrum, pulmo, cor, hepar, ventriculus, & reliquæ tam ſimplices, quam compoſitæ partes, non aliunde, quàm ex ſanguine materno, qui humores quatuor alimentarios continet, per vaſa vmblicaria alimentum aſſumunt.

VIII.

C Hactenus humores corpori humano neceſſarios eſſe demonſtravimus. Reſtat ut non alia, præter humores eoſdem, noſtræ naturæ Elementa, aut principia proxima eſſe oſtendamus.

IX.

Vocamus autem Elementum, aut principium proximum, id ex quo res aliqua proximè, & immediatè orta eſt.

X.

A ſemine parentum.

Ex quali humorum maſſa ſemen parentum ortum eſt, ex tali & fœtum ortum duxiſſe oportet.

D Ex maſſa ſanguinea, id eſt, ex quatuor humoribus alimentariis ſemen parentum ortum eſt.

Ex tali igitur quatuor humorum maſſa, fœtus originem ducit.

Major eſt evidentiſſima.

Minorem Anatomica conſideratio declarat. Semen enim cauſa fœtus efficiens, & formatrix ex ſanguine, tum qui in vena cava, tũ

qui in arteria magna continetur, per gemina utrinq; in lumborum regione prodeuntia vaſa, & in varicoſum corpus unum iuxta teſtes ſingulos ambo coaleſcentia, naſcitur.

XI.

A Sanguine materno.

Ex quali miſcella nutrimentum fœtus, in utero deſumptum eſt: ex eadem & fœtum ipſum naſci convenit.

Ex humorum alimentariorum miſcella nutrimentum fœtus eſt deſumptum. A

Sequitur itaq; neceſſariò, & fœtum ex alimentariis ſuccis naſci oportere.

Maior non requirit confirmationem.

Minor quoq; obſervatione Anatomica illuſtratur. Non enim per os ſugendo, ut quidam veterū putarunt, aut per aliā viam alimentū in utero ſuſcipit fœtus, ſed per umbilicū ſolum: quod alimentū non eſt aliud quam quod ex venis, & arteriis materni corporis, & quidē elaborata ſuccorum pars, per uterum, longo meatui umbilici, & inde per venam quidem umbilicarem unam ſubſtantię, hepatis, qua ſinu B ad hoc facto, anteriori lobo diviſum eſt, infertur. Per arterias autem vmbilicares duas, iuxta veſicæ latera vtrinque in bifurcatos arteriæ magnę ramos, qui femora fœtus petunt, ingeritur. Non enim alimētum illud impura aliqua ſanguinis portio neq; id, quod mēſtruum in mulierculis appellatur, quia ſingulis Lunæ periodis evacuari ſoleat, quanquā nec id ipſum ſemper ita eſt fœdū, & venenatū, ut philoſophi quidam exiſtimarunt: verū (fæcunditatis muliebris, dum ordinarii ſunt, teſtes) ſola copia inutilis, & naturæ gravis eſt humor ille, quem menſes effundere conſueverunt. Cui ſi quid pravæ qualitatis adeſt, id ex vitio cacochymiæ totius maſſæ, ſicut non raro etiā venę ſectione apparet: aut quod venis excretum diutiuſculè calido C ſinu in hærendo, corruptionem induit.

XII.

A ſanitate & morbo.

Quibus corporis ſubſtantiis benè habentibus homo valet, aut male habentibus ægrotat, ex iiſdem corpus eius eſt conſtitutum.

At quatuor humoribus alimentariis benè habentibus valet, & malè habentibus ægrotat homo.

Quamobrem ex iiſdem quatuor alimentariis humoribus corpus hominis eſt conſtitutum. D

Maior eſt manifeſta: Nam tres ſunt in univerſum ſubſtantiæ, quibus homo, quoad corpus conſtat, putà partes ſolidæ, liquidæ, & ſpiritus, quæ Hipp. lib 6 Epidem. part. 8. Aph 9. τὰ ἴσχοντα, καὶ τὰ ἐνισχόμενα, καὶ τὰ ὁρμῶντα, quaſi dicas, continentia, contenta, & impellentia appellat. Sicut initio theſium de humoribus latius explicuimus; citra quorum trium affectionem homo affici nō poteſt:

teſt: Et quamvis partes ſolidæ, id eſt, ſimilares ex ſemine, liquidæ ex ſanguine materno, qui uteri venis, atque arteriis includitur: Spiritus verò partim ex ſemine, partim ex ſanguine materno, arteriis uteri contento originem trahat, nihilominus tamen omnia tria, tã ſemen parentum, quam ſanguis, & qui arteriis, & qui venis uteri comprehenditur, à maſſa ſanguinea quatuor humorum participe, ſunt profecta.

Minorem veram eſſe inde colliges, ſi partes ſolidas, Spiritusque & calorem nativum à quatuor humorum alimentariorum conditione dependere conſiderabis, hanc nimirum ob cauſam quod ipſorum detrimenta alimento, & quatuor humorum miſcella continuato reſarciuntur, & temperatura eorundem conſervatur, videlicet, ſi quatuor humores alimentarii debita, ac convenienti qualitatum commoderatione inter ſe probè permiſti fuerint, tunc partes ſolidæ, & calor nativus optimè ſe habebunt, ideoque proſpera valetudine homo perfruetur. Sin vel in quantitate, vel qualitate ſola, vel utroq; ſimul modo tota ſanguinis maſſa, modo aliquæ tantum eius partes peccaverint: vel ſi omnes eius partes non fuerint ubique ad amuſſim, exquiſiteque inter ſe mutuò commiſtæ; tunc vel afflicta vel everſa ſanitate, morbi pullulabunt.

A, B

THESES
DE
HUMORUM PUTREDINE:
Propoſitæ ad diſputandum à Clariſs. Viro;
DN. D. HENRICO SMETIO
C
Medicinæ in inclyta Heidelbergenſi Academia Profeſſore publico.

Quas pro virili publicè conabitur defendere
M. ISAACUS LAUNÆUS NEMAUSENSIS.
Die 23. Martii, hora & loco conſuetis.
Heidelbergæ, ANNO CIↃ IↃ LXXXVIII.

THESIS I.

D

DEmonſtravimus ſuperiori diſputatione noſtri corporis humores, non ſolum illos, qui alimentarii vocantur, ſed etiã eos qui excrementiorum nomen ſortiuntur, ad ſanitatem eſſe neceſſarios, nimirum quamdiu naturæ legibus continentur: verum cum in hac elementari rerum natura, nihil ſit ſtabile, quin corruptioni

4. Meteor. cap. 1. aliquando obnoxium fiat; ſolo igne excepto, teſte Ariſtotele, non eſt quod miretur quiſpiam!, ſi humores noſtro corpore contentos corrumpi poſſe, Medici ſtatuant.

II.

Ariſt. 4. Meteo. ca. 1. Gal. lib. 11. Meth. cap. 8. Appellatur autem huiuſmodi corruptio Ariſtoteli σῆψις Latinis putredo.

III.

Eſt enim σῆψις iſta, vel putredo, proprii & naturalis in quolibet humido exiſtentis caloris corruptio, ab alieno calore introducta.

IV.

Cum itaq; & humores ab humiditate dicti, ſuo quodam calore nativo præditi ſint: Non eſt abſurdum, ſi ab extranea caliditate quapiam, & ipſi corrumpi, adeoq; putreſcere poſſe dicantur. A

V.

Accedit autem humoribus putredo illa duobus modis: vel enim intra nos gignitur, vel extrinſecus advenit.

VI.

Intra nos gignitur, cum ipſimet intus vitium fovemus, quod nullo naturæ noſtræ beneficio corrigi poteſt. Vnde fit ut ſenſim humores corrumpantur, & quidem ſua ſponte, nulla extrinſecus occaſione ſuſcitante. B

VII.

Fit autem illud bifariam, vel alimentorum vitio, vel noſtri corporis culpa.

VIII.

Alimentorum vitium varium exiſtit. Vel enim illa pravos ſuccos ſuapte natura gignunt: vel ſi κακόχυμα per ſe non ſunt, ab externa occaſione pravitatem, priusquam ſumantur, contraxerunt: vel poſtquam aſſumpta ſunt, perfacilè corrumpuntur: vel rurſus uſu intempeſtivo, aut præpoſtero corruptelam incurrunt.

IX.

Primum igitur alimentorum vitium in illis conſiſtit, quæ pravos ſuccos ſua natura procreant: qualia ſunt quædam olerum radices, alia, cepæ, porrum, raphanus, paſtinaca ſylveſtris. Item agreſtes herbæ, urtica, chondrilla, lactuca ſilveſtris, ſeris, cichorium naſturtium, eruca, ſynapi, braſſica, beta, petroſelinum, fœniculum hyſſopus, thymus, origanum, ocymum, (quod baſilicum vocant) & quæcunq; deniq; in olerum genere medicatam qualitatem, aperiendi, incidendi, attenuandi, abſtergendi vim obtinent: Item aromata liberalius uſurpata. Inter legumina, lentes, fœnum græcum, panicum, milium. Inter piſces, anguillæ, tincæ, ranæ, lampetre fluviatiles, & quicunq; alii, licet natura meliores, tamen in ſtagnantibus, paluſtribus, immundis, turbidis, cœnoſiſq; aquis vivunt: præſertim ſi in illas vrbis alicuius, latrinarũ, balneorum, culinarũ purgamenta defluãt, aut ſi in iis veſtes, & aliæ id genus ſordes abluãtur. Sunt etiã pravi ſucci, phoca, balęna, canis marinus, delphin, thynnus, & cætera cetacei generis. C D

neris. Inter quadrupeda κακόχυμα ſunt, caro caprina, hircina, arietina, taurina: cervina quoque & leporina nō minus ſanguinē vitioſum, & concoctu difficilē generant; peſſimū verò ſi animalia ſenuerint. De aſinina, equina, urſina, canina, vulpina, lupina, cum talium edulio facilè abſtineatur, non eſt quod dicamus. Inter aves; anſeres, anates, mergi, cygni, aliæque aquaticæ. De turdo tanti pretii ave (Kramatvogel dicta) utrum à crimine mali ſucci abſolvi debeat, cum juniperi baccis ſaginatus eſt, qualis maximè expetitur, liceat per ganeonum gratiam mihi dubitare. Sunt etiam alimenti vitioſi,
A caſeus vetus, olidus, putris, caro macilenta, fumo aut ſale diu macerata, ova frixa, panis furfuraceus: Item pleraque animalium viſcera, putà renes, teſtes, cerebrum, ſpinalis medulla, lien, pulmo, jecur, ventriculus, inteſtina, uterus, &c. præter gallinaceorum, teſtes, ventriculum gallinæ & anſeris, jecur ſuillum, vitulinum & anſerinum. Huc etiam referri poſſunt fructus omnes, præſertim horæi vocati qui (exceptis paucis, ficubus putà, uvis, caſtaneis, amygdalis dulcibus) vitioſos etiam ſuccos generant.

X.

Alterum pravorum cibariorum genus eſt eorum, quæ cum natura
B ſua εὔχυμα ſint; propter tamen externam occaſionem corruptione contracta, pravitatem induerunt, non minorem ſanè priori, ſubinde etiam majorem. Sicut in pane nucido, oleo butyro, caſeo, carne, piſcibus, rancidis; ovis, aquis, vino, cereviſia, leguminibus, frugibus corruptis, quotidiè fieri videmus, contingit autem illud, vel vetuſtate, vel negligentia repoſitionis, vel vitio naturali. Vetuſtas enim, frugibus etiam optimis. tritico, zeæ, hordeo, olyræ (quam rocken vocant) diuturnitate temporis cariem affert. Negligentior repoſitio plerunque frumento ſitum peperit, acquiſititiæ humiditatis ſignum; ſive quod humidiuſculo loco repoſitum ſit,
C ſive etiam quòd humidiore cælo collectum. Vitium naturale, inter naſcendum ex mala temporum conſtitutione contrahitur; quale robigo vel uredo vocata; qua ex illapſo humore nimio, putredo culmis innaſcitur, qua ſpicæ marcidæ fiunt, & in pulverem fœtidum confriabiles, teſte Theophraſt. lib. 4. cap. 5. de cauſ. plant.

XI.

Tertium eorum eſt, quæ licet ipſa prava non ſint, perfacilè tamen, poſtquam aſſumpta ſunt, ab impuris ventriculis corrumpuntur, & putreſcunt; qualia ſunt, Lac, ova. Putreſcunt quoque facillimè, præterquam quod vitioſum humorem gignant, fructus fu-
D gaces (horarii dicti) cujusmodi melopepones, cucumeres, pepones, mora perſica, pruna, armeniaca, ceraſa, ficus, uvæque recentes: Item fraga, rubi vulgaris, rubiq; idei fructus (quos Himbern vulgus vocat) & ſi qua ſunt hujus generis. Ex quibus genitus ſanguis, quanquam concoctione crebram mutationem, paſſus eſt, priſtinæ tamen conditionis, ejusque à quo naſcitur, nonnihil etiamnum

ubique retinet: adeoque ſi in ventriculo prius corrupta fuerint, lethalibus ferè venenis ſimilis evadit, teſte Gal. lib. de cibis boni malique ſucci, cap. 8.

XII.

Quarta humorum corruptela, à cibis intempeſtivè aut ordine præpoſtero ingeſtis contrahitur. Intempeſtive quidem, ut ſi priore nondum confecto, alter ſuperingeratur; aut ſi dum vehementius quis exercetur, vel ſtudet, vel evacuatur, vel priusquam à tali labore requieverit, cibus aſſumatur: aut ſi ingeſto cibo tantus potus ingurgitetur, ut illum fluctuantem reddat. Ordine verò præpoſtero, cum duri coctuque difficiles, aut aſtringentes mollioribus & levioribus præmittentur; ut ſi poſt eſum mali cydonii, aut carnis bovillæ; lac, ova mollia, cucurbitæ, pepones, melones, pruna recentia, perſica, fraga, ceraſa, aut his ſimilia (quorum infirma eſt ſubſtantia) aſſumantur. Celerrimè enim talia, unà cum aliis cibis corrumpuntur, & quidem novo corruptionis genere, & quod verbis explicari nequeat; maximè verò, ſi pravum in ventriculo ſuccum invenerint, teſte Gal. lib. 2. alim. cap. 11. A

XIII.

Corporis culpa putreſcunt humores ſi illud vel intemperie aliqua inſigni, vel impuritate, vel obſtructione, vel plenitudine, vel alio ſimili malo laboret. B

XIV.

Intemperie quidem; vel univerſi, ut in febribus; vel alicujus partis interioris; ut ventriculi, jecoris, meſenterii, lienis, vel alterius viſceris calida aut frigida δυσκρασία morboſa. Talium enim vitio, alimenta, etiamſi puriſſima, & ἔυχυμα exiſtant, contracta tamen labe, inquinantur.

XV. C

Impuritate corrumpuntur; ob inutilium humorum abundantiam, quam κακοχυμίαν vocant, vel unius vel plurium ſimul, ſive rurſus in viſceribus illi, ſive in vaſis exiſtant; putà ſi ventriculus, vel multa pituita, vel ſeroſis humiditatibus, vel bile, vel alio excrementitio humore aliundè infuſo, imbutus fuerit.

XVI.

Obſtructio corruptelam producit; quando ſucci (licet ſint optimi) nec ab excrementitiis ſuperfluitatibus ſuis repurgari, nec eventilari poſſunt, ſive id rurſus in viſceribus, ſive in vaſis eveniat. D

XVII.

Quin & plenitudo (tam illa quæ ad vaſa, quam quæ ad vires dicitur) putredini occaſionem dare poteſt. Illa quidem, quod venas ſanguinis, quamvis optimi, abundantia uſque adeò diſtendat atque oppleat, ut nec motioni humorum, nec perſpirationi, aut eventilationi

lationi locus ullus relinquatur: quare putreſcere illos neceſſe eſt. Plenitudo verò ad vires dicta, quamvis vaſis loci ſatis relinquat, ut humores illic contenti & moveri & eventilari ſatis liberè queant: quia tamen virtus imbecillior eſt, quam quæ humores, nec copia nec qualitate peccantes regere poſſit, idcircò putreſcere illos permittit.

XVIII.

Hactenus de putredinis cauſis intra nos genitis diximus: deinceps de extrinſecis dicamus. A Si extrinſecus putredo adveniat, bifariam fit; vel propter aſtrictionem cutis, vel ob putridorum occurſus.

XIX.

Per aſtrictionem quidem cutis; cum meatus illius vel pori. aut frigore vehementi, aut bàlneo aquæ aluminoſæ, vel alterius aſtringendi & denſandi facultate præditæ conſtipati, fuliginoſarum excretionum effluvium; & refrigerationem nativi caloris impediverunt.

B

XX.

Occurſus putridorum, inquinat humores duobus modis: putà vel inſpiratione, vel contactu.

XXI.

Inſpiratione aër aut halitus corruptus attrahitur. Corrumpitur autem ille à paludibus, ſtagnis, antris, foſſis, puteiſque profundis & immotis, à cadaveribus, animalium excrementis, putrefactis oleribus, à magnis aquarum inundationibus, aliiſve impuris exſpirationibus: aut ſi ex inſueta tempeſtatum mutatione, aut inor-
C dinatis qualitatum, exſuperantiis, flatibus auſtrinis, calido humidoque cæli ſtatu vitium contraxerit. Sicut etiam in locis diu concluſis, ſubterraneis, non perſpiratis putreſcit, non minus in ægrotantium cubiculis, in quibus ex febre maligna, tabe, Empyemate, fœdis ulceribus, gangræna, ſphacelo, aut ſimili morbo affecti decumbunt.

XXII.

Contactus inficit, concubitu, accubitu, inſeſſu, affrictu, oſculo, ſuctu eorum, qui ſcabie, ulceribus, lue venerea, vel etiam pu-
D trida febri ſunt inquinati.

LIB. OCTAVUS.

EPISTOLA I.

HENRICI SMETII MEDIC. PROFESSOR. HEIDELBERG.

COMMENTARIOLUS.

De Monocerote, ejusq́ cornu quod unicornu, vulgò Einhornn *appellatur.* A

AD

HENR. BRUCÆUM MED. PROFESSOREM ROSTOCHIENSEM.

ESSE feram quandam in rerum natura, quam Monocerotem vocant, nec eſſe commentum aut fabulam, convincunt ſacræ ſcripturæ teſtimonia.

Nam *Numer cap.23.v.26.* fit hujus feræ mentio à Bileamo: Deus fortis eductor eorum ex Ægypto: eſt ei ut vires Monocerotis. B

Item *cap. 24. verſ 8.* Deus fortis eductor ejus ex Ægypto ut vires Monocerotis erit ei.

Item *Iob.39. verſ. 12.* An volet unicornis ſervire tibi? pernoctabitne ad præſepia tua? An ligares unicornem ad arationem denſo fune ejus. occaretne convalles poſt te? An fides ei, quia multa eſt vis ejus, aut relinques ei laborem tuum?

Item *Pſalm.* 22 ℣. 22. Serva me ab ore Leonis, & à cornibus Unicornium, exaudiens me.

Pſal. 29 verſ. 6. C

Et facit ut exiliant, ſicut vitulus: Libanus & Schirion, ut pullus Unicornium.

Pſal. 92. ℣erſ. 11.

Attollis verò tanquam Monocerotis, cornu meum, perfundendo me oleo virente.

Eſai. 34. verſ. 7.

Deſcendẽt quoq; Unicornes cum eis & juvenci cũ robuſtis tauris.

Deſcriptio Unicornis.

In deſcribendo Monocerote valde variant authorum judicia. Ariſtoteles vocabulum Monocerotis æquivocum eſſe, & pluribus convenire oſtendit. Nam lib.3. de part. animal.cap.2. ſic ſcribit: ſunt etiam quæ cornu ſingulari armentur, ut Oryx & quem aſinum Indicum appellari diximus. Gerunt ſanè medio ſui capitis cornu fixum, ea quæ unum habent. D

PHILO-

PHILOSTRATUS LEMNIUS *ſenior de aſinis Indicis. lib. 3. cap. 1.*

Aſinos præterea Sylveſtres in vicinis paludib. multos capi dicunt. Eſſe autem feris hujusmodi in fronte cornu, quo taurorum more generoſiſſimè pugnant. Conficere autem Indos ex illis cornibus pocula, aſſeruntq; nullis morbis illo die affici, qui ex hujusmodi poculo potarint, neque ſi vulnerati fuerint dolere & ex igne etiam incolumes egredi, neque ullis venenis lædi, quæcunque nocendi gratia in
A potu dantur, idcirco regum eſſe eadem pocula, & regi tantum ejusmodi feræ venationem permitti.

CL. ÆLIANUS *lib. 4. Animal. cap. 52. De aſinis Indicis Unicornibus.*

Sylveſtres aſinos equis magnitudine non inferiores, apud Indos naſci accepi: eosque reliquo corpore albos, capite verò purpureo, oculisque cijaneis eſſe. Cornuque in fronte gerere, ſesquicubiti longitudine, cujus ſuperius puniceum, inferius autem album, medium verò planè nigrum ſit. Atque non omnes quidem Indos; ſed poten-
B tiores cum tanquam armillis quibuſdam brachia, ſic cornua auro ornarunt, ex his bibere ſolere. Ex hoc cornu bibentem ab inſanabilibus morbis tutum fieri, neq; eum ipſum convulſionib. corripi, neq; ſacro morbo tentari, neque venenis ullis ferunt. Quin etiam ſi quid peſtilens biberit, tum id evomere, tuneque ad ſanitatem redire.

CL. ÆLIANUS *lib. 16. cap. 20. de animalibus. De Monocerote.*

In feris Indiæ Monocerotem, quem vocant Cartazonum, numerant. Eumque magnitudine ad confirmatæ ætatis equum accedere
C dicunt. Jubaque præditum & pilis fulvis eſſe, pedum bonitate, & totius corporis velocitate excellere, atque ſimiliter, ut Elephantos, pedibus inarticulatis eſſe: apri caudam habere. Inter ſupercilia cornu uno, eodemq; nigro, non levi quidem, ſed verſuras quasdam naturales habente, atque in acutiſſimum mucronem deſinente ornatum eſſe: omniumq; maximè animalium abſonam vocem & contentam mittere: & ad alias quasdam beſtias ad ſe accedentes manſueſcere, cum gregalibus verò ſuis pugnare. Neque modo mares inter ſe naturali quadam contentione diſſidere, ſed contra etiam fœminas certare, pugnamq; uſq; ad mortem victi ingraveſcere. Nam & reliqui
D corporis maximo robore præditus eſt, & cornu inprimis inexpugnabili armatur: deſertiſſimas regiones perſequitur, ſimul & ſolitarius errat. Coitos tempore ad fœminam manſuetè aſſueſcit, & pariter paſcuntur. Cum hoc tempus tranſierit, & ventrē fœmina ferre ceperit rurſus efferatur & ſolus vagatur. Præſiorum regi illius pullos etiamnum teneros ajunt deportari, eosdemque feſtis & Panegyriis diebus

Aa v.

committi ad robur oſtendendum. Nam integræ ætatis nullum unquam quiſquam meminit captum fuiſſe. Hactenus Ælianus.

C. PLINIUS *lib. natur. hiſt. 8. cap. 21.*

Aſperrimam feram Monocerotem, reliquo corpore, equo ſimilem; capite cervo; pedibus Elephanto; cauda apro; mugitu gravi, uno cornu nigro, media fronte, cubitorum duorum eminente, hanc feram vivam negant capi.

C. IULIUS SOLINUS *Polyhiſtor. cap. 55.*

Atrociſſimum eſt Monoceros monſtrũ, mugitu horrendo, equino corpore, Elephanti pedibus, cauda ſuilla, capite cervino. Cornu è media fronte protenditur, ſplendore mirifico, ad longitudinem pedum quatuor, ita acutum ut quicquid impetat, facile ictu ejus perforetur. Vivus non venit in hominum poteſtatem, & interimi quidem poteſt, capi non poteſt. A

ISIDORUS *lib. 12. Ethymol. cap. 2.*

Tantæ fortitudinis eſt Monoceros, ut nulla venantium virtute capiatur, ſed ſicut, aſſerunt, qui animalium naturas ſcripſerunt, virgo puella præponitur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille omni ferocitate depoſita, caput ponit, ſicque ſoporatus, velut inermis capitur. B

INTER RECENTIORES.

MARCUS PAULUS VENETUS *lib. 3. cap. 15.*

De regno Basman Javæ minoris inter alia ſic ſcribit: Inveniuntur apud eos Elephãti & Unicornes in magna multitudine. Et ſunt Unicornes paulò minores Elephantis, pilum habentes bubali, & Elephenti pedem, habent caput ut aper, & more porcorum libenter morantur in luto & aliis immunditiis. In medio frontis geſtant cornu unum groſſum & nigrum. Linguam hàbent ſpinoſam, & hac lædunt homines & animalia. Hactenus ille de Unicornibus. C

LUDOVICUS VARTOMANNUS BOLONIENSIS qui etiam Romanus patritius dicitur, *lib. Navig. 1. c. 19.*

De Unicornibus templi Mechæ in Arabia, Mahometis ſepulchro nobilis, quos monocerotas appellant, qui ferme alibi non viſuntur, ſic ſcribit: In altera delubri parte ſepta viſuntur, ſive clauſtra appellare mavis: in quibus Unicornes gemini aſſervantur, locoq; miraculi, populo ſpectandos præbẽt. Nec abs re, res enim miratu eſt digniſſima. Sunt autem hujusmodi, ut ilicò denarrabimus. Alterum eorũ quem conſtat longè proceriorem eſſe, pullo equino 30. menſes nato, haud abſimilem crediderim. Prominet in fronte cornu longitudine trium cubitorum. Longe natu minor eſt alter, utpote amiculus, ac equino pullo ſimilimus: ejus cornu quaterni palmi longitudinem haud excedit. Coloris eſt id animal equi muſtelini: caput cervi inſtar. collo D

non

non oblongo, rariſſimæq; jubæ, ab altera parte ſolum dependentis. Tibias habet tenues, eaſdemque graciles admodum, hinnuli modo. Vngulas anteriorum pedum bifidas habet, caprinos pedes fermè referentes. Tibiarum poſteriorum pars exterior villoſa eſt, piliq; plurimi, ſanè id animal ferum videtur, verùm ferociam neſcio qua comitate condivit. Eos Unicornes quiſpiam Sultano Mechæ dono dedit, ceu rem inventu rariſſimam, eandemq; precioſiorem. Advecti ſunt ex Æthiopia, ab Æthiopum rege, ut eo munere neceſſitudinem cõjunctiſſimè, cum Sultano Mechæ præfecto, iniret. Hactenus Vartomannus. A

SEBASTIANUS MUNSTERUS *Coſmographiæ lib. 5. cap. de Mecha felicis Arabiæ urbe, ex Vartomanno.*

In altera templi parte clauſtra ſunt, quib. duo Unicornes detinentur & miraculi loco oſtentantur. Ajunt hoc animal equo triginta menſes nato ſimile eſſe habet in fronte cornu unicum nigrum, longitudine duorum aut trium cubitorum, colore equi muſtelini, capite cervi, collo brevi, pilo rariſſimo, ab altera parte ejus ſolùm dependẽte. Cruribus tenuib. ungulis anteriorum pedum fiſſis, caprinos imitan-
B tibus. Exteriore poſteriorum crurum parte valdè piloſa. Adducta ſunt hæc animalia ab Æthiopum rege, quorum donatione benevolum ſibi amicumq; Sultanum reddiderat. Addit quoque ex Plinio, Monocerotem aſperam eſſe feram, corpore reliquo ſimilem equo, capite cervo, pedibus Elephanto; cauda apro; mugitu gravi, uno cornu nigro fronte media, cubitorum duorum, naſci in Æthiopia, non capi vivam.

IULIUS SCALIGER *de ſubtilitate contra Cardanum exercit. 208.*

C Monocerotis figuram ex Vartomanni narratione huc aſcribemus. Unicornibus equi magnitudo, crura, pedes caput cervi, pili color balius, equi juba rarior, brevior: coxæ villoſæ, cornu unum integrum Niceæ vidimus, alia alibi. Subfulvum unum, unum ſubluteũ, accedens proximè ad buxeum: unum ſubpuniceum, etiam habemus fruſtum candidum. Negat Vartomannus ferocem eſſe: contra quàm ab aliis vulgò acceperamus. Tametſi cæteram quoque hiſtoriam animadvertas à multorum narrationib diſcrepantem, ſed Vartomanno viro opt. qui ſeſe duos vidiſſe ſcribit, habenda eſt fides.

D ANDREAS THEVETUS *Coſmog. tom. 1. l. 5. c. 5.*

Meminit Unicornis viſæ nobili cuidam Turcæ Sangeaco, quæ ſemeſtrem aut quinquemeſtrem taurum æquaret, unico verò cornu quod non in media fronte, ſed in ſummo capitis vertice geſtaret. At crurib. & pedib aſininis eſſet, pilo tamen longiore, & aurib. Rangifero animali, ſub polo habitantibus noto, haud abſimilibus.

GARTIAS

Gartias ab horto. *lib.1.aromatum cap.14.*

Cæterum de Monocerote tam incerta omnia ab authoribus referuntur, ut illos eum haudquaquam vidiſſe manifeſtò appareat.

Ego hoc loco referã (inquit) quæ à viris fide dignis accepi. Inter ꝓmontorium Bonæ ſpei. & aliud promõtoriũ vulgò Dos corrẽtes, nũcupatum vidiſſe ſe affirmabãt, terreſtre quoddã animalis genus, licet mari etiam delectaretur, quod caput & jubam equi haberet (minimè tamen marinum equum eſſe) cornu præditum duos palmos oblongo, mobili, quod nunc in dextram, nunc in ſiniſtram obverteret, A modò illud attolleret, modò demitteret. Id animal cum Elephante ferociter præliari, ejusque cornu adverſus venena laudari. Ejus experimentum factum propinato duobus canibus veneno. Alterũ enim canem, cui dupla quantitate propinatum eſſet venenum, ſumpto hujus cornu pulvere ex aqua convaluiſſe: alium verò cui exigua quantitate venenum eſſet datum, nec exhibitum hoc cornu, ſtatim mortuum corruiſſe.

Hactenus tam ex veterum, quàm recentiorum monumentis, qualis fera ſit, Unicornis, disquiſivimus. Ex quorum relatione manifeſtum eſt, vocem Monocerotis non eſſe univocam; ſed æquivocã, B pluribus competere, teſte Ariſtotele, Philoſtrato, Marco Veneto, Thevero, & Garcia ab horto, ſingulis diverſas Unicornes ferat deſcribentibus. De Unicorne tamen univoco, quod animal Monocerotem appellare ſolent, agere videntur Ælianus, Plinius, Solinus, Iſidorus, Lud. Vartomannus, quem ſecuti videntur Munſterus & Scaliger.

Hos tamen inter ſe quatenus conveniant, particulatim conferre & examinare lubet.

Monoceros atrociſſima aut aſperrima eſt fera, corpore equo ſimilis.

Non capitur vivus. C

De his conſentiunt Ælianus, Plinius, Solinus

Magnitudine juſti equi,

Ælianus, Vartomannus.

Capite cervino.

Plinius, Solinus, Vartomannus.

Voce gravi horrenda.

Ælianus, Plinius, Solinus.

Collo non oblongo.

Vartomannus.

Juba prædita, pilo fulvo. D

Ælianus, Vartomannus.

Cauda ſuilla.

Pedibus Elephantinis.

Ælianus, Plinius, Solinus.

Tibiis anterioribus tenuibus, gracilibus hinnuli modo,

Ungulis

Ungulis bifidis, pedib. caprinis, poſteriorib. extrorſum villoſis.

VARTOMANNUS.

Cornu uno, media fronte

colore nigro,

ÆLIANUS PLINIUS.

Splendore mirifico

SOLINUS.

Cornu non levi quidem, ſed verſuras naturales habente.

ÆLIANUS.

A Longitudo cornu cubitorum duorum.

PLINIUS.

Pedum quatuor.

SOLINUS.

Cubitorum trium.

VARTOMANNUS.

An rectum, an incurvum cornu ſit,

Nemo, nec VARTOMANNUS ipſe.

VARTOMANNUS quoque nihil de cauda, nec voce animalis, nihil de colore cornu nec de verſuris, neque aſperitate ejusdem.

B An cornu hoc Monocerotis ad venena utile exiſtat, nemo nec veterum, nec recentiorum ſcribit.

Verùm Philoſtratus atque Ælianus de aſinis ſylveſtribus, Unicornibus ſcribentes, ipſorum cornu adverſus venena valere teſtantur.

GARTIAS ab horto Monocerotem ex aliorum tantum relatu, non ſibi viſum deſcribit.

Capite & juba equi, cornu mobili.

Duos palmos longo, adverſus venena utili, ſed animalis à Monocerote veterum, & Vartomanni, & aliorum, diverſiſſimi.

C

AMBROSII PARÆI *Regum Galliæ Chirurgi primarij de viribus Unicornu ſententia ex lib. 20. cap. 39.*

Permulti hodie ſunt, qui egregiè ſe adverſus venena, veneficiaque omnia putant munitos, ſi cornu Unicornis pulviſculum, vel certè infuſum paratum, & ad manum habeant. Itaque me operæpretium facturum putavi, ſi quantum veritatis, inveterata hæc & penitus hominum animis inſidens opinio haberet, examinarem diligentius. Id quo fiat melius, tres mihi ſcopos ipſe proponam, in quos o-
D mnes rationes conferam.

Primus erit de ſignificatione vocabuli Unicornis.

Secundus, an aliquod ſit huic nomini ſubjectum, quod revera exiſtat, an potius imaginaria ſit & tanquam Chymera & tragelaph^us^.

Tertius, ſi id quod animalis ejusmodi dicitur eſſe cornu, aliquid virium & facultatis habeat contra venena.

Quod

Quod ad primum attinet, de dictione Unicornis obſcuritas paulò major eſt, quid ſignificet, apud Gallos, quam apud Latinos aut Græcos. Receſſit enim Gallica dictio (Licorne uſitata Gallis) longius à voce & ſignificato. At apud Latinos, quod dictione Unicornis animal ſignificetur, unicornu inſtructum, tam clarum & perſpicuum eſt, quam vulgo notum, illud dictum idem portendi apud Græcos, dictione Monoceros.

Quod verò ad ſecundum ſcopum attinet, arbitror idem animal, quod Unicornis dicitur, & vulgò intelligitur, imaginarium quid potius eſſe, quàm in rerum natura exiſtens. In quam ſententiam his potiſſimum conjecturis ducor, quod ex his, qui terrarum orbem peragrarunt, nullus hodie ſit, qui profiteatur viſum ſibi ejusmodi animal. Profecto Romani domito orbe, omnium, quæ rara adeoque pulchra eſſent, inquiſitores diligentiſſimi, ſi uſpiam aliquo orbis in angulo talis latuiſſet fera, ejus ſibi copiam feciſſent, & nummis ſuis, aut armis inſculpſiſſent, quemadmodum Crocodilos, Hippopotamos, Elephantes, aquilas, pantheras, leones tigres & alia his regionibus ignota animalia inſculpſerunt. A

Quod ad eos attinet qui de Unicorni ſive audita, ſive tradita, ſive animo ad voluptatem & arbitrium concepta ſcripſerunt: vix duos reperies qui ſibi conſentiant, ſeu in corporis, ſeu in morum & conditionum ejus deſcriptione. Plinius lib. 8. cap. 21. ſcribit Unicornes reliquo corpore, equo ſimiles eſſe, id eſt, ut interpretatur Cardanus, equina magnitudine, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, cornu unico, nigro media fronte, cubitorum duum. B

Munſterus, qui (ut ludit Matthiolus) Unicornes nunquam niſi pictas viderat, has contra non equina magnitudine eſſe prædicat, ſed trimeſtris Hinnuli, non pedibus Elephantinis, ſed fiſſis, caprinorũ in modum, cornu, non duum modò, ſed & trium ſæpe cubitorum altitudinis, colore muſtelino, cervice non admodum procera, nec valdè crinita, rarioribus nempe & brevioribus pilis inſtructa, ex altero tantum latere pendentibus cruribus macilentis & tenuibus, naribus quidem aridis, ſed valdè piloſis. C

Cardanus ab utroque diſſentiens, ſcribit cornu illi in media fronte tres tantum digitos longum prominere.

Andreas Thevetus tom. 1. lib 5. cap. 5. Coſmog. meminit Unicornis, viſæ nobili cuidam Turcæ Sangraco, quæ magnitudine ſemeſtrem aut quinquemeſtrem taurum æquaret, unico verò cornu, quod non in media fronte, ſed in ſummo capitis vertice geſtaret: at cruribus & pedibus aſininis eſſet, pilo tamen longiore & aurib. Rangifero animali ſub polaribus noto haud abſimilibus. Tanta eſt de hujus feræ effigie varietas. Sed non minor de moribus & ingenio. D

Plinius enim aſperrimam eſſe feram Monocerotem, mugituq; gravi ſcribit, itaque vivam nunquam capi. Aſperitatis ejus rationem reddit Cardanus, quod ſcilicet indigena ſit, & incola deſertorum Æthiopiæ,

Æthiopiæ, regionis ſquallidæ, fœdę bufonibusque & virulentis ejuſmodi feris obſitæ.

Alii contra ingenio illam mitiſſimo omninoque amabili, & omnium facilimo prædicant, modò ne quis ipſam data opera offendat, & inclemẽtius tractet. Nam cum ex terra capite demiſſo paſtum non petat, quia cornu inde arcetur longitudine: neceſſe eſt, ut ex arboribus pendentes fructus decerpat, ex raſtris, ex manu denique humana, è qua profectò fructuum omnia genera oblata, herbas, ſpicarum faſciculos, poma, pyra, arantia, legumina intrepidè & innoxiè

A legit. Eò verò usque res proceſſit, ut fingant eam virginum amore capi, ipſarum pulcritudine delinitam, adeo ut in earum contemplatione, defixa, & blandimentis allecta, hoc ſæpe compendio à venatoribus capiatur.

In hac ſententia eſt Lud. Vartomannus, negans feroces eſſe Unicornes: duas enim ait ſe vidiſſe ex Æthiopia miſſas ad Sultanum, qui eas in Mecha felicis Arabiæ urbe, Mahumetis ſepulchro nobili, cratibus concluſas continebat & alebat.

Thevetus eo usque peregrinando, iactat diligentiſſimè, ſe ab incolis perquiſiviſſe, quid ſentirent de ejusmodi fera, nunquam tamen

B de ea re ſcire quicquam potuiſſe.

Ex quo videre facilè eſt, haud viſas fuiſſe noſtris, nec Vartomãni temporibus, ejusmodi feras. Opinionum profectò tam diſſentientium tanta contrarietas facilè adducit me; ut credam Unicornis haud eſſe proprium animalis exiſtentis in rerum natura nomen, rẽque planè commentitiam, eſſe à pictorib. & rerum naturalium ſcriptoribus, ad legentium aut ſpectantium voluptatem, pro arbitrio effictam. Ut enim via recta una eſt, flexus verò multi: ſic veritatis una eſt, ſibi perpetuo ſimilis & ſimplex oratio, mendacii multiplex, & quæ ſe opinionum repugnantia & diſſimilitudine, omnibus etiam

C tacentibus, facilè refellat.

Quid igitur dicet aliquis, ejusmodi animantium ſunt cornua, quæ toto genere à reliquis differre cernimus, ſi Unicornium non ſunt?

Thevetus cenſet ea nihil eſſe aliud, quam Elephantum oſſa, eo quod cernimus, artificio circinata & donata: ſic enim in Orientalibus Regionibus ardeliones iſti & circumforanei homines Rohardi piſcis (mari rubro & Æthiopico noti) dentes circumagunt, excavant, ſequacesque arte redditas, arbitraria voluntate producunt, & pro cornu Unicornis exponunt venduntque. Certè id quod dicitur

D cornu Unicornis uſtum ſimilem ebori odorem ſpirat. Aſſerit verò Cardanus, Elephantis dentes ſeu oſſa, arte mollia reddita, quo & quantum voluerimus ſequi & extendi, bubulorum cornuum inſtar. Quid enim eſt in omni rerum natura, quod auri ſacra fames, in hujus aut illius effigiem, ſimulata expreſſaque imagine, non adulteret.

Sed tem-

Sed tempus eſt, ut ad tertium ſcopum veniamus. Demus Unicornes eſſe, an propterea efficitur, eorum cornua tantæ adverſum venena & veneficia eſſe efficaciæ? Si experientia & rerum eventis agendũ eſt, ſanctè hoc affirmare poſſum, pluries me tentaſſe, nunquam tamen quicquam ex cornu iſto, quod pro Unicornii jactatur, adverſum venena feliciter ægris mihi commiſſis, exhibuiſſe. Si teſtibus & authoritatibus pugnandum; magna pars melioris notæ Medicorum jam pridem hoc cornu valere juſſit, & divinas illi admirandasque vires propter quas antea tantoperè expetebatur, detraxit multis quidẽ juſtis, ſed duabus potiſſimùm rationibus. A

Prima eſt Rondeletii lib. de põd. cap. 19. qui hoc in genere aſtruit, cornua nullo neque ſapore neque odore eſſe prædita, itaque nihil virium in re medica poſſidere, niſi fortè ad deſiccandum. Nec me latet, inquit, plures facultates illorum prædicari ab iis, qui lucrum quæſtumque de illis faciunt, ut & raſuræ Unicornis, quam auro pendunt, propterea quod venenis & vermibus ut plurimum adverſetur. Quod non minus præſtare cornu cervi, raſuramque eboris exiſtimo: quod cauſæ eſt, cur ad eundem morbum pauperibus Elephanti dentem; divitibus autem cornu Unicornis (quod unum præ cæteris expetunt) pari ſucceſſu præſcribam. Hæc Rondeletii ſententia eſt, qui ſine diſcrimine pro Unicornis cornu ſolebat ſubſtituere, non modo cornu cervi aut dentem Elephantis, ſed etiam oſſa aquina, canina & myrobalanorum. B

Altera ratio eſt, quod quicquid venenis reſiſtit, eſt Cardiacum, id eſt, cordi, quod venena præſertim appetunt & oppugnant, roborando natum: at nihil roborandi cordis vim habet, præter laudabilem aërem & ſanguinem, quia duo illa ſolùm cordi ſunt familiaria, utpote ſanguinis arterioſi & ſpirituum vitalium officinæ: conſervantur enim omnia ſimilibus ut deſtruuntur à contrariis: ſingula verò quæ gignunt, gignunt ſibi ſimile. At cornu Unicornis, ut nullum odorem ſic nec ullum in ſe aërem continet, totum terreſtre & aridum. Nec verò facultatis concoquentis vi in ſanguinem verti poteſt, quia ut exſuccum ita & ex carne eſt. Quare ut nec in Chylum, ſic nec in Chymum ſanguineum faceſſere aptum eſt. Nulla igitur ſimilitudine aut familiaritate cordi jungitur. Jam verò apud Hippocratem & Galenum de cornu Unicornis, ne verbum quidem unum, qui tamen tot ſententiis cornu cervinum commendarunt. C

Itaque Capellanus, primarius Caroli IX. Galliarum Regis medicus, crebro dicere ſolebat, ſe perlubenter eum morem ſublaturum, de cornu Unicornis fruſto in pateram regiam demergendo niſi noſſet eam opinionem tam altè in hominum animis infixam eſſe, ut vereretur, ne unquam ratione ulla expugnari poſſet. Adde, inquiebat, quod ſi ſuperſtitioſum ejusmodi remedium non prodeſt: certè nec admodum obeſt, niſi fortè eorum fortunis, qui id auro redimunt, vel etiam ex eveentu, quod principes, dum decantatis hujus cornu virib. D

plus

plus æquo confidunt, negligunt ſibi aliis convenientioribus adverſum venena remediis cavere: Sic ſæpè incautos mors inopina rapit.

Cum aliquando ex Ludovico Dureto Regis Medico & Profeſſore, propter excellentem, quam jure de eius doctrina, docti omnes animo conceptam habent opinionem, quæſiviſſem, quid de eiuſmodi cornu ſentiret. Reſpondit ille nihil ſe illi virium attribuere. In cuius rei confirmationem, ſecundam rationem multis antè verbis expoſitam, pluribus ille & diſertiùs enarravit, nec vereri ſe in auditorio ſuo, doctorum hominum undique ad ipſum
A audiendum concurrentium theatro, id alta voce & explanata oratione prædicare. Quod ſi aliquando temporum & conſuetudinis vitio victus, id cornu præſcriberet, non alio id ſe conſilio facere, quam ut mederetur animi deliquiis, quæ contingunt ex ſeroſorum humorum, in ventriculi orificio natantium, copia, quæ incompoſitos homines faciat: quod huic cũ aliis pari facultate præditis mixto, vis inſit terreſtri ſua ſiccitate aquoſi humoris abſorbendi.

At dicet aliquis, nullus neque Lemniæ, neque Armeniæ ter-
B ræ ſuccus ineſt: nullus item odor, aut Spiritus aëreus: rectè quidem. Sed nec talia verè nec propriè cardiaca dicuntur. At tantũ ex eventu & accidente. Quia ſcilicet aſtringendi vi prædita pollent, obſeratis vaſorum ductibus veneno ad cor aditum intercludunt. Hæc mea eſt de cornu Monocerotis vel Unicornis ſentententia, quam ſi quis non approbaverit, mihi gratiſſimum fecerit, ſi ſuam publicæ utilitatis cauſa candidè oppoſuerit. interim hoc, quod nunc facio, æqui bonique conſuluerit.

IOHANNES LANGIUS *Miſcell. lib. Epiſt. 29.* de cornu Unicornis.
C

Regum pocula olim fuiſſe cornea, etiam Philoſtratus lib. 3. de vita Apollonis Tyanei teſtatur. Eſſe autem in vicinis Phaſidis fluvij aſinos, qui unum in fronte cornu haberent, quo cum Elephantis ferociter pugnant. Ex illorum cornibus Indi pocula conficiunt, aſſeruntque, quicunque ex tali poculo biberit, eo die nullo morbo, nec vulneris dolore, aut ignis flamma offendi, nec veneno intoxicari poſſe.

Hoc verò animal non Rhinocerota, cui unum ex naribus pro-
D minet cornu, ſed Monocerota Plinius appellat. Unicornes Indiæ boves, quales duos vivos Sultano ex Æthiopia muneri miſſos & intra templum Mechæ ſeptis incluſos, LUDOVICUS VARTOMANNUS Romanus patritius, vel noſtra adhuc ætate ſe vidiſſe gloriatur.

Vid. etc. Geſner in Ep. l. 1. p. 35.

HIERONYMI MERCURIALIS Profeſſoris Patavini ſententia de Monocerotis cornu, ad BAPTISTAM Paleſtram Medicum Parmenſem conſult. Medic. tom. 1. conſil. 94.

Quatuor animalium eſſe genera, quæ unicum in fronte cornu gerant, apud ſcriptores invenio, Monocerotem, Rhinocerotem, Aſinum Indicum & Orygem. Rhinoceros præter id puſillũ, quod (ſi Pauſaniæ credimus) fronti eius ineſt, habet & alterum cornu in naribus acutiſſimum, atque duriſſimum, quo Elephantem ſuperare dicunt, unde illud Martialis lib. 1. à Grammaticis nonnullis malè intellectum: A

Namque gravem gemino cornu ſic extulit urſum.

De aſino Indico ſolum atque Oryge ſermonem fecit Ariſt. lib. 2. de hiſt. animal. cap. 8. & lib. 3. de part. animal. cap. 2. Sed nihil aliud de his ſcriptum reliquit: niſi quod Aſinus Indicus gerit cornu in medio frontis pedeſque ſolidos & talum habet, ſicut etiam Plinius lib. XI. cap. 46. Ariſtotelem ſecutus memoriæ prodidit. Oryx autem non modò in fronte unico cornu, ſed etiam ſciſſis pedibus à natura donatus eſt, ubi facilè iudicari poteſt, aut Monocerotem Ariſtoteli ignotum fuiſſe, aut cum aſino Indico vel Oryge apud ipſum eundem extitiſſe. B

Cæterum quod non idem ſit, quodve quatuor prædicta genera inter ſe diverſa exiſtant, præter Plinium certiſſimus teſtis eſt Ælianus, inter Græcos ſcriptores non infimus, qui diverſis in capitibus varias cornuum formas ac naturas depinxit. Atque inter cætera, dũ Monocerotis figuram ac proprietates explicat, nullam eius cornu venenorum expultricem facultatem attribuit, quam tamen, ſi verum eſſet id, quod fertur, ipſum tacuiſſe haud rationi conſentaneum eſt, eò magis quod multa alia minus memoratu digna literis conſignavit. Quin de Aſino Indico verba faciens, vim ſimilem eius cornu aſcriptam, ſilentio præterire noluit: hæc enim ſunt àb eo tradita lib. 2. de anim. Ubi de Monocerote ſermonem inſtituit. In iis Monocerotem, quem vocant, Cartazonem numerant, eamq́ue magnitudine ad confirmatæ ætatis equum accedere dicunt, jubaq́ue & pilis fulvum eſſe, pedum & totius corporis bonitate excellere, atque ſimiliter atque Elephas, pedum digitis indiviſis eſſe, apri caudam habere, inter ſupercilia cornu uno, eodẽ que nigro non lævi quidem, ſed verſuras quaſdam naturales habente, atque in acutiſſimum mucronem deſinente, ornatum exiſtere, omniumque maximè animalium abſonam vocem & contentam mittere, & ad alias quidem beſtias ad ſe accedentes manſueſcere, cùm gregalibus verò ſuis pugnare neque modò cum maribus, naturali quadam contentione diſſidere, ſed contra etiam fœminas certare, pugnamque uſq; ad victi mortem ingraveſcere. Nam & maximo robore præditus, & cornu inexpugnabili armatus eſt. Deſertiſſimas regiones perſequitur, C D

tur, ſimul & ſolitarius errat Coitus tempore ad fœminam manſuetè aſſueſcit & gregalis fit. Cum hoc tempus tranſierit & fœmina ventrem ferre cœpit, rurſus efferatur, & ſolus vagatur. Addit hiſce Plinius, eum inter ſerpentes verſari: Vartomannus autem, qui duos ſe vidiſſe Monocerotas teſtatus eſt, tradidit, Unicornem equi magnitudinem habere crura, pedes & caput cervi, pili colorem balium, equi iubam rariorem; coxas villoſas, negat ferocem eſſe. Ex quibus Æliani & Vartomanni verbis perſpicuum eſt, omnes ferè pictores vehementer hallucinatos eſſe, qui Monocerotem albo co-
A lore repræſentari debere, ſunt arbitrati, cũ potius talis color, corpori Aſini Indici, excepto capite, conveniat, quemadmodum clariſſimè ſcriptum eſt apud Ælianum lib. 5. ſub his verbis: ſylveſtres aſinos equis magnitudine non inferiores, apud Indos naſci, accepi, eoſque reliquo corpore albos, capite verò purpureo, oculiſque nigris eſſe, cornuque in fronte gerere, cuius ſuperius puniceum, inferius autem album, medium verò nigrum ſit. Atque non omnes quidem Indos, ſed potentiores, cum tanquam armillis quibuſdam brachia, ſic cornua, certis ſpatiis auro ornarunt, ex his bibere ſolere. Ex hoc cornu bibentem ab inſanabilibus morbis tutum fieri, ne-
B que eum convulſionibus corripi, neque ſacro morbo, neque venenis ullis ferunt. Quin etiam ſi quid prius peſtilens biberit, tum id vomere, ſicque ad ſanitatem redire. Annectit multa alia, & præſertim eorum carnes amariſſimas eſſe, & ob id non manducari.

Unde tria colliguntur, primum Monocerotem & aſinos Indicos diverſos eſſe. Secundum, cornu Aſini Indici, & non Monocerotis illud eſſe, quod venenis adverſari creditum eſt. Tertium, cornu, quod hodie apud nonnullos Principes in magna exiſtimatione contra venena conſervatur, eſſe non Aſini Indici, ſed Monocerotis, quippe cum unicolor ſit, & verſuris quibuſdam delineatum: non autem
C tribus illis coloribus inſignitum, quos refert Ælianus, &c. Quamobrem in hanc ſententiam eo: adhuc & principes & medicos quoſdã graviter errare, qui forſan eundem eſſe Aſinum Indicũ & unicornẽ opinati, ita utriuſq; cornu confuderũt, ut cornu quod ab Æliano, Plinio & aliis ulla virtute donatũ eſſe proditũ nõ eſt: pro illo quod venenis ac peſti reſiſtere creditum fuit, ineptè admodũ accipiant, perinde ac pictores, qui utriuſq; corpora cõfundẽtes, neutrũ verè exprimũt.

Neque experientiis, quas narrant, multam fidem adhibere cogor, quoniam cum rariſſima cornua illa, & apud primates dũtaxat reperiantur, raræ quoque fiunt experientiæ, & ob id nullam aut exiguam admodum certitudinem habent, quamvis etiamſi meditullitus rei veritas indagaretur, appareret profectò, pluries experientias illas fruſtratas, quàm finem adeptas eſſe. Accedit & illud, veriſimile mihi non videri, ſi hoc cornu tali eſſet virtute donatũ, Galenũ, qui & experientia & oĩum rerũ peritia nulli ſecundus fuit: eam tacuiſſe debere, cũ præſertim de cornu cervini facultatib. quã plurimis

locis mentionem fecerit, ubi occaſio dabatur, etiam mirandas Monocerotis cornu vires recenſere, &c.

Neque credibile videtur, ſi hiſce temporibus huiuſcemodi cornua apud multos habentur, temporibus Galeni haud comparari potuiſſe: tum quia ut ipſemet refert, quotannis ex univerſo orbe pulcerrima & precioſiſſima omnia Romam portabantur: tum quia M. Antonius Imperator potentiſſimus, cui Galenus maxima cum laude ſervivit, omnium Theriacæ amantiſſimus fuit, pro qua conficienda à cunctis regionibus ſimplicia advehenda curabat, quem ſicut cæteros Imperatores, & virtutem huiuſce cornu potuiſſe ſcire, A ſi vera eſſent, quæ dicuntur, & illud facilius quàm noſtrates Principes acquirere nemo ignorat.

Itaque, doctiſſime Baleſtra, adduci nequeo, ut credam, cornu illud Monocerotis, quod oſtendunt, ullam peculiarem venenorũ expultricem facultatem habere, niſi ipſum virtute ſuâ exſiccatoria, perinde atque alia multa exſiccantia aliquid efficere poſſe dicamus, pro venenis extinguendis. Tu meam ſententiam hanc examinabis, neque ulla Principum authoritate, quæ veritati ſemper eſt poſthabenda, neque cæcis experientiis te perſuaderi permittes. Sed ſi vel probatorum auctorum teſtimonia, vel rationem ali- B quam meæ opinioni contrariam habueris: eam à te mihi demonſtrari pergratum erit. Vale Romæ 10. Cal Mart. 1563.

Ex iis igitur, quæ in medium allata ſunt, facile colligere licet, quid de cornibus Monocerotum, vel vnicornibus, quæ paſſim apud Magnates & opulentiores ſpectantur, cenſendum ſit.

Anno 1586. in æſtate, duodecim cornua Monocerotum, quæ Belgis *eenhorens* dicuntur, quorum ſingula longitudinem ſeptendecim palmorum, hoc eſt pedes quatuor, cum quatuor digitis æquabant, à Turcarum Imperatore inter alia multa honoraria munera Philippo II. Hiſpan. Regi, & quidem pro ſingulari dono C miſſa ſunt. Vide Hiſtoriam Belgicam Imman. Meterani. *Lib.* XIII. *pag.* 238. *Editum lingua Flandrica Delfis in folio An.* 1599.

Deſcriptio eiuſdem cornu admirandi, quod Principes Palatini ad Rhenum Electores inter *κειμηλια* precioſiora Heidelbergæ reſervant, & pro Monocerotis cornu habent, à Medicis verò & Pharmacopolis eius loci, iuſſu Illuſtriſs. Principis, JOHANNIS CASIMIRI Tutoris & Adminiſtratoris Electoralis. 15. Novemb. 1586. accuratè examinatum eſt.

Unicornu illud Electoris Palatini ad Rhenum, quod 15. Novembr. 1586. à Medicis & Pharmacopæis civitatis & Academiæ D Heidelbergenſis, Principis mandato diligentiſſimè contemplatum eſt, ſubſtantia conſtabat verè cornea, eaque dura, qualis in cervorum quoque cornibus ſpectatur. Pondus eius marcas viginti ſex ac inſuper uncias binas cum ſemiſſe, (marca ad uncias octonas æſtimata) & ſic in univerſum uncias ducentas,

&

& decem cum ſemiſſe pendebat, hoc eſt libras Romanas ſeptendecim, unciasque ſenas cum ſemiſſe. Longitudo exactè ulnas quatuor Heidelbergenſes, vel pedes fabriles octonos continebat, tametſi apici extremo graciliori ad priſtinam proceritatem aliquid, circiter ſeſqui digitum fabrilem, vel paulò quid amplius requirebatur, quod Albertus Marchio Brandeburgicus (qui antè poſſederat) illi per transverſum, non tamen exquiſitè, quondam defregiſſe dicebatur.

Craſſioris partis extremitas ambitum habebat digitorum ſeptem
A cum ſemiſſe, qua autem craſſiſſimum erat, nempe xv. digitos ſurſum craſſitiem menſi ſumus, ſeſquidigito ampliorẽ quam in imo (quod inſolens valde eſt.) adeo ut ambitus ejus digitos novem impleret. In ora illa craſſiore excavatum erat ad digitos tres rectà ſurſum, nulla rotunditatis ſervata proportione. Circa imum enim, lima ſubinde abradendo, non exiguum deceſſerat, quò factum ut limbus in ambitu ſubtenuis ſpectaretur, adeoque in fundo cavitatis intimo, albicans quiddam medullaceum reperiebatur, ſubſtantiæ raræ & ſiccæ.

Ab imo uſque ad ſummum, ſtriæ quædam turbinatæ, aut verſu-
B ræ tortorum funium modo, ſenſim aſcendentes videbantur.

A mucrone aut tenuiori extremo ad ſeptendecim digitos deorſum apparebat rimula, tanquam fractura quædam in transverſum tendens. Nulla illi erat obliquitas aut incurvatio, qualis in aliis cornibus, ſed rectitudo mera, ſicut in haſtilibus venabulorum (quæ Schweinſpieß vulgus vocat) quorum formam utcunque referebat.

Quin etiam qua ad extremitatem craſſiorem magis vergebat, rudius, inæqualius, aſperiusque erat, qualiter & cervina plerunque exiſtunt. Color erat ex fuſco cineritius in flavitiem dilutam vergens,
C præcipuè quod in verſuris aut ſtriis, verſus graciliorem finem magis exſtabat.

Tale fuit Unicornu Electoris Palatini, cujus inſpectioni adhibiti præſentesq; interfuerunt, Medici & Pharmacopæi infra ſcripti, quique diploma ea de re publicum in facti fidem, ſui quisque nominis ſubſcriptione confirmarunt, die, menſe, & anno ſupra aſſignatis: videlicet ſequentes:

HENRICUS SMETIUS, Med. Doctor ejuſdemque Profeſſor ordinarius, & facultatis Medicæ in Acad. Heidelbergenſi pro
D tempore Decanus, ætatis ſuæ anno 50.

JOHANNES POSTHIUS, Med. D. & aulæ Palat. Electoralis Medicus, ætatis annum agens. 50.

GUILIELMUS RASCALONUS, Med. D. wormatienſis Reip. Medicus, ætatis anno 60.

BERNHARDUS GROCKIUS Med. D. & Noſocomii Electoralis medicus, ætatis anno 43.

THEODORUS SEMMELBECKER Medicus Heidelbergenſis, ætatis annum agens 36.

BALDOINUS CLODIUS Medicus Heidelbergenſis, ætatis ſuæ anno 29.

PHILIPPUS STEPHANUS SPRENGER, Pharmacopæus Electoralis, annum agens 47.

EZECHIAS FETTICH, Pharmacopæus urbis Heidelbergenſis, anno ætatis 22. A

Et hactenus quidem de cornu Monocerotis tam famoſo adverſus toxica remedio, Principumq; alexipharmaco. Tu tecum conſidera, & quid videatur perſcribe. Feliciter diuq; vale 18. Martii 1587.

EPISTOLA II.

HENRICUS BRUCÆUS MED. Roſtochienſ.

HENRICO SMETIO, MED. PROfeſſor. Heidelberg. B

CENSURAM AGIT,

In theſes de humorum neceſſitate & febre tertiana exquiſita.

CALCULUS qui graviter me afflixit, non tam de ſtudiis, quam de morte meditationem injecit. Ubi vires nonnihil reſumpſi, C & nuncius hic ſe obtuliſſet: habitas à te diſputationes, de quibus judicium meum requirebas, inſpexi. Et quæ de humoribus agunt theſes percurri, in quibus non planè tecum ſentio: dum humores corporis noſtri vis eſſe elementa. Cum elementa permaneant in re cujus dicuntur eſſe elementa: humores verò nequaquam, ſed planè mutati tranſeunt in ſubſtantiam corporis noſtri, rectius partes ſimilares ſenſilia corporis noſtri elementa dixeris.

Secundæ quoq; propoſitionis theſis non videtur vera. Nam cum pili capitis & teſtes nobiſcum ſint congeniti, non tamen ad vitam neceſſarii. In confirmatione verò, minoris, quod aſſeris humores ex- D crementitios naturales ex alimentariis naſci, neſcio an veterum doctrinæ conſentiat. Eadem enim actione caloris in Chylum, qui diverſarum eſt partium, contingit & humores alimentarios & excrementitios ſimul generari, non autem ex genitis alimentariis oriri excrementitios. Gignuntur enim utrique humores unâ & eadem

dem actione naturæ in Chylum agentis. Non eo tamen inficias ex nimia uſtione, quam calor præter naturam efficit, bilem utramque ex alimentariis humoribus naſci poſſe.

Verum de hiſce hoc loco non agitur.

Quod verò humorum varietatem neceſſariam aſſeris, ob partium nutriendarum diverſitatem, ut ſeſe mutuò foveant & ſuſtentent, cenſeo haſce ob cauſas minimè varietatem humorum inducendam. Verum humorum varietatem, neceſſariò materiam ex qua generatur, ſequi. Cum enim Chylus ex variis partibus conſtet, ob alimentorum naturam, fit per materiæ diverſitatem, ut ab uno & eodem agente, non queat produci uniformis quidam humor, ſed varius ex quovis alimento, major verò minorve hujus vel illius copia pro temperamenti alimentorum varietate, & agentis caloris vehementioris languidiorisve diverſitate. Et quamvis partium varietas hoc requirere videatur, ut Gal. alibi meminit & Hipp. exemplo à ſtirpibus petito confirmat, attamen hoc exemplum magis eam ſententiam confirmat, quæ ſtatuit, ſtirpes eodem in loco poſitas ſimiles attrahere ſuccos, ſed hos pro cujusque ſtirpis natura mutari, id quod inſitiones manifeſtè docent: diverſi enim ſurculi eidem arboris trunco inſiti, humorem eundem à trunco communi acceptum, quilibet ſurculus in propriam ſuam ſubſtantiam convertit, evidenti argumento, non ob partium diverſitatem humoris alimentarii veritatem eſſe neceſſariam. Nec video quid ſanguini maximè benigno & temperatiſſimo, ſuccus melancholicus contulerit, quin potius aliquid ſuæ benignitati detraxerit. Dum autem aſſeris, quæ ſemper adſunt eſſe neceſſaria; eadem ratione neceſſitas ſequitur excrementorum, quæ non abſolutè neceſſaria ſunt: cum ſatius eſſet iis carere. ſed neceſſariò materiam ſequuntur, quæ cum multa contineat terreſtria & aquoſa nutritioni inepta, neceſſariò oriuntur excrementa. Cum omnis concoctio ob cauſam commemoratam ſua habeat excrementa.

In theſibus de tertiana exquiſita propoſitis, velim ſecundam theſin à te latius explicatam & confirmatam: neque enim probabilia mihi dicere videntur, qui humores extra vaſa in habitum corporis propelli, ibique putreſcere, & febrium intermittentium cauſam ſtatuunt. Nam præter rationes, quæ à Fernelio adducuntur, quibus ſedem humorum, qui febres intermittentes committunt, in hypochondriis ſtatuit: docent & viſcera plerunque affecta, in tertiana hepar, in quotidiana ventriculus, in quartana Lien; quod in iis excrementitii humores potiſſimum reſideant. Sed & vomitus ut plurimum oborientes idem teſtantur. Nec video cur humor hic in habitum corporis propulſus, in ventriculum feratur, (rectiore & breviore via in cutim propellendus) niſi ob ſedem in hypochondriis exiſtentem. Rectius ſentina evacuatur vomitu, cum humores excrementitii, à quibus febres intermittentes oriuntur

in hypochondriis ſedem habeant, non in venis, è quibus in habitum corporis pellantur. Quid, quod ipſa curatio idem confirmat: cum in omnibus intermittentibus inprimis vomitus probentur. Nec video, quorſum in tertiana legitima uterentur iis, quibus obſtructiones tollantur, niſi in hypochondriis malum conſiſteret. Hiſce benè vale, cognate chariſſime, prolixiorem enim vetat eſſe tabellarius. Ad theſes epilepticas proximis literis reſcribam. Saluta conjugem cum filiabus, Roſtochii. XXVII. Julii. Anno Domini 1588. &c.

A

EPISTOLA III.
HENRICI SMETII MED. Haidelberg.
RESPONSIO
AD
HENRICI BRUCÆI, *contra theſes ſuas de humorum neceſſitate, & febre tertiana objectiones.*

B

NEGAS, honorande cognate, humores corporis noſtri eſſe elementa, propterea quod Elementa permanere debeant in re, cujus dicuntur eſſe Elementa, humores verò nequaquam, ſed planè mutati transeunt in ſubſtantiam noſtri corporis. Rectius itaque partes ſimilares ſenſilia noſtri corporis Elementa dixeris. Reſpondeo, primum me cum Galeno loqui, qui lib. 2. de Elementis cap. 1. ſtatim in principio quatuor humores diſertè omnium animalium ſanguine præditorum, non hominis tantum, & quidem propria Elementa appellat, Secundò ad rationem tuam dico non eſſe neceſſe, C
ut Elementa permaneant immutata in re cujus ſunt elementa. Nam neque communia omnium rerum elementa permanent immutata, ſed alterantur, transeuntque non ſolum in ſubſtantias rerum compoſitarum, ſed etiam in ſe mutuo. Nam ignis in aërem; aër in aquam; aqua in terram per condenſationem; & rurſus terra in aquam, aqua in aërem, aër in ignem per rarefactionem majorem, aut minorem commutantur. Et in plantis nullum Elementum ne terram quidem, cujus tamen præ aliis omnibus longè maxima in illis eſt portio, puram aut permanentem videmus. Neque in meteoris humidis grandine, rore, pluvia, ne aqua quidem mera D
eſt; imò nec in ipſis elementis terra pura eſt, alioqui adamante durior tota eſſet, neque aqua pura; alioqui glacies futura. Tertio, quod ſimilares partes ſpectat, illæ non tam rectè elementa, ſed potius partes corporis noſtri, etiam ipſi Galeno vocantur. Sicut in plantis radix, truncus, cortex, fibræ, venæ, folia, medulla, flos, ſemen, &c.

men,&c. plantarum potius partes, quam Elementa exiſtunt.

Ad objectionem contra ſecundam noſtram theſin, cum pilos capitis & teſtes nobiſcum quidem congenitos, non tamen ad vitam neceſſarios dicis. Reſpondeo, theſin non habere ad vitam neceſſaria, ſed nobis neceſſaria: neceſſitatem enim eorum, quæ nobis congenita ſunt, variam eſſe. Alia enim ad vitam neceſſaria ſunt, ut cor, pulmo, thorax, arteriæ, venæ, hepar, cerebrum, nervi: pedes ad ambulandum quidem, non tamen ad vitam neceſſarii: manus ad agendum; non tamen ad vitam neceſſarii ſunt. Ita pili capitis
A ad tegendum caput; non ad vitam; neceſſarii ſunt; teſtes ad propagationem ſpeciei, non ad vitam neceſſarii ſunt: multi enim ſine pedibus, manibus, oculis, auribus, pilis, ſine teſtibus denique vivunt.

Ad tertiam objectionem, qua dubitas an veterum doctrinæ conſentiat, quod dixerim humores excrementitios naturales ex alimentariis naſci. Reſpondeo, nos in diſputatione de humoribus, theſi. 3. diviſiſſe eos primum in ſupervacaneos, & alimentarios. Supervacaneos (quos etiam excrementa vocavi) alios utiles, alios inutiles eſſe. Sub inutilibus, ſudorem, mucum, ſputum, menſes,
B ſortes cutis, lotium, alvi feces complector: Utilia excrementa quædam ſuo corpori prodeſſe, ut felleum & melancholicum: quædam alieno, ut lac & ſemen. Alimentariorum alium eſſe chylum, alium chymum, hunc etiam ſanguinem generaliore voce dici aut ſuccum. Succorum alios primarios, alios ſecundarios eſſe. Primarios in ſanguinem, bilem, melancholiam, & pituitam diſtinxi, ſanguinem in illum, qui proprie & impropriè dicitur. Bilem in alimentariam & excrementitiam. Bilem excrementitiam in naturalem & præternaturalem. Naturalem in flavam & pallidam; excrementitiam præter naturam in vitellinam, porraceam, æruginoſam,
C glaſteam, cæruleam, easque ex flava bile excrementitia naturali, pro aſſationis modo, & quidem in jecore & venis plerunque generari à calore vehementi & pertinaci teſtatur id quoque Gal. lib. de atra bile. cap. 2. ſicut etiam lib. 10. ſimp. cap. 12. ubi non ſolum has ſpecies, ſed etiam atram nonnunquam videri in Aquilarum & milvorum corporibus. Sed viridem ego in folliculo felleo diſſectorum vidi, & cæruleam in ſanguinis ſecta vena emiſſi pelviculis, ſubinde ſupernatantem conſpexi. Nigerrimam in canum excrementis ſæpe videre licet. Non nego tamen porraceam, æruginoſam, glaſteam, non raro in ventriculo, ab eſculentis acribus vitio-
D ſis generari: ſicut etiam videre eſt in theſi noſtra 16. de humoribus. Sed in re propoſita, de naturalibus; non autem de iis, qui præter naturam ſunt, agitur

Objicis præterea humorum varietatem non adeò neceſſariam, ut ſe mutuo foveant & ſuſtentent, aut ut partes corporis diverſiſſimas nutriant. Sed humorum varietatem ex ciborum varietate

ſequi, imò humorum varietatem eſſe minimè neceſſariam, judicas exemplo inſitionum, quibus diverſi ſurculi eidem arboris trunco inſiti, eodem etiam communi humore, ab arboris trunco accepto vivunt. Deinde cenſes ſuccum melancholicum ſanguini benigno & temperatiſſimo nihil conferre, ſed potius detrahere benignitati ejus. Quod ad primum horum attinet, agnoſco tecum ex raritate ciborum varietatem humorum ſequi: ſed ita tamen, ut & ventriculi & hepatis, & totius corporis temperatura, permultum conferat. Nam quid dicemus de vaccis, equis, capellis, ovibus, fœno arido: infantibus lacte, pulticula viventibus, de miſeris Ruſticis A & aliis pauperioribus ſimplici pane, & aqua victitantibus, qui nihilominus & vivunt & valent ſalubrius illis, qui varietate eſculentorum & vino abundant. Annon & illi varietatem humorum habent? Nemo id opinor negaverit. & probatio non eſſet difficilis: licet pro diverſitate & temperamenti & materiæ & temporis, modo hujus, modo illius humoris, tum excrementitii tum alimentarii plus aut minus generetur. Quod de inſitionibus affers: licet eodem ex ſucco per radicem & truncum arboris unius attracto, tot diverſi ſurculi inſititii alantur, non tamen inde conficitur, ſuccum illum ita eſſe ſimplicem, quin ſit quadruplex ex 4. B elementis conflatus: & in ſe habeat cal. frig. hum. ſiccum, ex quo ſucco tam vario, diverſi illi ſurculi ſibi competens nutrimentum eliciunt. Et niſi hoc eſſet, quomodo tam diverſæ unius plantæ partes, radix, matrix, caudex, cortex, frondes, floſculi, ſemina, fructus, ex uno eodemque illo ſucco produci & vivere poſſent? De melancholico ſucco quod dicis, ſanguini temperatiſſimo & benigno humori nihil conferre, ſed potius ipſius benignitati detrahere. Reſpondeo, illum quamdiu non excrementitius ſuccus eſt, ſed alimentarius, & maſſæ naturali proportionatus, non magis obeſſe, quam caſeoſa pars lacti ſolet. Quod ſi ſepares, pinguem, aëream, C tenuem, aqueam, ſeroſam, craſſam, terreſtrem, caſeoſam ſubſtantiam invenies: quæ inter ſe miſtæ & proportionatæ nutrimentum variis infantis partibus utilius, quam ſeparatæ præbebunt.

Objicis rurſus; ſi quæ ſemper adſunt, ſunt neceſſaria, eadem ratione ſequi, ut & excrementa ſint neceſſaria, quibus præſtaret carere. Reſpondeo, quamvis quidem præſtabilius videretur omninò excrementis carere: interea tamen cum ali nos ad vitæ ſuſtentationem neceſſe ſit: nec prorſus tenuiſſimo alimento, ut aëreo ſolo, nec liquido humido, ut aqua vel potu ſolo: ſed craſſiuſculo D quodam terreſtri opus ſit, quum talis ſubſtantiæ ſit corpuſculum noſtrum; idcirco etiam excrementa aliqua à talis nutrimenti coctione ſeparari neceſſe eſt; quamvis illa ſemper adeſſe non ſit opus; quandoquidem evacuata abeſſe aliquantiſper poſſunt; donec

donec nova recolligantur. Sicut in illa virgine, quæ mihi viſa, nota , & examinata in Palatinatu ſortis Caſimiranæ in pago Schmidweiler (quæ ab anno LXXVIII. hactenus per annos decem ab omni cibo & potu abſtinuit) nulla excrementa fuerunt, quæ tamen tandem hoc anno aliquid guſtare cœpit circa Calen. April.anno 88.

Ad Theſes de tertiana quod attinet, non illas ego, ſed candidatus ex Galeni doctrina conſcripſerit, ſicut hic moris eſt ; licet ego illas quibusdam in locis caſtigârim. Interea ut nec tibi , ita nec mihi probabilia dicere videntur , qui humores extra
A vaſa in habitum corporis propelli, ibique putreſçere, & febrium intermittentium cauſam ſtatuunt. Sed neque hoc verba noſtra præ ſe ferunt; dicimus enim extra vaſa putreſcere, & quidem indefinitè, ſive in habitu corporis , ſive in hypochondriis quis fieri velit. Ego ſemper ſanè ita exiſtimavi,in hypochondriis potius vitium hærere & non minus illic extra ſeu majora ſeu minora vaſa , quam in habitu corporis eſſe poſſe. Nec mihi ſatisfaciunt, quæ Trincavella in epiſtolis ſuis affert. Cur enim non æquè in ventriculo, meſenterio, hepate, liene aut vicinis aliis par-
B tibus, humor etiam extra minores venas colligi & putreſcere,adeoque absque tumore aliquo infigi queat ? cum & illa eadem viſcera extra vaſa ſua, id eſt , venas & arterias non minus ſubſtantiam quandam pro ratione ſui carnoſam , aut παρέγχυμα quoddam, in quo putredo oriatur,habeant, quam muſculi ipſi , qui in habitu corporis conſiſtunt, Vale Heidelbergæ,28. Auguſti,1588.&c.

THESES

THESES
de
EPILEPSIA

PRÆSIDE CLARISSIMO VIRO
D. D. HENRICO SMETIO MEDICO ET A
PROFESSORE IN ACADEMIA
Heidelbergenſi publico

Reſpondente
M. MARTINO BIDERMANNO Ravenſpurgenſi.

Diſputata die XXIII. *Septembris.*
ANNO M. D. LXXXXII. B

QUÆSTIO

CVM *Deus Opt. Max. à quo, teſte Platone, omnis livor & invidia abeſt, quàm longiſſimè, hominem præter ſenſum & motum, ratione quoque præditum, quo ſcilicet ſui imaginem is exprimeret, eſſe voluerit: in Epilepſia verò, non tantum radius ille divinus, ſed & reliquæ quoque animales functiones vel planè abolitæ, vel ita interceptæ & depravatæ videantur, ut ne belluæ quidem aut ferarum actiones exercere amplius valeat: quæ tanta metamorphoſeos cauſa & curatio ſit, non immeritò à Medicis quam diligentiſſimè eſt exquirenda.* C

THESIS I.

ETSI enim mens noſtra per ſe, (ut ἀΰλόν τι) ἀπαθὴς, omnisq; mutationis & alterationis ſit expers: tamen, quamdiu hoc corpuſculum noſtrum inhabitat, non nihil de ſua perfectione & integritate diſcedit, ſeque inferioribus animæ facultatibus conſocians, ſenſuum tum interiorum tum exteriorum non ſecus, ac Rex quidam in ſua Regia, ſatellitum ſuorum miniſterio, & famulitio utitur: unde per accidens ipſa quoque materiata quodammodo & paſſionibus obnoxia redditur. D

Sentiens

II.

Sentiens verò anima cùm forma phyſica ſit, ut quæ corpus ſuū
non tantum informet, ſed & rectè beneque informato eo, tanquam
inſtrumento proprio, ad ſuas actiones utatur: ſanè organo illo in
ſua ſubſtantia aut κρᾶσιν propria mutato, pro ratione illius motio-
nis, etiam ἐνεργείας & actiones ejus vel immutari vel aboleri prorſ-
ſusque ſuo fine eam ſpoliari, quam primùm eſt neceſſe.

III.

Talium autem inſtrumentorum duplex eſt ratio & natura;
A quædam enim ita ſunt comparata, ut ad ſuam actionem perficien-
dam non alia externa ope, quorum quippe vis actionis cognata eſt,
indigeant: quædam verò tantum abeſt, ut per ſe efficere aliquid poſ-
ſint, ut ſemper opus habeant alterius cujusdam illuſtratione, à quo,
non ſecus ac aër ſuum lumen à ſole, vim ſuam & facultatem actio-
nis accipiant.

IV.

Quoniam porrò pro diverſitate actionum, quas Medici philo-
ſophi ſecundum tres diſtinctas animi ſedes, triplices ſtatuunt, anima-
lem, vitalem, & naturalem, diverſa quoque earundem cum inſtru-
B menta, tum principia Natura ſit enixa: fit ut ubi aliqua ex illis actio
noxam in ſe, inſtrumentis illius illæſis & haudquaquam affectis, ſed
rectè ſe habentibus, ſuſtinet, ipſum tunc principium malè diſpoſitū
affectumque eſſe rectè dicatur.

V.

Animalium itaque functionum, tum omnium principium
fons & origo, tum nonnullarum præter id, & inſtrumentum, cere-
brum ipſum benè temperatum, recteque diſpoſitum atque confor-
matum cum ſit: ſequitur ut hoc ipſum, quatenus læditur, ſubjectum
eorum affectuum, quibus illas affici contingit, ex quorum numero
C haud poſtremus eſt ipſa Epilepſia, jure ſtatuatur optimo.

VI.

Eſt namque Epilepſia nihil aliud, quam convulſio omnium
totius corporis partium, non perpetua, ſed interrupta, ut quæ ex tē-
porum intervallis accidat, cum mentis atque ſenſuum oblæſione
conſiſtens: unde varia quoque huic malo nomina, vel ad ſubjectum
nobile, ἱερὰ νόσος: vel ad contumaciam ejus: ἡρακλεία νόσος. vel
denique ad crudeliſſimum notiſſimumque ſymptoma, reſpicientia,
convulſio, convenienter impoſita eſſe judicamus.

VII.

D Verum cum hæc hujus mali notatio, ut quæ vulgò cum Medi-
cis ſit communis, ad ejus perfectam ſcientiam, nedum curationem,
qui ſcopus ſcilicet eſt, ad quem Medicus omnes ſuas intentiones diri-
gere ſolet, minimè ſufficiat: alia nobis, quæ hujus ſymptomatis diſ-
poſitionem, ad quam id ſequatur, cauſam proximam atque conti-
nentem morbi, ſubjectum deniq; proprium ejusdem adaperiat erit
inveſtiganda

inveſtiganda afferendaque. Hoc enim modo proprietates phyſicas & accidentia corporis inveſtiganda definiendaque eſſe, ſummus nos docet philoſophus.

VIII.

Vt autem voti hujus compotes fieri poſſimus, φαινόμενα quędam, quæ ſcilicet in Epilepſia ipſis manifeſtè occurrunt ſenſibus, cõſiderantes; à notioribus nobis, ad notiora naturæ progrediemur: & per poſteriora, ea, quæ φύσει illis ſunt priora, indagabimus.

IX.

Sit itaque illorum φαινομένων primum, quod videamus cunctos ferè hoc morbo affectos ſubitò, more proſtratorum, cadere, A
humique facultate quæ corpus rectum tenebat, ſubito vel retracta deperditaque, vel ſaltem impedita proſterni: cum autem à cerebro per nervos etiam tum temporis facultatem & ſpiritus animales partibus corporis communicari firmiter credamus: non propter defectum igitur eorundem: ſed facultatis potius mandantis imperantisque quid fieri oporteat, ut quæ ſui tunc officii, (aliis quippe in rebus occupata impeditaque) obliviſcitur, contingere id vitio ſtatuimus.

X.

Alterum non minus manifeſtum φαινόμενον occurrit, cum B
quam primum partes nervoſæ contorquentur, convelluntur, nec nõ brevibus ſaltuoſisque motibus concutiuntur. Quoniam vero hic non ſecus, ac in propriè dictis convulſionibus nervi ad ſua principia revelluntur, quis eſt qui non videat, hunc inordinatum motum ad ſui principii motionem, cerebri ſcilicet contractionem, qua ſe ipſum ad expellendum id, quod moleſtum eſt, colligit contrahitque, ſequi, ipſosque nervos ἰδιοπαθείᾳ omni liberos, per conſenſum tantum cerebro coaffici.

XI.

Mentem quin etiam, intellectum, omnemq; cognitricis animæ C
operationem aboleri, tam manifeſtum eſt, ut paroxyſmo ſoluti non recordari amplius eorum quæ acciderunt, poſſint. Quod certè non alibi, quam in ipſo cerebro, harum actionum omnium tum principio, tum inſtrumento, noxam eſſe loquitur apertiſſimè.

Paradoxum 1. Non fieri ab obſtructione cerebri.

XII.

Accidit autem id, non quod ventriculorum cavitas, ut plerique cum Galeno cenſuerunt, à materia quadam infarciẽte, quam vel pituitam vel melancholiam fecerunt, ſit obſtructa; ſed quia virtus & natura animalis tum alio in negotio occupata, ſollicitè omnes ſuas vires in id unum intendit, quo id quod ſibi moleſtiam infert; expellat, & à ſe, quam fieri poteſt longiſſimè, protrudat. D

Paradoxū 2. fieri ob ſolutionem continui.

XIII.

Hiſce ergò, ut ὑποθέσεσι firmiſſimis poſitis, Epilepſiam ab eo morbo dependere affirmamus, qui ſit ex genere ſolutionum continui, factus à qualitate quadam moleſtante, & vellicante ipſam ventriculorum

triculorum cerebri membranulam, ad quam excutiendam cerebrũ ſtudioſè ſe colligit, contrahitque, & tamdiu cum ipſa luctatur, donec vel vincat, vel vincatur; unde ad talem cerebri motum, nervi quoq; totius corporis contrahuntur, atque convelluntur, cum omni ſenſus & intellectus interceptione.

Paradoxum 3. Πρῶτον δεκτικὸν eſſe membranulã quæ cerebri ventriculos ſuccingit.

XIV.

De vera autem nos hic tantum & abſoluta Epilepſia agimus. Eſt enim quædam, quæ nõ tam manifeſta & immania infert ſymptomata, ſed, leviſſima comprehenduntur ægroti acceſſione, adeo ut vix
A concuti videantur, nec cadunt, quamvis nonnihil vacillent pedes, & quaſi perterriti clament, ſed ſtatim ad ſe redeunt: & hæc quaſi medio ordine inter Epilepſiam abſolutè ſic dictam, & vertiginem conſiſtit. Proinde non pauci, vertiginem dixerunt, diminutam Epilepſiam, & ingraveſcentem illam in hanc faceſſere prodiderunt. Quomodo verò ab Epilepſia, de qua nos hoc loco agimus, diſcerni queat, in diagnoſticis videbimus.

XV.

Quoniam porrò hic morbus inſtar generis cujusdam logici ſe habet, ideo quot ejus ſpecies ſint, indagandum reſtat quàm diligen-
B tiſſimè. Licet itaque Galenus lib. 3. de locis affectis cap. 7. tres comitialis morbi ſpecies, non abſque ratione inveſtigaverit: tamen, cum generationis modus unus idemque ſit in ſingulis, nos διχοτομίᾳ cõtenti, bipartitò eum, in primarium ſcilicet (qui & per ἰδιοπάθειαν & πρωτοπάθειαν cerebri) & ſecundarium, (qui, quamvis, ut ille, cerebri ſit proprius, fit tamen tantum per συμπάθειαν ejusdem) jure ſecandum ducimus optimo.

XVI.

Si enim vel in ventriculo, vel in extremis corporis partibus, manu, pede, &c. aura, & qualitas quædam cerebro infeſta generari, il-
C ludque per conſenſum, tam horrenda quàm primum ut proferat ſymptomata, ita afficere & moleſtare (quemadmodum rectè eodem citato loco Galenus refert,) poteſt; quid prohibet, quominus ſimile quid in ipſo cerebro contingere poſſe ſtatuamus? Similium namq;, imò eorundem accidentium, eandem quoque cauſam ponendam eſſe, & ratio & philoſophi dictitant.

XVII.

Nec interim nos latet, haſce ipſas modo nominatas Epilepſiæ ſpecies variè inſuper, ſed accidentalibus quibusdam tantummodo differentiis à ſe invicem differre: ut ſunt, quæ ex laborantium po-
D tius corporum ac naturarum varietate, quam ipſius affectus diverſitate naſcuntur, nec nõ, quæ vel ex quadam cauſarum permiſtione: vel ex majore minoreque copia & acrimonia cauſarum hunc morbum efficientium oriuntur. Sic alii ſpumam ex ore ejiciunt, alii ſine ſpuma concidunt & torquentur.

XVIII.

Cauſa Epilepſiæ conjuncta quæ ſit, diximus. Cum verò ad effectum producendum multæ cauſæ ſuo, & certo quodam ordine ſe invicem, ita, ut nunc hæc ſit γενέσεως prima & maximè diſſita, illa propinquior; tertia proxima & ἐνεργείᾳ ultima: hæc interna, illa vero externa, ſequantur; ut Medicus finem ſuum ritè aſſequatur, non unam tantum, ſed omnes & ſingulas eum cognitas probeque perſpectas habere oportet.

XIX.

Paradoxũ 4. cauſam Epilepſiæ eſſe qualitatẽ moleſtam

Materialis ergo γενέσεως cauſa interna eſt vapor, fumus, halitus & aura quædam, ut & humor aliquis vel in exigua quantitate qualitatem nunc in ſe manifeſtam, nunc occultam, malignam contagiique non omnis interdum prorſus expertem continens, cerebri ventriculorum membranulam laceſſens, atque irritans: cujus etiam cauſas antecedentes materiatas varias, & ſubſtantia & locorum diverſitate disjunctiſſimas tales ſtatuimus, ut non tantum humores illos quatuor vulgares excrementitios, ſed & ſemen, & menſtruum illum ſanguinem, ſi à natura ſua & ſubſtantia, plurimum illa diſceſſum aliquem fecerint, fomitem ejusdem eſſe poſſe, tum rationibus, tum experientia confirmari cenſeamus. A B

XX.

Cum itaque jam vel cuivis appareat, morbum hunc cacochymiæ potius, quam plethoræ, propriæ ſic dictæ ſobolem & effectum eſſe; utique nimis longum tædioſumque eſſet, cauſas illas omnes, quibus prægreſſis, materia & cauſa effectum actu & immediatè producere ſufficiens, quales ſunt victus ratio præpoſtera, nec non, ſive totius, ſive quarundam vel principum, vel minus principalium partium intemperaturæ, quæ tamen nunc eſt aut naturalis, aut aſcititia, interdum verò ex utriſque mixta, in corpore expullulare ſolent, hoc loco ſpeciatim recenſere? Unde eas tanquam inventu faciles, non tam inveſtigandas, quàm diſcernendas prudenti relinquimus Medico. C

XXI.

Efficientes ſimiliter materiam ad morbi generationem moventes, corpusque, ut facilius à cauſis morbi effectricibus pati poſſit, præparantes, non ſunt uniusmodi; ſed aut externæ eſſe poſſunt, ut tempus, regio, ambiens valde intemperatus aër, odores, fœtores tetri: aut internæ, cerebri nimirum imbecillitas, vel exquiſitus ſenſus: quod illa facile recipiat gignatque talem cauſam; hoc verò quàm primùm & exquiſitiſſimè talem moleſtiam, ad cujus perceptionem hujusmodi motus & ſymptomata ſequuntur, ſentit: vel etiam alterius alicujus partis laborantis robur, quæ materiam morboſam à ſe in cerebrum repellat: vel denique animi & corporis motiones, & affectus immodici, ut ira, triſtitia, excandeſcentia, &c. D

Gene-

XXII.

Generatur itaque Epilepſia, cum talis quædam, quam diximus, qualitas vel in ipſa cerebri ſubſtantiâ genita; vel aliunde ei communicata, illam vellicando, mordendo, aut alio quovis modo moleſtiam doloremve inferendo, ejus unitatem ſolvit, ad cujus perceptionem mox cerebrum inſurgit, omnibusq; ſuis viribus collectis, ſe ad illius expulſionem contrahit, concutit, colligitque; unde & talis quoque motus inordinatus, & convulſivus totius corporis, unâ cum mentis & ſenſuum omnium interceptione conſequitur.

A XXIII.

Ad perfectam porrò hujus morbi cognitionem, ut & ejuſdem ex corpore humano expulſionem ſigna requiruntur triplicia: quorum ſcilicet quædam morbum imminentem: quædam verò jam præſentem nobis indicent, ſpecies cauſasque ejus diſcernant nec non ab aliis ſpeciem quandam, & ὁμοιότητα cum comitiali habentibus, diſtinguant: quædam denique futurum eventum ejuſdem prænuncient.

XXIV.

Προηγούμενα igitur, ut plerunque, ferè, non quidem ſemper, hoc B vitium præcedere ſolent, ſunt, Paulo authore, corporis animique ſtatus minimè arbitrarius, eorum quæ perceperunt oblivio, turbulentæ ſomniorum imagines, oculorum caligatio, tinnitus aurium, pallor faciei, ut & alia quam plurima, quæ ſcilicet à mala temperatura, & abundantia humorum vitioſorum, omnes ſenſitivas actiones, tam interiores quam exteriores corrumpentium, dependent. παθογνωμονικὰ verò, ſignaque cum effectu conjuncta quæ ſint, diximus jam antè: quibus accedunt ἐπιφαινόμενα & communiter aſſidentia, ſpuma oris, inordinata vox, ſtridor dentium, urinæ & ſtercoris, ut & geniture nonnullorum involuntaria excretio.

C XXV.

Διαγνωστικὰ Epilepſiæ ſpecies ſunt, cujuslibet partis accidentia & ſymptomata propria, eorum vehementia & perpetuitas. Unde capite primò laborante, ſentiuntur illa de qnibus modo diximus vehementiora, quibus tamen accedit, quod acceſſio repentè hominem, nulla ſymptomatum præſenſione, adoriatur, nec non alia quæ in Arabum, Græcorum & Latinorum monumentis habentur.

XXVI.

Ubi verò conſenſu ventriculi cerebrum afficitur, præcedunt paroxyſmum dolor circa hypochondria, diſtentio, compunctio difficilis D inediæ tolerantia, nauſea, cordis dolor aut animi defectio: illo deſinente, vomitio aliâs pituitoſa, alias bilioſa. Si fomes mali in extremis corporis partibus latet, prehendente acceſſione, velut aura quædam frigidior per continuatas partes in cerebrum efferri percipitur. Sic eodem modo diſquirendum eſt, tum de aliis cor-

porum partibus, quibus cerebrum conſentire ſolet: tum de materiali γλίσχως cauſa accedente, quam αἰπαγνώμη ſuis propriis accidentibus manifeſtare poſſunt.

XXVII.

Ab apoplexia porro ex dictis conſtat; quod epilepſia toto genere, totaque eſſentia, & ſymptomatib. propriis differat. illa eſt obſtructio; hæc unitatis ſolutio: ibi ventriculorum cavitatem, hic membranam eoſdem ſuccingentem aut veſtientem, πρῶτον δεκτικὸν eſſe conclusimus, hic eſt motus, quanquam depravatus: illic autem nullus, & plane omnis abolitus. A

XXVIII.

A vertigine, licet magnam cum illa Epilepſia affinitatem habere videatur, differt quod hic ſit motus convulſivus, ibi nullus: in hac eſt principum omnium, nec non ſenſuum tum interiorum tum exteriorum deperditio: ibi verò imaginationis tantum depravatio, reliquarum animalium facultatum vel nulla, vel perquam exigua noxa intercedente.

XXIX.

Quamvis etiam hic convulſio totius partium corporis accidat, differt tamen hæc à proprie dictis convulſionum ſpeciebus, quod hæ ſint ab invaſione acceſſionis, ad ejuſdem ſolutionem uſque perpetuæ: illa interrupta, ex intervallis rediens, & inordinata: in his & ſenſus & principes facultates illæſæ remanent: in hac verò, de qua in præſentia agimus, cunctæ animales functiones læduntur: hæc pro ſubjecto habet cerebrum: illæ præter id, cunctum quoque nervoſum genus. B

XXX.

Cum denique omnis πρόγνωσις & præſagiendi ratio ex ipſa morbi ſpecie moribus & magnitudine, nec non cauſæ ejuſdem vehementia ac malitia: ut & facultatum corporis viribus, natura, & robore petatur; ſanè ipſe morbus haud leve ad præſagiendum Medico momentum adferet, cum ſit ex genere ſolutionum continui, partem corporis occupet principem, cauſam habeat efficientem cerebro maximè infeſtam, hominem horribiliter & in momento proſternat, intellectu, ſenſibus, omnique ferè animali virtute eum ſpoliet: certè quo diuturnior & vehemētior paroxyſmus apparuerit, & crebrior fuerit, eò periculum majus, & propinquiorem mortem eſſe judicandum: contrà ſi nec crebris nec vehementibus, nec adeo pertinacibus acceſſionibus infeſtaverit: talis minus acutus eſt nec ſtatim jugulat, ſed in longum protrahi, diuturnuſque evadere ſolet. C D

XXXI.

Speciatim verò magis periculoſa eſt Epilepſia infantum & puerorum, quam adoleſcentum & juvenum, quæ tamen niſi hominem citius interfecerit, plerunque pubertatis tempore factis faciendis

curatur:

curatur. poſt pubertatem verò remanens ſæpe ad mortis usque diem continuatur. Periculoſior quoque ea eſt, quæ fit per πρωτοπάθειαν cerebri, quàm quæ per συμπάθειαν exoritur, niſi qualitas illa ſit admodum maligna & venenata. Graviſſima autem eſt & incurabilis plerunque, cum in caſu illo adeſt ſtertor, ſtridor dentium, perverſio faciei, multa ſpuma, involuntaria ſeminis effuſio, ſub caſum acclamatio, & poſt vehementiſſimas motiones alta, plurimaque ſuccedēs quies. Plura qui de prognoſticis deſiderat, principum Medicorum conſulat de iis monumenta; nos nunc tandem ad curationem ac-
A cingemus.

XXXII.

Cognito itaque hoc morbo, ſanè quàm primùm fieri poteſt ei obviandum, & ex corporib. tanquam hoſtis truculentiſſimus, ſummis viribus eſt profligandus propellendusque. Verum cum ex illorum affectuum genere, qui ſtatis temporibus redire & repetere ſuos paroxyſmos ſolent, hic quoque ſit: conſtat utique duo potiſſimum à Medico requiri: alterum ut præſentem ejus ἐνέργειαν, qua corpus hominis ita enormiter afficit, ſenſu & intellectu omni prorſus ſpoliat, qui ſcilicet effectus vulgò ipſe morbus putatur, hominem in in-
B tegrum reſtituendo, exterminet, enervet, & extinguat: denique ne deinceps iſtiusmodi mala redeant, ut quàm ſtudioſiſſimè procuret: illud curare propriè Medici; hoc vero præſervare haud immeritò dixerunt.

XXXIII.

Ad curationem quod attinet, huc dirigenda eſt omnis Medici intentio, ut diſpoſitio illa, ad quam tam horrenda ſequuntur ſymptomata, cerebri tollatur, quæ cum ſit continui quædam ſolutio, & hæc non à ſeipſa, ſed cauſæ ſuæ ope ſubſiſtat, nec τῆς ἕξεως, ſed γενέσεως tantum, & fientis rationem habeat; primò omnium cauſa illa, quæ vellicando, mordendo, vel alia quadam occulta & innominata quali-
C tate moleſtando, eam producit, eſt amovenda delenda, & ex ventriculis cerebri evocanda: qua quippe deleta, vel aliò translata, ſua quoque quamprimùm reſtituetur cerebro conſtitutio; nec non horrida iſta ſimul diſparebit actionum oblæſio.

XXXIV.

Quid, quantum & quando agendum ſit, nunc conſtat; reliquū eſt, ut quomodo, & quibus inſtrumentis & armis hoſtem hunc, vel ex cerebri ventriculis ejicere, vel diſſipare & extinguere valeamus, indagemus. Docent hoc, tum ipſa morbi natura; & eſſentia; tum loci affecti conformatio, ætas & temperamentum; & quæ
D à reliquis petuntur circumſtantiis indicationes. Cum itaque affectus talis ſit, in quo unitas & κρᾶσις cerebri conſubſtantialis à qualitate iſtâ diſſolvitur, totaque facultatum animalium ſubſtantia oppugnatur: ſane eam vel alterantia, vel diſſipantia, vel repellentia, vel derivantia, (ſive id nunc qualitate quadam manifeſta, ſive totius ſubſtantiæ proprietate efficiant) requirentur

medicamenta. Cum porro locus qui afficitur in profundo lateat,
quam primum medicamentis illis vehiculum aliquod eorum, quæ
vel partem ipſam affectam reſpiciant, vel tenuiſſimarum ſint par-
tium, addendum eſſe apparet; eaque omnia pro ratione ætatis, tẽ-
peramentorum & aliorum coindicantium dignitate varianda.

XXXV.

Huc ergo faciunt ſinapi, cardamomum, ſeſeli, eryngium, ca-
ſtoreum, thymus, ſalvia, peucedanum, hyſopus, ſuccinum, ſcla-
rea hortenſis, & his ſimilia, quæ calefaciendo, ſiccando, partium te-
nuitate alterant, diſcutiunt, aperiunt, roborant, malignitati reſiſtũt; A
vim expultricem adjuvant, Item quæ totius ſubſtantiæ proprietate
iuvant, pœonia, viſcus quercinus, cranium humanum, coagulum
leporis, ungula aſini, pes & cornu alces, & alia multa tum experi-
entia inventa, tum authoritate multum comprobata. Ex hiſce ita-
que & aliis quam plurimis, variæ medicamentorum formæ, ut a-
quæ, trochiſci, quales ſunt Clariſſimi Palatinatus Electoralis Me-
dici olim D.D. Johannis Langii & aliorum, nec non unguenta, pul-
veres, olea &c. componi poſſunt, & pro ratione ægroti & aliarũ cir-
cumſtantiarum, nunc extra, nunc intra corpus exhiberi: quibus ad-
di queunt theriaca vetus, & mithridatium, quamvis nec alias anti- B
dotos ſua laude ſpoliandas ducimus.

XXXVI.

Cum porro vel potiſſimum expultrix tunc facultas in expellen-
do, eo, quod ſibi moleſtum eſt, laboret; modis omnibus illa à Medi-
co, naturæ ſcilicet miniſtro, erit adiuvanda; ad quod inprimis in-
ſerviunt ſternutationes, ligaturæ extremitatum fortes, frictiones
aſperæ, ſcarificationes, vellicationes dolorificæ, ut & veſicatoria, &
cauteria extremitatibus adhibita. Hæc namq; cuncta partibus cor-
poris moleſtiam & dolorem inferendo facultatem ſenſitricem (ad
ſenſum enim non tam alteratio, quam eiuſdem alterationis per- C
ceptio requiritur) conſopitam excitant, quæ alterationem in illis
partibus factam cognoſcens, ſui quam primũ muneris recordatur
unde mox ſpiritum animalẽ, calore naturali, & ſanguine multo ſti-
patum, tanquam ſuppetias parti latura, hoſtemque communibus
viribus propulſura, eo demandat, ſimulque cum illis haud exiguã
de qualitate iſta moleſta portionem ablegando propellit, alioque
derivat, aut revellit.

XXXVII.

Ubi v. ex ventriculo, aut aliis corporis partibus aſcenſum ad cere-
brum fieri conjicimus, tum præter dicta, aliis quoque ingeniis qua-
litas illa exhalans, vel revelli, vel intercipi, aliòve derivari poterit, D
præſertim viis & loco primario affecto non incognitis. Hiſce ergò &
ſimilibus curatio, ubi adhiberi tuto poteſt, erit inſtituenda, ægerque
à paroxyſmo præſente liberandus, non neglectis interim partibus
convulſis, quæ leniter, ne ex convulſionis vehementia forte diſrũ-
pantur, oleis certis demulceri debent.

XXXVIII.

XXXVIII.

Verum cum Epilepſiæ curatio non tantum in depulſione particularis acceſſionis conſiſtat, ſed in eo potiſſimum judicetur poſita, ut, ne reditus ejuſdem fiat, procuretur: quod ſupra nos præſervationem dixiſſe recordor; quæ ſanè omnis vel in cauſis procatarcticis, & antecedentibus, tum efficientibus, tum materialibus tollendis excindendisque, vel ſi id fieri nequit, in iiſdem à cerebro avertendis, aut quovis modo abducendis conſiſtit.

XXXIX.

A Quoniam porrò hic affectus cacochymiæ potius, quàm plethoræ proprie ſic dictæ, quemadmodum ſuprà theſi viceſima aſſeruimus, ſoboles ſit; prius ſanè tunc rectè impetrabimus; ubi cauſis efficientibus, & materialibus ejuſdem extinctis, atque remotis, corpus ſanum & purum reddiderimus. Efficientes autem cacochymiam ſunt, tum aër intemperatus, motus & exercitatio vel immodica, vel intempeſtiva, vel planè nulla, ſomnus & quies præpoſtera, animi affectus inconvenientes & immodici, ut denique intemperatura vel totius corporis, vel partium quarundam. Hæc ergo cuncta à diligenti Medico omni cura & intentione adhibita in contra-
B rium ſemper ſunt dirigenda, & ad συμμετρίαν individuo convenientem, quæ ſcilicet Medicis æqualitas ad juſtitiam dicitur, quantum fieri poteſt, erunt revocanda.

XL.

Materiales ſunt: diæta tum cibi tum potus, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in tempore deniq; & ordine aſſumendi delinquens: totius corporis plethora, & obſtructiones, conſtipationes, vacuationes conſuetæ & neceſſariæ intermiſſæ: illa corrigenda emendandaque. plethora ſi adeſt diminuenda: obſtructiones deobſtruendæ, conſtipationes laxandæ, aperiendæque: hæ denique ſuis certis & or-
C dinatis temporibus repetendæ, ſervandæque veniunt.

XLI.

Hiſce utriusque generis cauſis expugnatis, ad eas interim quoque, quas præparantes, nec non corpus ad patiendum à cauſis morbificis aptum habileque reddentes appellavimus, erit accedendum: quæ omnes ſummo ſtudio vel abolendæ, vel ſaltem inhibendæ ſunt. primò itaque occurrit cerebri imbecillitas, qua facile tales exhalationes à partibus inferioribus transmiſſas in ſe aut recipit, aut ipſum gignere eſt idoneum. Hinc medici prudentes appropriatas quasdam aquas, qualis eſt D. D. Langii, pulveres, electuaria, & con-
D fectiones ex conſervis florum Bethonicæ, primulæ veris, ſalviæ, roſarum, &c. invenerunt. Ex conditis commendant maximè nuces myriſticas, myrobalanos chebulos, ut & corticem exteriorem Citri conditum; quibus interdum commiſcent ſyrupum de ſucco Citri, aut Limonum confectum. Non poſtremum denique ſibi locum vendicant Antidoti illæ magnæ, theriaca, mithridatium, aurea Alexandrina & ſimiles.

Hæc namque & ſimilia concoctionem adjuvant, calorem inſitum jecinoris & ventriculi confirmant, ſiccando, diſſipando, evacuando per urinas, menſes & ſudores, obſtructiones tollendo, perſpirabile corpus reddendo, humorum putredini & malignitati reſiſtunt, & quod ſummum eſt, cerebro benefaciunt.

XLII.

Quoniam porrò inter præparantes cauſas, non poſtremum ſibi locum occupat exquiſitus illius cerebri ventriculorum membranulæ ſenſus, poſſunt exemplo aliorum practicorum, dictis medicamentis ſtupefacientia quædam. ut Crocus, ſemen hyoſcyani, mandragoræ, papaveris albi, opium & his ſimilia commiſceri. Hæc namque ſenſum nonnihil obtundendo faciunt, ne tam facilè membranula iſta hujuſmodi moleſtias ſentiat, ſeque tam ſubitò ad expellendum colligat contrahatque. A

XLIII.

Ex efficientibus materiam ad morbi generationem moventibus, erant illa omnia, quæ caput adimplere poſſunt, unde exercitia nimia, ſomnus diurnus, maximè meridianus, calida aëris intemperies, vini meracioris potus, allia, cepæ, raphani, odores fœtidi & ingrati: & in ſumma, cuncta flatulenta & caput implentia, illudque ſubitò de ſtatu ſuo dimoventia, aut quovis modo perturbantia, ſtudioſè erunt devitanda. B

XLIV.

Prohibebitur cauſæ ejuſdem antecedentis ad cerebri ventriculos aſcenſus, ſi prædictis, aut aliis convenientibus mediis extra corpus talis qualitas educatur, aut aliò derivetur, aut transponatur: cui ſanè ſcopo impetrando, præter purgationes crebras, & variis ingeniis, pro natura corporis affecti, & reliquarum circumſtantiarum determinatione tentatas, inprimis magna Medicorum celebratione, inſerviunt cauteria diverſis corporis partibus, ut in pedibus brachiis aut cervice, prout mali cauſa nunc in hac nunc in illa provenire, aut ſaltem intercipi convenienter poſſe exiſtimaverimus, impreſſa: interim tamen nec iis nos omnem, quæ ſingulari quadam totius ſubſtantiæ proprietate hunc morbum profligare creduntur, efficaciam detrahimus, ſed experientiæ hæc cuncta probanda examinandave relinquimus. C

XLV.

Quomodo denique ſpecialiter hic morbus in infantibus & pueris, nec non in individuo aliquo certo ſit tractandus: id partim ex allatis ſcopis univerſalibus, partim verò ex lectione practicorum, qui in ſecernendis hiſce ſpecialibus intentionibus diligentiſſimi inveniuntur, innoteſcere poterit: nobis ſufficiat in genere de iis noſtram aperuiſſe ſententiam, cuilibet ſuam, tum de eſſentia, & cauſa mali; tum de curatione & præſervatione ejuſdem ſanam & inculpatam relinquentes. D

EPIST.

EPISTOLA IV.

HENRICUS BRUCÆUS MED. Roſtochienſ.

HENRICO SMETIO, MEDIC. PROFESSOR.

A

Reſpondet ad

Animadverſiones in ſuas theſes de Hydrope & qua ratione hydropicos duos curarit, docet: & adverſus theſes de Epilepſia quadam affert.

PER grata mihi fuit tua reſponſio, nec ego hic repetam, quæ à te ſunt conſcripta, ſufficit mihi ſententiam meam indicaſſe, & qui-
B bus rationibus fuerim motus, breviter eſſe complexum. Recurri tantum ad locum Galeni cap. 1. lib. 2. de elem. in quo video ipſum humores quoque elementa nominare, ut & partes ſimilares. verum ita intelligo: tanquam proximam materiam ex qua generentur & nutriantur partes. Neque enim convenient cum definitione elementi, in quod rem, cujus dicuntur eſſe elementa, reſolvi vult, ut in lib. quoque de placitis Hipp. & Plat. ab ipſo eſt explicatum.

Quæ à te ſunt animadverſa in noſtra de Hydrope diſputatione, legi accuratè. Quod autem arbitraris omnem hydropem à refrigerato naſci hepate (quamvis plerique veterum ita ſenſerint & non-
C nulli recentiorum) mihi tamen perſuaderi non poteſt: cum viderim non paucos aſciticos calidorum uſu offenſos, frigidis fuiſſe adjutos. Duos commemorabo à me reſtitutos, nobilem unum, alterum inſtitorem. Nobilis hic aſcite laborabat, & cum medicorum Lubecenſium opera fuiſſet uſus, qui electuariis calefacientibus & decoctis ejuſdem generis eum curabant, & in deterius quotidie relaberetur, me acceſſit. Ego cum animadverterem omnia dulcia ipſi in bilem verti, & ipſe æger diceret ſe illorum uſu offendi, uſus ſum radicibus Cichorei, quibus ſpecies diacurcumæ, & diatrionſantalon permiſcui, hiſce quotidie utebatur. Purgavi ſpeciebus
D hieræ, Rhabarbaro, & Agarico æquis partibus, diſſolutis in vino Rhenano, & ſyr. Roſ. ſolut. dejecit libras quatuor, ſex, ſeptem ſeroſæ materiæ, plurimum bile tinctæ. Victus ratio erat media. Vino utebatur Rhenano, quod hiſce in locis verè eſt oligophorum: ſaburraque aquoſæ materiæ magna ex parte ſublata, inunxi ventrem, hepatis regione excepta, oleo rutaceo in vino ſub-

Cc iiij

ſublimato decocto. Sic is in ſumma omnium deſperatione, à nobis eſt reſtitutus diebus. xx.

Inſtitori qui Guſtrovio huc erat delatus, venter obdurus admodum, non adeo tumens, pedes œdematoſi, facies exanguis, ſubtumida, urinæ rubicundæ, excrementa bilioſa. Hic cum obſecrarent amici, ut ejus curationem ſuſciperem, & ego recuſarem, quod judicarem rem propemodum deſperatam, obnixe rogantibus dixi, me facturum, quod in me eſſet, & velle periculum facere, quid ars poſſet. Curationem enim aggreſſurum, pugnantem cum plerorumque medicorum ſententia. Jubeo itaque ut utatur priſana, juſculis carnium in quibus radices Cichorei decoquerentur, acetariis ex radice Cichorei, oxymelite ſcillitio in aceto diſſoluto: aut aceto acri in quo tantundem ſyrupi de marrubio eſſet diſſolutum ad inciſionem abſterſionemque humoris lenti, & obſtructionem tollendam, Cereviſia Embecenſi quæ incidit & refrigerat. Purgabatur hieræ ſpeciebus cum Rhabarbaro, vel ſolo Rhabarbaro, multam bilem perpetuo dejecit, parum ſeroſæ materiæ. Ut poſtea in eam venerim ſuſpicionem, non tam hydrope (cum venter parum intumeſceret) quam viſceris utriusque in ſcirrhum vergentis affectione laboraſſe. Fuit autem in hac ratione curatus diebus 60. Cum aliis calefacientium præſidiis uſi, nihil profeciſſent. Alios novi aſciticos, qui calidorum uſu quotidie in deterius ſunt prolapſi, ut ex hac animadverſione & curatione venerim in eam ſententiam, hepatis refrigerationem non eſſe ſolam cauſam hydropis. A B

De tympanite univerſum corpus infeſtante memorabile exemplum propoſuiſti. Vide ego quandam mulierem nobilem ſimili affectu, ſed non ex ſimili cauſa orto laboraſſe. Et hic quidam adoleſcens accepto vulnere thoracis incidit in ſcroti maximam à flatu diſtenſionem, quæ diſcutientibus flatus fuit reſoluta. Curatio Empyematici plurimum mihi placuit ob materiam pijulco eductam. Mihi nunquam in Empyematicum incidere contigit, quod ſi ſint certæ aliquæ notæ pathognomoniæ, eas velim proximis literis communicari. C

Legi tuas theſes Epilepticas, in quibus videris ad tenuis meningis vellicationem cauſam potiſſimum referre. Ego non arbitror pituitam perpetuo cauſam eſſe, cum Hippocrates alibi dicat, melancholicos fieri Epilepticos & econtra: ut viderit Fernelius, & recenſeat aliquos, qui ex cerebri abſceſſu & corrupta meningis portione epilepſia laborarunt. Veruntamen cum ſcribat Hipp. & res ipſa loquatur, pueros inprimis eo morbo corripi, & mutatione ætatis, locorum, victus ad ſiccius curari: videtur ſæpius humidam & pituitoſam materiam cauſam habere. Et miror ego eos, qui cum aliam cauſam inducunt, tamen remediis uti exiccantibus, attenuantibus & victus rationem attenuantem præſcribere & quæ occulta D

faculcate

facultate, ſive tota ſubſtantia agunt, eadem vi prædita ſunt. Miror autem te neque ſpiritus vitrioli, neque eſſentiæ ſuccini meminiſſe, quæ duo præter cætera celebrantur, ut & unum illud quod ex infuſione florum lilii convallii conficitur. Bene vale Roſtochii. XIII. Novembr. 1588.

THESES
de
CALORE.

A PRÆSIDE CLARISSIMO VIRO
DN. HENRICO SMETIO MED. D. ET PROFESSORE PUBLICO &c.
Reſpondente
M. WOLFGANGO LOSSIO BORNENSI &c.
B Diſputatæ Heidelbergæ &c.
Die 28. Martij. ANNO MDXC.

THESIS I.

CUM inter animata nullum exiſtat, ne quidem planta, nedum animal, quod abſque calore vivere poſſit: non immerito diſputatio de Calore inſtituitur.

II.

Quamvis autem calor plerumque pro qualitate ſumatur, ut cum dicimus calorem æſtatis, ignis aut flammæ: non rarò tamen pro
C ſubſtantia calore prædita intelligi ſolet, ut cum mixta corpora ortum habere dicimus ex calido, frigido, humido, ſicco: hoc eſt, ex Elementis hac vel illa qualitate imbutis.

III.

Eſt autem calor duplex, internus & externus.

IV.

Internus unicuique rei proprius eſt, & inhærens, ideoque aliâs naturalis, nativus, innatus, inſitus, congenitus appellatur.

V.

Externus Calor ille eſt, qui aliunde accedit, de quo poſtea ſuo loco
D dicemus.

VI.

Interni officium eſt, ſubjectum tueri incolume.

VII.

Iſte rurſus in duplici eſt differentia. Alius enim eſt cæleſtis, alius Elementaris.

VIII.

Cæleſtis quoque eſt, vel proprius, vel communis.

IX.

Proprius quidem, qui quod ſolidæ partium ſubſtantiæ inhæreſcat, aliâs fixus dicitur.

X.

Eſt autem prætenuis & ſpirituoſa ſubſtantia caliditate, & quidem cæleſti perfuſa, quæ humido particularum primigenio ab ipſo ſemine inſita & inhærens, præcipuus actionum in illis autor exiſtit. A

XI.

Communis verò eſt ille, qui ex corde velut caloris nativi cæleſtis fonte, per arteriarum tubulos, in ſingulas corporis partes, etiam remotiſſimas, dimanans, influit. Unde & influentis nomen obtinuit, ut nimirum proprium particulæ cujusque ingenitum calorem foveat, & affluxu ſuo reparet. Uterque autem, ut dictum eſt, cælo originem ſuam debet.

XII.

Elementarius autem innatus calor eſt, qui ex convenienti quatuor elementorum permiſtione contemperatur. B

XIII.

Quemadmodum autem cæleſtis ille, omnium functionum primarius eſt opifex: ita elementarius, illius eſt adjutor, quod elementorum temperies cæleſtem illum foveat atque excitet.

XIV.

Cæleſtis ille exuperare non poteſt, nec illius copia vitio unquam dari: verum quo fuerit uberior, ut in infantibus, eò naturales vitæ actiones redduntur feliciores. Quare neque febris ulla in iſto ſubſiſtere valet. C

XV.

Quin neque Elementarius naturalis damnum dabit, aut febrem ſuſcitabit, quamdiu naturæ convenientèr commoderatus manebit aut intra ſanitatis latitudinem continebitur.

XVI.

Nam febris eſſentia, calor eſt præter naturam, qui cum adeſt, tanquam hoſtis infeſtus inſiti illius & nativi ſubſtantiam ſemper oppugnat, labefactat, omnesque ejus actiones interpellat.

XVII.

Elementarius calor ſibi contrarium frigus agno. D

XVIII.

Cœleſtis nullum contrarium novit: privationem pro oppoſito habet nempe extinctionem.

Hactenus de calore interno. De externo aliquid dicamus.

Externus

XIX.

Externus calor qui & adventitius, & alienus aut aſcititius nuncupari ſolet: duplex ſtatui poteſt, unus foris accedens, alius intus naſcens.

XX.

Vterque corrumpendo ſubjecto inſidiatur.

XXI.

Foris accedens calor, corpori noſtro communicatur vel per motum, vel extranei caloris viciniam, vel eſſentiæ calidæ permiſtio-
A nem vel per putredinem.

XXII.

Per motum quidem vel corporis vel animi. Corporis, ut in laſſitudine ex immoderatis exercitiis contracta. Animi vero, ut in perturbationibus ejus vehementibus, quales ſunt ira, mœror, metus. In ira enim ſpiritus ſubitò adeoque vehementer ob vindictæ cupiditatem commotus, incaleſcit & verſus exteriora fertur. In mœrore autem & metu contra, ob malum vel acceptum, quod mitigare non potes, vel impendens, quod avertere facile nequeas, revocantur à circumferentia, centrum verſus, ſpiritus: in metu quidem confertim,
B in mœrore paulatim affliguntur, compreſſique incaleſcunt tandem.

XXIII.

Ob extranei caloris viciniam, qualis vehementioris flammæ commercium, aduſtio capitis à ſole, calidorum medicamentorum frequens uſus cuti admotus, qualia olea unguenta, poteſtate calida, acria, corrodentia, cauſtica, veſicatoria, ſinapiſmi, dropaces. Item thermarum aut alterius balnei, aut Laconici inſeſſus, capite tamen exerto & libero.

XXIV.

Ob eſſentiæ calidæ permiſtionem; ut calidi aëris attractio per
C inſpirationem in vaporariis, & canicularibus diebus; multus meri potus, calidorum medicamentorum, ut aromatum crebrior uſus internus.

XXV.

Per putredinem excitatur, & communicatur calor; ut à corrupti aëris communis attractione, à tabidorum, aut peſte laborantiũ converſatione, aut ab alimentis corruptis.

XXVI.

Externus calor intus naſcens, originem ſuam debet calidi effluxus retentioni. Retinetur autem denſata cute, vel ab ambiente frigi-
D do, vel aquæ gelidæ affuſione uberiori, vel à balneo thermarum aſtringentium, ob alumen, vitriolum aut gallas & ſimilia incocta. Oritur rurſus idem intus ab exercitationum conſuetudine omiſſa, ſicut etiam à plenitudine ad vaſa, & obſtructionibus.

EPISTOLA

EPISTOLA V.

HENRICVS BRUCÆUS MED. Roſtoch.

HENR. SMETIO MED. PROFESS. Heidelberg.

A

RESPONDET

Ad theſes de calore innato & nonnulla objicit.

EO quod abſuerim, cognate chariſſime, ſeriuſculè tuis literis & theſibus de calore innato reſpondeo; quem tu cœleſtem inducis cum Fernelio, & aliis aliquot eruditis viris. Mihi autem nunquam id potuit perſuaderi. Si enim calor inſitus ex ſemine trahit originem: B ſemen verò ex ſanguine: ſanguis autem ex alimentis: unde iſtud divinum ſeu cœleſte, non intelligo. Nec firmas adhuc vidi ullas rationes, quibus calor partibus inſitus & ſpiritus inhærens comprobetur. Elementarem quidem agnoſco hunc inſitum calorem, divinum autem eſſe demonſtrari deſidero.

De influente qui reliquarum partium temperamentum & vitam fovet, eadem eſt ratio, cũ ex ſanguine puriore generetur. Quod ſi aër & vapores potiſſimum ab elementis fluentes eundem nutriũt, eodem redit. Neque ego negaverim, cœleſti calore omnia hæc inferiora foveri. Regitur enim inferior hic mundus à lationibus ſuperioribus, id quod ſolis motus in circulo obliquo manifeſtè demon- C ſtrat, & recte ab Ariſtotele dictum, ſolem & hominem generare hominem, quod omnia forent infœcunda, niſi benignus ille calor in hæc inferiora influeret. Verum alia eſt quæſtio, de inſito calore vel influente in animantibus. Hæc monere volui, tu vide ut mihi perſuadeas, primum in partibus ſolidis eſſe calorem divinum ſeu cœleſtem ab elementari diverſum: Ad hæc eum, qui à corde influit, cœleſtis eſſe naturæ.

Inſtat tabellarius, nec plura ſcribere permittit. Bene vale & filias tuas plurimum meo nomine ſaluta. Quod ſi ut intelligo, natu D major deſponſata eſt: ipſi gratulor, faxit Deus, ut pium & eruditum virum ſit nacta, & concordes mutuo creſcẽte amore, hoc quicquid eſt ævi tranſigant. Roſtochii. XII. Decemb. Anno 1590.

EPISTOLA VI.

HENRICUS BRUCÆUS MEDICUS Roſtochienſis.

HENRICO SMETIO MED. PROfeſs. Heidelb.

A

INSTAT LATIUS

Adverſus theſes de calore nativo, non eſſe cœleſtem.

S. P.

COgnate chariſſime, inveni literas tuas de calore nativo, in quibus ſententiam tuam, quam in diſputatione ejus ſecutus tueris, & confirmas, tum authoritate Hipp. περὶ σάρκων (quem περὶ ἀρχῶν inſcribendum eruditi arbitrantur) tum loco in quo de veteri medicina agit. Non mirum autem Hipp. ita loqui, cum ex Gal. ſententia
B Hipp. arbitratus ſit, animam noſtram eſſe calorem nativum, Et Gal. cum alibi, tum in libro de tremore, idem ſentire videatur. Alibi tamen aſſerit, aut animam eſſe calorem, aut animæ proximum inſtrumentum. In lib. autem de ſubſtantia facultatum animæ non auſus eſt determinare, utrum corporeæ, an divinioris ſit originis. In elementorum verò tractatione dubitat, utrum ex elementorum mutua inter ſe actione & paſſione, corpus ſentiens poſſit oriri. Itaque ubi ſtatuit, calorem innatum proximum eſſe inſtrumentum animæ, non male mihi ſentire videtur, ut rectè philoſophantes arbitrantur.
C Porrò calorem innatum non eſſe agens præcipuum, neq; animam ipſam, ut alibi Gal. cenſet, & Hipp. in loco à te citato ſentit, ſed eſſe animæ inſtrumentum, his verbis determinavit philoſophus: Non enim, inquit, calor operationum viventium ſimpliciter cauſa eſt, ſed anima: calor autem omnino inſtrumentum. & rurſus, ad exequenda animæ officia, calor omnium maximè adminiſtrandi vim habet. Arbitrari autem animum calorem eſſe, perinde eſt, ac ſi ſerram, aut malleum, artem fabrilem eſſe dixeris. Id autem demonſtrat: Si calor, inquit, eſſet præcipua cauſa incrementi, viventia augerentur in infinitum. At hoc non fit. E. calor non eſt forma viventium. Hoc pacto
D ſi ſtatuas, non miraberis naturæ ſive animæ opera à nativo calore perfici: cum calor ad animæ actiones naturales & ſenſitivas edendas, ſit maximè idoneus. Calor, inquam, actu in corpore animato, qui ſit maximè temperatus. Calor enim inſitus non eſt ſimplex qualitas & accidens, ſed ſubſtantia, ut aph 14. lib. 1. ſatis declarat Gal. cujus ſubſtantiam ſtatuit aëream & aqueam; hoc eſt, corpus calidū

& hu-

& humidum, & is tamen, qui nos conſervat, etiam interitus noſtri eſt cauſa; dum agit in humidum, illudque depaſcendo ſeipſum conſumit. Neque locus obſtat Ariſt. qui cum videret calorem ita temperatum, tales operationes edere in animato corpore, dixit proportione reſpondere elemento ſtellarum. Cum videamus calorem cœleſtem fovere hæc inferiora, & ſolem in circulo obliquo eſſe cauſam generationis & corruptionis in hiſce inferioribus. Relegi Fernelii locum in lib. de abd. rerum cauſis, verum mihi hic vir in toto illo opere multa dicere, ſed pauca probare videtur, ſi ad judicii limam revocentur. Et is quoque eo loco materiam ſpiritus ſtatuit elementarem, ſed calorem in ſpiritu, qualitatem cœleſtem. Hæc quomodo probet ipſe viderit. Ego judico meum ſoritem adhuc conſiſtere. D. Battus piæ memoriæ obiit XI. Aprilis. hoc anno nuperrimè. Bene vale. Roſtochii. 19. Octob. Anno 1591. A

NOTA:

Quod ſubſequens ſcriptum, ſeu Reſponſio ad argumenta quædam &c. facit ad oſtendendum, Calorem noſtrum nativum eſſe cœleſtem, utpote dependentem ab anima, quæ cœleſtis exiſtit, ſive ut à Deo creatore primitus Adamo ſoli inſpirata: ab Adamo verò per exemtam ſibi coſtam, in Evam ipſam: ac deinceps ab ambobus tanquam primis parentibus, ad generationem à Domino Deo conjugatis, in liberos per multas hominum myriadas in Traducis modum huc usq; propagata. ſive ut à Deo, ſingulis in utero materno adhuc clauſis, ex theologorum ſententia, cœlitus recens infuſa, conſideretur. B

C

EPISTOLA VI.

RESPONSIO HENR. SMETII.

Ad argumenta, quibus viri Doctiſſimi, etiam vetuſtiſſimi, probare conantur, Animas hominum non eſſe ex TRADUCE, *ſed immediate creari, & fœtui infundi in utero materno, à Deo.*

D

AD L. ST. THEOL. D.

ALiquot S. Scripturæ loca allegant, Eſaiæ 42. 5. Qui indit Animam populo & ſpiritum.

Item

Item Zachar. 12. 1. Iehova fundat terram, & format ſpiritum hominis in eo.

Item Pſal. 33. 15. Formator pariter cordis eorum.

Item Eccleſiaſtis 12 9. Spiritu redeunte ad Deum, qui dederat eum.

℞ primò ad locum Eſaiæ. Deus qui indidit Adæ effigiato ſpiraculum vitæ, ſufflando in nares ejus plaſmatis, Gen. 2. 7. Idem Deus in propagatione ſpeciei, per maris & fœminæ congreſſum, utriusque A ſemini commiſto, benedictione ſua ex utriusque anima, particulam quaſi quandam indit, velut de duarum candelarum compactarum ardentium lumine, tertiam accendendo, absque ulla alterutrius aut ambarum luminis diminutione, non magis, quam ſi de unius candelæ flammula centum alias accendere quis velit, nihilo diminuitur flamma prior.

Ad Zachariæ locum ℞. Jehova format in homine inſtrumenta idonea, cor & arterias, hepar & venas, cerebrum & nervos, per quæ ſpiritus vivificus, à parente utroq; acceptus agere poſſit. Aut format, B i. e, ſua benedictione formam poteſtate activam, ſpiritui à parentib. accepto, donat vel conſervat. Haud n. ſeminis excretio, in ipſo etiam congreſſu facta, formam activam, absq; Dei benedictione retinet, quod in ſterilib. Sara Abrahami, Rebecca Iſaaci, in Rachele Jacobi, Hanna Elcanæ, Eliſabetha Zachariæ & aliis, ad tempus apparuit.

Alia reſponſio ad Zachariæ locum cap. 12. verſ 1. Jehova qui extendit cœlos, & fundat terram, formatque ſpiritum hominis in eo.

Reſpond. quod Zacharias, ut prophetiæ ſuæ ex mandato Dei proferendæ, authoritatem conciliaret, in hæc verba loquatur: re- C ſpiciendo ad principium creationis univerſi, præcipuasque ejus partes, cœlorum, terræ, & hominis primi nempe Adami, factas à Deo, extendente cœlos Geneſ. 1. ver. 6. fundante terram verſ. 10. & ſufflante ſpiritum vitæ, in nares Adami, ex pulvere terræ facti, ut homo fieret in animam viventem. Gen. 2. verſ. 7. Non autem loquitur de Eva: de qua ex coſta Adami effigiata, tandem agit verſ. 21. Neque de filiis eorum, aut hominibus aliis poſteà generatis. Dicit enim, ſpiritum hominis, ut de unico: non hominum, ut de multis. Quippe ne in coſtam quidem, ex qua Evam formavit, Deus ſufflavit.

Ad locum Pſal. ℞ ſimiliter nempe Jehova eſt formator cordis D eorum, hoc eſt, formam cordis activam ſemini parentum inſitam, benedictione ſua provocat, & in actum deducit.

Ad locum Eccleſiaſtis ℞ ſpiritum à Deo in Adami nares ſufflante primitus datum, & poſterorum ſingulis propagando communicatum, ad Deum, qui dederat, redire.

Locum ex Zachariæ 1. 1. quem citaſti, non invenio.

Ad ſe-

Ad ſecundum argumentum, quod in forma ſyllogiſmi ſic habet: Quomodo Deus primo homini Adamo Animam dedit, eodem dat & cæteris. At Adamo immediate inſpiravit. Ergo & cæteris. ℞ negando majorem. Sufficit enim una à Deo facta animæ vitalis inſpiratio. In cæteris nempe prolibus & poſteris inſpirati propagatio, ſicut de accenſione candelæ diximus. Quemadmodum bruta & plãtæ ſemel creatæ, ſemine à Deo ad ſpeciei propagationem, cum mandato creſcendi, & ſe multiplicandi porro, ſunt donata.

Ad tertium argumentum, quod tale eſt: Si anima hominis inſpiratur, non eſt ex Traduce. At verum eſt prius. Ego & poſterius. ℞ A negando totum argumentum. Dixi enim ſufficere unam à Deo ſemel factam inſpirationem, & lumen de lumine acceptum, cum mãdato & benedictione; creſcendi, multiplicandi & replendi terram. Idem dico ad locum Jobi 33. 4. Spiraculum omnipotentis vivificavit me. Sicut & ad locum Sapien. 15. 11. Ignorat eum, qui ſe finxit, & qui ipſi animam inſpiravit efficacem, & ſufflavit in ipſum ſpiritum vitalem. Dico unam Dei inſufflationem Adamo, dum adhuc figmẽtum luteum modò eſſet, in nares ingeſtam, efficacem ſatis fuiſſe, ut non ſolum Evam, ſed omnem poſteritatem humanam, propagando, cum potenti benedictione mandati, creſcendi & multiplicandi ſe, vivificaret ſpiritu immortali. B Abſurdum enim foret, bruta & plantas ex mãdato ſolo Dei ex terra creatas, & ſemine ad ſpeciei propagationem donatus eſſe, Geneſ. 1. 11. 20. 22. 24. In hominem autem ejusque propagationem, mandatum illud Dei, & benedictionem Geneſ. 1. 18. inefficacem manſiſſe ad ſpeciei intelligentis & rationalis productionem per conjugium, niſi ſingulis fœtibus nova & peculiaris animæ afflatio divinitus fieret: quum tamen textus apertè dicat: Benedixit eis (nempe Adamo & Evæ jam jam creatis) Deus, atque dixit idem ille, fœtificate & augeſcite, ac implete terram, & ſubjicite eam, & dominamini in piſces maris, & in volatilia cœli, & in omnes beſtias reptantes ſuper eam, &c. C Quomodo quæſo exercerent dominiũ in omnia viventia maris, terræ & aëris, ſi ex ſemine tantum brutali, non ſimul humano rationali ſati, procreviſſent?

Ad quartum argumentum ex Epiſt. ad Hebræos 12. 9. quod ita habet: An non magis abiiciemur patri ſpirituum, & vivemus? Hic ex authoritate Domini Calvini, vis animas, voce ſpirituum intellectas, à Deo novas creari, & fœtibus ex cœlo infundi, absque opera hominum. ℞ quod pace tanti Theologi dixerim, non ſequi, eo quod Deus ſit præter ſpirituum, non ſolum Angelorum, ſed & animarum humanarum, imò pater filii unigeniti ab æterno: idcirco patrem eſſe, creando quotidie animas novas, ut fœtibus humanis continuò D infundat. Repugnat enim Moſi Geneſ. 2 2 dicenti, Deum die ſeptimo quieviſſe ab omni opere ſuo, quod fecerat. Si autem quotidie de novo tot animas crearet, quot quotidie per totum terrarum orbem ſeminantur fœtus humani, multas myriadas animarum quotidie

creari,

creari, & quaſi omni hora tam noctu, quam interdiu, id fieri oporteret, imò quoties ſcortatoris, ſtupratoris, raptoris, adulteri, imò incœſtuoſi libido imperaret, animæ rationales noviter creatæ & infundẽdæ præſto adeſſe deberent. Quod abſurdiſſimum foret.

Ad quintum argumentum, quod Auguſtini eſſe dicis, & tale eſt: Eodem modo procreantur homines ex parentibus, quo Eva formata fuit ex Adamo. At Eva tantum carnem accepit ex Adamo, non animam, dicente Adamo ipſo: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea: Si & animam ex ipſo habuiſſet: dixiſſet, & hoc eſt a-
A nima ex anima mea. Ergo & nunc liberi ex parentibus tantum carnem accipiunt, non animam. ℞ Si eodem modo procrearentur homines ex parentibus, quo Eva ex Adamo; oporteret & nos procreari ex parentum noſtrorum coſtis, non ex ſemine: neque per congreſſum patris & matris. Quare major eſt falſa & abſurda. Jam de minori diſpiciamus, quæ ſic habet: At Eva carnem tantum accepit ab Adamo. Verum & hoc falſum eſſe convincit textus ipſe Geneſ. 2. 21. & 22. Injecit Jehova ſoporem altum Adamo, ut obdormierit, & deſumpta una ex coſtis ejus. Coſtam autem illam ex Adamo deſumptam exſtruxit in mulierem, & adduxit ad Adamum, &c. Non autem
B dicit, carnem deſumptam eſſe: ſed locum vacuum carne repletum, his verbis: Et incluſit carnem pro illa, v. 21. Quod autem dicas, animam ab Adamo non accepiſſe: Unde igitur quæſo? Nam nec à Deo accepiſſe videtur: Non enim dicit textus, Deum ſpiraculum vitæ in eam, ſicut in Adamum fecerat ſufflaviſſe. An ergo anima rationali humana caruit? Nequaquam. Unde ergo eam nacta ſit, conſiderandum; nempe ſingulas coſtas habere ſubter ſe non ſolum muſculos intercoſtales dictos (quorum opera expandere ſe, dum aërem attrahunt, & rurſus contrahere, dum exſufflare volunt, poſſunt) verum etjam nervum & venam, imò & arteriam quæ ſpiritum vitalem à cor-
C de impartitum continet. Quare non modo os, & carnem, verum etiã & ſanguinẽ nutritivum per venam; & vim ſentientem moventemque per nervum, & quod primarium eſt ſpiritum vitalem, hoc eſt, animam intelligentem rationalem humanam per arteriam ab Adamo Eva cum coſta pariter accepit. At hoc ex doctrina Anatomica, quæ nec Theologis nec Philoſophis, imo vulgaribus Medicis parum perſpecta eſt, colligitur. Dixit autem Adam expergefactus, videns Evam, ſentiensque ſibi ablatam coſtam cum annexis (licet locus carne oppletus eſſet, cum ſciret, Deum eſſe admirandum opificem) hoc eſt os de oſſibus meis, & caro de carne mea. De anima autem nihil dixit,
D quia animæ diminutionem non percepit.

Ad ſextum argumentum, ex lib. Exod. 21. v. 22. 23. quod tale eſt: Si mulier gravida abortum fecerit propter rixam aut percuſſionem, vivente infante in utero: auctorem plagæ, homicidii pœnam luere debere Sin infans in utero non vixerit: reum tantum de damno teneri debere. Si igitur infans in utero non vivit, & vivit: Sequitur ani-

mam cum ſemine, non infundi: ſtatim enim viveret infans ἐξαγ-νισμένος: Data n. cauſa formali in materia apta, ſequitur effectus. ℞ judicari politicè de vita fœtus, ex motu ejus. Movetur autem, quū inſtrumenta actionis motricis, nempe nervi, muſculi, tendines, ligamenta, oſſa, articuli, jam ad motum edendum apta & robuſta ſatis exiſtunt: Vitæ autem, quæ ab anima dependet, in homine tres ſunt gradus, primus eſt nutritivus, aut vegetativus, qualis in plantis: Secundus eſt ſenſitivus & motivus, qualis in brutis. Tertius verò rationalis qualis in homine jam à pueritia, & deinceps. Non autem, quaſi in homine tres ſint animæ, ſubſtantia & locis diſtinctæ, quod quidam putant. Verum in homine unica anima eſt rationalis, quæ ſecundum inſtrumentorum aptitudinem, primò in modum plantæ vegetando; deinde ut brutum animal ſentiendo, & movendo ſe gerit; tertiò ratione & judicio, tanquam homo, ſenſim uti incipit. Nam poſt paucos à conceptione dies, cor, hepar, cerebrum fingi incipiunt, quod in abortivis obſervatum eſt, & quidem à virtute animæ in ſemine deliteſcentis; quæ in humano eſt rationalis; in brutali eſt ſenſitiva; in plantario autem, ſolum eſt vegetabilis. Imò in ſemine mali pyri, cedri, abietis licet exiguo, tanta animæ vis latet, ut ejus efficacia alimentum ex terra attrahere, ſe nutrire, deinde augere, imò in proceriſſimam vaſtamque arborem excreſcere, & in centenos annos ſe conſervare poſſit, nullam tamen ſentiendi facultatem habens. Semen autem tauri, equi, Elephantis, balænæ, præter nutriendi ſe & augendi potentiam, ſentire tamen & de loco uno in alium dimovere ſe, ſi quando libet, valet. Item minutiſſima animalcula, pulicum excluſos fœtus, & acaros quos vix viſu comprehendere poſſumus, procurrere videmus. Perinde ſemen hominis, utero injectum primò quidem alendi augendique aliquò usque, deinde ſentiendi, mox movendi poteſtatem, in quibusdam citius, (ſicut in uxore mea priore, hebdomade ſexta) in aliis tardius, plæriſque circa medium geſtationis tempus exercere incipit. Ratiocinandi autem virtutem vix ante 4. 5. aut 6. nativitatis annum, prout in hoc citius, in illo tardius inſtrumenta ad mentis actiones edendas, à calore nativo adaptata ſuccreverint. Vita ſanè in Embryone, mox cum ipſo ſemine concepto, adfuit: potentiam putà alendi & augendi ſe, inſtar plantæ habens. At movendi facultas tardius innoteſcit, nempe cum jam artus, manus & pedes robuſtiores paulò ad motionem evaſerint. Ex quo tanquam indubitato jam vitæ ſigno, vivere in utero fœtus politicè judicatur. Talia quoque Medicis notiora ſunt, quam Theologis aut Philoſophis.

Ad ſeptimum argumentum, quod Cæſarii eſſe dicis, & eſt tale:

Impoſſibile eſt nobilius melius, ac præſtantius, ortus ſui cauſam habere ex ignobiliore, deteriore, ac viliore. At anima nobilior, melior, præſtantior eſt, virtute ſeminali bruta, corporea. Ergo non poteſt ex ipſa gigni anima. ℞ dando inſtantiam primo contra majorem,

rem, putà cœlum, aſtra, ſolem, lunam, hominem, ex rudi & indigeſta mole Chao ortus ſui principium habere, Geneſ. 1. 2. Terra autem erat res informis & inanis. Item principes, reges, Cæſares, facti ſunt ex viliſſimo hominum genere, opilionibus, bubulcis, agricolis, nothis, quales Samgar, Gedeon, Abimelech, Jephta, Saul, David, Agathocles, Maximinus alii. Contra minorem, nego virtutem ſeminis humani eſſe brutam: Nam potentia animæ rationalis, per illuminationis modum, præditam ſupra oſtendi. Et valdè iniquè comparatum foret, ſemen bruti habere vim brutificam: ſemen plantæ, vi plantifica donatum: Humanum autem ſemen, potentia ſpecifica producendi ſibi ſimile deſtitui & brutum manſurum, niſi anima fœtui jam effigiato aliunde afferatur. Quid hoc eſſet aliud, quam arguere Deum mendacii & impotentiæ, qui tamen conſilio, cum S. Trinitate quodam modo inito, dixit: faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram Geneſ. 1. v. 26. Item rurſus verſu ſequenti: cũ itaq; creaſſet Deus hominem in imagine ſua, in imagine, inquam, Dei creaſſet eum, marem & fœminam creaſſet eos: Deinde additur: Benedixit eis Deus, dicens, fœtificate & augeſcite & implete terram, &c. Quomodo facti ad imaginem Dei, i. e. mente & ſapientia donati, potuerunt fœtificare & augeſcere, ſi animam à Deo acceptam fœtui à ſe genito communicare in ſua ſpecie non poſſint, quod tamen pulici, pediculo, acaro ſecũdum ſpeciem ſuam datum eſt, ac ſi poſt creationem Deus pœnitentia ductus, invidiſſet eis animæ uſum, & non niſi certo tempore, ſtatuæ carneæ, brutæ effigiem hominis extrinſecus ſolum modò habenti, eam inditurus, perinde ſi eam propter magnitudinem, in tam parvula maſſa ſeminis, recondere ante non potuiſſet, quod tamen in exiguo apii, aut pyri ſemine facere potuit, & quotidie facit. Quæ nugæ tanti Philoſophi, Pergamus.

Ad octavum, quod eſt tale: Quicquid ex Elementis oritur, corrumpitur. At anima non corrumpitur. Non eſt igitur ex Elementis. ℞ concedendo totum ſyllogiſmum. Nam nec ego nec alii aſſerunt animam ex elementis exortam eſſe. Sed cum Horatio, ethnico licet homine, eſſe animam divinæ particulam auræ: nempe lumen de lumine accenſum.

Ad nonum argumentum, quod eſſe dicis Auguſtini, ſic habens: Quicquid ſeminatur, interit, ac moritur. Sed anima non interit, nec moritur. Ergo non ſeminatur. ℞ negando conſequentiam, ex communi more ſeminandi loquens. Non enim dicimus animam eſſe ſemen, neque ſeminari: ſed vim rationalem, mente præditam, ſemini humano inſeri, communicari, & una cum ipſo in uterum transfundi, & fœtui infundi, ut alatur, augeſcat, ſentiat, moveatur, & ratione utatur tandem.

Ad decimum argumen quod item Auguſtino aſcribis, eodemque Bezam & Hemingium niti putas, ac ita habet: Si anima eſt ex Traduce; propagatur aut ex ſemine utriusq; ſimul viri & mulieris: Aut ex

ſemine viri tantum, aut ex muliebri ſolum. Sed nullum horum dari poteſt. Non primum, quia ſic anima eſſet compoſita. Non ſecundũ, quia repugnat exemplum Evæ & Chriſti. Non tertium. 1. quia abſurdum: Secundò quia ſic nati fœminis potius, quam viris aſcriberẽtur, repugnante ſcriptura. ℞ animam fœtus ex utriusq; tam mulieris quã viri ſemine propagari. Neq; tamen propterea eſſe compoſitam. Nam diximus ſupra ad quintum argumentum: Animam Evæ ex anima Adami per arteriam coſtæ ſubſtratam, profectam eſſe: Ejusdemque fuiſſe ſubſtantiæ, ex ſpiraculo divino in nares Adami inflato, lumen de lumine. Sed virilis muliebrisque ſeminum compoſitionem aut A
miſtionem fieri, ſicut ex ellychnio pluribus filis conſtante, aut lignorum faſciculo, ex plurimis ſarmentis, aut virgultis congeſto, unã exardeſcere flammam, videmus.

Ad undecimum arg. quod Auguſtini quoq; eſſe ais, hunc in modũ propoſitum: Si anima ſemini naturaliter ineſt, & cum ipſo profluit: neceſſe eſt multas animas in quotidiano ſeminis effluxu & gonorrhæa evaneſcere, & in partib. imperfectis perire. Sed hoc non tãtum abſurdum, verum & impium eſt. Ergo & illud. ℞ cõcedendo quidem majorem, ita tamen, ut ſciamus, licet vis prolifica ſemini naturaliter & benè habenti inſit non gigni ex uno ſolo prolem, niſi ex maris & B
fœminæ congreſſũ, ſeminum amborum fiat concurſus & cõmiſtio. Minorem autem nego. Non n. eſt abſurdum, in uno pyri fructu aliquot grana, aut ſemina inutilia & ſterilia reperiri. Nam ſi materia ſeminis ſit cruda, incocta, imperfecta, ſicut in gonorrhæa, in pueris aut virgunculis nondum adultis, in ſenibus decrepitis, in ægrotantibus; non mirandum ſeminis vim prolificam inefficacem eſſe, ſicut in cõgreſſu duorum, quorum alter natura ſterilis, aut frigidus, aut in genitalibus malè conformatus, aut ſi ætate valdè impares ſint adoleſcens maritus cum avicula uxore 50. aut plures annos nata; aut juvencula viro ſeptuagenario nupta. Aut ſi congredientium ſemina, non ſimul C
effundantur, & ſe mutuo excipiant. Sanè in tali caſu, concubitus ſit irritus, nec ſequitur conceptio.

Ad duodecimum argumentum, quod Thomæ Aquinati attribuis, hoc modo procedens. Omnes formæ ſubſtantiales, quæ per gradus & partes producuntur, à materia dependent, ſecundum ineſſe, & ſecundum operationem, teſte Ariſtotele, τὸ εἶδος ἐκ ἡ ὕλη οὐ χορήζεται (fortè rectius χωρίζεται) τοῦ πράγματος. Atq anima rationalis per ſe ſubſiſtit, & præſtantiſſimas actiones exſequitur, ſine organis corporeis, & ſeparata à corpore, ſuperſtes manet, intelligentia & voluntate prædita. Ergo anima non producitur inſtar formarum naturalium. ℞ D
negando partem minoris, qua dicitur animam præſtantiſſimas actiones exſequi, absque organis corporeis. Non enim anima videre ſine oculis, audire ſine auribus, guſtare ſine lingua, odorari absq; naſo: cogitare, ratiocinari, meminiſſe absque cerebro benè affecto nequaquam poteſt. Hinc enim videmus quosdam, non ſolum cæcos,

ſurdos,

ſurdos,guſtu,odoratu,privatos; verum etiam ſtolidos,amentes,bru-
tos,omni intellectu & ratione,& memoria deſtitutos. Non quod a-
nima aut mente omninò careant,quoniam vivunt, & ſapuerunt an-
tea; verum propter organa per morbos, aut ſenectutis vitium labe-
factata,uſum mentis amiſerunt.

Ad decimum tertium argumentum tali forma conſtitutum:
Omnis forma,quæ per traductionem corporis,traducitur: ad divi-
ſionem etiam corporis dividitur. Sed animæ ſubſtantia nō dividitur:
Eſt enim ἀμέριστος καὶ ἀδιαίρετος,cum ſit ἀσώματος. Ergo per tra-
A ducem corporis non traducitur. ℞ concedendo totum argumentū.
Neque dico per traducem corporis traduci: Sed cum corporea ſemi-
minis ſubſtantia,vim animæ incorpoream vivificam traduci, lumen
de lumine,ut à ſolis ſplendore,globus lunaris; ab eodem aër,ut dies
fiat,illuſtratur.

Ad decimum quartum argumentum,quod ab Auguſtino mutua-
tum Thom. Aquinas uſurpat,ut ais, taliter formatum: Ea tantum
generant,quæ ex materia conſtant,& habent ſuæ naturæ convenien-
tem primarum qualitatum miſtionem, quam temperiem vocant.
Anima verò,ex materia non conſtat, quum ſit ſubſtantia ſpiritualis,
B omniumque qualitatum Elementarium expers. Ergo anima non
generat. ℞ totum ſyllogiſmum approbando. Neque enim nos dici-
mus,animam generare; ſed calorem innatum teſtium, partiumque
genitalium ad generationem; ſicut & reliquorum membrorum fa-
cultates,ad actiones ſuas particulares provocare: Sicut calor ſolis o-
mnia ſubjecta in actum producit. Quippe abſque anima,ut in mor-
tuo,omnia jacent extincta.

Ad decimum quintum argumētum,quod Cyrillo acceptum fers,
hiſque verbis conſiſtit: Omne diviſibile neceſſariò eſt quantum, &
quod quantum non eſt,neque ipſum eſt diviſibile. At anima non eſt
C quanta.Corpus enim non eſt.Ergo nec eſt diviſibilis. ℞ concedendo
itidem totam argumentationem. Neque enim nos animam quan-
tam,aut diviſibilem pronunciamus,ſed communicabilem, & lumen
de lumine, neque tamen diminutionem pati, prout ante ſæpe di-
ctum.

Ad decimum ſextum argumentum,hac verborum ſerie aggrega-
tum: Si ex traduce venit anima: vel ex corpore,vel ex anima decer-
pitur.Sed neutrum datur. Non prius,quia corpus eſt mortale, & in-
terit.Non ſecundum: quia teſte vel ipſo Ariſtotele,nulla natura ſpi-
ritalis dividi poteſt. ℞ ut jam aliquoties,conceſſo toto: Non tamen
D diminuendo,verum communicando,aut mutuando, prout de Sole,
Luna,candelis dictum.

Ad decimum ſeptimum argumentum, quod à Bonaventura ac-
ceptum,Bezam adducere,inquis,tali modo. Si anima parentum tra-
ducitur: Ea aut tota traducitur, aut pars ejus.Neutrum a.dari poteſt.
Non primum,quia ſic parentes interirent. Non ſecundum, quia a-

nima eſt ſimplex & indiviſibilis. Ergo non traducitur. ℞ eundem in modum ſicut modo ter quaterve factum.

Ad decimum octavum argumentum, cujus hæc eſt forma. Si ex traduce orirentur animæ, ſequeretur Heroës ex heroibus, ſapientes ex ſapientibus: Et è contrario ſtolidos ex ſtolidis progigni. Nam qualis cauſa, talis effectus. Sed hoc falſum eſſe, experientia evincit. Ergo & illud falſum eſt. ℞ degenerationem partim à qualitate materiei in ſemine paterno, partim à conditione ſeminis materni, aut conſtitutione uteri, aut affectibus animi parentum dum generant, partim rurſus à ſtatu inſtrumentorum in corpore fœtus jam generati, dependere. A

Ad decimum nonum argumentum, ſic formatum. Si anima eſt ex traduce, neceſſe eſt ex parvo principio indies inſtar corporum, fieri majorem. At hoc abſurdum. Ergo & illud. ℞ Animam quidem non fieri indies majorem: attamen cum incremento corporis, adauctis inſtrumentis quoque, animæ neceſſariis, actiones quoque animæ fieri illuſtriores atque efficaciores, ſicut apparet in ætatum gradibus, ab infantia usque ad ſenectutem, creſcente magis magisque judicio & rerum uſu, atteſtante & hoc exemplo Jeſu Chriſti Luc 2. v. ult. his verbis: Jeſus autem proficiebat ſapientia & ſtatura. B

Ad viceſimum argumentum, ita formatum: Imperfecti fœtus, qui præmaturè ejiciuntur, nondum habent animam rationalem. Partus itidem vivi editi, ſed præter humanam ſpeciem monſtroſi, ut nihil hominis præ ſe ferant, anima rationali deſtituti, judicantur. Ergo anima non eſt ex traduce. ℞ ad prius antecedens hujus enthymematis, negando. Nam ſi fœtus abortivi anima, per immaturitatem, membrorumque imperfectionem, exſerere ſe nondum queat, non proinde anima caret. Item ad poſterius antecedens: partus vivi in lucem editi, ſed monſtroſi, non propter monſtroſitatem (niſi merè ſit brutalis, canina, vitulina, ſerpentina) anima rationali carere dicendi: C Sed animæ rationalis facultates, propter organorum ineptitudinē, in actionibus edendis impediri.

Ad viceſimum primum argumentum, quod Cæſario tribuis, his verbis: Si animæ eſſent ex Traduce, & ab hominibus propagari poſſent: Sequeretur graviter peccare eos, pœnasque daturos, qui ſe continent & à conjugio abſtinent, quia animas quaſi intra ſe ſuffocant, & unà cum terrenis membris interimunt. Et è contrario rectè facere ſcortatores, adulteros, qui animas propagant. Vtrumque autem S. Scriptura redarguit. Ergo, &c. ℞ Ethnicos ex luce naturæ noviſſe, teſtibus Spartanis ex lege Lycurgi. (Vide oden meam 15. lib. odarum, D in nuptias Paul. Meliſſi) rectèque ſtatuiſſe, non contemptu odioque ſolum, verum etiam infamia publica, adeoque alaparum à mulieribus infligendarum punitione dignos, qui à conjugio abſtinebant. Defraudabant enim rempublicam, non referendo beneficium nativitatis à parentibus propter patriam acceptum. Defraudant hodie etiam

etiam Eccleſiam Dei, non augendo (per conjugium) cœtum fidelium, & poſteritatem. Ideoque inter ethnicos rectè hortabatur Phocylides in Poëmate ſuo (quod, cum adoleſcentulus adhuc eſſem, in verſus Latinos converti) his verbis,

Cœlebs ne morere: at nomen cum prole relinque;
Naturamq; ſequens, velut es genitus, quoque gigne.

Ego verò ita cenſeo, ſcortatores, atque in concubinatu viventes, licet ſolius libidinis explendæ cauſa id faciant, minus peccare, quàm A qui à conjugio abſtinent, ad illud alioquin à natura haud inepti exiſtentes. Abſtinent autem, vel quod præ mollitudine animi, ſordes, ejulatusque infantum aliasve educationis moleſtias, ferre faſtidiant: vel præ faſtu ac avaritia liberos educare oderint, dum metuunt, ne ſatis magnificè adultos elocare, neque in poſterum liberis elocatis ſplendorem domus priſtinum familia adaucta, pro dignitate tueri poſſint. Accedit freni matrimonialis impatientia: vagæ verò libidinis, connivente Magiſtratu, permiſſa licentia. Sanè niſi Abraham cum Hagara ancilla concubuiſſet, non prodiiſſent Iſmaëlitæ. Niſi Loth inceſtum cum filiabus commiſiſſet, licet ignarus, non fuiſſent B progeniti Ammonitæ & Moabitæ gentes magnæ. Niſi Juda cum Thamara ſcortatus fuiſſet, (eſſe putans ſcortum, neſcius eſſe nurum) non fuiſſet natus rex Iſraëlitarum magnus ille David, neque ex iſto Salvator hominum Meſſias. Quid de hiſce mollibus, de maſtupratoribus, dum cœlibes vivunt, & caſti videri volunt, quid dicemus aliud, quam homicidas eſſe ſuæ poſteritatis, & Medea pejores, teſte & judice Ethnico poëta Martiale.

Ipſam crede mihi Naturam dicere rerum,
Iſtud, quod digitis Pontice perdis, homo eſt.

C Interim haud equidem dico, concubinos, ſcortatores, raptores, adulteros, inceſtos gravis peccati immunes eſſe, multò minus rectè facere; ſed præ mollibus & maſturbatoribus levius delinquere dico: Levius quoque quam illi, quibus religionis cauſa uſu conjugii graviter interdictum eſt, interim alienos thoros conſpurcant, ſpuriis urbes implent aut longè fœdiora patrant, onanizant, ſodomizant aut ſapphizant: ſæpiſſimè Conſultius faciunt Judæi, qui liberos puberes maturè conjugali vinculo copulari permittunt. Quorum exemplum ſi Chriſtiani imitarentur, multa libidinum flagitia, pœnæque privatæ & publicæ vitarentur.

D Ad viceſimum ſecundum argumentū, quod tali contextu cōſtat. Deniq; ſi authoritatib. ſtandum eſt: Omnes ſaniores Eccleſiæ Chriſtianæ doctores, Veteres & Neotericos contra Traducē ſcripſiſſe probari poteſt. Qui verò defendunt ex veteribus vix duo erunt, Tertullianus & Gregorius Niſſenus. Ex Neotericis neminem novi:

niſi quod Lutherus in locis nonnullis hac de re, ut & de aliis dubiè pronunciat. ℞ breviter, errantium multitudo, non parit errori patrocinium.

DE SECUNDA QUÆSTIONE.

AN FOEMINA AD GENERATIONEM ſemen conferat, & in congreſſu projiciat. A

Rationes inquis indicabo, quæ dubium mihi moverint hactenus, & adhuc moveant.

AD primum dubium, quod ſic habet: Quia menſtrua fœminis, loco ſeminis eſſe puto. Nam ſicut ſemen definitur, reſiduum alimenti, & ſuperfluum tertiæ concoctionis: Ita etiam definitur mẽſtruum, tertiæ concoctionis excrementum ſingulis menſibus collectum expurgatumq;. Menſtruum autẽ hoc nihil generat, ſed potius perdit ℞ Menſtruum & ſemen in fœmina eſſe res diverſiſſimas. Mẽſtruum eſt colore rubens. Semen verò albens. Menſtruum eſt ſecundæ concoctionis, quę in jecore fit (nequaquam tertiæ (ut tu putas) excrementum, nempe ſuperflui ſanguinis pars. Semen verò eſt coctionis tertiæ (quod rectè dixiſti) quæ in teſtibus peculiariter fit, & quodam modo ſuperflui teſtium alimenti excrementum, ſed ad generationem utile. Menſtruum ſingulis menſibus, ſtato tempore, abſque libidinis œſtro, ſua ſponte, cum præcedente venarum, quæ in lumbis & femoribus ſunt dolore gravante ac diſtendente, expurgatur. Semen verò abſque libidinis incitamento & voluptatis, imò concuſſionis aut convulſionis ſenſu, ſeu per concubitum, ſeu nocturnam pollutionem, aut maſturbationem, non ejicitur. Imò in omni ferè actu venereo excutitur: Subinde etiam per ſolas cogitationes venereas intenſiores abſque concubitu, in ſalacioribus erumpit. Menſtruum eſt multum & per plures dies 4. 5. 6 aut 7. aliquando durans, ſenſim labitur, laborantes ſubtriſtes reddit. Semen paucum exiſtit, nec niſi una vice & confertim violenterque ejaculatur, & amœnos hilaresque facit: fatigat tamen, & reſolvit ſtatim inter & poſt ejectionem. Menſtruum quidem nihil generat, nihil tamen quoque perdit, niſi poſtquam excretum, ac ſimul corruptum eſt; aut niſi ſanguis totus in muliere ſit cacochymus ac pravus. Attamen ſi conceptio facta eſt, fovet & nutrit fœtum meliore ſui parte. Semen autem generat, ſed non alterutrius ſolum, aut ſeorſim, ſed utriusque maris & fœminæ ſimul confuſum.

Addo, quod & S. Scriptura fœminæ ſemen attribuit, imo ipſe Deus Geneſ. 3.

Geneſ. 3. v. 15. Inimicitiam (inquit ad ſerpentem) ponam inter ſemen tuum, & ſemen mulieris, &c. Item Geneſ. 4. v. 25. inquit Eva, repoſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abele.

Ad ſecundum dubium, quod ſic ponitur. Cum æquè viri ac fœminæ internos habeant teſticulos: virorum autem interni nihil ſeminis, aut illud ipſum inutile conferant: quod inde patet, quod exſectis externis nihil generant. Cur igitur fœminarum interni ſemen conferant? ℞ hypotheſes tuas ambas eſſe falſas, tam priorem, qua dicis, viros æquè ac mulieres internos habere teſtes; quam poſteriorem, qua ſtatuis, viros caſtratos aut externis teſtibus privatos, ſemen nihilominus, quanquam inutile habere. Nam caſtrati & verè Eunuchi nullum omninò ſemen excernunt. Omnia enim vaſa ſeminalia, tam ſemen deferentia, quam idem illud ejaculantia, unà cum teſtibus externis (præter quos viri nullos habent alios) exciſa aut conciſa ſunt, ſi modò ritè ſint caſtrati, ideoque nihil prorſus ſeminis, nec colligere, nec ejicere queunt: Quod inde patet, quia tales, ut impotentes, gynæceis divitum in caſtimonia ſervandis, & à ſtupro præſervandis adhibebantur, quod vocis εὐνοῦχος Etymon quaſi cubilium cuſtos, indicat, ſicut & hodie apud Turcas adhuc moris eſt. Si autem ſemen haberent, licet inutile, nequaquam foret illis fidendum. Poſſent enim & illi gynæceum corrumpere, fœminei ſexus libidinem placando. Falſum & illud eſt, quod opinaris, ſemen ab internis fœminarum teſtibus ad generationem nihil conferre. Hoc ſi ita eſſet, viciſſent Anabaptiſtæ: adeoque Deus fœmineo ſexui teſtes & annexa illis vaſa ſemen deferentia (quæ ſunt venæ atque arteriæ in dextra atque ſiniſtra lumborum regione) atq; confectum elaboratumque à teſtibus ſemen expellentia, ab utraq; uteri parte, fruſtrà impertitus eſſe videretur. Quod ut ſtolidum, ita & impium foret. Nihil enim fruſtra in corpore humano, admirandus ille rerum architectus creavit. Imò è contrario abſque ſemine muliebri, ejusque cum virili concurſu, nulla fieri poteſt conceptio. Unde fit, ut toties in vanum abeat congreſſio, teſte poëta, qui de amoribus ſcripſit.

Odi concubitus qui non utrumq; reſolvant.

nempe per ſeminis eruptionem, ab utroque ſimul & eodem tempore factam.

Ad tertium dubium. Quæris, quonam iſti mulierum teſtes ſemen ſuum projiciant, an intra uterum, an verò extra: & ubi permiſtio utriusque fiat? ℞ non intra, ſed extra uterum, ſcilicet in collum ejus, & ante uteri internum oſtium, ibique fit utriusque commiſtio, quæ mox ab utero cupidiſſimo abſorbetur. Notandum interim, nullius viri virgam quantumvis proceri, uterum fœminæ (licet puſilla ſit, ſi modo ad generationem maturuerit) ingredi poſſe. Quo fit, ut neque pumilæ cum proceris viris jungi pertimeſcant: Neque tenellæ, cum craſſis & obeſis.

Ad quartum dubium. In actu venereo, Natura fœminæ duo contraria ſimul operari nequit, attrahere nimirum, & expellere. Attrahere autem viri ſemen debet: Ergo ſuum emittere non poteſt. ℞ & hoc falſum eſſe, quod hic ſupponitur. Non enim ejectio ſeminis fit ab utero, ſed à teſtibus per vaſa fœminæ ejaculantia, nempe ad internum finem colli uterini. Attractio autem ſeminis ab utroq; excreti & mixti fit ab uteri cavitate, ſi modo benè habeat, & appetens exiſtat & hilaris Si muliebre ſemen prius in uterum excerni deberet, quam cum virili miſceretur, frequenter miſcellæ hyſtericis ſuffocationibus, imò epilepſiis torquerentur. Sæpe tamen gravidæ, clauſo uteri oſculo congrediuntur cum maritis, ſemenque projiciunt, abſque ullo incommodo, nec ſine magna voluptate, teſte non diffitente adulteria ſua, Julia illa Auguſti filia, licet uterum gereret, reſpondente ſe nullam marito facere injuriam, eò quod tollat vectorem plena nave. A

Ad quintum dubium. Si fœminæ ſemen effunderent, hoc facerent non tantum in congreſſu, ſed etiam extra eundem, menſibus præſertim fluentibus. At dato hoc, oportunum & utile foret, tunc cum ipſis congredi, quod tamen Lex divina prohibet, & ratio antecedens inutiliter fieri demonſtrat. ℞ Certum eſſe, fœminas non ſolum in actu venereo, verum etiam extra eundem ſemen effundere, de quo mihi conſtat. Verum non raro appetitus liberis operam dandi in ipſis languet. Quemadmodum idem ille, in maritis non ſemper eſt excitatus. Quod autem extra concubitum cum viro, fœminæ ſubinde ſemen profundant, illudque ab utero appetente aſſorbeatur, docent exempla viduarum juvenum, aut nuptarum, quæ maritorum peregrè profectorum, conſuetudine diu carere coguntur, ſicut & virginum adultiorum & ancillarum ſalacium, quæ graviſſimos morbos ac periculoſos ſæpè patiuntur, teſte Gal. lib. 6. de locis affect. c. 5. qualia & ego non pauca obſervavi. Quod autem reris fœminas fluentibus menſibus, potiſſimum debere ſemen effundere: Ego non obſervavi; tibi verò incumbit probatio: Neque mihi fit vero ſimile. Tunc enim ſunt languidiores, & ſibi diſplicent: ſemine autem titillante, fiunt alacriores & veluti antè dixi, ſemen frequentius & citius colligitur, ad expulſionem. Menſes verò tardius colliguntur, & ſine appetitu concubitus emanant. B C

Ad ſextum dubium. Ipſe Ariſtoteles fœminis nullum tribuit ſemen, ſed menſtruum dicit præparatam eſſe totius fœtus materiam crudam. quæ informatur, intromiſſo in hanc virili ſemine, in ſpiritum vitalem verſo. ℞ Ariſtotelis authoritatem non præſcribere Medicinæ. Philoſophus ut fuerit excellens, nego tamen fuiſſe medicum aut Anatomicum exercitatum, quod ego in ſchola noſtra ſubinde demonſtravi. Non pauca abſurda & aliena à Medicina ſcripſit, quale eſt, cor eſſe venarum atque nervorum ſimul principium; Item cor adipe carere. Mulieres ſemine ac teſtibus deſtitutas eſſe, aliaque his affinia. D

Quod

Quod autem me ad Hieronymi Zanchii lib. 2. cap. 5. partis tertiæ de operibus Dei ablegas. Rectè quidem facis, legique & perlegi, quæ contra Traducem diſputat, & quidem permulta præclarè, ut Theologus atque philoſophus eximius; verum probabiliter ſolum, nihil demonſtrativè, adeò ut perlectis illis in ſententia mea confirmer magis.

THESES
A VIRI DOCTI DE LOCO PUTREDINIS IN FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS. Anno 1599.

I.

IN humano corpore, certis de cauſis excrementa ſuperflua genita, plura quam ſani corporis ſtatus requirit, fluxiones & febres excitare ſolent. Natura enim provida, expultricis facultatis robore, humores copia aut qualitate peccantes, expellit à viſceribus ad venas ut plurimum, & inde in ambitum corporis.

B II.

Ut verò in febribus continuis, humor in venis incluſus continetur: ita intermittentes ortum habent, ab humore putreſcente extra venas majores, diſperſo prius eo in remotiores à corde partes.

III.

Intermittentium febrium, an natura alium locum aſſignarit præter dictum, inquirere operæ pretium erit. Sunt enim qui harum putredinem, in prima corporis regione fieri putant; ſunt alii, qui in venis eam eſſe contendunt.

IV.

C Per primam corporis regionem, ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas, omentum intelligunt, quibus ſupervacaneum humorem adhæreſcere cenſent, qui tandem putredinem contrahendo febres intermittentes pariat.

V.

Ponamus autem ex putrido humore in viſceribus ortam febrem. Sed quæ hæc alia, quam continua eſſe poteſt? Quid impedit quominus antequam prima putredo finiatur, alia ſuccedat? Sive enim materiæ putreſcentis ſubſtantiam, ſive copiam ſive ſitum partis, ſive denique locum reſpicias, nil deerit ex his, quæ faciant ad propagan-
D dam putredinem.

VI.

In craſſa enim & lenta materia ſi ignis accenditur, diu ignis, fumus & calor foventur. Ita ſi putreſcit ea, non facile putredo diſcutitur. Præter tertianam verò exquiſitam, quæ raro viſitur, omnis intermittens febris ex craſſiore conſtat materia.

Copioſam

VII.

Copioſam verò, confluxus humorum iſthuc, ceu ad ſentinam decumbentium, arguit. Quam etiam vicinæ partes ſint, cordi quam multa hic & ampla vaſa, per quæ putrida fuligo cordi communicari poteſt, notum eſt.

VIII.

Ad protrahendam febrilem acceſſionem loci natura, in quo putreſcit humor, non parum conducit. Eſt enim infimus venter, denſus & ſolidis partibus concluſus, ut non niſi tarda & difficilis, ad exteriora ſit perſpiratio, & propterea ad cor putrilago continenter effertur. A

IX.

Verum ſi per regionem infimi ventris, ſpatium in quo continentur viſcera naturalia, intelligit novi dogmatis patronus: abſurdum eſt quod dicit. In quo enim febris hæc ab hydrope diſtaret? niſi copioſam materiam in hydrope ſine putredine confluere prætendat. At ſi bilis, ſi pituita putreſcunt; cur aqua ſe à putredine vindicet? Nonne etiam in hydropicis initio exiguus eſt aquæ proventus? Nonne etiam ex collectæ aquæ putredine febris continua & lenta in illis deprehenditur? B

X.

Quòd ſi rarò quotidiana oritur, ſine aliquo ventriculi vitio, & Tertiana ſine hepatis noxa: ut & quartana ſine lienis affectu, hoc parum cauſam juvat. Ventriculus equidem in culpa eſt, cur aggregata multa pituita, corpus ſit obnoxium febribus quotidianis ſic jecur ex bilis copia, in tertianam corpus diſponit. Hæc verò minimè faciunt ad demonſtrandum locum putredinis harum febrium viſcera eſſe.

XI.

Nec in viſceris ſubſtantiam humor exceptus, febrem intermittentem, quamvis putridus ſit, introducit. Inde enim excitata febris ſequeretur inflammationes, quæ accidunt ex pulſis ſuccis, ab aliis partibus, aut ab illis attractus, quæ poſtea inflammatione corripiuntur, quibus inculcati, tandem putreſcunt, & inflammationem producunt. C

XII.

Obſcurum autem eſt, & vix ratione compertum, quod de bilis in tertiana, ad membranas impulſu dicitur. Eximii certè ſenſus ſunt membranæ, & doloribus acutis obnoxiæ, quos excitaret acris illa & maligna bilis ad eas irruens. D

XIII.

Cur enim tenuis humor & acris, ſi impetu irruit, membranas non penetret? Quod ſi ſit, erunt hæ membranarum inflammationes, ſicut Pleuritis & phrenitis, & ſequeretur has inflammationes febris continens.

Rigorem

XIV.

Rigorem in febribus intermittentibus fieri à bile irruente in membranas præcordiorum, unde malignus vapor ad exteriora exeat, nulla ſolida ratio demonſtrat. Pudet profeſſorem novi dogmatis, de veterum auctoritate recedere: at magis ipſum pudeat, adeo ab ipſa deficere, ut fumo opus ſit, quo nebulas luci veritatis obducat.

X V.

A Rigor ſanè fit à motu ſpirituum & caloris nativi, qui concitatus, impetu quodam fertur ad expulſionem rei alicujus, quæ præter naturam in aliqua particula continetur, & illi moleſta exiſtit. Semper autem ferè in initiis acceſſionum febrium intermittentium, percipitur triſtis ſenſus extremarum partium, & materia, à qua mox putreſcente febris accenditur. Hanc excutere conatur calor nativus, irritatus à re præter naturam. Demonſtratur, materiam quæ rigorem facit, eſſe in partium muſculis. Eſt igitur & ibidem rigor primo.

X V I.

B Nec eſt quod dicas *laſſitudinem*, vel moleſtiam illam, quæ initiis intermittentium percipitur, non eſſe ab humore ſparſo per illas partes, ſed à putrido vapore, qui effertur viſceribus. Senſui enim manifeſtum eſt, adventante febris incremento evaneſcere triſtem illum ſenſum, qui tamen *gravior tum* eſſet. In incremento enim, aucta putredine, major exhalatio meritò eſſet putridi vaporis, quàm in acceſſionis principio.

X V I I.

Inſuper ſi putridus vapor triſtem illum ſenſum concitaſſet, cur in febribus ardentibus & continuis periodicis, in quibus vapor per u-
C niverſum corpus effertur, nullus apparet rigor? niſi circa finem, ubi humor extra venas expulſus rigorem efficit.

X V I I I.

Poſtremi ſunt, qui locum putredinis intermittentium, in venis univerſum ſtatuunt, in quibus humor ſucceſſivè per partes putreſcat. Sed hi nulla ratione docent, qui hæc materia primò, illa ſecundo putreſcat, cum tamen uno eodemque loco contineantur. Putredinis ſcimus eam eſſe naturam, ut quod à putrido tangitur, & ipſum putreſcat.

D XIX.

Porrò cum iiſdem ferè difficultatibus ſe involvant, quibus ſe implicant priores, plura de illis non dicam.

EXAMEN
Theſium de loco putredinis in febribus intermittentibus,
AB
HENRICO SMETIO *habitum*.

A

I. Theſis ſic habet: In corpore humano, certis de cauſis excrementa ſuperflua genita, plura quàm ſani corporis ſtatus requirit, fluxiones & febres excitare ſolent.) At non ſolum humores excrementitii, verum etiam ſanguis bonus, copia tantummodo peccans fluxiones atque febres ſuſcitare ſolet. Docent illud anginæ, pleuritides, ophthalmiæ, aliæque inflammationes internæ viſcerum, & externæ ſub cute apparentes, item febres continentes appellatæ.

Sequitur in eadem theſi: Natura enim provida expultricis virtutis robore humores copia aut qualitate peccantes à viſceribus ad venas, & inde in ambitum totius corporis expellit.) Imò verò frequentius vicè verſa à venis ad viſcera, putà ad inteſtina, ventriculum, uterum, veſicam, ut meatus convenientes, & quidem ſalubriter. Natura enim ad conſervationē ſui intenta eſt: teſtantur id diarrhææ, dyſenteriæ, vomitiones, hæmorrhoides, menſes, fluores muliebres, urinæ copioſiores. B

II. Theſis ſic habet: Ut verò in febribus continuis humor in venis incluſus continetur.) obſcurum eſt; clarius dixiſſes hoc modo: humor peccans aut putreſcens in venis majoribus, inter alas & inguina continetur. Nam in omni febri aut febricitante, ſemper in venis continetur humor: ſed non idcirco peccans: neque omnis peccans in venis majoribus. Nam & in minoribus & minimis, imò in habitu corporis, ut tu vis; quin & extra venulas, ut in phlegmonis, eryſipelate humor; imò ſanguis peccans contineri ſolet; ſed non ideò febrem ſuſcitans. C

Sequitur eadem theſi: Ita intermittentes ortum habent ab humore putreſcente extra venas majores, diſperſo prius eo in remotiores à corde partes.) At in quas quæſo te partes? an in brachia, manus & digitos ſimul? ân etiam in femora, crura, pedes, & eorum digitos, adeoque caput ipſum ſimul? verum humor diſperſus, non facilè, neque tam citò, intra duos aut tres dies putreſcit: diſperſus enim, id quod in diverſas partes, & minutatim diviſum eſt, denotat: illud autem facilè ventilari, & à natura (quia paucum & recens eſt) regi poteſt. Is verò qui compactus, & ſimul multusque exiſtit; ventilatur difficulter, incaleſcit citius & putredine tentatur. D

III. The-

III. Theſis hæc eſt: Intermittentium an natura alium locum aſſignarit, præter dictum inquirere operæpretium erit. Sunt enim qui harum putredinem in prima corporis regione fieri putant. Sunt alii qui in venis eam eſſe contendunt.) Atqui explicandum fuerat, quænam illæ ſint venæ, majoresne an minores, aut minimæ intelligi debeant.

IV. Theſis. per primam corporis regionem, ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas, omentum intelligunt: quibus ſupervacaneum humorem adhæreſcere cenſent; qui tandem A putredinem contrahendo, febres intermittentes pariat.) Atqui de diaphragmate dubitatur valde ad primamne, an ſecundam corporis regionem referri debeat. Eſt enim ſeptum, quod pectus ab abdomine ſeparat. Imò ad pectus potius pertinere, oſtendit ipſius continuati motus officium; quo reſpirationis neceſſitati inſervit, magiſque prodeſt, quàm intercoſtales thoracis muſculi. Quin etiam diaphragmati non facilè quid adhæreſcere poteſt, cum ſit in perpetuo motu, adeoque venas ſuas non à porta, ſed à cava accipiat. Item jecoris cava, cur magis, quam gibba ejus, ad primam regionem pertinere dicis, cum totum jecur intra peritonæum ſit collo-
B catum?

V. Theſis talis eſt. Ponamus ex putrido humore in viſceribus ortam febrem. Sed quæ hæc alia, quàm continua eſſe poteſt? Quid impedit, quominus antè quàm prima putredo finiatur, alia ſuccedat? Sive enim materiæ putreſcentis ſubſtantiam, ſive copiam, ſive ſitum partis, ſive denique locum putredinis reſpicias: nihil deerit ex his, quæ faciunt ad putredinem propagandam.) Imò verò ad propagationem putredinis deerit, meo judicio & quidem permultum; quatuor ob cauſas.

1. Prima eſt, quia humores in venis meſaraicis, aut portæ ramis,
C parum quietis habent; utpote per quos chylus continuò permeat: docent id manifeſtè urinarum in veſicam collectiones, earumque excretiones, quas mox à potu, aut liquidioris cibarii ſumptione, fieri videmus. Ideoque tardius alia putredo colligi poterit. Ut enim aliquid putreſcat, quietem poſtulat.

2. Secunda; quia viſcera infimi ventris, minus cordi, propter diaphragmatis interpoſitionē, putrido halitu incommodant, quàm loci vicinitas oſtendere videatur. Putrida quippe in alvo excrementa, ſuo fœtore, nec vitales ſpiritus in corde, nec aërem in rara pulmonum ſubſtantia conſiſtentem inficiunt, aut aliquo modo of-
D fendunt: quem tamen inamœnum nidorem, vel aperto ſolùm peritonæo, intra inteſtina adhuc concluſum, ſtatim naribus accurrentem percipimus, & nauſeam moventē ſtomacho noſtro. Et ſanè, licet ventriculi ſitus, cordi valde vicinus exiſtat; ſi tamen vaſorū ejus ambages, quas humor aut vapor putris ante, quam ad cor pertingat, per am-

perambulare debet, conſideres: haud parum impedimenti videbis. Ex ventriculo enim ſurſum per pylorum in duodenum, jejunumque inteſtinum atque Ileum; inde in meſenterium, perque anguſtos ejuſdem tubulos in portæ caudicem, hinc in ſimas jecoris partes, deinde ex portæ radicibus, per jecoris ſubſtantiam interjectam, in radices venæ cavæ, mox in amplum ejus truncum, ab hoc in dextrum cordis ſinum, hinc in venam arterialem, ex hac per colum ſubſtantiæ pulmonum in arteriam venalem, à qua tandem in ſiniſtrum cordis ſinum perreptandum eſt. Vides quod viarum diverticula inter cor & ſtomachum (vix quinque digitorum intervallo ſibi A
mutuo diſtantes partes, adeoq; communi voce καρδίας appellatas) quot meatuum circuitus intercedant: qui profectò longiores ſunt, quàm qui à corde ad pectoris, colli aut capitis muſculos: quàm qui ad brachiorum, aut dorſi, lumborum aut femoris, crurumque carnes diſtant: & ſic permultum tam variæ ductuum circumflexiones impedire poſſunt, quominus antequam prior putredo finiatur, alia ſuccedat, & in cor exhalare queat.

3. Tertiò, propter hepatis (cujus modo memini) ſubſtantiam, inter portæ & cavæ canaliculos poſitam, tardius quoque in cordis intima penetrare poteſt. Nequaquam enim portæ, cava vena, per B
communes continuos manifeſtosque tubulos, ut multi putant, cohæret: Imò ne utriusque quidem oſcula ſibi invicem è directo ſunt obvia, ſed inter utriusque vaſis, portæ quidem deſinentes, cavæ autem incipientes radiculas, jecoris ſubſtantia (ſi acutius rimeris) interſita reperitur. Et quidem hoc ſingulari Dei providentia, ne videlicet chylo crudiore præproperè per patentes meatus in habitum corporis rapto, cachenia, aqua intercus (quam hydropem anaſarcam aut ſarcitem vocant,) inflatio, vitiligo alba, aliaque cutis vitia, ex pituita & ſanguinis cruditate prodeuntia, animali facilè ſubnaſcantur. Verùm è contrario, ut interpoſita hepatis aliquanta ſubſtantia, C
velut obſtaculo quodam, remoratus nonnihil chylus, in profunda jecoris valle, pauliſper hæſitare cogatur: donec perfectiorem ſanguificæ facultatis coctionem conſecutus, & à melancholico, bilioſoque excremento repurgatus, boni ſanguinis formam induat, in totius corporis nutrimentum tranſiturus.

4. Quartò: vaſorum rectitudo ut non parum ad putredinem propagandam, facileque accendendam facit: ita eorundem tortuoſitas contrarium agit. Facilius enim & expeditius per rectos aliquid canales labitur, quales ſunt in venæ cavæ ramis, difficilius verò tardiusque per diſtortos & anfractuoſos rivulos, quales ſunt venæ portæ D
ductus. Ideoque in his intermittentes potius, in illis continentes & continuæ accenduntur.

VI. Theſis: In craſſa enim & lenta materia, ſi ignis accenditur, diu ignis fumus, & calor foventur. Ita ſi putreſcat ea, non facile putredo diſcutitur. Præter tertianam verò exquiſitam (quæ

raro

rarò viſitur) omnis intermittens febris ex craſſiore conſtat materia.) Hanc ſextam theſin, quamvis in eam nonnihil dici poſſit, putà parum concinnè aſſimilari craſſitiem & lentitiam ligni cum craſſitie & lentore humorum: Cum dicitur in craſſa & lenta materia, ſi ignis accenditur, diu ignem, fumum, & calorem foveri. Lentitia enim in ligno, qua flexile eſt, ſicut in ſalice, viburno & Betula nihil facit ad ignem, fumum, & calorem diutius fovendum. Imò ſalix & Betula facilius, quàm multa alia accenduntur, & abſumuntur. Sed craſſities & denſitas, qualis in quercu, Ilice & buxo; maximè autem viriditas & humiditas, eaque etiam in tenuibus, & raræ ſubſtantiæ
A virgultis, tardè inflammantur, atque diu fumant, quo ſimili & Galen. utitur lib. 2. de feb. cap. ult.) Suo tamen loco relinquo.

VII. Theſis: Copioſam verò confluxus humorum iſthuc ceu ad ſentinam decumbentium arguit.) Atqui licet humorum confluxus ad infimi ventris viſcera, ceu ad ſentinam fiat: non ideo tamen febres naſcuntur. Habent enim vias ſatis patentes, per quas devolvantur & excernantur, absque incommodo notabili; ſicut in vomitu, diarrhæa, menſibus videmus. Sin autem confluxus extra vias aberret, & in aliqua viſceris parte inani hæreat: illic tumores præter
B naturam pro humoris diverſitate ſuſcitabit, qualis phlegmone, Oedema, Eryſipelas, ſcirrhus, abſceſſus, nec illinc exſurgunt febres aliæ, quàm ſymptomaticæ.

Sequitur eadem theſi: Quàm etiam vicinæ partes ſint cordi, quàm multa & ampla ſint vaſa, per quæ putrida fuligo cordi communicari poſſit, notum eſt.) De eorundem viſcerum ad cor vicinitate paulò antè theſi 5 oſtenſum eſt. Multitudinem vaſorum agnoſco. Sed amplitudinem non item. Nam quæ ventriculo antè, retro, ſupra, infra, à dextra, ſiniſtra inſeruntur, parva ſunt. Parvæ ſunt & portæ radices, quæ hepatis cavum complent. Parvæ quoque venæ cavæ
C radices, per hepatis gibbum diſperſæ, parvæ item quæ lieni, & omento, quæ meſaræo, quæ inteſtinis, quæ renibus; quæ utero, quæ ambabus veſicis implicantur. Quinetiam parvæ ſunt & illæ venæ, quæ non quidem à porta; ſed à cavæ trunco enatæ, diaphragmati alendo attribuuntur. Vides itaq; nulla eſſe ampla vaſa in abdominis viſceribus. Nam ad portæ caudicem quod attinet, quamvis ille de concava jecoris regione prodeat, & in ramos ſex aut ſeptē majores, mox minores, tandem minimos, & innumerabiles fermè ſurculos diviſus, ad omnia penè abdominis viſcera, adeoq; ad ani uſque muſculum ſe porrigat; nequaquam tamen hepatis gibbum aſcendit; ſed in
D cavo ejus, radiculas ſuas à cōmunione cum cavæ radicibus, aliquanta hepatis ſubſtantia intervallata, diremptas coërcet, ut non ita facilè, nec citò, vel ex illo portæ trunco, licet amplo, putrida fuligo cordi communicari poſſit, ſicut ſupra in 5. theſi de inamœno nidore excrementorum, alvi, cor tamen non lædente, eſt dictum.

VIII. Theſis. Ad protrahendam febrilem acceſſionem loci na-

tura, in quo putreſcit humor, non parum conducit. Eſt enim infimus venter denſis & ſolidis partibus concluſus, ut non niſi tarda & difficilis ad exteriora ſit perſpiratio: & propterea ad cor putrilago continenter effertur.) Imò contra medius venter aut thorax denſioribus magisque ſolidis partibus quàm infimus concluſus eſt. Nam ſpina dorſi, coſtis XII. & oſſe lato (quod ſternon, enſiforme, & pectoris ſcutum appellant) præter membranam ſuccingentem, & muſculos, inter & ſuper coſtas poſitos, cutemque, munitus exiſtit magis, quàm infimus: qui ante & in utrisque Iliis mollis eſt. Præterea circa hypochondria, ſtomachique & hepatis ſitum, primò & quàm citiſſimè ſudor erumpit, experientia conteſtante. Quin etiam obſervatum eſt illos, quibus jecur, aut lien ætate morbove inaruit, vel obſtructione magna vel ſcirrho obduruit (ut in hydrope, in ictero, aut cachexia) nulla vi poſſe, ne per febres quidem, in ſudores induci, etiamſi reliquum corpus ſudore multo perfundatur. Eos verò, quibus jecur, aut lien calore humoreque naturali abundent: quavis ex cauſa ſudore diffluere. Quare ab hypochondriis, infimi ventris regione, celerior faciliorque ad exteriora fit perſpiratio febribusque intermittentibus locus aptior eſſe declaratur. A

IX. Theſis. Verum ſi per regionem infimi ventris, ſpatium, in quo naturalia viſcera continentur, intelligit novi dogmatis patronus: abſurdum eſt quod dicit, in quo enim febris hæc ab hydrope diſtaret? niſi copioſam materiam in hydrope, ſine putredine confluere prætendat. At ſi bilis, ſi pituita putreſcunt, cur aqua ſe à putredine vindicaret? Nonne etiam in hydropicis initio exiguus eſt aquæ proventus? Nonne etiam ex collectæ aquæ putredine, febris continua & lenta in illis deprehenditur?) Hanc theſin etiam ſuo loco relinquo. præterquam ubi dicit: In quo febris hæc ab hydrope diſtaret? Ineptum enim eſt, febrem cum hydrope conferre, quæ toto genere inter ſe diſtant. Febris enim ſub morbo ſimilari, putà ſub intemperie: hydrops verò ſub morbo inſtrumentali, nempe magnitudine, aut numero vitiato & tumoribus præter naturam continetur. Deinde cum triplex ſit hydrops, timpanites, aſcites & ſarcites: explicandum fuerat de qua ſpecie loquaris. Si de timpania ineptum quoque eſt. Timpaniæ enim materia flatus eſt, febris autem intermittentis, humor. Sin de ſarcite; atqui humoris ſub cute collecti, facilis eſt perſpiratio, teſtantur id œdemata noctu detumeſcentia. Si de aſcite, quod potius ſuſpicor: At in aſcite non facilè putreſcit aqua: quia in cavitate peritonæi, loco ampliſſimo eſt collecta, & frequenter movetur, dum ſe ægrotus variis modis, ſurſum, deorſum, in dorſum, in latera, modo dextrum, modò ſiniſtrum convertit. Ad putredinem autem propagandam, ut ſupra dictum, quies requiritur. B C D

Sequitur in theſi: Nonne ex aquæ putredine febris continua lentaque in illis deprehenditur.) Imò verò febricula illa continua,

lenta,

lenta, ſi quando adeſt (non enim ſemper adeſt) ex affectu potius
primario viſceris alicujus, ut ſcirrho hepatis, (quo 4. aut 5. diſſe-
ctos laboraſſe vidi in aſcite) (à quo illa aqua, velut ſymptoma ob
ſanguificationem læſam, per venarum omenti anaſtomoſin intra
peritonæi amplitudinem colligitur) quam ex aquæ collectæ putre-
ſcentis culpa, originem trahit.

X. Theſis. Quod ſi rarò quotidiana oritur, ſine aliquo ventri-
culi vitio, & tertiana ſine hepatis noxa, ut & quartana ſine lienis af-
fectu; hoc parum cauſam juvat. Ventriculus equidem in culpa eſt,
A cur aggregata multa pituita corpus ſit obnoxium febribus quoti-
dianis. Sic jecur ex bilis copia in tertianam corpus diſponit. Hæc
verò minimè faciunt ad demoſtrandum locum putredinis harum
febrium eſſe viſcera.) Hanc quoque theſin ſuo loco relinquam; eo
ſolum interim monito, quod ubi dicitur, ventriculus in culpa eſt,
cur aggregetur multa pituita: conſiderandum ſit, ad multæ pituitæ
generationem, non modò ventriculum: verum & victum humori
frigido gignendo idoneum, & hiberni temporis partem, & aëris
frigidioris, & humidioris conſtitutionem, adeoque otium, & co-
meſſationes, & temperamentum, jecoris ſimile requiri. Similiter
B de bilis & melancholiæ generatione ſentiendum.

XI. Theſis. Nec in viſceris ſubſtantiam humor exceptus, febrem
intermittentem, quamvis ſit putridus, introducit. Inde enim exci-
tata febris ſequeretur inflammationes, quæ accidunt expulſis ſuccis
ab aliis partibus, aut attractis ab illis, quæ inflammatione poſt cor-
ripiuntur, quibus inculcati tandem putreſcunt, & inflammationem
producunt.) Atqui mera hæc eſſe videtur calumnia. Neque enim *Vide Fernel. lib. de febribus cap. 10.*
hoc dicunt adverſarii tui, ac ſi in viſceris ſubſtantiam putreſcens hu-
mor excipiatur: verùm diſertè aſſerunt, materiam intermittentium
non eſſe venarum ſuccum alendo corpori deſtinatum: ſed humorem
C eſſe ſupervacaneum, qui ex ſanguine prolectus in propria conditur
receptacula, antequàm in jecur tranſcendat. Tertianæ enim mate-
riam eſſe bilem flavam, affinem ei, quæ in cyſthi fellis conditur.
Quartanæ bilem eſſe atram in lienem refuſam. Quotidianæ (ſi qua
eſt vera) pituitam eſſe mucoſam & ſupervacaneam, quæ in ventri-
culo & inteſtinis plurima colligitur.

XII. Theſis. Obſcurum autem eſt & vix ratione compertum,
quod de bilis in tertiana ad membranas impulſu dicitur. Eximii cer-
tè ſenſus ſunt membranæ, & acutis doloribus obnoxiæ, quos exci-
taret acris illa, & maligna bilis ad illas irruens.) An verò quæſo ob-
D ſcurum eſt & vix ratione compertum, humorem acrem per mem-
branas eximii ſenſus partes, impelli? obſcurumne eſt ventriculum,
inteſtina, jecoris cava, omentum, meſaræum, portæ vias, intus
membranas eſſe? An eſt obſcurum eos, qui bilem flavam, ſtomachi
interna ferientem vomituriunt, exhorreſcere, & concuti? Non cre-
do id negaturum quenquam, niſi qui fatuus prorſus ſit & bardus.

XIII. Theſis. Cur enim tenuis humor & acris, ſi impetu ruit, membranas non penetret? Quod ſi fit: erunt hæ membranarum inflammationes, ſicut pleuritis & phrenitis, & ſequetur has inflammationes febris continens.) Quare autem quæſo membranas penetret humor, qui ex conceptaculis ſuis, vel vaſorum oſculis excretus, intra ventriculi aut inteſtinorum cavitatem, & ſuper eorum membranas internas movetur? ſicut in vomitu & diarrhæa fieri videmus. Cur verò humores acres intra venas ut in ictero contenti earum membranas non perrodunt? aut cur non ipſam fellis Cyſtin, bilis
ſæpè praſſina, æruginoſa, cærulea, immò & atra, (qualis in milviis A
& aquilis, teſte Galeno. 10. ſimpl. c. 12. qualemque ſæpè, à canibus atramento, aut liquidæ pici ſimilimam excretam videmus) cur inquam acerrimi iſti humores, vaſorum membranas non porrodunt? quia nimirum illis ſenſim aſſueverunt. Ubi verò acrimonia adauctâ, facti ſunt moleſtiores, tunc expultrix virtus impetu facto irruens, eoſdem proturbat: & quidem per meatus ſuos, ut loca convenientia, aliquando à circumferentia ad centrum, vel alvum verſus, vel ſtomachum, vel alio rſum, ſicut ſupra in primam theſin diximus. Aliquando inverſo modo à centro ad circumferentiam agi-
tando, per vaſorum oſcula in cutem: unde herpetes, lichenes, le- B
præ, cancri, ulcera cacoëthe, aliaque pro humorum conditione, cutis vitia. Quamvis interim, nonnunquam, licet rarius, per vaſorum oſcula humor, cum copia abundat, in loca inania partis alicujus interioris ſeſe inſinuans, etiam in viſceribus ipſis, & alibi, phlegmonas, Eryſipelata, abſceſſus & alios tumores ſuſcitare poſſit, quos febris aliqua ſymptomatica continua aut lenta comitari ſolet.

XIV. Theſis ſic habet: Rigorem in febribus intermittentibus fieri à bile irruente in membranas præcordiorum, unde malignus
Fernel. lib. de febr. cap. 9. vapor ad exteriora exeat, nulla ſolida ratio demonſtrat.) Idem re- C
torquent adverſarii tui, aliqua quidem ſimilitudine veri, ſed nulla ratione ſolida, unquam demonſtratum eſſe, rigorem intermittentium à bile, in carnes muſculorum, qui corporis habitum componunt, irruente procreari. Quinetiam, quum ſicut paulò ante in 12. theſin dictum eſt, in confeſſo ſit, ventriculum, inteſtina, jecoris cava, omentum, meſenterium, portæ ductus, partes eſſe intus ex membranis fabrefactas, membranas autem eximio ſenſu eſſe præditas, ipſe ibidem fatearis: Præcordiorum autem nomine non ſolum diaphragma, ſed & viſcera præcordiis, id eſt, hypochondriis
5. de finib. vicina, Cicerone ipſo (annulum Polycratis in præcordiis piſcis in- D
lib. 30. c. 9. ventum fuiſſe ſcribente) & Plinio (præcordia uno nomine exta in homine vocari dicente) teſtibus, intelligi conſtet: Cumque bilis flava, calida impensè. & acris ſit, eamque in febribus intermittentibus moveri, quique eandem vomituriunt, exhorreſcere & concuti planum exiſtat: Quid deeſt quæſo ſolidæ rationi, quo minus intermit-

mittentium rigorem, à bile præcordiorum membranas irruente, fieri aſſeramus.

Sequitur eâdem theſi. Pudet novi dogmatis profeſſorem de veterum authoritate recedere: At magis ipſum pudeat, adeò ab ipſa deficere, ut fumo opus ſit, quo nebulas veritatis luci obducat.) Atqui nullus eſt fumus, nullæ profectò nebulæ, quas tu hujus dogmatis profeſſorem, luci veritatis obducere calumniaris. Expende modò, ſi quid ſapis, examina ad veritatis trutinam attentè, quæ cap. 9. & 10.
da febribus ſcriptor ille argutiſſimus à ſe obſervata conſignavit.
A Si quibus fumi, ſi quibus nebulæ argumenta viri videbuntur; illos vel à bile in ſtomacho, vel à fumoſa Bacchi crapula hallucinari, vel ſuffuſionum principii laborare neceſſe eſt. Piguit quidem, atque etiam puduit ingenuum illud pectus, de ſententia tot annorum autorumque numero, atque vetuſtate confirmata, decedere. Pudeat autem magis nos, oſtenſa luce, in vetuſtis tenebris immorari, glandes Dodonæas, inventis frugibus præferre. Benignum & ingenui pudoris plenum eſt, ut ait Plinius, fateri, per quos profeceris. *In præfat. ad Veſpa.* Amicus Socrates, amicus Plato; amicus Hippocrates, amicus Galenus; at magis amica veritas.

B XV. Theſis. Rigor ſane fit à motu ſpirituum, & caloris nativi, qui concitatus impetu quodam fertur ad expulſionem rei alicujus, quæ præter naturam in parte aliqua continetur, illique moleſta eſt.) In hunc theſeos paragraphum id ſolum ſuggerendum putavi, ſcilicet ut inter has duas voces, nempè, (qui concitatus) interſcribantur hæc verba; videlicet, prius introrſum contractus, aut in ſe collectus; inde verò comitatus impetu quodam fertur, &c. Alioquin enim nihil differet rigor, à motu caloris in ſudore, in vomitu, in diarrhæa: Quoniam & hæ excretiones fiunt à motu ſpirituum & caloris nativi concitati quidem im-
C petuosè; ſed non prius introrſum contracti, aut in ſe collecti.

Sequitur in eâdem theſi: Semper autem ferè in acceſſionum initiis febrium intermittentium percipitur triſtis quidam ſenſus extremarum partium, ex materia, à qua mox putreſcente febris accenditur.) At in omni laſſitudine ſpontaneâ, tenſiva, ulceroſa, 1.
phlegmonoſa, percipitur triſtis ſenſus, & quidem absq; ſubſequente febre. Ergo non ſemper triſtis ſenſus, eſt putredinis index, neque inſtantis febris.

Item, ſi putredo intermittentium in extremis conſiſtit, non po- 2.
D teſt eſſe tam copioſa, ut in omnibus extremis æqualiter conſiſtat. Sed videmus extrema febricitantium omnia çqualiter frigere, & triſti ſenſu affici, ut non manus & pedes ſolum; verum & cutis univerſa corporis, tam antè quam retrò: & caput & naſus ipſe frigeant, totoque corpore, accumulatis, appreſſiſque onerosè tegumentis

communiri flagitent. Ergo intermittentium putredo, non in ſolis extremis, ſed etiam alibi delitеſcit.

3. Rurſus, Naturæ mos eſt, ut humores ſibi moleſtos in hanc aut illam partem, quæ præ cæteris imbecillior exiſtit, detrudat; ſicut in podagra, chiragra, pleuritide, angina, aliiſque tumoribus fieri videmus. Ergo non eſt veriſimile, naturam in febri intermittente materiam peccantem ad omnes partes extremas æqualiter protrudere; ſed triſtem illum ſenſum aliunde procedere.

4. Rurſus, Quæcunque partes humoris peccantis onus, aut putredinis focum ſuſtinent, illas ſolas gravari, incaleſcere & triſti ſenſu affligi æquum eſt; ut ſi pedes, illi ſoli, ſi manus, aut brachia, illa ſola; ſi caput illud ſolum malè habeat, ſi partes dextræ aut ſiniſtræ; illæ ſolæ laborent. At in rigore intermittentium, omnes partes externæ corporis, ut ſupra dictum, triſti ſenſu afficiuntur: Ergo humoris peccantis & putreſcentis onus omnes externæ ſuſtinent, quod abſurdum exiſtit. Nam de ictero flavo quid dicemus? in quo bile copioſiſſimâ, per obſtructionem jecoris, tam extra, quam intra vaſa omnia, manifeſtè per univerſum corpus in cutem totam effuſa, triſtis quidem adeſt ſenſus, nulla tamen febris, nulla putredo, nullus rigor percipitur. A B

Sequitur eâdem theſi. Hinc demonſtratur materiam, quæ rigorem excitat, eſſe in partium muſculis. Erit igitur & ibidem rigor
1. primò.) At negatur tibi hæc conſequentia, materiam nempe rigoris, eſſe in partium muſculis. Nondum enim hoc demonſtraſti. Nam non omnis triſtis extremorum ſenſus eſt rigor; quia & frigus & horror, & pruritus ſunt extremorum triſtis ſenſus.

2. Deinde, quamvis rigor ſit extremorum triſtis ſenſus; non proinde rigoris materia in partium muſculis exiſtit. Variæ namque ſunt rigoris cauſæ. Aliæ enim ſunt externæ, aliæ internæ; modò C
calidæ, modò frigidæ; materiatæ & immateriatæ. Non rarò & animi affectus, terror & conſternatio mentis, ut à diſploſione bombardæ, à fulmine, tonitru crepitante, nocturno incendio, ſpectro, ſerpente impræviſo, horrenda narratione, hoſtium inſultu: Nec minus fit rigor ab aqua gelida nudo corpori infuſa, à boreæ afflatu, à ſcintilla ignis cuti illapſa, à vomitu vehementiore, nonnunquam & inter mingendum, & inter dormiendum concutimur, ſicut & ab inflammatione in abſceſſum tranſeunte, nec non ab acri medicamento ulceri impoſito, quis autem adeò rerum imperitus; qui in his rigoribus cauſam in muſculis ponat? Non negem interim ibidem, id eſt, in muſculis rigorem eſſe primò. Quandoquidem non poteſt fieri tremor, trepidatio, vel corporis illa concuſſio abſque muſculorum motu licet depravato. Sed omnis rigoris cauſam aut materiam, in muſculis eſſe pernego. Calor ſiquidem D

nativus

nativus ob injuriam vel jam illatam, vel ſibi imminentem intrò ſubitò refugiens, ſpiritus in auxilium convocat: hi verò muſculos ad injuriam propulſandam concitant.

Si materialis rigoris cauſa in muſculis conſiſtit: quid de rigore, qui continuas non rarò inchoantes, plerumque tamen finientes, criſi, non ſolum per ſudores, verum etiam per vomitiones aut dejectiones futura, comitatur, dicemus? An illius quoque materia intermittentium modo in muſculis ponetur? 3.

Si intermittentium putredo in habitu corporis focum habet: 4.
A ubinam ejuſdem cauſa, nempe prohibita tranſpiratio, aut hujus mater obſtructio collocabitur? Non intra vaſculorum, quæ in muſculis ſunt, conceptacula, opinor. Nam materiam illis excidiſſe, & in muſculos tranſiiſſe dicis: Jam ſi in muſculos tranſiit; vel in ſubſtantia ipſorum carnoſa, vel in ſpatiis inanibus (quæ inter carnoſam ſubſtantiam & reliquas muſculorum partes, fibras putà, nervulos, venulas, arteriolas, & membranas eorumdem exiſtunt) ſubſiſtet. Si in ſubſtantia muſculorum carnoſa: illa mollior, laxior, rarior eſt, quam ut tranſpirationem impedire poſſit. Ergo in ſpatiis inanibus eorumdem hærebit. Si in iſtis; quomodo illic denegabi-
B tur tranſpiratio; cum muſculi intra corpus adipe & cute contecti ſatis caleant. Atqui cutis denſatione, fieri illud inquies: Quomodo quæſo id fieri imaginabimur, cùm cute, veſtimentis, pellibus, ſtragulis benè communita, etiam ægroti in lecto jacentes, vel in calido aëre verſantes, immò inter exercitia vapidi, aut etiam ſudantes, cuteque probè perſpirante, nihilominus intermittentium, cum rigore paroxyſmos, ſibi obrepere perſentiſcant.

Item conceſſo, non autem dato, in muſculis focum eſſe, dic mihi quæſo, in omnibusne totius corporis; an verò quarundam ſolum 5.
C partium muſculis ille deliteſcet? & quarum demum partium muſculi illi erunt?

Deinde, quis ſibi perſuadeat, tantam putreſcentis humoris eſſe poſſe copiam, tamque citò ſuccreviſſe, ut omnes per totum corpus muſculos occupet, adeò ut in hunc modum, vix paucior bilis, tertio quoque die in tertiana requiri videatur, quam in ictero? 6.

Adde, quod quicunque humor ex vaſis, virtute expultricis, a- 7.
ctionem ſuam inchoantis in habitum corporis, aut inania muſculorum loca illapſus eſt; putredinem ſuam facilius in cutem, tanquam commune habitus emunctorium, ſibique propinquum,
D (quod furunculi, herpetes, exanthemata, ſcabies, lepra, & ſimilia teſtantur) ſyſtole cordis id perpetuò moliente propulſat: quam ut retrogrado modo, per vaſorum oſcula, in venas, arteriasque reverſus ille, cor ipſum affligat & febrim ſuſcitet.

Præterea ſi intermittentium focus in muſculis lateret: vel ſola 8.

ſanguinis miſſio ad illapſuram in muſculos putredinis novæ materiem ſubtrahendam ſufficeret: quod tamen medici exercitatiores nequaquam permiſerint; adeoque inutile eſſe, experientia conteſtatur.

Omitto quod ad curandas intermittentes, etiam ſatisfacerent vel
9. ſudores ſoli per hidrotica provocati, vel frictiones, vel unguenta acopa, vel ſolium aquæ dulcis, vaporaria, thermæ vel calor æſtivus: Talibus namque renaſcituræ in h bitu putredinis fomes ſubtraheretur: vel ſi qua jam eſſet renata, diſcuteretur: Neque opus foret illo præparantium apparatu, quibus craſſa attenuantur, lenta inciduntur, viſcida tergentur, obſtructa aperiuntur, denſata rareſiunt, infarcta laxantur, indurata molleſcunt: qualibus tamen practici neceſſitate uſuque edocti, præſcribendis diligenter incumbunt. A

Ut interim non dicam, me ſubinde intermittentes tertianas et-
10. iam non puras, unico per alvum purgante pharmaco, eoque non valido jugulaſſe; quo liquet putredinis focum earum, non in muſculis, ſed in hypochondriis potius latitare. Neque enim id quod per muſculos omnes eſt diſperſum, unica purgatione ne quidem valentiſſimâ, immò ne pluribus quidem, ex corporis habitu in vaſa retrahi, & per illa educi deorſum poſſet. B

Si intermittentium fomes in muſculis eſſet, longè diuturniore &
11. frequentiore præparantium uſu, multoque majore eorumdem doſi, quam hodiè fit, opus eſſet; ut nimirum eorum efficacia in omnes corporis muſculos, quaqua verſum, pervadere poſſet; cum incertum ſit, quarum partium propinquiorumne cordi, an longius remotarum muſculos ille occupet. Quæ diuturnitas, frequentia & copia pharmacorum ægrotantes, præ faſtidio à Medicis averteret. Immò vel ipſa ſola præparantia ſatisfacerent ad curationem, verbi gratia, decoctum guajaci, ſarſæ, chinæ aut ſimilium ex largiore aqua cum modico aceti ad refrigerationem, vel oxymelite, aut ſyrup. C de ſucco cichorii ad abſterſionem quoque (prout materiæ diverſitas poſtularet) adjecto: etiamſi nulla purgantia ſubſequerentur. Cum tamen praxis hodierna paſſim, poſtquam per duos aut tres dies præparavit (& quidem doſi parva ſemelque aut bis ad ſummum quotidie exhibito ſyrupo) mox purgare ſoleat, nec id infelici cum ſucceſſu. At ſi in muſculis brachiorum crurumve putredo latitaret, talis medendi ratio minime ſufficere poſſet.

Rurſus, ſi muſculi putredinis febrilis focus eſſent, minimè ipſi
12. una cum extremis in acceſſionum principio refrigerarentur. Atqui refrigerari illos certum eſt, docentque illud horror & tremor: Ergo D muſculi non ſunt focus putredinis. Major probatur eo, quod focus in quo vel à quo febrilis putredo accenditur, neceſſariò calet, & quidem prior, aut ſaltem tepet, alioquin non eſſet focus. Eſt enim receptaculum fluxionis mox putrefaciendæ. Quæ autẽ refrigeſcunt, partes ſunt illæ, quæ fluxionem transmiſerunt: Ratio eſt, quia ſanguinis

guinis & ſpirituum minus quam ante, retinuerunt: Sicut docet Gal. lib. 2. de febr. cap. ult. circa finem his verbis: Ubicunque accenditur & augetur caliditas, illuc ab aliis partibus ſanguis affluere ſolet; cum verò ille affluit, illas quidem ſanguine privatas refrigerari eſt neceſſarium. Quod verò patitur membrum gravari & diſtendi, atque ſanguinem ipſum affluentem alterari idque duplici de cauſa; tum quia aliis, quæ jam putruerunt, ſuperfluitatibus permiſcentur; tum quia intrùſum difflari nequit. Quo fit, ut inſtar lignorum humidorum, quæ paucam ſuper flammam univerſim injiciuntur, accen-
A dantur. Atque hoc tempus acceſſionis principium vocamus.

Inſuper quoque vomitiones, quæ intermittentium paroxyſmis 15
inchoantibus fiunt, convincunt, non in habitu corporis, ſed in prima potius ejusdem regione focum habere: Quoniam id quod in habitum abiit, id ſi tenue eſt, per cutem facilè tranſpirat: At ſi craſſiuſculum ſit, hæſitat, & in puſtulas, tumores, aut ulcuſcula degenerat. In venas autem redire, & per ſtomachum revomi non poteſt.

XVI. Theſis talis eſt: Nec eſt quod dicas laſſitudinem vel moleſtiam illam, quæ intermittentium initiis percipitur, non eſſe ab humore per illas partes ſparſo, ſed à putrido vapore, qui à viſceribus ef-
B fertur. Senſui enim manifeſtum eſt, adventante febris incremento evaneſcere triſtem illum ſenſum; qui tamen gravior tum eſſet. In incremento enim aucta putredine, major meritò eſſet exhalatio putridi vaporis, quam acceſſionis principio.)

Diximus paulò antè, & oſtendimus rigoris cauſas eſſe varias admodum, externas, internas, calidas, frigidas, materiatas & immateriatas, nec non & animi affectus. Ideoque non mirandum, ſi non ſolum calidus humor, aut vapor putridus: ſed & humor frigidus, qualis pituita acida, aut vitrea, immò aura frigida ſenſum triſtem, adeoque rigorem concitare poſſit, quod & Gal. agnoſcit lib. de tremo-
C re cap. 20. & lib. 3. de locis aff. cap. 7. ubi de Epilepſia. Et lib. 6. de locis aff. cap. 5. ubi de hiſtericis agit. Et de aura frigida, memini vidiſſe me ſæpius concuſſiones Epilepticas horrendas, in virgine honeſtiſſima, profitente frigidam ſe auram ante convulſiones illas, ex abdomine inferiore ad cor aſcendentem ſentire. Quare itaque non dicamus & nos, moleſtiam illam, aut ſenſum triſtem, intermittentium initiis perceptum, non ſolum à vapore putrido, ſed à frigoris quoque illo ſenſu accidere, retracto introrſum calore nativo, & ad ſtatum usque luctante, donec cauſa mali exturbata, victoriam nactus fuerit. Neq; augetur, ut tu quidem opinaris, per incrementum febrile, putredo:
D ſed ipſe potius febrilis calor augetur, dum in putredine ſuperanda magis magisque laborat. Nam vitioſi humoris putredo, dum minor exiſtebat, à calore nativo contemnebatur; verum ante paroxyſmũ auctior facta, calorem nativum laceſſit, & ad pugnam provocando quodammodo cogit, ut hoſtem ſuum aggrediatur: quo fit, ut certando incaleſcat. Si enim putredo pro febris creſcentis gradu au-

geretur; tum in ſingulorum paroxyſmorum declinatione, calore jam remittente & fatiſcente, quaſique victo, de vita æger periclitaretur, propter putredinis ad ſummum auctæ dominium, & calorem nativum opprimere conantis. Sed contrà ſe habet, nempè ut dum calor cum humore putrido decertat, ejuſdem meliorem partem concoquat: deteriorem verò calefaciendo exurat, in cinerem redigat, eodemque quaqua poteſt, exterminato, ſenſim & ipſe à certaminis labore quieſcat, & vires recolligat paroxyſmo finito.

XVII. Theſis. Inſuper ſi vapor putridus triſtem illum ſenſum concitat: cur in febribus ardentibus & continuis periodicis, in quib. A putridus vapor per corpus univerſum effertur, nullus apparet rigor? niſi circa finem, ubi humor extra venas propulſus, rigorem efficit.)

At bone vir, Fernelium calumnia hic rurſus (ſicut theſi 16. feciſti) gravas, acſi rigoris intermittentium cauſam, in ſolo quaſi vapore putrido locaret. Verba itaque authoris cap. 10. de feb. in medium proferamus, quæ ita habent: „Calidus ac putris humor extra „venas, quavis ſede conditus, quamdiu conquieſcit, corpus rarò exa„gitat. At verò dum quaſi efferatus, illinc præter naturam impetu „dimovetur, id variè concutit, affligitque. Si paucus eſt, ut in levio„ribus tertianis, aut ejus parva acrimonia, ut pituitæ putreſcentis, B „motuſque lentus ac languidus: ſolum frigus invehit, calore qui„dem ac ſpiritu ab extremis partibus intrò, quaſi in opem & ſubſi„dium vocatis. Sin copioſior eſt aut acrior, aut ejus motus impulſus„que concitatior, horror invadit. Cum verò plurimus iſque vehe„menter acer & mordax magno impetu in præcordia excuſſus fuerit, „rigor verus inducitur. Hæc præterea rigoris febriſque materia cir„cum præcordia hærens, ex ſe tanquam ex fomite, tetrum malum„que vaporem in omne corpus effundit, qui & altera frigoris, horro„ris, rigoriſque cauſa eſſe poteſt. Hactenus ille.

Unde liquet præcipuam rigoris cauſam in humore putri extra C venas condito; alteram ut ſecundariam & minoris momenti, in vapore per corpus effuſo, ab illo ſtatui. Reſpondeo itaque ad objectionem tuam breviter, & quidem ex tuis ipſius verbis: In febribus ardentibus & continuis periodicis nullum apparere rigorem, quamdiu calidus putriſque humor intra vaſa conditus, non dimovetur loco, ſed quietus manet. Rigorem autem ſuſcitari circa finem, cum humor extra venas expellitur.

XVIII. Theſis ſic habet: Poſtremi ſunt, qui locum putredinis intermittentium in venis univerſum ſtatuunt, in quibus humor ſucceſſivè per partes putreſcat. Sed hi nulla ratione docent, D qui hæc materia primò, illa ſecundò putreſcat; cum tamen uno & eodem loco contineantur. Putredinis ſcimus eam eſſe naturam, ut quod à putrido tangitur & ipſum putreſcat.) Hanc theſin, cum talium opinionem nec ego approbare queam; ſuo juri relinquo.

XIX. Theſis. Porrò cum iiſdem ferè difficultatibus ſe involvant,

volvant, quibus ſe implicant priores, plura de illis non addam.) Quin neque ego plura verba adjiciam; cum ex argumentis, adverſus ferè ſingulas hujus diſputationis theſes adductis, clarè oſtenderimus, ſententiam eorum, qui putredinis locum in febribus intermittentibus accenſæ, in habitu corporis aut muſculis ponunt, ſubſiſtere non poſſe.

A

LIBER NONVS.

HENRICI SMETII IN LIBROS PEDACII DIOSCORIDIS de Materia Medica Præfatio.

NEMINEM mortalium vivere exiſtimo, qui non & ſimul valere, imò benè valere deſideret. Omnibus enim animalibus id
B inprimis ſtudio eſt, non modo, ut vivere perſeverent: verum etiam ut valetudine fruantur bona. Ad hanc rem Natura etiam brutis ipſis ſequendorum & fugiendorum notitiam atque diſcrimen inſevit. Hinc cuncta animantia ſtatim ab ipſo ortu ad ea, quæ vitæ ſuæ utilia ſunt, ſua ſponte feruntur. Quadrupedia quidem ſimul atque in lucē prodierunt lacteas matrum lagunculas explorant. Volucrium quæ aquatica ſunt, anſerculi, anates, cygni, mergi, quin & aves chortales pavones, gallinæ Numidicæ, Indicæ, & noſtrates: denique quæcunq; humi nidificant, ut perdix, coturnix, alauda, ſcolopax, ut primum teſtis excluſæ ſunt, victum omni ſedulitate quæritant. Quinetiam ſi va-
C letudinem afflictam ſentiant, congenitā medelæ cognitionē habent. Hirundines, chelidoniam ſuam: accipitres, hieracium norunt. Canibus, graminis ſpecies, canaria vocata; felibusque nepeta pernota eſt. Cervis enixis à partu ſeſeli herba; vulneratis, dictamnum; à ſerpente ictis: Elaphoboſum; venenum depaſtis cinaræ herba ſalutaris innotuit. Muſtela cum ſerpentibus dimicatura, contra venenatos morſus ruta ſe munit. Ciconiæ origano; apri hedera; aves aquaticæ ſideritide; grues junco paluſtri, turtures helxine ſibi medentur. Adeò quid ad vitam, quid ad valetudinem tuendam conducat, ſolius naturæ inſtinctu ipſa bruta non ignorant.

D At ſapientiſſimo animantium homini quaſi ſoli, natura hac quidem in parte noverca fuiſſe videtur; cui niſi per bienniū totū, ex quo luce frui cœpit, alimenta præmanſa in os inſerantur, fame perierit. Immò vix tandem etiam ſatis adultus, ſibi de victu proſpicere poſſit. Sin in morbum inciderit, quanquam ſenili ætate appetente, qua maximè ſapere debebat, omnis per ſe quidem conſilii inops,

viventium

viventium miſerrimus, alienam opem implorare cogitur. Ex hac
itaque humanæ conditionis iniquitate, Medicina occaſionem na
cta eſt. Cum enim viderent viri ſapientes humano corpuſculo nihil
vivere imbecillius, nihil morbis iiſque infinitis magis obnoxium:
indignum judicarunt, hominem, qui brutis omnibus imperaret, iiſ-
dem in reſtituenda corporis ſanitate inferiorem eſſe. Quamobrem
quod homini natura negârat, id labore & induſtria comparare ſtu-
duerunt: unde in obſervationes eorum, quæ vel lædere vel juvare
poſſent, intenti eſſe cœperunt, & ſi quid tale aut natura, aut caſu, aut
conſulto eveniſſet, diligenter annotabant. Ex quibus ſi quid ipſimet A
vidiſſent, αὐτοψίαν, quod verò aliorum relatu didicerant, ἱστορίαν
appellarunt. Ab his ad imitationes progreſſi ſunt eorum, quæ in iiſ-
dem affectibus obſervata fuerant. Interdum quoque ad ſimilia tranſ-
ibant, non iiſdem eadem, ſed ſimilibus malis, ſimilia remedia admo-
vendo.

Ex his fontibus Empirice dimanavit, per quam & alimenta &
medicamenta tam purgantia, quàm deleteria, cum omni ferè mate-
ria medica, comperta exiſtunt. In hanc diſciplinam, antiquiſſimorum
heroum præſtantiſſimi quique multa cum ambitione incubuerunt.
Quum namque ἀλεξίκακοι & ſubditorum tutelares eſſe, diciq; vel- B
lent: nō tantùm ſuos ab hoſtium incurſionibus vi armata vindican-
dos; ſed vindicatos jam in proſpera quoque valetudine, à domeſtica
morborum injuria, conſervandos ſibi eſſe judicarunt, ſuaque pluri-
mum intereſſe, ſi cives valerent. Quin imò præclarius longè de hu-
mano genere ſe artis medicæ beneficio merituros, & vivaciorem no-
minis ſplendorem inde, quàm ex rebus bello geſtis, apud poſteritatē
relicturos exiſtimarunt. Nec ſanè illud injuria. Quandoquidem vir-
tute bellica, dum ſuorum civium, vel ſociorum paucos quoſdam tue-
ri, vel ulciſci conabantur: ferè aliorum hominum, qui hoſtes dicun-
tur, infinitos perdebant, idque ſæpè etiam cum ſuorum non minori, C
quàm ipſorum hoſtium malo. Contra verò arte Medica plurimos
ſublevarunt, abſque ullo tamen aliorum periculo, aut detrimento.
Virtute bellica ſuos tantùm, & quidem ad tempus, donec ipſi viverēt,
tutari poterant: arte medica non modo ſuos: at alienos quoque, et-
jam poſt mortem, per multa ſecula, vita quidem defuncti, ſed utilib.
inventis redivivi, à malis defendunt. Virtute bellica, certo quodam
loco ſuos, & tunc quidem ſolum protegebant: arte Medica plurimis
locis, plurimos etiam hodiè ſervant. Virtute bellica, de ſuis benè me-
reri non poterant, niſi hoſtibus terribiles, exoſi, & execrabiles fierent:
arte Medica nullis non gratioſi, amabiles, & optatiſſimi etiam apud D
hoſtes ipſos reddebantur. Munia militaria ſine ſævitia, ſine immani-
tate in homines, licet hoſtes, exerceri nequeunt: munia medica, cū
officioſiſſima pietate conjuncta ſunt. Bellica heroum facinora, ſiqua
illuſtria ſint, niſi ſcriptoris alicujus facundia in lucem proferantur,
in obſcuro deliteſcunt: Eorundem medicam pietatem, vel unica
herbula

herbula muta, efficacia ſua, perpetuò prædicat, & quotannis revireſcens nominis æternitatem conſervat. Hac ratione heroum ille, ob incomparabilem corporis animique fortitudinem Hercules clariſſimus, ut maximè ſiluiſſent poëtarum mendacia, vixiſſet tamen vivitque in hodiernum diem per tria annorum millia medendi ſcientia, heraclea ſideritide, itemque panace ſuo heracleo, cujus ſuccus eſt opopanax quotidiani uſus medicamentum, id conteſtante. Vivit quoque Myſorum rex Herculis filius, reperto à ſe Telephio, Telephus. Vivit etiam nunc ejuſdem Telephi medicus, fortiſſimus nempe
A Græcorum, Achilles, Chironis centauri, cum in aliis diſciplinis, tum in medicina diſcipulus, idemque Patrocli in medicina, teſte Æliano, præceptor, Achillæa autorem ſuum confitente. Agnoſcit & Teucrium repertorem ſuum, Ajacis Telamonii fratrem, Teucrum, Lyſimachum Macedoniæ regem Lyſimachia; Gentium Illyriorum principem Gentiana; Eupatorem Syriæ regem, Eupatorium; Alcibiadem magnum illum Athenienſium ducem, Alcibiadion; Mithridatem Ponti & Bithyniæ regnatorem potentiſſimum, tam planta, quàm celebratiſſima illa Antidotus, Mithridatium, nominis immortalitate donarunt. Quid de Attalo Pergami; de Evace Arabum regi-
B bus dicam? quorum iſte de ſimplicium medicamentorum viribus ad Neronem Cæſarem multa conſcripſit: ille dum adverſus venena & virus ejaculantium ferarum ictus, antidota conficeret, legitimas plantas nanciſci, cognoſcere & reperiri ambitioſiſſimè ſtuduit. Omittam Jubam Mauritaniæ; Archelaum Cappadociæ; Maſſiniſſam Numidiæ; Hieronem Syracuſarum; Ptolemæum Philometorem Ægypti regem; quorum nomina, nulla vetuſtate extingui poterunt, ob eam, quam in cognoſcendis prodendisque ſtirpibus curam ac diligentiam adhibuerunt.

Quin & Heroinas, ex herbarum cognitione gloriam conſecu-
C tas eſſe, veterum monumentis conſtat. Hanc ob cauſam Circen, quæ Sarmatarum regis uxor fuit, & Circææ herbæ nomen impoſuit, Solis filiam fuiſſe fabulantur Poetæ. Tantam quippe habuit plantarum peritiam, ut illam non aliunde quam à Sole (is Apollo & medicinæ parens apud priſcos dicebatur) didiciſſe crederetur, & ob ſtupenda opera, pro diva illis ſeculis haberetur. Medea quoque Jaſonis Theſſaliæ regis conjux, eandem ſcientiam tantam adepta eſt, ut cum artificioſa ſimplicium mixtura multis ſenectutem retardaſſet, Æſonem tandem ſocerum decrepitum, mariti precibus, vigori juvenili reſtituerit. Adde quod & Helena Menelai Spartanorum regis uxor, in He-
D lenio à ſe invento & ſtudioſè culto: Artemiſia autem Mauſoli Cariæ regis conjux, in ſui quoque nominis herba, etiam nunc hodiè vulgò celebrantur.

Nec defuerunt rei plantariæ periti poëtarum & philoſophorum vetuſtiſſimi quique, inter Græcos quidem Orpheus, Muſæus, Heſiodus, Homerus, Alcæus; item Pythagoras, Democritus, Empedocles,

docles, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus. Inter Latinos, Virgilius, Ovidius, Æmilius Macer, Marcus Cato, M. Varro, qui de plantis multa obſervatu digna poſteritati reliquerunt.

Tanta denique in admiratione ſtirpium cognitio priſcis illis temporibus exſtitit, ut non hominibus, ſed numinibus ſuis Apollini, Mercurio, Æſculapio, Oſiridi acceptam referrent. Affirmant hoc plantarum quarundam nomina. Apollinaris, Mercurialis, hermodactylus, hermupoa, Aſclepias, Oſiris. Non enim crediderunt humani ingenii acumen ad recondit as illas ſtirpium facultates eruendas, abſque Deorum ductu poſſe penetrare. A

Ducti itaque admiratione divinæ hujus ſcientiæ viri principes, hortos amœniſſimos inſtituebant, quos variis plantarum generibus, non tantum ad voluptatem; ſed ad humanæ vitæ neceſſitatem, uſumque medicinæ, inſtruxerunt. Fidem faciunt decantatiſſimi illi Adonidis, Heſperidum, Alcinoi, & penſiles Semiramidis horti. Accreſcente tandem artis gloria, & ſemper plura diſcendi, hominum deſiderio; non potuit diu hortorum ſepimentis ſcientiæ aviditas coërceri, quin apertos campos ſibi poſtulans, in paſcua, agros, nemora, ſaltus, ſylvas, valles, colles, montes, rupes ipſas, cultores ablegaret.

Poſtquam autem herbarum, fruticum, arborum, earumq; partium, foliorum, florum, ſeminum, fructuum, ſuccorum, liquorum, gummium, radicum, corticum, lignorum naturam & vires jam ſatis exploratas habuere ingenioſi homines: nequaquam in telluris ſuperficie ſemper hærendum ſibi cenſuerunt: verùm in ejus viſcera etjam deſcendere, operæ pretium exiſtimarunt, ut omnes terrarum, metallorum, lapidum, gemmarum ſpecies examinarent. B

Adde, quod ne his quidem acquieſcentes, etiam animalium, quadrupedum, volatilium, natatilium, immò reptilium & inſectorũ quoq;, eorumq; partium contemplationem ſibi ſubjecerint. Extendit quippe ſe & in fontes, flumina, ſtagna, lacus, maria, oceanũ ipſum medelarum cupiditas: adeoque nihil inexploratum relinquit; ut etjam ab horrendis belluis, elephantis leonibus, camelis, urſis, hyenis, lupis, crocodilis, hippopotamis, balenis: à venenatis quoque piſcibus, dracone, ſcorpio, & paſtinaca marinis: à terreſtribus feris virulentis, vipera, ſepe, ſalamandra, bufone, ſcorpio; ab inſectis, araneo, eruca, catharide, bupreſte, blatta, cimice, hominum ſaluti remedia depoſcat. C

At ex his, quę modo dicta ſunt, non mediocrem fortè quiſpiam difficultatem in hac diſciplina ſimplicium verebitur. Quod ſi ita eſt, licet, ut in proverbio, δυσκολα τὰ καλὰ; ille ſibi perſuadeat velim, hanc in ſpeciem magis videri, quam revera eſſe. Sed ſi quæ tamen eſſe poſſet, illam inſatiabilis quædam ex infinita rerum varietate naſcens oblectatio, abundè lenierit: ut immenſam quæ inde dimanat, utilitatem interim prætermittam, utpote quæ unicuique per ſe ſatis ſuperque, vel me ſilente, ſit perſpecta. Hæc eſt enim, quæ ſanita- D

tem,

tem, qua in rebus humanis nihil eſt prius, nihil antiquius, conſervat; quæ innumera morborum genera profligat; quæ immanes cruciatus tollit; hæc ferarum virulentos morſus innoxios reddit; aſſumtorum venenorum perniciem frangit & diſpellit; hæc morituris vitæ terminos non rarò extendit; conclamatos ſæpè in vitam reducit. Immò multi ſine hujus ope nec naſci, nec gigni quidem potuiſſent. Hæc eſt præcipua noſtræ tam neceſſariæ artis pars, quâ ſi deſtitueretur medicina, profectò nulla foret. Quid quæſo profuerit morborum & ſymptomatum omnium differentias, ſigna, cauſas,
A partes affectas exquiſitiſſimè noviſſe, niſi quibus armis hæc mala ſint expugnanda ſis inſtructus. Eſto quis recenti vulnere cum multa ſanguinis profuſione affectus. Is ſanè nullum vocaverit medicum, ut ab eo quo morbo, quo ſymptomate, quâ cauſâ, quâ corporis parte laboret, doceatur. Norat quippe omnia per ſe ipſe quàm optimè, verum ſine ullo ſuo commodo. Cum autem ignoret qualia ad ſiſtendum primum ſanguinis profluvium, deinde ad vulnus conglutinandum remedia requirantur; ſibi diffidens, artificis opem implorat. Medicus itaque per heracleam, vel achillæam, vel lyſimachiam tritam, plagæ decenter accommodat, ægrumque ſecurum eſſe jubet.
B Si quis à vipera, aut alio ſerpente letalem ictum acceperit: is à præſentiſſimo veneno, vitæ ſuæ metuens, ex medico non à quali fera, aut qua parte percuſſus ſit, quærit: ſed quibus præſidiis à morte vindicari, & ab inflicto virulento morſu, convaleſcere queat, miſerabiliter ſupplicat. Medicus ſtatim vel gentianam, vel Alcibiadion, vel mithridatium, quod ſcordium vocamus, ex vino potandum exhibet; vulneri autem Teucrium ex aceto illinit, & in ſpem bonam ægri animum erigit. Unde hæc arma, hæc præſidia, quibus medicus adverſus feras, adverſus mortem pro ægro decertat? Non aliunde profectò, quàm à materiæ ſimplicis cognitione requi-
C ras. Quantopere autem neceſſaria ſit ſimplicium legitima cognitio, cum omnibus in univerſum hominibus (ſaltem aliqua ex parte) tum verò inprimis futuro medico (ne dicam pharmacopœo) monet nos, ut vetuſtiſſima, ita & uſitatiſſima etiamnum hodiè, medicamentorum adulteratio, & ingenioſa impoſtura, non ſolum in compoſitionibus mixturiſque (quod ut facilè fallere, ita difficillimè depræhendi poteſt) verum etiam in ipſiſmet ſimplicibus, in quibus præter artificioſiſſimum mangonium; ſæpiſſimè quoque craſſiſſima, & omni fuco carens licentia (ſed quæ cum ſummo vitæ periculo non rarò conjuncta ſit,) committitur; præſertim in
D ἀντιβαλλομένοις vocatis, cum in unius deficientis locum, aliud ſubſtituitur verbi gratia:

In compoſitionibus bilem purgantibus, ferè Scāmonium lacte tithymallorū, ac pityuſæ adulteratū, immiſcere ſolent pharmacopœi. Illis verò quæ pituitam ducunt; ſæpè legitimi Turpeti loco, modo

pityuſæ,

pityuſæ, modo thapſiæ, modo pœoniæ radicum cortices imponunt; quæ impoſtorum mangonio fucata, ita turpetum referunt, ut non ſeplaſiariorum modo, ſed etiam medicorum quorumlibet oculos ſæpenumerò fallant; niſi fraus guſtu, legitimique Turpeti examine & collatione deprædendatur. In catapotiis, quæ vulgò pillulas vocãt de hermodactylo: Ephemerum colchicum legitimi hermodactyli vice: In fœtidis appellatis, cicutæ ſemen pro ſemine rutæ agreſtis: quorum utrumque mortiferum, ferè omnes injicere ſolent. Quod etſi quandoque malitiâ ac propriâ artificum impoſturâ fiat: id tamẽ plærumque accidit, ex ipſorum cum negligentia, tum imperitia. Nã pauci vel potius nulli habentur pharmacopolæ (illos ſemper excipio, qui ſimplicium hiſtorias amplectuntur) qui ſuppoſititiis, iiſque infinitis, non utantur ſimplicibus. Nam aſaro utuntur pro bacchare; loto ſylveſtri pro meliloto: colutæa pro ſenna: acoro pro calamo aromatico; ſpondylio pro achanto: agreſti lactuca pro intybo; quam endiviam vocant; thapſia pro turpeto: reſina larigna pro terebinthina; phyllitide pro asplenio; caſſia pro cinnamomo; oſſibus & carne humana ſiccata pro mumia; maci pro macere, creſpino pro oxyachanta: ſucco pruni agreſtis pro acacia; ſucco periclymeni pro lycio: ſaponaria pro ſtruthio; cotula fœtida pro parthenio: convolvulo vel ſmylace, pro liguſtro; hieracio pro ſoncho; chondrilla pro cichorio; ſantalis pro aſpalatho: radicibus neſcio quibus pro meo, & peucedano: lacca ex braſilio & cocco infectorio confecta pro cancamo: parthenio pro arthemiſia; trichomane pro adiantho & centum aliis. A B

Cum autem hanc ſimplicium notitiam jam inde à multis ſeculis, veterum quam plurimi conſecuti eſſent: eandem, ut ſtudioſæ poſteritati porrò deſcriptam traderent, eorum nonnulli allaborarũt. Inter Græcos quidem Bithymis Iolas, Heraclides Tarentinus, Cratevas, Andreas, Julius Baſſus, Niceratus, Petronius, Niger, Diodotus, Dionyſius & Metrodorus. Inter Latinos autem, M. Cato, M. Varro, Pompæus Leneus Magni illius libertus &c. Valgius vir illuſtris. Verum cum in hoc ſtudii genere omnes diverſimodè peccaſſent, aliis vernacula & vulgo cognita ſolum tradentibus: aliis præter ea, quæ ex auditu acceperant, pauca tractantibus; nonnullis ſolas herbarum effigies, quibus tamen earum effecta ſubſcripſerant depingentibus: quibuſdam odoramenta; quibuſdam metallica: aliis alia prætermittentibus, nullis denique abſolutum quid edentibus: Magna Dioſcoridi occaſio oblata fuit, materiam medicam de integro pertexendi, quod quam feliciter præſtiterit, ipſius omnium medicorum principis Galeni noſtri teſtimonium audire libet; qui lib. 6. de ſimplicium medicamentorum facult: in procem. in hæc verba ſcribit: At Anazarbenſis Dioſcorides quinque libris materiam omnem utilem abſolvit; non herbarum tantum; ſed & arborum, & fruticum, & C D

ſuccorum

& liquorum; memorans inſuper, & metallica omnia & animalium "
quoque partes. Et mihi utiq; videtur omnium perfectiſſimè tractatū "
de materia medicamentorum confeciſſe. Nam licet à majoribus eo, "
plurima de illis benè ſcripta exſtent: tamen à nemine omniū, æquè "
de omnib Idem & lib. 4. de compoſ. medicament. ſecundum genera "
cap. 1. Dioſcoridem nulli eorum ſecundum appellat, qui in medici- "
nalis materiæ arena deſudarunt. Quod quum ita ſit: non immeritò, "
ſimplicium cognitionem ab hoc authore hauriendam, adeoque dignisſimum illum, qui ſcholis medicis proponatur, judicarunt eruditi
A omnes. Floruit autem bello civili, Antonii partes & caſtra ſecutus, in Aſiam & Ægyptum, regnante Cleopatra. Oriundus fuit Anazarbo Ciliciæ urbe, ad Pyramum flumen, non procul Tharſis ſita. Præter quinque autem libros, quibus materiem omnem utilem ut Galen. loquitur, abſolvit; etiam de venenis ſcripſit libros tres, ut in univerſum libri ſint octo; qui quidem ad hæc tempora pervenerunt.

In quorum primo aromatica, cap 26. olea & unguenta cap. 40. arbores quoque & frutices cum lachrymis, ſuccis concretis & fructibus eorundem. cap. 80 pertractat.

B Libro ſecundo, animalia aquatilia, volatilia, greſſilia quoque & illorum partes cap. 76. frumentacea & legumina cap. 67. Oleracea cap. 74. proſequitur.

Libro tertio de radicibus, ſuccis, herbis, ſeminibus medicamentoſis capita 150. confecit.

Libro quarto de ſimilib. per capita 130. in eodem etiam de purgantibus medicamentis per cap. 40. agit.

In quinto de vinis, aliiſque potabilibus cap. 39 à quibus de metallicis cap. 57. tradidit.

Libro ſexto venenorum, quæ vel potu, vel cibo aſſumta ſunt notas ſimul & remedia cap 37. docet.

C Lib 7. de cane rabioſo, ejusq; ſignis, morſu atq; curatione cap. 4. tractat. Deinde quoq; de venenis reliquis, per ferarū virulentos ictus impreſſis & quibus notis internoſci queant, per cap. 15. oſtendit.

Lib. 8. venenatorum ictuum curationē, & antidota peculiaria c. 16. declarat. Quanquam non deſint, qui quæcunq trib hiſce poſteriorib. libellis, de venenis traduntur, in unicum omnia librum contrahant, ut totum opus Dioſcoridis in ſex tantum partes, ſeu libros, ſicut ipſe author in proœmio ſe facturum promittit, diſtinguant.

D

PRAEFATIONIS DIOSCORIDEÆ explicatio.

IN præfatione operis ſui de materia medica, quod familiari ſuo Areo, eidemque medico dedicavit: excuſat ſe Dioſcorides, quod rē

ab aliis tum veterib. tum recentioribus aliquot tractatam, ipſe quoque aggrediatur; idque tribus de cauſis. Primò, quod ex materiæ ſimplicis ſcriptoribus, nemo omnibus numeris abſolutum quicquã poſteritati reliquerit. Deinde, quod nonnulli, tantum ferè ea, quæ ex aliorum relatu acceperant, didicerint. Tertiò, quod ſine ordine ſcripſerint. Primum probat ex veteribus quidem Bithyno Jola, & Heraclide Tarentino, qui rem herbariam nimis ſuccinctè, ſine ulla deſcriptione percurrerint. Deinde quicunq; etiam ex veteribus, cæteris exquiſitiores fuerunt, qualis Cratevas & Andreas, multas tamen radices & herbas, alioquin utiliſſimas, non deſcripſerunt. Ex recentiorib. A
verò plærique etiam qui ſe ab Æſculapio oriundos jactabant: domeſtica ſolum vulgataque ſimplicia accuratè quidem percurrẽtes, nullis experimentis comprobarunt. Alteram cauſam exemplo Nigri oſtendit; nimirum quod ille cæteris quidem eruditior: multa tamẽ ex aliorum fide ſibi prorſus incomperta tranſcripſerit. Tertiam demõſtrat quod confuſè omnia, nulla affinitatis, quæ in ſimplicibus eſt, ratione obſervata, ordine ſolum alphabetico coacervarint.

Laudatoq; Areo, à probitate & benevolentia, in omnes eruditos: commendat operam ſuam: tum à diligenti ſtudio, quod in cognoſcendis explorandisque ſimplicib. ipſe ab adoleſcentia impendit, tum B
quoque à fide, qua in tradendis iis, quæ non unius ſolius teſtimonio: ſed unanimi omnium, apud quos naſcuntur, conſenſu, comprobata acceperit. Quorum omnium non ſolum notas, ſed & facultates traditurum, ſeorſim & cum aliis quoque miſtorum, idque in tam vulgatis, quam exoticis rarisque ſimplicibus.

Commendat quoque operam ſuam à legitima ſcribendi methodo, qua medicamenta per ſua genera ſit traditurus, pro affinitate, quã inter ſe mutuò habent, idque per claſſes quasdam: Exempli gratia, aromatica primum; deinde olea, unguenta, poſtea arbores, frutices, lacrymas, ſuccos, fructus; quibus ſubjunget animalia, aquatilia, vo- C
latilia, greſſilia. Item frumentacea legumina, oleracea; progreſſurus porrò ad purgantia vina aliaque potabilia; tandem quoque ad metallica, non prætermiſſurus ne venenorum quidem tractationem. Ordo enim alphabeticus in ſimplicium tractatione valdè eſt incertus & obſcurus, propter appellationum, quæ in unico ſæpe eſt ſimplici, diverſitatem, ſicut in Hyperico videre eſt, quod teſte Dioſcoride lib. 3. cap. 171. alii androſæmum, alii corion, alii chamæpityn nominant. idem accidit infinitis aliis quod & hodiè uſu venire videmus in vulgatiſſimis herbis. Betam enim Germanorum quidam vocant Mangolt quidam Rumaelſen quidam Römiſche/ quidam Wel- D
ſche Kôl/ Belgæ *biete*, quidam Warm Moes / ut neſciat quis ſub qua voce aut litera de beta quæſiturus ſit. Tandem cum non quælibet obvia ſimplicia, & ubique nata, uſui medico conveniant: delectum habendum docet.

DE SIMPLICIS MATERIÆ divisione.

Simplicium medicamentorum materia, ſumitur vel à plantis, vel ab animalibus, vel ex terra, vel ex aquis.

Plantarum, aliæ ſunt arbores, aliæ frutices, aliæ herbæ.

Arbores ſunt, quæ caudice ſimplici ramoſæ, nodoſæ, ſurculoſæ haud facilè diſſolubiles exurgunt, ut ficus, cedrus, pyrus, ceraſus, olea,

A quercus, abies.

Frutices dicuntur, quæ ad juſtam arboris proceritatem non aſſurgunt, ſed ſtatura multis herbis ſimiles ſunt: non areſcunt tamen, aut èmoriuntur herbarum more: ut Juniperus, Geniſta, lentiſcus, terebinthus, arundo, rubus, roſa, paliurus.

Herbæ ſunt, quæ ab radice foliatæ ſine caudice pullulantes, ſemen caule proferunt, ut frumentacea, oleracea omnia.

Plantarum partes, aliæ ſunt veræ & eſſentiales: aliæ accidentales, aliæ adnatæ.

Veræ partes ſunt, vel ſolidæ, vel liquidæ.

B Solidæ ut radices, ſtipites, ligna, medullæ, cortices, rami, ſurculi, folia, flores, ſemina, fructus.

Liquidæ ſunt, ut ſucci.

Accidentales, ut reſinæ, Gummi, lacrymæ.

Adnata, ſive quaſi excrementa, ut muſcus arborum, lichen, viſcus, fungus, agaricus.

Quæ ab animalibus ſumuntur; vel ſunt animalia integra, vel partes eorundem, vel excrementa.

Animalia integra medicinæ utilia ſunt; ut vulpes, catus ſylveſtris, paſſer troglodytes, galerita, motacilla, limaces, teſtudines, ſcorpii, a-

C ſelli, hirundines, lumbrici terreſtres, cimices, pediculi, ranæ, bufones, cancri, gobii, cantharides, muſcæ, apes, cicadæ, grilli.

Partes animalium aliæ organicæ ſunt, aliç ſimilares.

Organicæ, ut capita mœnidum, pulmo vulpis, hepar, & inteſtinum lupi, teſtes caſtoris, renes ſcinci, corpus totum viperæ, excepta cauda, càpite pelle & interaneis.

Similares partes, ut cerebrum leporis, & paſſerum, medulla cervi, adeps urſi, pinguedo anatis, gallinæ, anſeris, humana oſſa, cornua cervi, dentes elephantis, lupi, ungula alcis, capræ, coagulum leporis phocæ. vituli, teſtæ oſtreorum, conchyliorum, ſepiæ, ſenecta ſerpentis, pi-

D lus leporinus, gluten piſcium, taurinum.

Excrementa, ut ſtercus canis, lupi, capræ, bovis, columbæ, fella, urina, ſordes, ſudor, ſaliva, ſemen, mel, cera, lac, butyrum, caſeus, ova: ſibethum, moſchus, œſypus, ſericum.

Simplicia ex terra deſumta, ut metalla, lapides, gemmæ, lutum, Metalla ſunt, auri, argenti folia vel bracteæ, chalybs, ferrum, plumbū,

æs uſtum, argentum vivum, arſenicum, alumen, antimonium, ſal foſſile, nitrum, chalcitis, miſſi, ſory, ſulphur, chalcanthum. Lapides, ut Alabaſtrum, ætites, corallum, cyanus, hæmatites, pumex, Gemmæ, ut Amethiſtus, granatus, carbunculus, vel rubinus, hyacinthus, jaſpis, ſmaragdus, ſaphyrus.

Lutum, ut bolus Armenius, terra lemnia, ſigillata, cimolia, terra cretica.

Simplicia ex aquis: ut bitumen, petroleum, ſuccinum, ambra griſca vera, halcyonium, ſperma ceti, ſpongia, adarce, uniones, margaritæ, ſal & nitrum factitia. A

DE SIMPLICIUM DELECTU.

Delectus ſimplicium, ſumitur partim ab ipſorum ſubſtantia' partim à quantitate à qualitate, à loco, ab operatione, à tempore colligendi, reponendi & aſſervandi.

A ſubſtantia quidem, quatenus eſt craſſa, vel tenuis, terrea, vel aërea, denſa, ſolida, compacta, coacta, unita, laxa, rara, fungoſa, ſoluta, gravis, levis, plena, inanis, benè habita, diſtenta, lenta, glutinoſa, pinguis, gummoſa, mucoſa, tenax, friabilis, fluxilis, liquida, aſpera, lævis, polita, glabra, dura, mollis. B

A quantitate diſcreta, vel continua, ſingulari, duali, vel multiplici per omnes medicamentorum ſpecies, magnitudine, latitudine, longitudine, altitudine vel profunditate, digitali, pollicari, palmari, dodrantali, pedali, cubitali.

A qualitate prima, calida, frigida, humida, ſicca. Secunda ut guſtatili, olfactili, viſili, audibili, tactili: Tertia, ut molliente, indurante, aſperante, leniente, rarefaciente, denſante, tergente, attrahente, repellente, pus movente, urinas ciente, menſes provocante, purgante, lapidem frangente, lac generante, vomitum ciente, ſudores movente. C

Item à figura, ſimilitudine, diſſimilitudine.

A loco vel ſitu, calido, frigido, humido, ſicco, tẽperato, ſublimi, humili, dextro, ſiniſtro, anteriore, poſteriore, ad ſeptentrionem, meridiem, orientem, occidentem, viciniam habente ad hoc, vel illud.

Ab operatione medicis potiùs, quàm pharmacopœis neceſſaria, ſicut modo de qualitatibus tertiis dictum eſt.

A tempore colligendi reponendi & aſſervandi.

Circa collectionem tria conſideranda veniunt, nempe tempus, locus & ætas. In tempore quidem, qua parte anni, quo menſe, qua lunæ facie. Item qua cœli conſtitutione. D

In loco nativitatis, magna eſt differentia; ſi ſublimi, aut humili; ſi ſicco aut humido; ſi calido vel frigido; ſi ventis pervio aut minus perflabili; ſi ad Boream, ad meridiem, ad ortum, vel occaſum plantæ naſcantur.

In ætate plantarum diſtinguenda ſunt, principium, cum primò

erum-

erumpũt;augmentum, cum aſſurgunt; ſtatus,in quo florent & ſemen producunt; Declinatio vel ſenium,cum ſemen & folia decidũt. In qua quadruplici ætate plantarum, herbariæ rei ſtudioſus exercere ſe debet,alia enim eſt facies plantæ primùm erumpentis; alia adultæ; alia conſiſtentis,alia ſenio confectæ.

DE RADICVM DELECTV.

Radices evellendæ ſunt, cum maximè medicamentoſæ exiſtunt,id autem eſt novo vere,antequam caules, flores,ſemina producant. Quia tamen humiditate multa per hyemem collecta redundant,quæ putredini obnoxia redditur; expectandum erit, quoad antedicta humiditatis redundantia, per primorum foliorum eruptionem extracta excretaque fuerit,quod circa finem Aprilis eſſe poteſt. Quidam tamen utiliſſimè effodiendas putant,circa hyemis initium, quorum tamen ratio infirmior eſt.

A

Sed integras,ſi fieri poteſt,effodi præſtat; deinde à ſordibus repurgari,putre & corruptum amputari,à terra ablui ,ſed humor alienus linteo vel aëre exſiccari debet.

Purgatæ vel inciduntur,vel integræ filo trajecto, ſuſpenſæ ſervantur. Quamvis integras ſervari præſtaret,ſicut Gentiana ,glycyrriza,centaurium majus,pyrethrum,angelica,&c.Inciſæ n.aliquid viriũ amittunt,maximè aromaticæ. Grandiores radices,ut bryoniæ,rhabarbari,Mechoacæ,in orbiculos digiti craſſitudine per transverſum diviſæ exſiccentur.Minores & longiores digiti longitudine, vel circiter fiſſæ conſcindantur,exempta prius matrice,ſi lignoſa eſt: ſin minus, tantum fiſſæ ſuſpendantur, vel in pavimento umbroſo projectæ ſiccentur.Matrix vel medulla lignoſa,ſi facilè eximi nequit; radices piſtillo à ſummo ad imum usque tundantur: Sic enim ſeparabiles redduntur.

B

C Siccandæ a.in umbra,loco libero & perflabili. Poſtea capſulis ligneis,extra vehementem ſolem,fumum,pulverẽ omnẽ cõſtituẽdæ.

Radicum quædam ſunt ſemeſtres,quod ſupra dimidium annũ non durent,ut boraginis & frumentorum:quædam annuæ, quæ ſingulis annis intereunt,ut dauci & paſtinacæ.

Quædam quaſi perpetuæ, quæ per plures annorum decurias durant,ut oſſuundæ, tapſiæ, aſparagi, rubiæ, ruſci,fœniculi,capparum, tithymallorum quorundam & arborum ferè omniũ. Quædam inter annuas & perpetuas mediæ, ut angelicæ,hippoſelini,ſmirnii,&c.

Craſſæ ac denſæ radices diutius : tenues ac raræ brevius ſervantur. Avicenna ſupra tres annos durare negat. Radices dulces niſi diligenter ſiccatæ curentur, prompriſſimè à vermiculis eroduntur. Amaræ & acres ab hujusmodi vitio tutæ habentur : etſi inanitæ viribus,hebetentur.

D

Bulboſa radix facilè ſiccatur; ſed ad durandum penitus imbecillis. In ſumma radicum diuturnitas eſt, pro multiplici earundem ſubſtantia ac facultate.

DE CORTICIBUS.

Cortices intelligimus, vel fructuum, ut arantii, citri, limonum, granati; vel à radicibus herbarum decerptos, ut capparum, mandragoræ, thapſiæ, alypiæ, pityuſæ, turpeti: vel ab arboribus avulſos, ut tamaricis, ſambuci, thuris, fraxini, ligni guajacini, Cinamomi.

Cortices arborum craſſiores, aut manu avellantur, cum leviter adhærent; aut, ſi tenacius: ferro abſcindantur: tenues verò & mẽbranoſi, abradantur. Radicum cortices (ita n. appellatur reliqua ſubſtãtia præter medullã) hoc pacto parantur: findantur radices mediæ in longum, vel pulſentur piſtillo à ſummo ad imum usque, deinde exemptæ medullæ abjiciantur. A

Cortices noſtrates diligenter exſiccentur, exotici eligantur, qui nec ſitu obducti, nec aqua ſubmerſi aut excocti, nec teredine corriſi ſunt, condanturque arculis ligneis.

DE LIGNIS.

Ligna ſunt partes plantarum firmiſſimæ, & tanquam oſſa in animalibus duriſſimæ.

De quorum collectione eadem eſt doctrina, quæ de radicibus: hoc tamen addendum, ut à bruma & decreſcente luna cædantur. Sic enim quod cæſum eſt, plus virium habebit, & durabilius erit. Ligna in medicina uſui ſunt, ut lignum Aloës, quod & agallochus dicitur, ſed aliis aſpalathum eſſe creditur: buxus, cupreſſus, guajacum, lignũ juniperi, braſilium, ſantalum album, citrinum, rubrum, lignum tamaricis, viſcus quercinus ex ſaltib. Bohemicis, Xylobalſamũ, Xylocaſia. B

DE HERBIS.

Sicut maximæ plantæ, arbores: ita minimæ, Herbæ appellãtur, mediæ ſunt frutices & ſuffrutices, ut ſtæchas, ruta, hyſſopus, ſalvia lavandula ros marinus. C

Quamvis ex partibus herbarum, plærumque & præcipuè foliis utamur (ſunt autem folia tenuiores & latiores plantarum partes) fit tamen non rarò, ut tota planta herbarum quarundam, nimirum folia cum caule & coma, uſui exiſtant, ut fumariæ, acetoſæ, cichoreæ, portulacæ, mercurialis, &c. & quum herbæ appetente hyeme, plerũq; perire ſoleant; inde fit, ut totæ & integræ vel evelli, vel reſecari in uſum ſoleant, & totius plantæ, non partium nomine herbæ appellentur. Colligendæ autem ſunt herbæ omnes, conſtitutione cœli ſicca & ſerena, atque tempore meridiano; plærumque verò æſtate media. Quibusdam tamen tempora variant. Quædam n. ſolum & omnino virides uſurpantur, præſertim in cibos, obſonia, & in apotematum, fotuum, cataplaſmatum, enematum uſum; hæ quovis tẽpore colligi poſſint; ut lactuca, intybus ſativa, & agreſtis (cichorium appellãt) protulaca, bugloſſum, borrago, beta, atriplex, blitum, braſſica, malva, o- D

xalis,branca urſina,viola nigra,helxine,ocymum,apiũ,hyoſcyamus, mercurialis,mandragora,ſedũ,plantago,aſparagus,acanthus,naſturtium,tanacetum,eruca,thymus,ſatureia, ſalvia, hyſſopus, petroſelinum,ruta,&c.

Quædam ſiccandæ reponuntur,ut vel in ſyrupos,vel ad alias compoſitiones diu ſervandas recipiantur. Et illæ tum demum ſunt colligendæ,quando efficaciſſimæ fuerint,cum florent,aut ſementant, aut ſaltem, quando vigent folia, magnitudine,colore,odore;præſertim, quæ cacumini ſunt propriora,ut abſinthium omne,anethi coma, cē-
A taurium minus,betonica, carduus benedictus,calamintha, chamædrys,chamæpitys,origanum,pulegium,ſerpillum,amaracus,thymus, anthemis,chryſanthemum,ſtæchas,hyſſopus,flumaria.

Quædam verò antequam ſemen,aut flores producant, vegetiores ſunt,& proinde ante illud tempus legendæ, alioquin lignoſæ fiũt; & hæ in vigore ſolum ſunt colligendæ,ut cichorium vulgare,beta,braſſica,chondrilla,agrimonia,lapatha, plantagines, verbaſcum, verbenaca,adianthum omne,aſplenum pſyllitis &c. & quæcunq; præterea nec caulem,nec florem nec ſemina edunt. Nam & iſtæ quando folia maxima & virentiſſima exiſtunt, decerpendæ veniunt, ut cynoglof-
B ſum,hemionitis,onoſma,ſcolopendrium.

Quædam rurſus eorum,quæ ſiccari, & in longum uſum recondi ſolent,aliquando virides quovis tempore demeti poſſunt, præſertim, quando vires eorum mitiores expetimus; ut anethum, abſinthium, abrotanum,menta,ruta,comæ fœniculi.

Siccãtur herbę in umbra niſi q̃ caule ſunt craſſiore,vel folio humidiore,& ob id putredini citius obnoxiæ, ideóq; inſolationẽ reqrunt.

Siccentur igitur in ſuperiori ædium parte,locò perflabili, aſſeribus ſtrato levigatis & conjunctis,ut ſemina elapſa colligi poſſint

Impendente tempeſtate aliqua,feneſtræ maturè claudendæ ſunt,
C ne herbæ ſparſæ,à ventis in acervum convolvantur.

Cavendum quoq; ne pateat acceſſus felib. quæ herbas cõmingere ſolent, potiſſimùm valerianam,nepetam & ſimiles quas ſuſpendere quàm ſternere præſtat. Vbi jam probè ſiccatæ fuerint reponantur capſulis ligneis aut ſacculis,coriaceis potius,quàm lineis infra circulo vel orbe plano diſtentis,quib. nomina inſcribantur.

In majorib. & vulgaribus herbis ſtipites,ſurculique duriotiores & quicqud lignoſum eſt, removeatur, & ſi quæ partes corruptæ ſint, abjiciantur. Minus diu herbæ,quam radices ſervari poſſunt, proinde quotannis mutandæ.

D *DE FOLIIS.*

Folia non niſi perfectis maturisque plantis decerpantur, exceptis oculis populi,& ſint minimè flaveſcentia.

DE FLORIBVS.

Flores decerpantur vigore ſuæ maturitatis, non dehiſcentes aut decidui (exceptis roſis, quibus ad conſervas utimur. Illæ enim

antequam aperiantur, avelli debent. Sicut & capparum, & geniſtæ flores ad condituram, nondum explicati avelluntur) decerpendi inquam ſunt cœlo ſereno ante meridiem, rore jam per ſolis calorem abſumto. Alioquin propter humorem alienum, facilè corrumpuntur. Deinde in umbra, non calida, ſiccandi, ſi odorati ſint: ſin minus, ſub dio.

Peregrini flores, ſicut & indigeni, nequaquam ſint exoleti. Nam bona pars virium cum odore exhalante, ſimul evaneſcit.

Quam diu itaque coloris & odoris gratiam retinent, tam diu quoque arculis ligneis aſſervari poterunt, quod in paucis ultra annũ non contingit, putà anthemidis, centaurii, Chryſanthemi floribus, qui durabiliores ſunt. A

DE SEMINIBVS.

Semen eſt ea pars plantæ, ex qua in terram projecta ſimilis planta producitur. Seminum alia nuda in ſtirpibus naſcuntur, ut fœniculi, aniſi, carui, dauci, cumini, lithoſpermi, phalaridis: Alia capitibus includuntur, ut papaveris, nympheæ, melanthii, hyoſcyami, ocymoidis. Alia ſiliquis teguntur, ut fabæ, piſa, cicer, phaſeoli, aliaque legumina: Alia corniculis reconduntur, ut fœnigræci, ſinapis, erucæ braſſicæ: Alia folliculis occultantur, ut tritici, Zeæ, hordei, avenæ, & reliquorum frumentorum: Alia variis involucris abdita latent, ut caſtaneæ, juglandes, amygdala præcocia, perſica, pruna, ceraſa, &c triplici tegumento cuſtoditæ. Alia circa medullam quorundam fructuum intus conduntur; ut mali medici, aut citri ſemen, arantii, limonis, cydoniorum, pyrorum, malorum, peponum, melopeponum, cucurbitæ, cucumeris. Quædam in fructuum ſuperficie naſcuntur, ut in fragis. B

Semina itaque herbarum matura, à paleis, glumis, feſtucis, pediculis, arena & pulvere repurgata, & leniter exſiccata, ad uſum medicamentorum collecta reponantur, arculis ligneis, interdum charta munda involuta aſſervantur, idque loco ſicco, non calido: facilè enim locorum humiditates contrahunt. C

Repurgandi ratio variat, quod enim leve & pulverulentũ eſt, movendo hinc inde, & inflando in aërem diſſipatur, vel cribro anguſtiore excernitur. Sunt autem ſemina manibus primum fricanda, ut quod leviter adhæret, & alienum eſt, tollatur; Lapilli, arena, & ſabulum propter gravitatem ſuam in fundo ſubſidunt.

Semina majora & rotunda, ut Coriandri, in tabulam inclinatã & leniter manu pulſam, in vas ſubjectum rejectis lapillis devolvuntur, quæ hàc ratione ſeparari nequeunt, virgula in cujus ſummo cera ſigillatoria agglutinata eſt, ſigillatim attingantur & ſeponantur. D

Tempus legendi ſemina poſt Autumni æquinoctium, ſole libram ingreſſo, circa 14. Septembris.

Semen

Semen optimum anniculum & graviſſimum judicatur, quod naturæ ſuæ dotes retinet efficaciſſimas, bimum deterius, trimum ſterile.

Et quamvis ſæpè locus & ſubſtantiæ qualitas, robur & diuturnitatem addit: nulla tamen ſemina ultra 4. annos durare poſſunt. Quare ea quotannis renovare ſatius & tutius eſt, ſi quidem pauca ſunt, quæ inveterata rancorem non redoleant.

DE FRUMENTACEIS ET *leguminibus.*

A Frumenta & legumina, quando & quomodo colligi debeant & ſervari notum eſt: Frumentacea quædam ſimpliciter reponuntur, ut triticum, olyra (quæ quiqusdam, ſed minus rectè, ſecale eſſe putatur:) quædam corticibus exuuntur, ſicut hordeum excorticatum, quæ ptiſana dicitur: ſic & oryza deglumata, & hiſce locis avena quoque.

Judicantur autem præſtantiſſima, ſi aqua macerata, quàm citiſſimè plurimumque turgeant & reſolvantur, coctiva & mollia inſuper fiunt. Nam quæ locis calidis, ſtercoroſis, tenuibus, raris, ſolique expoſitis naſcuntur, alimentum leve ac facile ſortiuntur; unde fit ut fructum rarum, dulcem, mollemque pariant.

B

Quæ id minus faciunt, peſſima ſunt, nimirum terra frigida, ſpiſſa, lenta, madida & paluſtri exſurgentia, quæ etiam exſtinguuntur. Eadem puteali aqua cocta, difficulter aut prorſus non molleſcunt, niſi hæc antè cocta ſit, aut momentum ſinapis fuerit adjectum. Nam ſi id accedat, quamvis etiam aquam non reſpuunt. Et Theophraſtus etiam, ut cerealia aut legumina coctibiliora evadant, intro macerari prius, & ſicco loco ſeri præcipit: Ut verò dulciora, melle & lacti pari ratione fermentari.

C

DE FRUCTIBUS.

Fructus priusquam decerpantur, probè maturi ſint oportet: Niſi dedita opera immaturi expetantur, ut in moris & juglandibus condiendis fieri videmus. Deinde exſiccentur, vel in aëre ſoli expoſiti, aut ventis ſeptentrionalibus, aut orientalibus, vel in clybano, ubi in aëre id fieri nequit, quod expeditius exiſtit. Qui in aëre pendent, ne à muſcis contaminentur, aut telis araneorum obducantur, videndum eſt.

Qui verò clybano ſiccantur, ne comburantur, cautio eſt; id fit, D ſi poſt extractum panem imponantur. Quod ſi non quantum ſatis eſt, una vice exſiccati ſint, poſtridiè iterum immittantur.

Exſiccati arctiſſimè in ſportam, vel vas aliquod compingantur, & loco temperatiore ſerventur. Ita enim nec ſitum facilè contrahunt, nec corrumpuntur, nec nimium ſiccantur. Quidam fructibus folia interponunt.

Oleoſi fructus, ut juglandes, amygdala, pineæ, piſtacia melius ſparſim quam acervatim aſſervantur. Nam in acervos congeſti, facilè incaleſcunt, & rancidi fiunt, maximè loco & tempore calidiore. Servandi ergo loco frigidiore.

DE SUCCIS, LIQUORIbus, lacrymis.

Χύλος ſive ſuccus eſt, qui contuſione & quaſſatione exprimitur, ejuſque operatio χύλωσις quaſi ſuccatio & ſucci expreſſio dicitur.

Ὄπος verò liquor eſt, qui inciſa, & ſcarificata, aut terebrata A
plantæ alicujus parte, exſtillat & emanat, ejuſque operatio ὄπισις, quaſi eliquatio appellatur.

Δάκρυον vel lachryma eſt quæ ſua ſponte ex plantæ alicujus parte promanat & concreſcit, vel in gummi, vel in reſinam.

Succus exprimitur, vel ex foliis, & germinibus viridibus & ſucculentis per ſe tritis: vel ex fructibus, ut ex uva immatura, malis punicis, ſorbis, meſpilis, prunellis ſylveſtribus, cydoniis, limonibus: vel ex herbis pauco humore, eoque lento præditis, ut portulaca, ſemper vivo, cotyledone, bugloſſo, hedera, &c. quæ opus habent admiſta aqua, ut liquore alio facultatibus ſimili inter terendum, ut B
per expreſſionem una cum ipſo humore extrahatur: Aut ſi tuſæ calatho imponantur, loco frigido, ut paulatim ſuccus in ſubjectum catinum defluat, vel ex radicibus, & herbis ſiccis, aut humore pauco præditis, ut lentiſcus, abſinthium, glycyrriza, centaurium minus, gentiana &c. Succus autem hac ratione extrahitur: Quinque vel pluribus diebus in aqua macerantur: Deinde in eadem aqua coquantur, donec craſſeſcant: colata poſtea aqua denuò coquitur, quoad mellis craſſitiem habeat, tum in ſole ſiccatur, ac in paſtillos conformata reponitur.

Ὄπισις, quæ liquoris eſt, per vulnerationem ſeu ſcarificationem C
exceptio; fit itidem ex prædictis videlicet caulibus, fructibus, foliis, germinibus, radicibus.

Quædam pariter ὀπίζονται καὶ χυλίζονται, ut apud Dioſcoridem caules & radices peucedani: item papaver ſativum: unde meconium & opium.

Aſſervantur autem & reponuntur tum ſucci, tum liquores, vel liquidi in vaſe anguſti oris, ſuper infuſo oleo digiti craſſitudine, aut ſale inſperſo, ſicut de omphacio conſtat: vel ſiccati & inſpiſſati, idque aut in ſole aſſiduè movendo, ut Dioſcorid. de centaurii minoris ſucco de mandragoræ, hypocyſtidis & tapſiæ ſuccis docet: Aut in D
umbra ſiccantur, ut ſuccus acaciæ apud Dioſc. & peucedani liquor.

Aut in clybano, vel furno, aut alio loco calido ſicco, incluſi veſicæ & ſuſpenſi. Aut coquendo inſpiſſantur, ut ſuccus glycyrrizæ, prunellorum ſylveſtrium, cydoniorum, de berberis, de ribes, cera-

ſorum,

ſorum, mororum. Aſſiduo autem movendi ſunt ſucci, dum coquuntur ligneo inſtrumento, donec ſatis ſolidi eſſe videntur, ne aheno adhærentes adurantur; poſtea remoti ab igne collocentur loco calido & ſicco, ut quod neglectum eſſe videbitur coquendo, paulatim exſiccando compleatur.

Aliquando ſuccis mel aut ſaccharum additur, ut in pane cydonite videre eſt, & in ſyrupis, & in ſapis, quas Rob officinæ Arabica voce dicunt. Licet Meſues in Rob myrthino diverſum doceat, ſed ad evitandum corruptionis periculum, ut ſucci pene omnes, melle aut
A ſaccharo condiantur, uſus obtinuit.

DE AQUIS ET OLEIS STILLATITIIS.

Affinis ſuccis & liquoribus eſt, & aquas, & olea ex plantis extrahendi ratio, quam actionem deſtillare vulgo vocant. Eſt autem deſtillare nihil aliud, quàm tenue à craſſo per ſe, ſine liquoris cujusdam alieni adminiculo calore ignis admoti, elicere atque ſeparare. Novum eſt inventum & veteribus tam medicis, quam pharmacopæis incognitum, principio tamen per chymiſtas proditum.

Varii ſunt deſtillandi modi, qui tamen duobus, tanquam extre-
B mis generibus continentur, videlicet per deſcenſum & aſcenſum.

Per deſcenſum fit hoc modo: Accipitur olla, quæ in fundo exiguum foramen habet, implenda lignis conciſis, & impoſito operculo, luto obſtruitur, alterique ollæ in terram defoſſæ ſuperimponitur: poſtea undiquaque per ollæ ſuperioris ambitum, ignis alitur aliquot horis, donec, quicquid pingue & aquoſum lignis infuerat, exfluxerit. Remota deinde ſuperiori olla, inferiorem terræ exime, ut oleum inde ab aquoſitate ſepares.

Ad hunc modum pix liquida, oleum juniperinum nigrum, oleum ex guajaco, ex larice, abiete, teda, in quibuscunque aliis lignis
C pinguibus elici ſolet.

Cognata huic eſt florum herbarumque deſtillatio quædam, quæ per deſcenſum quoque fit: Accipitur olla ænea quæ lineo panno undiquaque colligato tegitur; panno autem res deſtillanda imponitur, ſive herbæ, flores aut folia tantum ſint. His patina prunis impleta immediatè deſuper objicitur, qua ratione aqua deſtillabit ſatis bona & fragrans. Cavendum tamen eſt, ne flores adurantur, & aqua aduſtionem ſapiat. Quidam inter materiē exſtillandā & vas ignem continens, chartam mundam interponunt, atq; minus hoc modo aduri illam exiſtimant. Quæ deſtillandi ratio vulgo eſt familiaris licet non
D omnibus rebus idonea. Nam fraga aut baccæ rubi, impoſita mole quadam, contuſa comprimūtur, & ſuccū ex ſe remittunt, non aquā.

Per aſcenſum deſtillatio, quamvis varia & multiplex eſt, tres tamē modos habet præcipuos, puta per alembicum, per veſicam, & balneū Mariæ. Primus modus eſt, ut ſumatur vas aliquod æneum aut ferreum, vel teſtaceum, vitratum, altum 4. digitos, quod vel herbis,

vel

vel floribus, iiſque aut conciſis, aut integris completur, ſubſtrata prius ipſi arena, vel cinere: Deinde imponitur illi aliud, vel ex ſtanno, vel vitro, aliave denſa materia confectum vas, figura pilei acuminati, vel rotunda, roſtro concavo præmunita, quod ſubjecto vaſi exactiſſimè conjungitur. Atque ita ſubſtructo igne, aqua elicitur.

Alter eſt. ſumatur cuprea veſica chymica, id eſt, cacabus ore anguſto, cui galea roſtrata imponitur, cujus tertia pars materia deſtillanda impletur, cui duplum aquæ communis plærique affundere ſolent, ne comburatur materia. Alii aquas ſtillatitias ejuſdem herbæ, ſi quas ab anno ſuperiori reliquas habent, affunduut. Alii ſuccum ejuſdem herbæ expreſſum unà cum herba coctū veſicæ cupreæ infundunt, quod longè præſtantiſſimum eſt, & roſtrata galea impoſita à ſubſtructa flamma extrahitur liquor, qui tam diu exire ſinatur, donec ſapor & odor mutentur. ſed notandum eſt, roſtro galeæ, fiſtulam vel cupream, vel ferream longam applicari, quæ per vas aquarium aqua frigida pleniſſimum trajecta eſt, ut ipſius frigiditate ſpiritus cum vapore extructi, condenſentur. A

Tertius eſt, qui fit in duplici vaſe, quod diploma veteribus dicebatur, & balneum Mariæ chymicis vocatur: In vas enim aqua plenum aliud vas vitreum vel ſtanneum, herbas continens demittitur, cui ne fundum attingat, circulus ſtramineus ſubſternitur, quod galeâ roſtrata exactè tegitur, per quam continuo fervente aqua liquor aqueus exſtillat. Hæc ratio ut ſuperioribus elegantior eſt, ita & laborioſior & ſumptuoſior exiſtit. B

Notandum autem galeas multiplici linteo, aqua frigida madefacto, ſubinde vel continuo eſſe veſtiendas, ut frigiditate illa ſpiritus aſcendentes, & vapores condenſari citius, & in liquorem converti poſſint.

Eſt & alius quidam deſtillandi modus per aſcenſum primò valdè affinis, quando organum cupreum vel vitreum, figuram veſicæ oblongæ obtinens, in aliud vas altum immittitur, & ultra dimidium avena, vel cinere, vel ſcoria ferri obruitur, quæ ſemper caleat, atque ita galea roſtrata impoſita, elicitur liquor. Optimus omnium deſtillandi aquas modus eſt, per balneum Mariæ dictus, ut mitiſſimus propter calorem humidum, quo non facilè aduruntur ſimplicia. Poſt hunc is, qui ſub cineribus, vel arena, vel ſcoria ferri, ſepulto vaſe recipiente adminiſtratur, quanquam cineres ad hoc opus accommodatiſſimi ſint: cineres enim nunquam excandeſcunt aut igneſcunt, quod arenæ & ſcoriæ ferri facilè accidit. C D

Sunt & alii deſtillandi modi, in ſole, fimo, muſco, vinaceis & ſimilibus, ſed parum ad inſtitutam rem faciunt.

Meminit & Manardus Epiſt. 2. lib. 19. diſtillationis cujuſdam per vaporem, quæ omnibus ſanè aliis præferenda videretur, niſi laborioſior cæteris eſſet.

Quia

Quia verò facilè accidit, ut materia deſtillanda aduratur, aut nimium fervendo diſſipetur, ac diffluat: Idcircò ignem ſubjectum aſſidua diligentia moderari oportet. Quamobrem ex carbonibus, quam lignis, parari ignem præſtiterit, quia æqualior ille, quam hic eſt.

Porrò aquæ deſtillatæ per 40. aut plures dies ſolis radiis exponi debent, in vaſis vitreis vel lapideis ex luto Sigburgenſi confectis, quæ tertia ſui parte arena ſepeliri, aut membrana perforata, obturari decet, ut quicquid excrementoſum eſt, reſolvatur, & ſimul
A quoque exſpiret ἐμπύρευμα, quod in aquis ſtillatitiis remanſerat: licet etiam ſine arena, ſola ſtramineis corbibus munita ad ſolem exponi poſſint.

Poſtquam verò ſolis calore ita correctæ fuerint, per æſtatem quidem loco ſubfrigido, per hyemem autem in cella aliqua, ne quid injuriæ à gelu patiantur, à quo corrumpi ſolent reponantur. In calido autem hypocauſto rufeſcunt, lenteſcunt, turbidæ & malè olentes fiunt, ideoque loco temperato locandæ.

Aquæ frigidi humidiq; temperamenti, non ultra anni ſpacium: ſi quæ verò calidi ſiccique temperamenti exiſtunt, ad ſummum triennium ſervari poſſunt.
B

DE OLEIS STILLATITIIS.

Naturæ periti, duplex in ſimplicibus medicamentis oleum invenêre: Unum terreſtre, craſſum & viſcoſum, & omninò ſuo corpori mixtum, quale eſt oleum olivarum, nucum, amygdalarum, baccarum lauri, ſeminis lini, papaveris, raporum, ſinapis, crucæ, & ſimilia omnia, quæ in fructuum aut ſeminum nucleis continentur: Hæ autem omnia propter totalem, cum ſubſtantia cui inſunt, commixtionem inſeparabilia ſunt: nec ullo modo per deſtillationem
C elici poſſunt. Quare violenter ex ſubſtantia ſubjecti exprimenda ſunt.

Alterum oleum eſt tenue & aëreum, & quod ſeparabiliter ſuo corpori inhæret, & hoc eſt ſegregabile. Aſcendit enim facilè in deſtillatione, nec difficulter à ſuo, cui ineſt, corpore decedit. Tale eſt, quod continetur aromatibus, carpobalſamo, cardamomo, pipere nigro, cubebis, cinnamomo, caryophyllis, mace, nuce moſchata, ligno aloes. Item quod continetur in ſemine herbarum, quæ umbellas gerunt, quale eſt fœniculum, aniſum, anethum, apium, petroſelinum, chæreſolium, pimpinella, ſaxifraga. Item liguſticum,
D angelica major & minor magiſtrantia, paſtinaca, caron, cuminum, ammi, & quod amomum appellant.

Eliciuntur autem hæc olea per deſtillationem in arena: ita ut tuſa aromata, aut ſemina injiciantur in cucurbitam vitream, luto optimè contectam: una autem vice, unciæ ſex aut ſeptem aromatis aut ſeminis alicujus triti, pro capacitate cucurbitæ injiciantur, quibus

affundantur ad ſingulas ſeminis uncias aquæ clariſſimæ totidem libræ, & diligenter permiſceantur. Quæ ſi ita permiſta, calido loco dies octo aut 10. macerari, & quodammodo putrefieri permiſeris: utilem futuræ operationi paraſceven præmiſeris: poſtea cucurbitam cupellæ ferreæ, quæ fornaci adaptata & arena impleta ſit, impone, & ne cupellæ fundum tangat, cave: ſed ab illo multa interpoſita arena diſtet. Cucurbitæ impone alembicum vitreum, cujus roſtrum, in ſtanneam, vel ferream, ſtanno intus & foris oblitam, fiſtulam deſinat. Tranſeat autem fiſtula hæc obliquè, per vas aquarium frigida plenum aqua, ut inter deſtillandum, egrediens una A cum oleo liquor, refrigeretur, cujus foramina accuratiſſimè claude, eique exceptorium ſuppone. Deinde ſuccende ignem lentum, & cave diligenter, ne bulliendo inſurgat in alembicum, quod cucurbita continetur. Quædam enim ſemina, ut aniſum, propter ſubſtantiæ ſuæ & raritatem & viſcoſitatem quandam largiter ebulliunt. Quare non ita citò alembicum applicare licet. Sed poſteaquam bullas excitari videris, & vaporem ſurſum ferri, depone alembicum, & immiſſo bacillo agita: Ita reſolvetur in vaporem ſpuma, quæ mediocri igne moderari & compeſci, rurſusque paulò intenſiore excitari ſolet. Quo facto alembicum iterum impone, & commiſſuram B luto ſatis craſſo circumline, & aſſiduè deſtillare permitte, donec omne inde oleum extraxeris, quod & viſu & guſtu explorare facilè poteris. Nam cum deſtillantes guttæ nullam amplius reſipient aromatis ſui qualitatem manifeſtam; abſiſtendum erit, ne aroma fundo cucurbitæ adhærens, aduratur. Deinde ſegregabis contentum in aqua deſtillata oleum, quàm poteris artificioſiſſimè.

Notandum porrò eſt, ex ſtillatitiis oleis quædam aquæ innatare, quædam fundum petere. Innatant piperis nigri, & recentis cardamomi, & aniſi olea; Fundum petunt quæ ex cinamomo, mace, C caryophillis & quibusdam aliis, exſtillantur. Aqua cinamomi & aniſi cum deſtillantur, lacteum colorem referunt, ſed albedo iſta paulatim cedit, & in oleum convertitur. Reſervanda autem eſt, cinamomi aqua inprimis illa, quæ primò exſtillarit.

DE GUMMI ET RESINIS.

Gummi & reſinas, quamvis ſub genere lacrymarum comprehendi antea diximus, & apud authores ſæpè confundantur: tamen re ipſa differre conſtat. Gummi enim res aquea eſt, nam in aqua diſſolvi poteſt: at ignem alere non poteſt, ut gummi Arabicum, ceraſorum, pruni, gutta ammoniaca, bdellium, belzoinum, Euphor- D bium, galbanum, lacca, gummi hederæ, tragachanta. Reſina verò eſt res oleoſa, & quæ ignem alit, quo fit, ut non niſi oleo diſſolvi poſſit. Hujusmodi & terebinthina, pix, maſtiche, reſina lentiſcina, abiegna, larigna, thus, ſtyrax liquida, camphora. Gummi & re-

ſinæ

ſinæ facilè ſervantur, & diu durant, modo non loco humido, putridoque reponantur.

ANIMALIA ET AB IIS deſumpta.

Hactenus de medicamentorum materia, quæ à plantis petitur dictum eſt: deinceps de animalibus, eorumque partibus dicamus. Ab animalibus plærisque non alimenta ſolum, ſed & medicamenta
A ſumuntur, ut ſunt cicura quædam, oves, boves, ſues, anſeres, gallinæ, anates. Fera autem, ut cervi, lepores, apri. A quibuſdam ſolum medicamenta, ut à lupis, vulpibus, canibus, & venenatis feris. Pauca animalia integra ſervantur: viva quidem quædam nutriri ſolent, in officinis celebrium urbium, ut hirudines in aqua natantes, vitroque repoſitæ in uſum. Mortua autem & ſicca, ut cantharides, ſcorpii, non difficulter, ubi probe ſemel exſiccata fuerint, cuſtodiuntur: Humidiora & pinguiora, facilè corrumpuntur, putreſcunt & vermes generant, ut ſcinci & viperæ: quo fit, ut ſale, abſinthio, aliiſque putredinem arcentibus, conſerventur: Reponun-
B tur autem loco ſicciore, non calido.

Partes animalium ſumuntur, ex integris ſanis & boni habitus animalibus, mediæque ætatis, non morbidis, ætate confectis, macilentis aut cadaveribus.

Siccæ partes, ut oſſa, dentes, maxillæ, cornua, ungulæ, ungues, pili, non requirunt ſingularem præparationem; niſi ut membranulæ diligenter abradantur, & quicquid corruptioni obnoxium eſt, auferatur, ne putreſcant, & ſubjectæ parti graveolentiam concilient. Sed humidæ tantum partes præparatione accuratiore opus habent.

C Si una vice, non quantum ſatis eſt, aliqua dictarum partium exſiccata fuerit: Iterum & tertio (ſi neceſſitas exigit) clybano imponatur. Nam ſicut nimia, ita & minus ſufficiens aſſatio vitioſa eſt.

Partes molles, ut pulmo, inteſtina, hepar, ventriculus, veſica, cerebrum, teſtes, genitale cervi, aliæ aliis diutius durant, nec certus ſingulis terminus præfiniri poteſt. Plæraque annum durant. Quædam, vel propter malam aſſervationem, vel cæli intemperiem citius corrumpuntur. Quotannis tamen uſitatè mutantur: Interdum conſultò quædam diutius anno ſervantur.

D Partes molles animalium à membranis & ſordibus diligenter purgatæ, deinde frequenter aqua primum, pòſt aceto, tandem vino auſtero lavantur, & ubi in clybano leniter ſiccatæ fuerint, in uſum medicum aliquandiu ſervari poſſunt. Quoniam verò diligentia præparandi, (quod non eſt hujus loci) & reponendi ratio permultum ad durabilitatem facit: Bonitas partium mollium, non ætate ſola, ſed

ſed ex qualitatibus etiam æſtimari debet. Valent igitur & efficaces ſunt, quàm diu non corrumpuntur. Corruptionem fœtor, raucidus ſapor, ſitus & coloris mutatio indicant. Eadem quoque in aliis obſervanda: Omnia enim ſimplicia, quam diu nativos colores, ſapores & odores retinent, efficacia exiſtunt; nulloque merito rejicienda.

ADIPES ET SEVA.

Adipes ex animalibus florentibus autumno colligantur, ut tradit Sylvius, quanquam eodem tempore non omnium animalium adeps. colligi poſſit, quod eodem tempore non omnia pingueſcant. A

Reponuntur autem pinguedines vel per ſe, lotæ tantum, & ab omni cruore, aliiſque immunditiis repurgatæ, ſicco loco Aquilones ſpectante, ſive figulinis vaſculis vitratis, foliis lauri, vel nucum ſiccis, convolutæ & obturatæ: vel exemptis venulis & fibris, membranuliſque nudatæ, lotæ & minutiſſimè inciſæ liquantur duplici vaſe, vel lento admodum igne, poſtea colantur per pannum denſiorem, & in vas fictile fuſæ loco frigido ſervantur: vel torrendo & aſſando animalia, pinguedines eliciuntur: Sed tunc cavendum, ne aliquando adurantur, & empyreuma aut uſtulationem quandam acquirant, quod etiam in quavis ad ignem liquatione obſervandum: B Quando adipem abſolutè ſcriptum reperies, ſumendus eſt adeps recens illius anni, & ſine ſale conditus: poſt illud enim tempus qualitates induit.

MEDVLLA.

Medullæ quoque ex animalibus florentibus deſumendæ ſunt, ut de adipe modo dictum eſt. Colliguntur æſtatis exitu, hyemis initio. C

Duo medullarum genera; una eſt ex oſſibus, altera ex ſpina dorſi, quæ permultum inter ſe differunt, ideoque ſingulæ reponendæ ſunt ſeorſim. præparantur autem & reponuntur eodem, quem de adipibus diximus modo; videlicet vel per ſe, vel per liquationem. Uſitatæ autem ſunt medullæ ex crure bovino, cervino, vitulino, hircino. Spinalis medullæ nullus eſt in medicina uſus, neq; liquari poteſt. Adipes atque medullæ vaſculis lapideis aut ſtanneis locoq; ſicco & frigido conſervantur.

EXCREMENTA. D

Animalium excrementa ſunt, Zibethum, moſchus, æſypus, vel ſordes lanæ ſuccidæ, urina pueri, fel accipitris, aut alterius animalis, ſtercus lupi, capræ, canis, muris, columbarum, ovium, vaccarum, gallinæ, hirundinis, puerorum, ſperma ceti.

QVASI

QVASI EXCREMENTA.

Excrementis affinia ſunt, lac, butyrum, caſeus ſerum, mel, cera, propolis, coagulum, ovum, albumen, vitellus, teſta ovi, ſericum, tela aranei lana, pilus, ſenecta ſerpentis, ſanguis hirci, ſaliva humana.

DE TERREIS.

Diximus principio hujus tractationis, eorum quæ ex terra petuntur medicamentorum, alia eſſe metalla, alia lapides, alia lutum.
A Metalla, quæ & foſſilia dicuntur, duplici ſtatuuntur differentia.

Alia enim ſunt igne ſolum liquabilia, & malleo ductari poſſunt, ut aurum, argentum, ſtannum, æs, ferrum, plumbum.

Alia ſunt concreti ſucci, qui aqua, quam igne commodius liquari, nec malleo lenteſcere poſſunt, ut argentum vivum, chryſocolla. id eſt, borax, alumen, ſtibium, arſenicum, chalcitis, nitrum, ſal foſſile, ſulfur, chalcanthum.

Lapidum alii ſunt pretioſi, alii non pretioſi aut vulgares. Pretioſi gemmæ vocantur; quibus non tantum ad ornatum, ſed ad valetudinem quoque homines utuntur, quales ſunt lapis armenius, a-
B methyſtus, berillus, cryſtallus, corallus granatus, hyacinthus, jaſpis, lapis cyaneus vel Lazuli, rubinus qui & pyropus vel carbunculus, ſaphyrus, ſmaragdus, ſardius vel corneolus, turcoſius vel cranus.

Non pretioſi ſunt, quibus ornatus non indiget, ſed valetudo tantum, aut alius uſus, quales ſunt, lapis ætites, amianthus, gagates, gypſus, hæmatites, Judaicus, alabaſtrites, magnes pumex, ſelenites, vel ſpecularis ut quidam vocant, Smiris, lapis ſpongiæ. tartarum, Lyncurium marcaſita.

Lutum, vel terra nobilior, ut bolus armenius verus, terra lemnia vel ſigillata, quæ & lemnium ſigillum vocatur, bolus vulgaris,
C ochra, rubrica, creta. Nobiliores terræ atque lapides pretioſi accuratè aſſervari oportet, vulgares cura minima acquieſcunt.

DE MARINIS.

Marina vocamus, quæ ex mari, vel aliis aquis aut fontibus colliguntur, exceptis tamen animalibus aquatilibus. Hujusmodi ſunt ſuccinum, quod & electrum, & ambra, & charaba vocatur. Item ambra griſea, aqua marina, blatta bizantia, vel unguis odoratus, dentalium vel buccinum entalium vel porphyra, margaritæ uniones, quos perlas dicunt, mater perlarum, muria, ſpongia, ſperma ceti, tellinæ,
D mytuli, adarce, halcyonium, ſal marinum, naphtha, (vel petroleum, vel oleum Medeæ Vitruvio, bitumen liquidum eſt) aſphaltus, vel bitumen Judaicum, piſſaſphaltus, miſtam bitumine picem redolet.

Marina, metallica & lapides non pretioſi, aliaq; hujusmodi dura corpora, ubilibet tutò reponi & ſervari poſſunt; modò à pulvere immunia exiſtant, durantque in multam ætatem.

DE AROMATIBUS.

Aromata,ſicut & alia odorata omnia,ſtudioſè areſacta,arculis aut pixidibus tiliaceis,nullo ſitu obductis,& exactè occluſis recondi debent,ut fragrantia integra magis aliquandiu retineantur. Hujusmodi ligni materia promptius areſcit,& propter mollitiem moderatam,neque fatiſcit neque rimas ducit. Quare talibus loculis commiſſa, à blattis, tineisque facilius tutiusque cuſtodiuntur, quam ſi quibuscunque aliis ſine ullo diſcrimine reponantur.

Moſchus odoratus pixidula plumbea optimè conſervari ſolet, ut materia ſatis denſa,frigida,& quæ non nimis exſiccari ſinit contẽta. Eodem modo & ambra griſea,& Zibethum reponi poſſit. A

Camphora,quæ & caphuna ſi lini aut pſyllii ſemine ſepeliatur, ab injuria vindicatur.Eodem modo & rhabarbarum, ut viribus integris diutius perſiſtat,ſepeliri jubet Meſue,vel etiam cera illini,cui terebinthinæ portio admiſta ſit.

Caſſia fiſtularis tutiùs in theca ſua, ſabulo obruta,loco uliginoſo reconditur.

REPOSITIO COMPOSITORUM. B

Pulveres aromatici, quos cordiales vocant & Electaria ſicca, vitris oris anguſti, in pyramidis formam faſtigiatis, optimè conduntur. Quamvis pharmacopœorum pars,haud imperitè coriaceis ſacculis,quos pixidibus præterea rotundis imponunt, aſſervent. Eclegmata,quæ & *Looch* vocant, antidota, Electaria mollia, purgatoria, ſyrupi, Rob vel ſapæ, conſervæ poculis candidis, lævore alabaſtrum imitantibus,foriſque pictura variegatis,vel fictilibus, vel lapideis intentibus ſeponuntur.Teſtacea Vaſcula fideliter vitrata, & picturata, non ſunt improbanda. C

Stannea vitioſa ſunt. Galenus nobilem Andromachi Theriacã argenteo, aut ſaltem pretioſo quopiam vaſe reponebat, & frequenter,ut perſpiraret,detegebat.

Catapotia,quæ pillulas vocant,ſicut & trochiſcos loculis ligneis rotundis,cuſtodire ſolent.

Cerata,& potiſſimum Emplaſtra in cylindri formas oblongas, & rotundas, (magdaleones appellant) finguntur, & charta veſtiuntur.

Olea, unguenta & œſypum aptiſſimè alabaſtro ſervantur: poſſunt non minus pixidibus lapideis, ſtanneisque excipi,& locis ſiccis, frigidisque recondi. D

Obſervandum quoque vaſa ſingula operculo coriaceo ſtricto, ab incidentium injuria eſſe munienda.

Ocularis medicamentis liquidis, ænea vaſcula deſtinantur, quod

quod illa acria,& utcunque mordentia, imò non multum à corrodendi facultate aliena eſſe oporteat. Si qua tamen παρηγορικὰ & mitigatoria ſunt; illa æneis minimè includi debuerint.

DE AROMATUM DIviſione.

Quandoquidem Dioſcorides ſimplicis materiæ tractationem ab aromaticis orditur,eaque per capita 26. perſequitur: pauca de diviſione aromatum dicemus.

A Aromata dicuntur res odoratæ, quæcunque nimirum odorem ſuavem,& naribus gratum ſpirant: Sive ſint res ſimplices, ſive compoſitæ.

Aromata ſimplicia non ſunt unius generis. Alia enim ſunt plantarum partes: Alia ab animalibus petuntur: Alia ex aquis colliguntur.

Aromatum eorum, quæ à plantis ſumuntur; alia radices ſunt, ut iris, acorum,meum,cyperus,zinziber,galanga,aſarum,valeriana.

Alia ſunt ligna,ut agallochum,quod lignum aloës vocant,Santalum album,& citrinum lignum cupreſſi,juniperi,cedri.

B Alia ſunt cortices; caſia lignea,cinamomum.

Alia ſunt folia,ut malobathrum,aut folium Indum.

Alia flores,ut Schœnanthos,crocus,macis, ſpica nardi, Lavendulæ.

Alia fructus,ut nux moſchata, caryophylli; antophylli, piper longum.

Alia ſemina,ut Cardamomum majus,& minus,piper album & nigrum,cubebæ,amomum,nigella,vel melanthium.

Alia ſucci,vel lacrymæ; ut ſtyrax calamita,belzoinum, Ladanum,myrrha,thus,aſa odorata,opobalſamum,ſuccus cyrenaicus, vel

C laſerpitium caphura.

Ab animalibus petuntur aromata; ut zibethum,moſchus,quæ potius animalium excrementa,ſordesque ſunt,quam partes. Sunt & quorundam pelles odoratæ,ut martes, muſtela ſcythica, quam Germani Zabele vocant.

Ab aquis ſumuntur; ut ambra odorata, ſuccinum album, unguis odoratus,quem blattam bizantiam appellant.

D

CAPUT I.

DE IRIDE.

IRis tàm Latinis,quam Græcis: officinis Irees: Germanicè blawe Gilgen/Violwurtz. Oribaſius lib. 11. de iride ſcribit,quod flores in

ſummis caulibus alterno ſitu incurvos, varioſque gerat, ſiquidem candidi, vel pallentes, vel nigri; vel purpurei, vel cærulei conſpiciuntur. Item paulò pòſt: Inter has præſtantior eſt, quæ quaſi decurtatam ac denſam habet radicem, frangenti contumax, colore ſubfulvo valdè odorato, guſtui fervida, ſincero odore, nulli ſitum redolente: In cæteris Dioſcoridi reſpondens.

Iridis duo ſunt genera: Sativa & ſylveſtris. Sativa vel hortenſis nota eſt.

Sylveſtris foliis naſcitur & floribus, quam ſativæ longè minoribus, radice tenuiore, breviore & aridiore. A

Sylveſtris iridis meminit Gal. lib. 10. de compoſ. medic. ſecundũ locos c. 1. ſect. 3. inter nephritica Aſclepiadis

Eſt quoque in ſativarum genere iris quædam flore nivei candoris quam in Hetruria paſſim colunt, cujus radix odoris fragrantia & virium robore illyricam ferè exæquat.

Eſt quoque in Bohemia iris flore aureo, quæ in hortis colitur: nequaquam tamen eſt pſeudoacorus ille noſtras & paluſtris, teſte Matthiol. Hodie iris Florentina Illyricæ præfertur, propter odoris præſtantiam, qui violæ fragrantiam æmulatur: Vnde Germanis Violwurtz appellatur. Illyrica Veneti utuntur, quæ non nihil ruffeſcit, minusque nitida eſt. Hetruſca vel Florentina candidior eſt, & aſpectu elegantior, atque odore ſuavior. B

Noſtris Practicis hodie datur ſucci recentis ℥. ſ usque ad ℥ j. cũ tantillo cinamomi: nardo, caryophyllis aut ſyrupo de cichorio Nicoli. Succi inſpiſſati doſis eſt à ʒ ij. usque ad iiij. Recens tamen & crudus potentius agit.

Fit quoque Electuarium ex ſucco iridis rad. ʒ. iiij galangæ, zedoariæ ana ʒ ij. Cinamomi, Caryophyll. ana ʒ j ſ. braſſicæ marinæ ℥ ß & mellis q. ſ. quo maximè juvantur hydropici doſi ℥ ß. quotidiè exhibita, vel alternis ſaltem diebus. C

℞ ſucci iridis ex loco ſicciore collectæ, & per reſidentiam parũ defecati ʒ iij. vel ℥ ß. ſyrup roſ. ſolut ℥ j. Cinamomi Elect. ℈ j. Sic miſcet Wierus, vel cum vitello in teſta ovi mixtum abſque albumine tepidè exhibebat.

CAPUT II.

DE ACORO. D

DIverſæ ſunt authorum de acoro ſententiæ: aliis galangum minorem ut Briſavolo, aliis galangam majorem, ut Fuchſio, aliis calamum aromaticum, ut Manardo pro vero acoro oſtentantib. Nõ defuerunt, qui gladioli lutei radices acorum vocarunt, quod paſſim officinæ ante 60. aut 70. annos fecerunt.

Ad gladi-

Adgladiolum luteum quod attinet, habet quidem acoro ali-
quid affine, videlicet folia iridis æmula, & quidem anguſtiora, verum
radicibus plurimum diſtat ab iride: Non enim ſunt complicatæ,
non ſummo ceſpite ſparſæ, non geniculatæ, non albi cantes, ſed ru-
bentes, non guſtu acres, ſed acerbæ & aſtringentes, nulloque odore
præditæ. Quare plurimum hallucinati ſunt ſuperioris ſeculi, tam
medici, quam pharmacopœi, qui glodioli lutei radices pro acoro ob-
truſerunt: licet dotibus propriis non ſint deſtitutæ, & pſeudoacorũ
ſtirpem hanc aquaticam non malè quidam appellent.

A Nunc ſententiam pro galanga minori examinemus, quam viri
celeberrimi Braſavola & Leonicenus tuentur. Sunt enim odoratæ
radices, guſtu acres, videntur & complicatæ nonnihil eſſe, & quaſi ge-
niculatæ. Verum an galanga hæc folio radicis iridis æmulo naſca-
tur, nemo teſtatur. Quin potius Garcias ab horto lib. 1. de hiſtoria a-
romatum cap. 40 ſcribit: Galangam minorem fruticare duorum
palmorum altitudine, foliis myrthi, radice nodoſa & ſponte naſci.
Itaque & folio differt ab ecoro & radice quoque, quam nodoſam di-
cit Garcias, qualis non eſt iridis. Tertiò non eſt ὑπόλευκος radix ga-
langæ, ſed potius rufa, aut rubens obſcurè; quod ad guſtum verò, nõ
B ſolum eſt acris, ſed acerrima.

At Fuchſius horum virorum ſententiæ ſubſcripturus, cum vi-
deret galangæ minoris radices minutiores eſſe, quam ut acoro con-
venire debeant; non potuit omninò accedere, ut illam pro acoro
haberet; verum majori galangæ potius hanc autoritatem tribuen-
dam putavit.

Hanc ſanè Garcias loco citato in Java Orientis Inſula naſci
tradit, ad binum ferè cubitorum altitudinem, foliis in modum cu-
ſpidis lanceæ, mucronatis, radice craſſa, nodoſa, arundinis modo, flore
candido, & feminiferam eſſe. Ex qua deſcriptione non obſcurè appa-
C ret, licet foliis utcunque accedat ad folia iridis, & quidem anguſtio-
ra; quia tamen radicem craſſam nodoſam arundinis modo eſſe di-
cit; idcircò non acorum eſſe, quum ea forma multum à radicibus
iridis differant. Præterea colore non quadrant, qui acoro debet eſſe
ſubalbicans: Galangæ autem majori eſt, ſicut etiam minori, exfu-
ſco rufa vel ſubrufa. Adde, quod & ſapor in galanga majori acrior
eſt, & magis vellicat, quam acoro conveniat, inſtar ferè zinziberis
aut piperis. Huc accedit, quod requiratur in acoro etiam ſapor qui-
dam, præter acrem, amarus. Quædam enim exemplaria habent πι-
κρὸν pro πυκνὸν. Et ſanè Galenus lib 6. ſimpl. cap. 18. radicem aco-
D ri guſtu non tantum acri, ſed & modicè amaro: odore autem non in-
jucundo, ideoque facultatis calidæ & conſiſtentiæ tenuis eſſe aſſerit.
Eadem Oribaſius lib. 15. c. 1. lit. A. Ex quibus liquet, nec galangam
majorem pro acoro habendam eſſe.

Reſtat jam illorum judicium ponderandum, qui calamum a-
romaticum officinarum pro acoro vero habendum cenſent. Pri-

mum de hac ſtirpe certum eſt, non calamum, ſed revera radicem eſſe, ideoque falsò calamum nominari. Deinde ſi Dioſcoridis notas excutiamus: depræhendemus horum cenſuram non fuiſſe vanam. Hāc enim radicem, quam falſo calamum vocant, Ferdinandi Imperatoris apud Turcam Orator Augerius Busbecanus, ejusque Medicus Quatelbenus ex lacu vaſtiſſimo prope Nicomediam Bythiniæ urbē, quæ Galatis vicina eſt, collectam, cum tota ſua ſtirpe evulſam protulerunt Sunt enim calamo aromatico radices iridi perſimiles geniculis diſtinctæ, reflexæ, ſubalbidæ, acres, odore præſtantes, & (ut inquit Galenus) etiam ſubamaræ. Inſuper & folia, quæ integra Conſtanti- A nopoli allata fuerant ſunt ferè iridis æmula.

Quin & idem teſtantur illi, qui in Lituania & circa Tartariæ fines verſati ſunt, hanc ſtirpem illic frequentiſſimam naſci, foliis iridi æmulis, caule iridis longiore & grandiore, à quo tamen nullus exoritur calamus, vocaturque ab incolis ſuo idiomate Tart rſchi Zelii, quod eſt, herba Tartarica, quod fortaſſis ex Tartaria primum in Lituaniam allata fuerit.

Accedit huc & alia nota, à Plinio lib 25. cap. 13. addita, cum dicit, acori radices non tantum iridis ſimiles, guſtu acres odore non ingratas, ſed etiam fractu faciles, id quod neutri galangæ competit. B
Quamobrem unà cum Manardo & Matthiolo calamum aromaticum vulgo dictum, pro legitimo acoro uſurpabimus.

CAPUT III.

DE MEO.

ORibaſius lib. 11. ex Dioſcoride, Meum his verbis deſcribit: Meū C
Athamanthicum, naſcitur plurimum in Macedonia, caule & foliis anetho ſimilibus, bicubitali plerunque altitudine, radicibus in partes diſtractis, tenuibus, obliquis & rectis, longis odoratis, linguam calefacientibus.

Oſtendunt officinæ pro meo radiculam quandam pyrethri radice minorem, & laxiorem intus albicantem, foris ſubfuſcam, in capite radicis capillatam dēſiſſimè, guſtu primo dulcem, poſtea acrem, odoratam & linguam excalfaciētē, quam Germani Beerwurtz appellant. Hanc licet omnes ferè pro legitima Mei radice uſurpent:
Ratio 1. 2. Non meminit tamen Dioſcorides candoris, nec dulcedinis, nec ca- D
pillamenti denſiſſimi. Adde quod uſitatæ radiculæ non videantur in
3. 4. obliquum, rectumque ſpargi. Ferè enim ſimplices non multiplices
ſunt. Nec videtur caulis ad bicubitalem altitudinem aſſurgere po-
5 tuiſſe, cum fruſtum extremi caulis in medio capillitii latens, tenuius
6 ſit, quam cui tanta altitudo competere potuerit: quin & fruſtū hoc,
cum

cum non cavum, ſed ſolidum ſit; non videtur caulem anethi referre, qui cavus eſt. Præterea folia & caulis Mei, craſſiora caule & foliis anethi eſſe debuerant, quod huic radiculæ non quadrat. Quo fit, ut radiculas haſce in officinis hodie uſitatas, pro radice Mei legitima habendam ego minus cenſeam.

Vires Mei Gal. lib. 7. ſimpl. cap. 112. deſcribit: Mei radices perutiles ſunt, calidæ tertio gradu, ſiccæ ſecundo. Proinde urinam menſeſque ciere volentes, hoc utuntur pharmaco. Sed ſi pluſculum ſumatur, capiti dolorem movet, utpote cum pluſculum ſit calidum,
A quam ſiccum. Quippe cum humiditatem crudiuſculam etiamnum, & flatuoſam caliditatem ad caput deferat, atque ita ipſum afficiat, lædatque.

CAPUT IV.

DE CYPERO.

CYperus Germanis **Wilder Galgan**/ Gallis *suchet*, juncus an-
B guloſus Celſo. Præter duo, quæ Dioſcorides tradit Cyperi genera, plura à recentioribus enumerantur, videlicet rotundus major, & rotundus minor, uterque nobis peregrinus, & odoratus, Syriacus vocatus.

Alterum genus eſt longus in Europa naſcens, ſimplex quoque odoratus & inodorus. Eſt & aliud quoddam rotundi genus, ſed inodorum, quod in littoribus Belgii & Angliæ reperitur. Quinetiam ad Cyperum referunt, plantam quandam in agro Veronenſi naſcentem Traſi vulgo dictam, quæ radiculas bulboſas, multas, dulces, eſculentas, caſtaneis ſimiles gignit, & Cyperum eſculentum vo-
C cant.

Omnium enim effigies eſt ſimilis & eadem ferè, foliis porraceis, ſtriatis, anguloſis, rigidis, caule gracili, nitido, triquetro, junceo florib. ſeminibus & cacuminibus pannicularum junceis ſpicatis: uda, ſcrobes & ripas fluminum, ut junci, amant. Quare meritò juncum anguloſum vel triangularem antiqui vocarunt.

Plinius lib. 21 cap. 18. Cyperi meminit, & à Cypiro diſtinguit, Cypirus, inquit, eſt gladiolus, radice bulboſa, laudatiſſimus in Creta, Naxo & in Phœnice candor odorque vicinus Nardo. Naxio acrior, Phœnicio exiguum ſpirans, nullus Ægyptio. Nam & ibi naſcitur.

D Cyperus juncus eſt anguloſus juxta terram Candidus, cacumine niger, pinguiſque, folia ima porraceis exiliora, in cacumine minuta, inter quæ ſemen eſt. Radix olivæ nigræ ſimilis, quam cum oblonga eſt, cyperida vocant, magni in medicina uſus. Eſt & per ſe Indica herba, quæ Cyperis vocatur, gingiberis effigie commanducata, croci vim reddit.

Alterum Cyperi genus, quod Dioſcorid. Indicum vocat, Plinius Cyperidem, ut dixi, nominat, omnium doctorum ſententia nihil aliud eſſe cenſetur, quam curcuma officinarum, quam vulgus gelben Imber, quaſi zinziber flavum, ob colorem & ſimilitudinem appellat. Pictores & Galli, quod ea ſæpe utantur, terram meritam nuncupant. Garcias ab horto crocum indicum dicit lib. 1. cap. 39. quam his verbis deſcribit: eſt hæc radix recens, intus crocea foris zinziberi perſimilis, foliis milii majoribus, & caule foliaceo, vehementi amaritudine & acrimonia, dum recens eſt, caret, ob multam humiditatem: Siccata verò acris eſt, ſed non adeò ut zinziber. A

Oribaſius lib. 11. de cyperi notis tantum hæc ſcribit: cyperus præſtantiſſima eſt, graviſſima, denſa, plena, non fragilis, aſpera, odorata, cum acrimonia quadam: Talis autem eſt, quam Cilicia & Syria mittit, & à Cyladibus Iuſulis affertur.

Gal. lib. 7. ſimpl. cap. 64. Cyperi radices maximè uſui ſunt, excalfacientes pariter & exſiccantes absq; mordacitate. Itaque ulceribus, quæ præ nimia humiditate cicatricem difficulter admittunt, mirifice proſunt: habent enim quiddam etiam aſtringens, quapropter & ulceri oris conveniunt. Quin & incidendi vim quandam illis ineſſe teſtificandum, quia & calculo vexatis congruunt, & urinam menſesq; cient. B

Cyperi radicum farina, cum baccarum lauri pari menſura, ſi urina impuberis pueri excipiatur, illita hydropicos mirificè iuvat.

De pſilothris vide Gal. lib. 1. de compoſit. med. ſecundum locos, cap. 4.

CAPUT V.

DE CARDAMOMO.

DE cardamomo ſcribit Plinius lib. 12. cap. poſtquam amomum & amomidem deſcripſiſſet his verbis: ſimile his & nomine & frutice eſt cardamomum, ſemine oblongo. Quatuor eius genera, viridiſſimum & pingue acutis angulis, contumax fricanti, quod maximè laudatur, proximum è ruffo candicans. Tertium brevius atq; nigrius, peius tamen varium & facilè tritum, odoriſque parvi, qui verus, coſto vicinus eſſe debet. Hoc & apud Medos naſcitur. C

Dioſcorides, Galenus, Græcique, omnes tantum unius Cardamomi meminerunt. Galenus ſanè lib. 7. cap. 9. ſimplic. in hunc modum: Cardamomum eſt facultatis admodum calidæ, non tamen adeò ut naſturtium, ſed quanto ſuavius, magiſque fragrans eſt naſturtio, tanto & imbecillior ei calida facultas ineſt. Nec enim vlcerare idoneum eſt vel ipſum per ſe illitum: porrò adiunctum habet & quiddam amaritudinis, qua lumbricos interfiit, & aceto valenter pſoras detergit. D

Avicen-

Avicenna lib. 2 tract. 2. cap. 150. Cardamomum, quod ſacolam vocat, duplex ſtatuit, magnum & parvum. Magnum eſt ſicut cicer nigrum, quod cum frangitur, interius habet granum album mordicãs linguã ſicut cubebæ, in quo eſt aromaticitas. Parvum eſt, ſicut lens, aromaticum etiam. Calidum & ſiccum eſt in tertio gradu. In ipſo cũ calefactione eſt ſtipticitas, & propriè in ipſo cortice, confert vomitui, & nauſeæ cum meſtiche & aqua utriuſq; granatorum.

Seqenti cap. Avicenna de Cordumeni tractat, quo Græcorum Cardamomum intelligit. Nam easdem prorſus ſuo Cordumeno vi-
A res tribuit, quales Diſcorides ſuo Cardamomo. Ex quibus videre eſt nec Græcis, nec Arabibus nec Plinio eandem eſſe de Cardamomo ſententiam.

Serapio duas cardamomi ſpecies ponit, maius & minus. Majus, inquit, eſt ſemen plantæ, quod oblongis capitulis includitur, iis ſimilibus, quæ ex roſis prodeunt, granis obnigris, rotundis, pipere longè maioribus, in quibus minuta ſemina concluduntur anguloſa farcta & odorata. Minus verò nullo contegitur capitulo maioris modo, quanquam colore conueniant.

Officinæ duas Cardamomi ſpecies oſtendunt, majus & minus.
B Maius granum paradyſi, & melegetta etiam vocatur. Naſcitur illud in folliculo fici faciem referente, qui intus ſemine ubique fractus eſt, ſubrubri coloris, granis inæqualibus, quæ membranulis albicantibus multis intercurſantibus diſtinguuntur. Semina propter ſaporem acrem, odoremque jucundum, grana paradyſi vocantur, & quia milium indicum referunt, melegetta etiam appellantur. Minus cardamomum officinarum, capitulo naſcitur brevi, exiguo, facie triangulari, faginei nuclei effigie, obtuſioribus tamen angulis, colore ſubcandicante media intus intercurſante membrana, in qua utrinq; ſemen ſubrotundum & tactu ſubaſperũ, altera parte cava, linea viſũ.

C Quorum neutrum Dioſcoridis Cardamomũ eſſe poteſt. Eſt enim tam majus, quam minus, nõ frangenti contumax, ſed fragile: Nec eſt ſubamarũ, ut vermes occidat: Nec eſt odore, qui caput feriat, ſed ſuavi potius, qui caput minimè feriat.

Quin nec ex Plinii Cardamomis ſunt, eò quod ſemine illa oblongo eſſe ſcribat. Adde, quod neq; Avicennæ deſcriptionem referant. Neq; enim melegetta eſt, cicer nigrum, neq; granum eſt album. Neq; rurſus Cardamomum minus officinarum, eſt parvũ Avicennę, quod dicit eſſe inſtar lentis. Deinde cum utrumq; Avicennæ ſit ſtipticum, utrumque officinarum caret ſtipticitate.

D Neq; rurſus conveniunt cum Cardamomo ſerapionis. Nam melegetta naſcitur capitulis inſtar ficus, non inſtar roſarum, grana non ſunt obnigra, neque rotunda, ſed anguloſa: neq; pipere maiora, ſed minora. Minus officinarum non caret capitulo, ſed naſcitur in capitulo, quanquã longè minori quã mai⁹ & colore nõ convenit cũ majore: eſt n. albicãtius, & quaſi cinerei coloris melegetta eſt rubicãtior.

Sunt qui piper Indicum, quod capſium Actuarii, & ſiliquaſtrum vocant, velint cardamomũ eſſe Arabum & ſerapionis, ut Ruellius, & Fuchſius, quod licet in capitulis oblongis naſcatur, tamen ſemen nõ eſt rotundum, ut piper, ſed compreſſum, ut lenticulæ: præterea tanta eſt acrimonia præditum piper indicum, ut nõ modo manſum, ſed vel tantum ori admotum ſtatim quaſi ignis exurat: ſerapionis autẽ cardamomum magis aſtrictoria, quam acri facultate pollet, ipſo atteſtãte. Ex quib. clarũ fit, quod Cardamomo Dioſcoridis hodie careamus.

CAP. VI. *DE* N*ARDO.*

A

NArdum officinæ ſpicam nardi vocant, ſicut & Gal. li. 8. ſimpl. c. 1. & Ægineta quoq; ναρδοςάχυν appellat: tantumq. una eius ſpecies nota eſt, nimirum ea ipſa, quam officinæ uſurpant, Eſtq; indica: Nec ulla ex Syria affertur, nec ibidem naſci cognoſcitur: videturque Syriacæ cognomen à Syraſtene potius regione ad indicũ flumen ſita, quam à Syria nomen obtinere. Meminit n. Ptolomęus montis cuiuſdam in India, qui à Ganger fluvio ad Syraſtenen extenditur.

Garcias ab horto li. 1. cap. 33 Naſcitur, inquit, nardus in Mandou & Chitor provinciis, quę regnis Delli, Bengala & Decan vicinę ſunt, iuxta fluviũ Gangem, quem incolæ Ganga appellant. Porrò nõ ſunt, inquit, diverſa Nardi genera, ſed unicũ duntaxat ſibi notũ eſſe nimirũ quod ex prædictis locis affertur. Provenit quidẽ in monte quodã, qui altera parte orientẽ ſpectat, altera occidentẽ, qua ſita eſt Syria, multis regionib. ab India diſcreta. Interiacent autẽ regiones Gedroſia, Drãgiana, Carmania, Perſia. Arabia, priusquã ex India in Syriã pervenias. B

Deſcribit autem nardum his verbis: certè radix eſt, ſpargens ſupra terram brevem virgulam ſeu caulem circiter tres palmos longũ, cum longiſſimus eſt, atq; alias inſuper virgulas multò breviores, in ſumma radice ſpicæ producuntur, item aliæ per virgulas. Tali n. modo venditur in Cambaiate, Aſurate & Gogua, aliiſq; portubus marinis unde mercatores Arabes & Perſæ petunt, potiſſimã tamen partẽ ab indigenis abſumi ferunt. Invenitur interdum ſordida & pulverulenta, villis ipſius plantę in pollinem redactis. Emitur tamẽ ab iis, quos dixi, mercatoribus, & eo pulvere manus eluere intelligebat hac unica nardo, quæ iuxta Gangem oritur, quamque in occidentem exportant: utuntur medici, cum Indici, tum Turci, Perſæ & Arabes. C

Lobellius tamen affirmat, legitimam nardum pleriſq; ex locis Syriæ & Ægypti, in Europam afferri, non modò radicem, qualem Gal. li. 1. de antidotis vult, ſed etiam quatuor diſtinctas partes, nimirum radicem, ſpicam, comaſve, feſtucas, & folia ipſa. Ima radix, qualis ſchænanthi exili & arido ſtamine à radicula ceu torulo exit, cui innaſcuntur ſpicatę comę, confertęq; glomerationes, quaſi per cirros, torulos nucleoſq; diſtinctæ & conflatæ, capillamentis ut in Meo, quarum ſpaciis mediis emergunt nonnulla juncea folia, marinæ algæ modo, tametſi minora multò. Quod ad colorem attinet, quanquam uſitata D

ſpica

ſpica Nardi, non ita flava, ſed potius ſubfuſca apparet non ideò minus legitima cenſenda erit. Gal. n. li. 8. ſimpl. c. 1. teſte, Indica vocata valentior, eſt quæ nigrior eſt, quam Syriaca Nec obſtat, quo minus legitimam nardum habeamus, ingens illud Nardi precium, quo antiquitus Plinii tempore emebatur Plin. n. li. 12. c 12. pretium ſpicę Nardi in libras denariis centum fuiſſe teſtatur. Cum n. Indiæ per Luſitanorum navigationes nobis magis quam veteribus pateant, etiam aromata, ut majori copia, ita viliori pretio ad nos perferuntur.

Nardi deſcriptio, quam Plinius loco citato prodidit, parum accu-
A rata eſt: nullo modo, nec cum Dioſcoride, nec cum cognita Nardo conveniēs, ſic enim ſcribit: Nardus frutex eſt gravi & craſſa radice, ſed brevi & nigra, fragiliqu**e** quamvis pingui, ſitum redolente, ut Cyperi, aſpero ſapore, folio parvo denſoq; cacumina in ariſtas ſe ſpargunt. Ideo gemina dotenardi ſpicas & folia celebrant.

Magna eſt controverſia qua parte Nardi veteres in medicamentis uſi ſint. Plinius loco citato foliis tribuit, hiſce verbis: de folio nardi plura dici par eſt, ut principali in unguentis. Gal. l. 8. ſimpl. c. 1. ſpicas in nardo præferre videtur, nulla facta alterius partis mentione, nec radicis, nec folii nec caulis Dicit n. nardi ſpica calefacit exceſſu
B primo, deſiccat ſecundo iā completo &c. Planè iiſdem verbis Aëtius li 1. ſerm 1. uſus eſt. At Ægineta li. 7. c. 3. ſpicæ nardi radix inquit, &c.

Plæriq; hodiè practici & medici omnib. compoſitionibus ſpicam illam capilloſam immiſcent. Et ſanè vix quicquā aliud de nardo hodiè habemus, aut venale videmus, præter comoſam illā ſpicam. Braſavolus ſanè varius & planè inconſtans hac in parte eſt, modo radicē & caulem præfert, ſpicam ad nos deferri negans, modo ſpicam etiam, præter caulem & radicem emi jubet. Alias ſpicam & florem ad nos aſferri diffitetur. Manardus l. 6. Epiſt. 3 dubitat, utrum ſpica quę, ad nos affertur, nardi ſit, quę ſuavitate odoris caret, & ſaporis eſt ingrati: ideo
C que Indica nardo carere ſuſpicatur, de qua, radice ſolum utendum cenſet, quam ſpicam Galenus vocarit, ipſe parvi pendit.

Matthiolus exiſtimat, ipſam nardi ſpicam nihil aliud eſſe, quā ipſam nardi radicem forma ſpicata, ſicut in bulbo lilii alii, cæparum, nō tantum pro radicibus habentur capillares illæ fibræ, quę infra bulbū ſunt ſed etiam ipſe bulbus pro radice habetur. Nam ex Theophraſti ſententia li 1 c. 10. pro radice totum id habet, quod terra obrutum latitat. Quod autem minus ſuaviter oleat, in cauſa eſſe, quod dū per tanta marium ſpacia Venetias affertur ex India, aſcito ſibi maris humore, cum nardus ſicciſſima ſit, vel ſitum contrahat, vel ſubputreſ-
D cat, atque inde amiſſa ſuavitate graviter oleat.

In qua controverſia, ut ego, quid ſentiam, dicam, valdè hæreo. Malim tamen cùm Manardo dicere, ex nardo eligendam eſſe radicem, præſertim cum idem ſentire videatur Ægineta li. 7. c. 3. ubi ſic ſcribit: Spicę nardi radix calefacit in primo, ſiccat in ſecūdo, particeps etiā eſt aſtringentis cuiusdā facultatis acris & ſubamarę, &c. Et ſanè

radicem

radicem ipſam quam rariſſimis ſpicis integram adhuc adhærere infra, videmus; ſed vel propter fragilitatem ſponte ſua abruptam, vel ex invidia & malitia gentium, de induſtria avulſam crediderim, longè ipſa ſpica præſtantiorem non immeritò judico; ſicut ex hac portiuncula, vel fruſtulo præſente videre licet.

Ut autem Spica nempe villoſa illa pars recondatur & naſcatur ſub terra; malè mihi fit veriſimile, propter tenuitatem, teneritudinem, raritatem incompactam, & ſurſum ſurgentem; & ſummitatem non ſatis faſtigiatam in acutum, ſed ſæpè ſatis diſſolutam, quæ à pulvere terreo immunis eſſe non poſſet; quo tamen omnino caret. A
Ideoque ſuſpecta mihi non parum eſt noſtra hodierni uſus nardus, & Gangitidem omninò, ut deteriorem, aut Sampharitidem eſſe exiſtimo, quia ſuavitatem odoris habet nullam; ſed graviter olet. Deinde ut teſtatur Garcias loco antè adducto, juxta Gangem, ut loco uliginoſo (Plinius enim loco ſupra citato illud apud Gangem naſcẽs in totum damnat, virus redolens) natam: tertiò, quod plures ab una radice ſpicas comoſas unaque convolutas ferre videatur, ſicut & Matthiolus & Lobellus ſe vidiſſe teſtantur & deſcribunt: quartò, quòd flava non ſit, ſed nigrior & ſubfuſca.

Nec excuſat ſatis hujus noſtræ nardi graveolentiam Matthiolus. quod cum ſicciſſima ſit, aſcito ſibi maris humore, vel ſitum cõtrahat, vel ſubputreſcat. At ſitum hujuſmodi à maris humore, plures aliæ merces ſicciſſimæ, ut goſſipium, ſericum, aromata redolerent. Quod ſi inde ſolum eſſet, inter ingentes acervos & compactiſſimos ſaltem aliquæ ſeſe offerrent integriores plantulæ, ſed omnes ſibi ſimiles exiſtunt. Nec placet mihi ſatis Matthioli nimis (ut mihi quidem videtur) ſubtilis ſententia, quod nardi ſpicas & radices, idẽ quid eſſe dicat, teſtimonio Gal 1. de antidotis cap. 29. Jubet Andromachus Indicam imponere, quam ex eo, quia ſpicæ figuram imitetur, nardi ſpicam nominat, quamvis radix ſit. Diſtinguit enim Dioſcorides inter ſpicas & radices nardi, his verbis: Plures ferens ſpicas ab unica radice comoſas, &c. Item poſtea: Intueri oportet, ſi lutum radicibus inſideat. Ex quibus colligere licet hodierni uſus ſpicam nardi nequaquam eſſe legitimam. B C

CAPUT VI.

NARDUS CELTICA.

D

NArdus Celtica officinis nota, **Marien Magdalenen Kraut**/ vulgo vocatur.

Lobellus in ſuis adverſariis nardum celticam deſcribit his verbis: puſilla eſt herbula, aliquantum proſerpens, deinde ſe ſurrigens, cauliculo palmum & ſeſquipalmum altò, ad quem imum folia ceſpites

ſpites ſummos conſlant,exigua, tenuia gnaphalii montani, aut gentianellæ minimæ,pallida & ſublutea,infernè auguſta,qua radicis cervici ſquamoſæ,aut ſquamulis tuniceis obſitæ ſpicatim digeſtæ,innituntur: Subterque multæ fibræ, fuſcæ, villoſæque propagines, aſari odore & modo in terram ſparguntur: acri ,amaricante, aromatico, ſpicam nardi ſpirante.

In Genevenſibus Liguriæque Alpinis ſterilibus provenit, non procul Savona urbe, unde Genuam Lucelli cauſa ferunt Coloni. Valleſiis Vernaculè Selliga quaſi ſaliunca dicitur. Lavendulam pro
A Celtica nardo habuit Marcellus Virgilius, Dioſcoridis interpres, ſed quam rectè,ſi deſcriptioni accommodetur,apparet.

Lavendula duplex eſt, mas & fœmella. Lavendula mas,ſpica nardis Germ.Italis ſpigo,Gallis & aſpic.Fœmella. Lavendula omnibus vocatur.

Mas frutex eſt, & folio conſtat latiore, longiore, craſſiore, robuſtiore, & albidiore, quam fœmella Sed utraque planta eſt fruticoſa,& roſmarini modo innumeris referta foliis, ex quorum medio jũcei exeunt cauliculi quadranguli,tenues,dodrantalem longitudinẽ excedentes, in quorum cacumine flores exeunt ſpicati, purpurei,
B (quamvis in fœmina dilutiores, patentioresque) odore fragrantes, verum usque adeò acuto,ut nares feriat. Excalfaciunt & exſiccant ambo ordine ſecundo completo,vel tertio inchoante, viribus à nardis omnibus non longè recedentibus. Conferunt omnibus cerebri ægritudinibus à frigido provenientibus, convulſis reſolutiſque auxiliantur,ventriculum roborant,& jecur ab infarctu liberant. Quin & obſtructos lienes juvant,uterum calfaciunt,menſes & ſecundas educunt. Fit hinc aqua & oleum ſtillatitium præſtantiſſimi odoris, quod oleum ſpicæ vocatur, & extra officinas reponi ſolet, ne reliquorum odoramentorum,ut moſchi,ambræ, zibetti,ſuavitatem in-
C tercipiat. Pro nardo Celtica oſtentant officinæ peritiores, & herbarii noſtri temporis, herbulam, qualem ante à Lobello deſcriptam protulimus: Verum quam exactè deſcriptioni Dioſcoridis congruat, examinemus. Eſt quidem exigua planta, ſeu potius herba,quam frutex,folia quoque habet oblonga,colore ſubflavo: Verum cum nulla ratione frutex ſit, ſed potius herba, & quidem exigua, nec ullus ibi caulis,multò minus flos luteus adeſſe viſus ſit ab ullo (ſaltem inter tot acervos manipulorum, nec caulis, nec flos ullus apparet) Caulis tamen magnum uſum docet Dioſcorides,æquè atque radicum, ut ex utroque paſtillos fieri jubeat: inde fit, ut noſtram nardum celticam
D pro legitima habere non poſſim.

Hirculum deſcribit Carolus Chiſius interpres Garciæ ab horto lib.1.aromat.cap 3 ..ad finem: Hirculus plantula eſt nardo celticæ ſimilis,candidior tamen,& veluti ex viridi cinerea ſine cauliculo,minoribus brevioribusque foliis, villoſa admodum ſecundum radicẽ, & nigricans,nulla odoris jucunditate: Folia præmanſa nullum aromaticum

maticum ſaporem reddunt, ſed lenta & viſcida ſunt, cum nardi celticæ folia & calida ſint, cum aliqua tamen adſtrictione, & odore, ſaporeque jucunda.

An nardus celtica ſit ſaliunca, licet Fuchſius Ruellium ſecutus, aſſerat, ego ſanè valdè dubito. Plinius enim diverſis capitibus de utroque egit. De ſaliunca quidem lib. 21. cap. 7. inter flores coronarios: Saliunca folioſa quidem eſt, ſed brevis, & quæ necti non poſſit. Radici numeroſæ cohæret, herba verius quam flos, denſa veluti manu preſſa, breviterque ſui generis ceſpes. Pannonia hanc gignit, & Norici, Alpiumque aprica, veſtibus interponi eam gratiſſimum. De nardo A
verò celtica, quam Gallicam vocavit, cap. 20. tradit ſtatim principio: poſtquam interjecta de croco & crocomagmate tractatione, Saliuncæ vires ſeorſim, & quidem paucis perſtringit: nempe Saliuncæ radix in vino decocta ſiſtit vomitiones, corroborat ſtomachum. Adde quod Dioſcorides nardum celticam non ſaliuncam, ſed ἀλιούγγιαν appellat.

CAPVT VIII. B

NARDVS MONTANA.

NArdus montana vel nullis, vel paucis hodiè innotuit. Quam n. Matthiolus in poſteriori, & recognita commentariorum in Dioſcoridem editione, ex Uliſſis Aldronandi ſentētia, & indicatione pro montana nardo exhibet: Cum Dioſcoridis deſcriptione nō ſatis convenit: Folia n. non habet Eryngio, ſed potius Valerianæ ſimilia.

Quin nec ea plantula Dioſcoridis delineationem implet, quam Matthias Lobellus in novis ſtirpium adverſariis ex Anguillarii judicio, pro nardo montana depinxit. Folium enim hæc gerit non in Eringii modum, ſed erucæ, & Valerianæ majoris formam diviſum, id- C
que purpuraſcens. Adde, quod & radicem tantum unicam bulboſam habeat, non duas aut plures.

Quod ad textum authoris noſtri attinet, videtur à ſe ipſo diſſentire. Primum enim montanæ nardo folia, caulemque, & quidem Eringio ſimilia tribuit. Mox velut ſui oblitus, ſub finem, nec caulem, neque fructum, neque florem proferre aſſerit. Quamobrem ſuſpicio eſt ex librariorum incuria, vel potius ſciolorum temeritate mēdam lectioni acceſſiſſe, ut pro verbo φέρει, quod profert, eſt, συμφέρει confert, ſubſtituendum ſit, addita caſuum mutatione: atque ſic lectio corrigatur: οὔτε δὲ καυλὸς, οὔτε καρπὸς, οὔτε ἄνθος συμφέρει: h. e. neque D
caulis, neq. fructus, neq; flos confert; aut prodeſt. In qua ſententia ſunt viri doctiſs. Matthiolus, Fallopius, & Odoricus Melchiorius.

Quam licet ignoremus, minus tamen deſiderabimus, cum teſte Gal. lib. 8. ſimpl. cap. 3. nardus montana, quæ in Cilicia plurima naſcitur, reliquis debilior ſit.

CAPUT.

CAPUT IX.

ASARUM.

A ASarum ut Græci, ita Latini & Arabes hanc herbulam appellant. Officinæ Italicæ baccharum vocant, ſicut & Hiſpani vocibus conjunctis aſara baccar, Galli quoque ad vocem bacchara alludunt, vocantes Cabaret, Germani Haſelwurtz/ Brabanti Manſooren/ à foliorum ſimilitudine quaſi aures viriles vocant.

Ἄσαρον ἀπὸ τοῦ σαίρειν à verrendo, quod eo non verreretur. At longe ab aſaro, diverſa eſt baccharis, quam Dioſcor. noſter lib. 3. cap. 44. peculiariter deſcribit, quam fruticoſam eſſe dicit, & in coronas addi. Aſaron autem teſtatur Plinius lib 21. cap 6. inde vocitari, quoniam in coronis non adderetur. Sed malè. Niſi dicere voluerit, nullas ex aſaro ſcopas luſtrales, purgandis Deorum aris fieri ſolitas, ut ex verbena. Nam στεφανωματικὴν apertè, textus græcus baccharin vocat. Hanc autem plantulam legitimum eſſe aſarum Dioſcoridis, teſtatur ipſa facies. Eſt enim hederæ corimbiferæ foliis minoribus &
B rotundioribus, floribus cytino hyoſcyami ſimilibus, purpureis, inter folia proximè radicem exorientibus, odoratis, ſemen acino ſimile includentibus, radices habet numeroſas, geniculatas, tenues, obliquas, gramini non diſſimiles, graciliores tamen, odoratas, excalfaciẽtes, & linguam vehementer mordentes.

CAPUT X.

PHU.

C COmmunis eſt inter medicos, herbarios, & pharmacopœos peritiores noſtri temporis opinio, phu veterum nihil aliud eſſe quã eam plantam, quam Valerianam majorẽ Latinè, Germanicè Baldrian vocant. Sanè Matthiolus his verbis utitur: Non poſſum non fateri, eos omnes benè ſentire, qui majorem Valerianam ſic vocatã, legitimũ phu eſſe aſſerunt. Quod quàm rectè dicatur, pauliſper examinem⁹ Valeriana major folio eſt ſcabioſæ ſed majori, nec tot ſectionibus diviſo. Phu verò hippoſelini folio aut Elaphoboſci Dioſcorides conſtare ſcribit. Eſt autem Hipposelinum ex Matthioli
D ſententia leviſticũ vulgare, quod Liebſtöckel Germanis: Belgis Leveſche appellatur. Elaphoboſcum a. teſte Dioſcor. l. 3. cap. 80. eſt foliis duos digitos latis, ut terebinthi prælongis, quæ folia fraxini æmulantur. Valeriana in ſummitate umbellam ſive muſcarium more fœniculi floridum gerit, ex minutis floſculis congeſtum. Phu verò aſſcribuntur à Dioſcoride flores Narciſſo proximi & quidem majores, qua-

res, qualis autem narciſſi flos ſit, pauci ignorant: Eſt enim narciſſus
planta, quam Zitloſen Germani vocant. Et quamvis plurimæ ſint
narciſſi ſpecies, nulli tamen eſt umbella florida & vix uni plantulæ
flores plures uno, vel duobus, vel tribus adſunt. Quibus duobns ar-
gumentis uno à foliis, altero à floribus ſumpto quamvis reliquæ no-
tæ non refragentur, adduci facile non poſſum, ut valerianam eſſe
phu veterum aſtruentibus aſſentiar. Alioquin Valeriana eſt, ut phu,
caule cubitali aut altiore, lævi concavo molli vel tenero, in purpu-
ram vergente, geniculis intercepto, floribusque ex albicante purpu-
reis. Item radice ſuperius digiti minoris craſſitiem æquante, ex obli- A
quo villoſa in hellebori nigri modum capillamentis invicem con-
tentis, flaveſcentibus, odoratis, cum quadam odoris gravitate nardũ
æmulantibus.

Sunt autem tres Valerianæ ſpecies, major vel ſativa unica, &
ſylveſtres duæ, minor & minima dicta. Sunt quidam in ea ſententia,
ut putent & Valerianæ ſpeciem quandam eſſe herbulam illam eſca-
riam, quam Walones ſalat des Chanonnes, Belgæ Veltkroppen &
Winterſalat. Rhenenſes in palatinatu ritſchen vocant, quæ hyema-
li tempore ad acetaria colligitur: foliis enim licet parvulis Valeria-
næ folium non malè imitatur. Galli vocant clerette. Majoris notæ B
dictæ ſunt Minor Valeriana paſſim creſcens & cognita vulgo, foliis
eſt fraxini, vel ſorbi, lævibus, ex virore, nigricantibus, humi accubã-
tibus. Caulem & umbellam gerit, ut major, ſed omnibus partibus
majori minor eſt. Radices habet numeroſas albicantes, invicem cõ-
plicatas, ſucciſæ herbæ æmulas, odore cum quadam gravitate jucun-
do, nardi modo. Naſcitur humido ſolo Minima Valeriana, folio eſt
majoris effigie, ſed parvo admodum, caule auguloſo dodrantali, in cu-
jus ſummitate umbella exigua naſcitur, colore aliis ſimili: Radix
ſubeſt parva albicans, ex qua numeroſa oriuntur, capillamenta jucũ-
di odoris: naſcitur in montibus, aquoſo quoque ſolo, & pratis, palu- C
ſtribus. Non deſunt, qui hanc pro nardo montana habeant, ſed ma-
gno cum errore.

Gal lib 8 ſimpl c.160. phu odoratum quodammodo eſt, hujus
herbæ radix nardo viribus ſimilis, ſed tamen ad pleraque infirmior.
Vrinam plus movet, quam aut Indica aut Syriaca nardus: Similiter
autem ut Celtica. Omnia Valerianæ genera ab odore commendan-
tur, ideoque veſtibus eas quidam interponunt.

Ex recentiorum obſervatione, Valeriana ad venenoſorum i-
ctus ex vino hauſta, & adverſus peſtilentiam non modò pota, ſed &
olfacta confert. Valet ad ſtranguriam decoctum ejus potum. Datur D
etiã utiliter anheloſis & tuſſientibus, præſertim cum glycyrriza, uvis
paſſis & ſemine aniſi cocta. Devorata radix flatus pellit. Tota planta
virens una cum radice tuſa, & capiti dolenti, illita dolores & puncti-
ones mulcet. Facit & ad viſus obſcuritatem, ubi albo vino decoqua-
tur, & deinde vinum oculo inſtilletur. Additur potionibus vulnerũ
magno

magno juvamento. Sylveſtrem valerianam ruptis convulſis ex alto præcipitatis recentiores utilem cenſent. Folia huius & ſativæ ad oris & gingivarum exulcerationes cum inflammatione coniunctas, decocta & gargariſata prodeſſe ferunt.

CAPUT XI.

DE MALABATHRO.

A NEMO eſt medicorum hoc ſeculo, qui quid malabathrum Dioſcoridis ſit, ſe ſcire aut vidiſſe affirmet. Unde vir quidam doctiſſimus, veteres inſcitiæ & credulitatis inſimulare non veretur, quod nimis temerè de monſtroſis malabathri natalibus fabulę, fidem habuerint. Quamvis enim hoc ſeculo omnes univerſi orbis anguli, celeberrimis & frequentiſſimis navigationibus, multò quam Græcorum, aut Romanorum temporibus, notiores exiſtant: nemo tamen eſt, qui mirabile iſtud folium compertum habeat: videlicet, quod Indicæ gignant paludes, quod lenticulæ paluſtris in modum ſine radice aquis innatet. *Iul. Scalig Exercit. 140.*

B Avicenna lib. 2. tract. 2. cap. 259. folium Indum vocat, cui eadem lineamenta, nativitatem, & facultates tribuit, quas Dioſcorides ſuo malabathro. Verum pro folio Indo, varia foliorum genera nobis obtruſerunt ante hac officinæ. Alii enim folium Caryophyllorum: alii folium canellæ: alii folium betræ, aut tembuli, pro folio Indo exhibuerunt.

Garcias ab horto lib. 1. cap. 19. Folium Indum mali medicæ folio aſſimile eſſe dicit, anguſtius tamen per extremum, colore viridi, tribus per longitudinem excurrentibus coſtis (quâ notâ facile di-
C ſtinguitur) odoratum garyophyllos quodam modo redolens, non tam vehementis odoris, ut nardus aut macis, neq; tam ſubtilis aut acuti, ut canella.

Naſcitur autem non in paludibus, aquis innatans lentis paluſtris modo: ſed in procera arbore, procul ab aquis, cum multis aliis in locis Indiæ: tum in Cambaia regione, ad Indum flumen. Vocari autem ab Indis hoc folium tamalapatra, quam vocem Græci & Latini imitati malabathrum corruptè nuncuparunt, prima ſyllaba præciſa.

Quin & Plinius lib. 12. cap 26. malobathri arboris in Syria pro-
D venientis meminit, quam licet & abundantiorem in Ægypto eſſe dicat: tamen laudatius malobathrum ex India venire ſubiungit. Quanquam interim mox etiam alterius malobathri mentionem ſubnectat, quam, ut Dioſcorides, ſine radice paludibus innaſci, & aquis innatare tradit, lentis modo.

An autem, ut Plinius aſſerit, malobathrum in Syria & Ægypto

naſcatur, ex Damaſcenis & Memphiticis medicis ſe quæſiſſe ſcribit Garcias ab horto: ſed omnes uno ore negarunt, aut in Syria, aut in Ægypto provenire. Quare de loco nativitatis veteribus tam Græcis, quam Latinis à mendacibus inſtitoribus impoſitum eſſe ſuſpicor, non tam in malobathro, ſed etiam aliis aromatib. ex remotiſſima India, in Europam per Syriam aut Ægyptum tranſmiſſis, dum quæ aliunde & Syri & Ægypti acceperant, tanquam ignota Europæis, eadem apud ſe naſci mendaciſſimè gloriarentur.

Vt autem locum natalem malobathri miſſum faciamus, de quo ut exotico, nihil præter famam, aut aliorum relationem habere potuerunt: ſaltem rem ipſam habuiſſe eiuſq; faciem ita deſcribere potuiſſe, dubium non eſt. Quod qui præſtiterit, neminē reperio. Dioſcorides noſter potius delectū docet, quam ut folium iſtud delineet. Laudatur, inquit, recens, ex candido nigricans, integrum, non fragile, odore caput feriens, diu odoris ſuavitatem retinens, ſapore nardum imitans, nullo ſalis guſtu. Quod verò fragile eſt, aut minutim contuſum aut ſitum redolet, vitioſum eſt. A

Plinius loco citato tradit malobathri notas, ut ſit odoratius croco, nigricans, ſcabrumq; , quodam ſalis guſtu, contra Dioſcoridē: minus autem probatur candidum, celerrimè ſitum in vetuſtate ſentit: Sapor eius ſimilis eſſe debet ſub lingua, odor verò in vino fervefacti, antecedit alios. Cum qua Dioſcoridis & Plinii deſcriptione, ſi conferamus noſtrum folium Indum, valdè diverſum reperiemus. Nam folium Indum, non eſt ex candido nigricans, ſed potius ex diluto virore nitet. Non eſt ſcabrū, ut Plin. prodit, ſed læve: non eſt odoratius croco: imò nullo odore caput ferit: ſapore non nardum, ſed potius Garyophyllos, aut Lauri folium imitatur, nihil autem ſalem reſipit, ut Plinius vult. Ex qua notarum collatione manifeſtum eſt, hodierni uſus folium Indum, quamvis Indi ipſi hodiè & pharmacopolæ in India illud Tamalapatram vocent, nequaquam tamen eſſe malobathrum veterum: ut taceam, quod tres illas coſtas per folii longitudinem exporrectas, ut huic folio peculiares nunquam præterituri ſilentio fuiſſent. Quod autem malobathro veterum deſtituamur, fortè indigenarum culpa id factum, non immeritò quis putaverit, quemadmodum & balſamum in Syria agricolarum negligentia periiſſe conſtat. B C

Capvt. XII.

De Cassia.

Caſſiæ, quæ & Caſia dicitur, nomenclatura pluribus rebus tribuitur. Eſt enim & herba coronaria Caſia vocata, cuius Virgilius Eclog. 2. meminit his verſibus. D

Tum caſia, atq; aliis intexens mollibus herbis.

Mollia

Mollia luteola pingit vaccinia Caltha.
Item 2.Georg. Vix humiles apibus caſias,roremq; miniſtrat.
Item 4.Georg. Et circum caſiæ virides, & olentia laté
Serpilla, & grauiter ſpirantis copia thymbræ
Floreat irriguumq; bibat violaria fontem.

Eiuſdem & Plinius l. 21. c 12. meminit inter herbas, quibus apes
delectantur. Caſiam hanc Theodorus Gaza cneoron Theophraſti eſ-
ſe voluit. Eſt quoq; caſia vel caſſia fructus quidam, aut ſiliqua præ-
longa, teres, denſa, dura, in formam cornu caprini, colore cum ad ma
A turitatem pervenerit, in rubrum nigricante. Quę nigra dulciq; intus
medulla, leni lentoq; cremori ſimili, nō tamen ut in oſſibus cōtinua
turget ſed crebris lignoſisq; membranis tranſverſim diſtincta. inhæ
ret unicuiq; membranæ ſemen durum, ſiliquarum ſemini adeò ſimi-
le, ut alterum ab altero diſcerni non poſſit. Vnde quidam illam ſili-
quam Ægyptiam vocarunt eò quod præter formam fructus & ſemi-
nis, etiam folio ſiliquam æmulatur, quod tamen magis in acutum
tendit. Naſcitur a. in arbore procera, cuius materia eſt ſolida & cōpa-
cta, verſus corticem coloris buxei, medullā verſus nigra, non ſecus ac
ebenū, aut guaicacū. Cortex arboris cineritius, radices magnæ, ut ju-
B glandis. Advehitur ex Mēphi, & Alexādria Ægypti, quæ prę̄ſtātior eſt.

Dicitur fructus iſte officinis caſſia fiſtula, ad imitationem Arabū
eodem modo appellantium, à figura, quam arundinî, cannę, aut fiſtu-
læ affinem habet, propter cavitatem teretem & longam. Appellatur
quoq; caſſia nigra à colore, caſſia ſolutiva ab effectu & uſu.

Eligenda eſt foris, & intus nigra, ampla, ſplendens, gravis, recens,
plenior & quæ concuſſa clauſis intus granis non ſtrepat: pulpa intus
nigra, pingui, ſplendente ſucculenta, non ſitidenta, nec putri, ſapore
prunorum delicato, utendi tempore extrahi debet, nam extra cannas
promptè corrumpitur & in vaſis ſeruata deterior evadit.

C Arabum eſt inventum, Græcis ignotum, medicamentum nobi-
le, quo ad leniendam alvum tam ſani, quam ægrotantes, tam infan-
tes quam ſenes, tam mulieres & puerperæ, quam viri, quovis tempo-
re, ſive mane, ſive paulò ante cibum tutò uti poſſunt. Pulpa enim ca-
lefacit, & humectat ordine primo, eadem lenit, reſolvit, ſanguinem
mundat, bilis fervorem reſtinguit, alvum commodiſſimè citat, eiuſ-
ue vis ventriculū non tranſit. Quapropter ſecuriſſimè datur à medi-
cis principio febriū, aut aliorū affectuum calidorū, ante venę ſectio-
nē quod tantum ventriculū repurget, alvumq. emolliat. Bilē & pitu-
itā ſubducit nullo incōmodo. Exhibetur hodiè, à cortice mēbranis &
D ſeminib ſuper vaporē aquæ ferventis per cribrum purgata, ab uncia
dimidia ad drach. x. vel xii. Quidā quib. alvus natura pigrior eſt, ma-
lūt medullam hanc ad 2. 3. aut 4. drachmas latiore cultelli cuſpide ex
diviſis in longū cannis, voluptatis cauſa ipſimet per otiū ab radendo
excipere & devorare, paulò ante paſtū, horulæ unius aut dimidiæ in
tervallo, ſive ante prandium ſive cœnā. Hactenus de Caſſia ſolutiva.

Tertia eſt caſſia aromatica, officinis lignea dicta, in theriaca Andromachi iunioris caſſia fiſtula appellatur, qui cortex eſt fruticis cuiusdam, de quo Plinius lib. 12. cap. 19. his verbis: Frutex & caſia eſt, iuxta cinnami campos naſcitur, ſed in montibus, craſſiori ſarmento, tenui cute verius, quam cortice. Amplitudo fruticis trium cubitorum. Color triplex, cum primum emicat, candidus pedali menſura, deinde rubeſcit, addito ſemipede: ultra nigricans. hæc pars maximè laudatur, ac deinde proxima, damnatur verò candida. conſecant ſurculos longitudine binum cubitorum, mox præſuunt recentib. coriis quadrupedum, ob id interemptarum, ut iis putreſcentibus vermiculi lignum erodant & excavent corticem, tutum amaritudine. Probatur recens maximè, & quæ ſit odoris graviſſimi, guſtuvè quam maximè fervens potius, quam lento tepore leniter mordens, colore purpureo, quæq; plurima mininum ponderis faciat, brevi tunicarum fiſtula & non fragili. A

Plinii caſſia diverſa eſt à Dioſcoridæa. Plinius n. caſſiæ corticem tutum amaritudine dicit, & probari, qui ſit odoris graviſſimi. Dioſcorides verò non amarum corticem Caſſiæ tribuit, ſed aromaticum, non odore gravi, ſed vinoſo, aut qui roſam imitetur, præditam ſcribit. B

Pleriq; eruditiores huius ſeculi medici, in ea ſunt ſententia, ut putent, caſſiam veterum nihil eſſe aliud, quam cinnamomum quotidiani uſus, quod copioſiſſimè iam in Europam ex Indiis advehitur. Cinnamomo autem vero & legitimo nos carere, præſertim cum etiam Galeni tempore, ſicut teſtatur lib. 1. de antidotis ca. 26. Cinnamo- legitimi minima eſſet copia, et non niſi in Imperatorum apothecis repoſita.

Eſt autem cinamomum etiam fruticis cuiusdam cortex, teſte Plinio libro & capite citato, ubi ita diſſerit: Ipſe cinamomi frutex duum cubitorum altititudine ampliſſimus, palmique minimus, quatuor digitorum craſſitudinis, ſtatim à terra ſex digitis ſurculoſus, arido ſimilis. Cum viret, nòn odoratus, folio origani, ſiccitate gaudens, ſterilior imbre, cæduæ naturæ. Gignitnr quidem in planis, ſed denſiſſimis in vepribus, rubiſque, difficilis collectu. Præcipua bonitas virgultorum tenuiſſimis partibus ad longitudinem palmi. C

Secunda proximis breviore menſura: atque ita ordine utiliſſimum, quod radici proximum, quoniam ibi minimum corticis, in quo ſumma gratiæ. Qua de cauſa præferuntur cacumina, ubi plurimus cortex: Ipſum verò lignum in faſtidio eſt, propter origani acrimoniam, xylocinamomum vocatur. Quidam cinamomi genera duo tradidere, candidius & nigrius. Quondam præferebatur candidum, nunc contra nigrum laudatur, atque etiam varium præferunt candido. Certiſſima tamen æſtimatio, ne ſit ſcabrum, atq; ut inter ſe tritum, tardè frietur. Damnatur inprimis molle & cui D

albet

albet cortex &c. Verum neutra, nec caſſiæ, nec cinamomi ex Plinio deſcriptio, veritati rerum ſatisfacit: Neque mirum cuiquam illud videri debeat Tã longa enim difficiliq; via petebantur olim aromata, ut perfectam illorum notitiã conſequi veterib. haud facile fuerit. Vix n. quinto anno domum redire mercatores potuiſſe, qui aromata quærebant, teſtatur ex illorũ relatu Plinius, plurimis in profectione moleſtiſſima intermorientib. unde plurimis fabulis fidẽ habuerunt: Hoc ſeculo Luſitanorũ navigationes plus fidei merentur, qui intra unius anni, imò novem menſium ſpacium, Liſſibona in Indi-

A am ire & redire didicerunt.

Garcias itaq; ab horto l. 1. c. 15 oſtendit, caſſiam aromaticam, quam ligneam vocant, & cãnellam, quę cinamomũ eſt, planè unam eandẽdemq; rem eſſe, eodem nomine utrumque ab Indis appellari, nullam differentiam ſtatui. Neque ut verum dicam, (inquit) quiſpiam caſſiam à canella differentem vidit. Caſſiam autem & cinamomum unum & idem ſpecie eſſe, licet ex Galeno colligere, qui vidiſſe ſe Caſſiæ ramos quoſdam, cinamomo penitus ſimiles aſpectu, corticis tenuitate, cæteriſque ſignis ex guſtu & olfactu petitis, putà, lib. 1. de antidot. cap. 22. adeoque ob ſimilitudinem optimam caſſiam ci-

B namomum evadere. Item cap. 26. ſuprema caſia ab infimo cinamomo parum diſtat. Item in fine eiuſdem capitis: univerſa cinamomi natura, ſimilis quodam modo eſt optimæ caſiæ. Item 28 cap. caſia ſiquidem cinamomo, genere proxima uſq; adeo eſt, ut ex ipſa quandoq; cinamomum oriatur, ſpectenturque nonnunquãm caſiæ arbores, in quibus aliqua cinamomi virgulta è caſiæ ramis prodeant. Si quid autem videtur ineſſe differentiæ, id non ſecundum ſpeciem eſſe, ſed vel ratione ſoli natalis, vel collectionis, vel conſervationis id evenire, etiam in ipſa India. Eſt enim illa regio putredini valdè obnoxia, maritimis præſertim locis. Et vix ullum eſt aroma magis

C corruptioni obnoxium, quam canella, præſertim ſi diu in navi perſtiterit: imò quotidiè experientia obſervatur, canellam ſingulis annis de ſua illa odoris & ſaporis ſuavitate multum deperdere.

Duas differentias Garcias ponit, nec plures ſe in India obſervaſſe, unam *Zeilaniticam*, ut optimam ex Inſula Zeilana quod in Luſitaniam advehitur; alteram deteriorem ex Iava & Malabare deferri, cœli ſolique natura à Zeilanitica plurimum differentem. Scaliger etiam ex Motir Moluccarum, canellam peti tradit.

Tanta traditur differentia bonitatis, ut Zeilanitis canellæ centũ librę, decẽ aureos pendant. Malabricæ a. libræ quadringentæ, uno dũ-

D taxat vendantur aureo. Tametſi autẽ Zeilanitis omniũ ſit pręſtantiſſima, invenitur tamẽ interdũ & illic ignobilior, qualis eſt, quæ craſſiori cortice conſtat, minuſq; in tubulos convolvitur, quod non ſit eiuſdem anni: Quo enim vetuſtior cortex, eò deterior exiſtit.

Appellatur autem canella ab Indis Cais manis, vides affinitatem vocis caſſiæ & caſiæ. Abi dialecto modicè deflexa, ut apud Mala-

bares caunoma. Vides originem vocis cinamomum, ut Plinius vocat utrumq; lignũ dulce ſignificat. Perſæ darchini, id eſt, lignũ chinen ſe vocant; nõ quod apud Chinenſes naſcatur, ſed quod illi 400. navium claſſe, olim inter alias plurimas merces, etiam canellam ex zeilana quidam Inſula laudatiſſimam: Ex Malabare a. viliorem, primi Ormuſium & ad oras Arabiæ advexiſſent, plurima rebus exoticis apud ignaras gentes admentiti. Inde in Ægyptum Alexandriam trãsportata, ad commercia Græcorum melior canellã cinanomi appellationem nacta eſt, quaſi chinenſe amomum propter odoris præſtantiam. Nam amomum Græcis notiſſimum erat, fragrantia excellens aroma. Caſſiæ itaq; vocem, reliquæ canellæ deteriori relinquebat. A

Canellæ arbor eſt magnitudine oleæ, interdum minor, multis ramis prædita, non iis quidem contortis, ſed rectis fermè, foliis lauri quidem colore, ſed forma ad citri folia accedente, floribus candidis, fructu nigro & rotundo, avellanæ ferè magnitudine, aut exiguis olivis ſimili. Eſt autem canella nihil aliud, quam ſecundus & interior arboris cortex. Duplici enim cortice arbor munita eſt. Ademptus cortex, exteriore craſſiorique ſui parte repurgatur. Dein in laminas quadratas ſectus, humi abjicitur, atque ita per ſe convolvitur, ut integrum trunci alicujus corticem referre videatur, cum tamen partes tãtum ſint corticis, in tubulos digiti craſſitudine, convoluti. Trũcus enim femoris interdum craſſitie reperitur: Roſeum autem illũ, ſive ex cineritio vinoſum, aut rubeum colorem ſolis calore contrahit, qui non probè paratus candicans, vel cinerei coloris fit, nimiis verò ſolis caloribus aduſtus, niger. Avulſo ſemel cortice, tres poſtea annos, ab illa arbore abſtinetur. B

Frequentes ſunt canellæ arbores in zeilana Inſula, ſolebatque vili olim emi canella. Sed 40. abhinc annis nemo præter procuratorẽ regis Luſitani emere potuit zeilanitem canellam. Zeilanicis arboribus minores ſunt illæ, quæ ignobiliorem præbẽt canellam in provincia Malabari, & in Java: non tamen adeò puſillæ, ut illas Plinius loco citato, & Gal. lib. 1. de antidotis cap. 22. & 26. tradit. Sunt autem omnes canellæ arbores ſylveſtres, & ſponte naſcentes. Quod Dioſcorides Caſſiam juxta odoriferam Arabiam gigni tradit: Sanè Luſitanorum navigationibus exploratum eſt, nullam nec caſſiam nec cinamomum in ullo Arabiæ tractu naſci. Adde quod ipſimet Arabes ex India canellam petere cogantur, ejusque pretium intenditur, quoties ex India nulla adfertur. C

Præterea neque apud Æthiopes Troglodytas, qui Abiſsmi ſunt, inter Nilum & mare rubrum poſt Ægyptum colentes, caſſia creſcit, quod & Luſitanorum navigationes & itinera pedeſtria per maritima & mediterranea Æthiopiæ facta, teſtantur, qui nusquam canellæ arbores viderant. Quare caſſia Moſſelitis, non quod juxta promontorium Moſſylites, quod Troglodytices eſt, naſcatur, nomen habere putanda eſt; ſed potius quod in eum portum ex India adveheretur, D

teſte

teſte Plinio lib. 6. c. 29. promontorium & portus Moſſylites, quo cinamomum advehitur. Moſſylites promontorium videtur eſſe illud, quod Ptolemæus aromata vocat, hodie Capo de gardafu dicitur, ad oſtium ſinus Arabici, quem mare rubrum multi appellant.

Comparat Dioſcorides caſſiæ folia foliis piperis, qualia a. illa ſint, ne quidem ex deſcriptione piperis, quam lib 2. cap. 189. Dioſcor. tradit, nobis conſtare poteſt, qui nullius illic folii meminit.

Eſt tamen planta piperis ex obſervatione Luſitanorum, teſte Garcia lib. 1. cap. 22. foliis raris mali Aſſyrii effigie, ſed minoribus &
A per extremum acutis, virentibus, guſtu calidis aliquantulum. Talia autem folia cum arbori canellæ ineſſe audiverimus; veriſimile eſt, & caſſiæ fruticem cum arbuſcula canellæ convenire.

Pro caſſia antehac obtruſerunt officinæ corticem quendam inſipidum & ſtipticum, quem geniſtæ multi eſſe exiſtimant. Nunc verò errore illo nimis craſſo exploſo, pro caſſia lignea corticem exhibent, non multum à cinamomo diſſidentem, quæ Valerio Cordo eſt caſſia veterum legitima & vera, guſtu, ut ille inquit, lubrico, cinamomi æmula. Differt tamen, quod denſior, durior, ſolidior & ferè craſſior ſit, quam canella eſt, & friabilior in modum vitri diſſiliens, nec
B non & liquabilior, nullo interiori libro membranaceo, ut canella, veſtita, exteriori parte ſui inſuavior, aliquantum amareſcens, & ſubauſtera, interiore ſui parte ſuavior, acrior, dulcior, odore, ſapore, colore canellam imitans; guſtu tamen, lubricum, lentum, viſcidū quid referens, quæ non ita in fiſtulas, aut tubulos convoluta eſt, ſed in longas, planas non latas laminas diſſecta fertur.

Contra a. Gal. lib. 1. de antidotis cap. 28. de caſſia fiſtula refert his verbis: Andromachus junior caſſiam à quibuſdam fiſtulam appellatam, theriacæ imponendam cenſet. Hæc a. omnibus cognita eſt, nam & vilius cæteris venditur, cujus cortex exterior fiſtula vocatus,
C qui obvolutus ipſam repræſentet, ſaporem & odorem validum habet. Interior autem pars debilis adeò eſt, ut nullum uſum præſtet. Unde manifeſtum fit, caſſiam ligneam officinarum hodierni uſus, quam tamen pro legitima Cordus habet, non eſſe caſſiam fiſtulam veterum.

Matthiolus refert, ab Imperatore Ferdinando, ſibi caſſiæ odoratæ fruſtulum, cum cortice & ligno ſuo interiore, ab integro ramulo abſciſſum quem Imperator inter res pretioſas habebat, dono datū eſſe; cujus cortex colore quidem cinereo à vulgari cinamomo diſſidebat; non tamen odore aut guſtu quandoquidē manſus id ipſum,
D quod vulgus canellam vocat, ori planè repræſentabat. At lignū quod cortice tegebatur, fragili conſtabat materia, nullo prorſus odore aut ſapore commendabile: Unde facilè colligi poteſt, corticis tantum ejus uſum eſſe.

Quod ad electionem attinet inter ſex caſſiæ differentias, ut Dioſcorides primas tribuit zigir vocatæ, ſecundas achii aut daphniti, ter-

tias muſylitico reliquas autem, nimirum aſyphenum, darcam, & citto, viles eſſe dicit. Ita Gal. lib. 1. de antidot. cap. 28. tantum tres Caſſiæ ſpecies enumerat, inter quas maximè laudat gizi vocatam: ſecundo loco habet, quam moto appellat, deinde arebo daphnitemque dictam: reliquarum non meminit, neque etiam Muſyliticæ. Cæterum gizi vocatam in omnibus cinamomo ſimilem eſſe affirmat. Eamque ab aromatariis perinde atque cinamomum aſſiduè vendi. Vidit uxor mea ſcipionem ex canellæ ramo, veſtitum ſuo cortice ſuaviſſimo, quem matterteræ ſuæ, ſoror ejus, Michaëlis Maignardi mercatoris Luſitani uxor Antuerpiæ, dono mittebat; erat craſſitudine duorum digitorum, rectiſſimus, longus pedes quinque, cui ægrota inniti poſſet. A

Caſſiæ vires explicat Gal. lib. 7. ſimpl. cap 11. Caſſia exſiccat & excalfacit tertio quodam modo ordine, ſed & tenuium valdè eſt partium; guſtu verò plurimum habet acrimoniæ, leniter quoque nonnihil aſtringens. Quare ob hæc omnia incidit, ſimulque digerit, quæ in corpore ſunt excrementa, & ad hæc robur etiam inſtrumentis addit. Idoneum verò etiam ſuppreſſis menſibus, cum videlicet à copia ſimul & craſſitudine excrementorum, quod ſufficiat, evacuari nequit. Caſſiam cinamomi ſuccedaneum eſſe, ſed duplicato pondere, teſtatur & Gal. lib. 1. de antidot. cap. 28. his verbis: Quod ad Caſſiã verò attinet, ea me commemorare nunc opus eſt quæ in multis de medicina libris ſcripta ſunt, duplum Caſſiæ, ſi quis cinamomo egeat, injiciendum. B

CAPVT XIII.

DE CINAMOMO. C

QVandoquidem tanta eſt cinamomo cum Caſſia affinitas, ſicut priori capite de Caſſia dictum, ut minimum inter ſe differant, idque non genere aut ſpecie, ſed tantum ratione natalis ſoli, vel cœli & ætatis, aut collectionis & conſervationis modo, quod cum ſatis oſtenſum ſit: non fuerit operæ pretium pluribus de illis agere.

Etſi Dioſcorides cinamomi genera, pro natalis ſoli diverſitate, plura eſſe dicat, tamen unius ſolum, putà muſylitici meminit.

Deſcriptionem plantæ cinamomi priori cap. de Caſſia, ex Plinio protulimus. Galenus loco citato, inconſtans eſſe videtur de planta cinamomi, modo arborem, modo fruticem, modo ferè herbam appellans. De arbore cinamomi his verbis: Olim ex barbarorum terris arca cubitos quatuor & medium longa, Romam perlata cum fuiſſet; in qua cinamomi primi generis integra arbor erat. D

De frutice his verbis: Quævis autem cinamomi ſpecies, ab una radice

radice ſeu frutex quidam parvus reſurgit, emittitque hæc ſex, illa ſeptem virgulta, vel paulò plura, pauciorave; non tamen æquali omnia longitudine ſunt: Verum quod maximum eſt, pedis Romani dimidium non excedit.

De herba his verbis eodem capite: Superſunt adhuc ibi multa vaſa lignea, quæ varias cinamomi ſpecies continent; quarum nulla tamen veluti truncus, in ramos plures diviſus, multum attollitur; ſed ellebori figuram præ ſe fert, imò verò Damaſonii, quod è Creta ad nos affertur. Sex cinamomi ſpecies agnoſcit Gal. lib. 1. de antidot.
A cap. 26. his verbis: Optimum cinamomum conſequi nemo poteſt, niſi repoſitum ab Imperatoribus intueatur, ſex generibus quodammodo diſtributum.

Varias cinamomi ſpecies etiam Gal. enumerat lib. de theriaca ad Piſonem cap. 16. meminit ibidem & pſeudocinamomi & xylocinamomi, his verbis. In optimis, quæ in theriacam immittuntur, Caſia dico, & cinamomo, non modica invenitur differentia, & multos ex iis qui præparant, ſolet decipere. Nam quod vocatur pſeudocinamomum, vero ſimile eſt, niſi quod guſtu & odore longè ſit inferius. Atqui xylocinamomum hac re differt, quod lignoſum ſit, validaq;
B habeat virgulta, nec ſimilem ſuaveolentiam præ ſe ferat. Porrò inter ipſius cinamomi genera, aliud in montibus naſcitur, non tenue, nec longum, magis rubens colore. Aliud aliquantum nigricat, & tanquam fibris quibuſdam intertextum: Aliud ad amuſſim album reperitur, non durum, ex facili fragile, parva radice: Eſt & aliud quoddam Caſiæ rubenti ſimile, leve, & odoratum. Præſtantiſſimum omnium eſt, quod ab indigenis moſſylon dicitur, cinereum colore, virgultis gracilibus, ramuſculis frequentibus, vehementerque odoratum, quod etiam nos potiſſimum præponere ſolemus: Eſt enim odore longè optimum, ſuaviſſimum, & guſtu acre nobis apparet, mor-
C dax admodum. Manſum, rutam præ ſe ferre videtur, ad hæc leve eſt, & facile poteſt confringi.

Optimi cinamomi rurſus notas Gal. lib. de antidot. cap. 26. aſſignat, videlicet ſummoperè ipſum benè olere, atque inexplicabilem præ cæteris bonum quendam odorem ſpirare; ac calidum guſtantibus ſe multum exhibere, non ita tamen, ut mordicando triſtitiam palato inferat. Colorem denique talem habere, qualem ſi quis lactifuſcum colorem admiſceat, atque cærulei aliquantulum addat. Jul. Scaliger. Exercit. 114. De Cinamomo his verbis tradit: Dioſcorides optimo Cinamomo ſtatuit colorem nigrum, vinoſum, ſubcineri-
D tium, Caſiæ Moſyliticæ ſimilimum. Acutum vult, mordacem, ſuperficie lævi, non ſine aliqua ſalſedine, lenta fragilitate, non ſine pulvere. Quæ omnia, niſi in fiſtulareis iſtis corticibus invenias: non invenias in mari ſalem.

At quod Dioſcorides odorem rutæ aut cardamomi in Cinamomo commendat, id à Galeni mente, & ab ipſo Dioſcoride diſſentit,

cum nec rutæ,nec cardomomo ſuavitas (à qua cinamomum ſupra cætera aromata commendatur) ineſſe poſſit. Quare quidam hæc verba πηγανίζουσι ἢ καρδαμώμῳ ἐμφέρης, textui accreviſſe aliunde ſuſpicantur,ſicut & librum de theriaca ad Piſonem Galeno attributum,non genuinum eſſe judicant. Oribaſius tamen lib. XI. eadem quæ Dioſcorides,habet.

Ex quibus manifeſtum eſt,hodierni uſus canellam non eſſe cinamomum Dioſcoridis. Nam nec nigrum, nec frequentibus nodis cinctum, nec odore rutæ, nec cum caliditate ſalſum. Licet quidam
exiſtiment, tale cinamomum apud reges Portugalliæ eſſe, quod ipſi A
ægrè à ſe dimittant,ſibique inter pretioſiſſima retineant.

Aëtius diffiſus cinamomum non facilè inveniri, idcircò catalogo ſimplicium excluſiſſe videtur ; & ejus loco ſuccedanei uſum ſuadet,nempe pro cinamomo Caſſiæ duplum ſubſtituendum lib. vel ſermon.13. cap. 91.& cap. 101 ut ut ſit canella optima in locum Caſiæ & cinamomi,at duplo pondere uſurpari poſſit,donec melius ſuccedaneum,reperiatur.

Galenus lib. 7. ſimpl. cap. 25. Cinamomi vires tradit: Cinamo-
mum ſummè tenuium partium eſt,non ſummè tamen calidum, ſed B
ex tertio ordine; nihil autem æquè deſiccat eorum,quæ pari ſunt calefaciendi facultate,propter tenuitatem videlicet eſſentiæ. At cinamomis eſt velut imbecillum cinamomum: Nonnulli pſeudocinamomum nuncupant.

Cæterum ex canella noſtra artificio ſtillatorio liquor elicitur, qui quod odore & ſapore ſuum ſimplex pulchre referat, aqua cinamomi appellatur. Extrahitur autem ad hunc modum: Sumitur optimi cinamomi libra, quæ contuſa vaſi rotundo vitreo inditur, affunduntur aquæ roſarum lib. 4.& vini albi odorati ℔ dimidia. Alembicus autem vitreus in balneum aquæ tepentis, non ferventis
imponi debet,ut ore vitrei vaſis arctè obturato, per 24. horas mace- C
rari poſſit. Quo facto,galea roſtrata, vitrea,impoſita,& igne fornaci ſuccenſo,per balneum aquæ ferventis, aqua elicitur. Verum canna ſtannea vel vitrea, duos cubitos longa, roſtro alembici admovenda eſt, cui poſtremò vas vitreum ſubjicitur, quod emanantem liquorē excipiat. Providendum inſuper eſt diligenter,ut omnia vaſorum orificia arctiſſimè obſtruantur,ne quid exſpiret.

Aqua iſta cinamomi ad omnes affectus frigidos utilis eſt, putà quæ pituitam,& humores viſcidos incidat,digerat,abſumat, flatusq; diſcutiat,ventriculum,renes,lienem,cerebrum,nervosve juvat,& ro-
borat. Animi deliquio & cardiacis affectibus præſentanea eſt,vene- D
nis & venenatorum ictibus adverſatur, menſes pellit, urinam ciet, cœliacis auxiliatur, nauſeam ſedat,faſtidium abigit, uteri morbis perquam utilis eſt, prodeſt ſuſpirioſis,reſolutis, convulſis, & Epilepticis,guſtui gratiſſima eſt,oriſq; halitum commendat. In ſumma,

ubi

ubi calefacere, aperire, incidere, digerere & roborare opus eſt, hujus
aquæ uſus magnoperè conducit.

CAPUT XIV.

DE AMOMO.

PLinius lib. 12. cap. 13. Amomi uva in uſu eſt. Indica vite labruſca, *Aſſyrium*
A ut alii exiſtimavere, frutice myrtuoſo palmi altitudine, carpitur *vulgò na-*
cum radice manipulatim, leniter componitur, protinus fragile: Lau- *ſcitur A-*
daturque minimè punici mali foliis ſimile, nec rugoſis, colore ruſ- *momum.*
fo. Secunda bonitas pallido, herbaceum pejus, peſſimumq; candidū; *Virg. Ecl.*
quod & vetuſtate evenit. precium uvæ in lib. x. ſexaginta: friato verò *4.*
amomo XLviij. Naſcitur & in Armeniæ parte, quæ vocatur Otene, &
in Media & in Põto. Adulteratur foliis punicis, & gummi liquido, ut
cohæreat, convolvatque ſe in uvæ modum. Eſt & quæ vocatur amo-
mis, minus venoſa atque durior, ac minus odorata: quo apparet, aut
alius eſſe, aut colligi immaturum. De amomo non convenit Plinio
B cum Dioſcoride.

Plinius amomi uvam in uſu eſſe, & quidem ex vite labruſca In-
diæ, folia habere mali punici. Dioſcorides verò majorem ligni uſum
indicare videtur, quam uvæ, imò nullam uvæ mentionem facit. Nec
in vite labruſca Indica naſci, aut in frutice myrtuoſo; ſed qualis eſt
frutex puſillus botrys, quam deſcribit lib 3. cap. 130. & θαμνοειδῆ fru-
ticoſam herbam vocat, folia Dioſcor. amomo non qualia ſunt malo
punico, aut labruſcæ; ſed bryoniæ, quam vitem albam appellant, ſi-
milia facit. Adulterari dicit Dioſcor. amomum ſimili herba amomi-
de, ſed inodora. Plinius autem foliis punicis & gummi liquido adul-
C terium tribuit. Plinius maximi facit, quod eſt colore ruffo; Secunda
bonitas inquit, eſt pallido: herbaceum pejus. Dioſcor. maximè lau-
dat à patria Armeniacum, & quidem flavo auri colore. Deinde Pon-
ticum, & quidem candidum vel rubidum, etiam recens tale exiſtens,
non vetuſtatis vitio albeſcens: Medicum verò ut ſubviride, & in a-
quoſis natum, infirmius cæteris cenſet.

Cum itaque ne quidem Plinio cum Dioſcoride de amomo cō-
veniat: quid tantoperè mirandum, ſi neq; hodie de amomo quicquā
certi eſſe poſſit. Plæriq; hodiè pro amomo, in officinis ſemen quoddā
obtrudunt oblongū, exiguum, colore nigricans, odore melanthii ex
D Gargano Apuliæ mõte petitū, aliquid aromatis reſipiens, & guſtu pa
rū acre; Alii ſemē aliud albicans parvū acrius guſtu q̄ prius, aliquid
quoq; aromatis ſpirans oblongum, odore nigellam imitans. Aberrāt
tamen utriq; ſicut & medici Colon. in ſuo diſpenſatorio, ꝙ pro amo-
mo etiā ſemē obtrudant, his verbis: Amomū hodiè paſſim deſiderat,
vid. ſemē cādidū vel fulvū ſimplici tamē colore, nō vario, &c. Quod a.
officinæ

officinæ oſtendunt, nigrum eſt ſemen, & cenſetur eſſe Sion Dioſcoridis, aut, ut alii, Siſon. Nam ſecundum Dioſcoridem magis in amomo lignoſam ſubſtantiam, ut in cinamomo & Caſſia; quam ſemen approbare debemus: Et ſi ſemen amomi ſpectemus, illius vix meminit author; tantum dicit, fructu plenum Pontico; & rurſus paulò pòſt: Semine plenum, parvis botris ſimile, nullam aliam qualitatẽ, nec quantitatem ſemini tribuens. Reliqua enim magis de lignea ejus materia dicuntur.

Non deſunt, qui amomum eſſe aſſerunt, plantam illam, quam roſam hierichontinam, vel hieroſolymitanam, vel roſam beatæ Mariæ vocant. Inter quos eſt Julius Scaliger in commentar lib. 1. de plãtis, his verbis: Eſt amomum omninò id, quod roſam Hieroſolymi, aut beatæ Mariæ vulgus vocat, perplexa ſarmentilla in racemi modum, quæ ſi nihil ſpirat odoratum; natalium humori atque vetuſtati ſit attribuendum, non detrahendum ſpeciei, propter quorundam accidentium abſentiam. Ejusdem ſententiæ eſt & Valerius Cordus patris Euritii ſententiam ſecutus in compoſ. aureæ Alexan. Amomũ verum, inquit, eſt roſa hiericontis odorata: Sed eo pharmacopolæ hactenus caruere. Quanquam idem Cordus poſt pauculas pagellas, inconſtantiam ſuam arguit, & prioris ſententiæ pœnitens ſe caſtigat in compoſ. theriacæ, his verbis: Amomo vero caremus; ejus loco accipimus carpeſium, aut acorum verum, id eſt, noſtrum calamum aromaticum. A B

Roſam autem hanc non eſſe amomum, ex eo conſtat, quod folia non gerat bryoniæ, neque ſit odorata ulla in parte. Neque ſatis excuſat Scaliger natalium humore, quod inodora iſta ſit; cum tamẽ & quod in Media naſcebatur, licet in aquis proveniens, & ideò infirmius quidem cæteris, tamen odore origani traditur. Neque ſatis vetuſtas excuſari poteſt, cum ſaltem aliqua recentiuſcula haberi poſſet; plurimis quotannis Venetiis hieroſolyma ad ſepulcrum Jeſu Chriſti viſendum proficiſcentibus, quod pauculis menſibus abſolvunt. C

Roſa hierichontina ſervit mulierculis explorandæ pariendi horæ. Nam in aquam demiſſa, non prius fatiſcere putatur; quam naſci fœtus incipiat, tanta eſt ſuperſtitio, teſte Matthiolo.

Alii pro amomo habent herbam quandam ex geraniorum genere, pedem columbinum vocatum, decepti per Serapionis interpretem. Quanquam Garcias ab horto lib. 1. cap. 31. Amomum Arabica lingua hamanna, id eſt, pedem columbinum appellari dicat, non naſci quidem in India; Sed inter alia aromata, quæ ex Aſia, Perſia, & Arabia in Indiam perferuntur, etiam amomum afferri, cujus ramulo ſe donatum ſcribit, quem cum Dioſcoride collatum, venuſtiſſimè ſuæ deſcriptioni quadraſſe affirmat; & licet ſiccus tum eſſet, pedem tamen columbæ retuliſſe. Sed pluribus non deſcribit, quod dolẽdum eſt. Quin nec illud amomum, nec amomis, cujus Chiſius effigiem D

exhibet,

exhibet, cum Dioſcoridis, aut Plinii deſcriptione quadrat, licet pedē columbæ, ſed plumatum, non malè referat, & fortè fuerit illud, quo ſe Garcias donatum fuiſſe narrat: verum nullo ſingulari odore aut ſapore prædita erant, quorum iconas exprimit. Ex quibus omnibus manifeſtum fit, nos legitimo Dioſcoridis amomo carere.

CAPUT XV.

A

DE COSTO.

COnfectio diacoſtii Meſuæ, oleum coſtinum, diathamarum, diacurcuma, diapraſſium, coſtum recipiunt.

Quamvis quid coſtum ſit, aut quænam plantæ pars, lignumne, an radix Dioſcorid. non expreſſerit, tamen radicem eſſe inde colligimus, quod commiſtis helenii radicibus adulterari ſcribat. Radici enim cum radice major eſt ſimilitudo, quam cum ligno. Deinde & Plinius appellat radicem, lib. 12. cap. 12. Radix coſti guſtu fervens, o-
B dore eximio, frutice aliàs inutili. Eſt igitur coſtus radix, & quidem fruticis cujusdam, in Patale Inſula, quæ jam Patecal vocatur, ad oſtia Indi amnis naſcētis. Qualis autem ſit frutex, nec Dioſcor. nec Plinus deſcribit.

Garcias ab horto lib. 1. cap. 35. quandam fruticis coſti delineationem exhibet, ſed mancam valde, his verbis: Deſcribitur coſtus ab iis, qui viderunt, ſambuci effigie: aut arbuti, aut juniperi magnitudine, florem odoratum proferens; præcellit is, qui intus candidus eſt, cortice cinereo: Invenitur tamen etiam colore buxi, cortice palleſcente. Tanta eſt odoris fragrantia, ut plærisque nares feriat, & ca-
C pitis dolorem excitet; guſtu minimè amaro; nec etiam dulci; tametſi jam ſeneſcens, interdum amareſcat: nam recens acri guſtu eſt, ut reliqua aromata.

Officinæ ex Arabum quorundam ſententia, duplicem nobis coſtum ſtatuunt, amarum & dulcem. Avicenna tamen Dioſcorid. ſecutus lib. 2. tract 2. c. 164. triplicem ponit: Arabicum, Indum & amarū.

Arabicus eſt levis albus, aromaticus. Indus eſt magis levis. Tertia ſpecies eſt amara, gravis odoris, quæ nominatur Garyophyllata, nullius dulcis meminit.

Plinius loco citato, coſti duo genera ponit, nigrum, & quod
D melius eſt, candicās. Per candicantem Arabicum, per nigrum Indum intelligens. Tertii, qui buxei coloris eſt, nullam mentionem facit.

Garcias ab horto in ea eſt ſententia, ut unum duntaxat coſti genus eſſe credat. Quod autem Arabes duo genera faciant, amarum & dulce; inde accidiſſe putat, quod hoc medicamentum, tum, cum recens eſt, & incorruptum, nullius amaritudinis ſit particeps, & candidius

didius perſiſtat. Vbi autem vetuſtate corrumpi cœpit, amaritudinem contrahere & ingreſcere.

Quod autem officinæ duplicem oſtendunt coſtum, examinare lubet; Amarus officinarum eſt candidus & levis, multa amaritudine præditus, non multo, nec ſuavi valdè odore, carioſus. Quare à legitimo Dioſcoridis coſto diſſidet non parum, quem, ut optimus ſit, vult eſſe recentem, album, abundè plenum, denſum, aridum, à teredine non eroſum, ſine graveolentia, guſtu calidum & mordentem.

Galenus lib.7 ſimpl.cap.45. Coſto præter plurimam acrem & calidam qualitatem etiam leviculam amaram illi tribuit. Sed huic amaro officinarum coſto, nulla ineſt acrimonia, quin & inſigni er amarus eſt. Eſt præterea non recens, ſed exoletus: non plenus, non denſus, carie exeſus. A

Dulcis autem officinarum, eſt nigricans, denſus, plenus, gravis, nulla prorſus acrimonia præditus, inodorus omninò. Quare neque Indicus Dioſcoridis eſſe poteſt: Et cum amareſcat quoque dulcis nomen nequaquam meretur. Quamobrem uterque officinarum coſtus tam amarus, quam dulcis dictus, legitimus eſſe nequit.

Adferri nuper cepit alia radix, quæ pro coſto vera venditur, qualem hic videtis. Eſt quidem hæc abunde plena, denſa, arida, non carioſa abſque graveolentia, guſtu calida ac mordens, cum amaritudine levicula, colore intus pallidulo, & ferè buxeo, foris cinereo nigricante, odore non inſuavi, ad Zedoariam accedente: neutiquam tamen nares feriente. Ex quibus apparet, ad legitimi coſti delineationem, ſanè quam proximè accedere, ſi pluſculum albeſceret. Sed & Syriaco buxeus color ineſt. B

Sunt qui Zedoariam, ut Rondelitius, pro coſto vera habeant. Neque ſanè illi abſurdè ſentiunt; Notis enim Dioſcorideis haud malè reſpondet. Eſt namque & alba & amariuſcula: Verum odore nares haud ferit. Quorundam opinione Angelicæ radix coſti locum ſupplere poſſe cenſetur; Nec ſanè & illi à ratione aberrare videntur. Eſt enim odorata valdè, acris egregiè, nec amaritudinis omnis expers. C

CAPUT XVI.

DE IVNCO ODORATO. D

LIcet plura ſint juncorum genera, teſte Plinio lib.21.c.18. Alius n. paluſtris, alius aromaticus eſt, paluſtris alius eſt lævis, alius acut⁹, alius holoſchænus dictus; alius rurſus ſterilis, alius fructum ferens, teſte Dioſc.lib.4.cap.52. Hoc tamen capite peculiariter de junco aromatico

romatico agit, quem Plinius odoratum vocat. Galenus ſua ætate vulgo ſchænanthum appellatum tradit, quam vocem officinæ ſecutæ depravatè ſquinanthum nominant, German. Kammel Hew/ quaſi pabulum camelorum, quod eo delectentur.

Nec Dioſcorides nec Plinius faciem junci odorati delineavit, imò ne Garcias quidem ab horto, licet multis de illo agat. Matthiolus totam ſe plantam ſchæni, Alexandria advectam una cum floribus vidiſſe, & manibus attrectaſſe fatetur: Sed non delineat verbis, figuram tamen quandam exhibet, quæ floribus non undiquaque mi-
A hi probatur.

Carolus Cluſius natam ſibi junci plantam ex ſemine ad ſe ex Italia transmiſſo ita deſcribit. Eſt juncus odoratus planta multis culmis aſſurgens, tenerioribus foliis, quam gramen (quod tamen pulcerrimè refert) linguam mordicantibus, jucunda & aromatica quadam acrimonia, quæ trita gratum quidem ſpirant odorē, ſed in quo roſæ odor non eluceat: Nam manducata potius roſæ, præſertim ſaccharo conditæ, odorem æmulari videntur: Nullum protulit florem, quod ſerius provenerit, imò primis frigoribus periit. Radix eſt numeroſa, & capillaris, non nodoſa, ut Serapio voluit, guſtu fervido &
B aromatico.

Matthiolus tamen flores ſchæni in tota planta à ſe viſos, & digitis ſuis tritos, roſarum odorem emiſiſſe affirmat.

Ego ſchæni flores vidi albicantes & feſtucaceos exiguos, non quidem calamis adhærentes, ſed cum plantulis admiſtos.

Garcias juncum odoratum in Mazarate & Calaiate maritimis Arabiæ provinciis verſus ſinus Perſici oſtia, maxima frequentia & abundantia naſci tradit, quemadmodum in Europa paſſim gramen, quo animalia paſcuntur. In Nabathæa naſci ferè negant medici, qui in Galilæa, Judæa & Hieroſolymis artem fecerūnt: nam quo ute-
C bantur, illuc ex Cairo Ægypti advehi dicebant.

Galenus lib. 1. de antidotis cap. 29. ſchænum ex Arabia comportari ſolere, & ejus flore ſchænanthos dicto, ſui temporis officinas deſtitutas fatetur his verbis: Schænum ex Arabia petitum, idem author Andromachus imponere præcipit, neſcio qua de cauſa ſchænanthum, id eſt, junci florem à vulgaribus appellatum. Nobis ſiquidem cum florum copia non adſit, junco utimur ex Arabia comportato, cujus ſummitatem cameli ſæpè abraſerunt. Jucundiſſimè namque hunc juncum cameli depaſcuntur, ſecus vias ibi plurimum naſcentem. Eſt autem juncus iſte exigui pretii medicina, ſolaque odoris
D integritate dijudicanda, quoniam celeriter ipſius odor exſpirat.

Schænanthum hodierni uſus, rarò calamum vel culmum, rarius radicem, rariſſimè florem habet; nihil aliud, quam ſtipula exiſtit, id eſt, foliola circa calamum convoluta, ut Servius Grāmatic interpretatur,

terpretatur, aut quæ calamum ambiunt. Colore ſunt ſubruffa, ſine floribus tenuia, ſine fragmentis purpureis; aromaticum quidem odorem, ſed non roſaceum ſpirant ſi terantur, guſtu amareſcunt non leviter, aliquid acrimoniæ habent, ſed non quod ſit mordacitatis igneæ, nec à tenuitatis natura alienæ: modicè quoque aſtringunt. Ex quibus videre eſt, ut laudatiſſimum non ſit ſchænanthum noſtrum: tamen à notis mediocribus non abeſſe.

Gal.lib.8.ſimpl.cap.128.Schæni anthos modicè calfacit, modiceque etiam aſtringit; nec planè à tenuitatis natura alienus eſt. Quocirca urinam movet, menſeſque ciet, ſive fotu, ſive potu; prodeſt & jecoris & ſtomachi, & ventris phlegmonis: magis eo aſtringit radix. Quod verò florem vocant, calidius eſt; porrò omnibus ſui partibus alii, magis aut minus apparet guſtu aſtrictio, proinde medicinis hæmoptoicis commiſcetur. A

CAPUT XVII.

DE CALAMO AROMATICO. B

QUem Dioſcorides calamum aromaticum, veteres calamum unguentarium, Plinius calamum odoratum appellat. De quo ita ſcribit lib.12.cap 22. Calamus quoque odoratus in Arabia naſcēs, communis Indis atque Syriæ eſt, in qua vincit omnes, à noſtro mari 150. ſtadiis, inter Libanum montem, aliumque ignobilem, non (ut quidam exiſtimavere) Antilibanum in convalle modica juxta lacum, cujus paluſtria æſtate ſiccantur, tricenis ab eo ſtadiis calamus & juncus odorati naſcuntur, nihil à cæteris ſui generis differunt aſpectu. Sed calamus præſtantior, odore ſtatim è longinquo invitat, molliorque, qui minus fragilis, & qui aſſuloſè potius, quam raphani modo frangitur: Ineſt fiſtulæ araneum, quod florem vocant: præſtantior eſt, cui numeroſius. Reliqua probatio, ut niger ſit; Damnatur albi. Melior quo brevior & craſſior, lentusque in frangendo. C

Ex quibus Plinii verbis luce clarius apparet, non eſſe calamum aromaticum, id, quod officinæ tali titulo & nomine hactenus venditarunt. Eſſe enim non calamum, ſed radicem, & quidem acori legitimi, ante cap.2 de acoro multis argumentis demonſtravimus; calamum eſſe debere, non radicem, docet primum ipſa appellatio Græca & Latina. Nam arundinem ſignificat. Arundinem quoque Plinius eſſe docet lib.24.cap.11. his verbis: Arundinis genera 29. demonſtravimus, & quoniam plura genera fecimus, illa quæ in India Syriaque naſcitur, odorum unguentorumque cauſa, urinam movet, cum gramine, aut apii ſemine, decocta, ciet menſtrua admota, &c. D

Secundò, quod Plinius calamum hunc à cæteris ſui generis nihila-

hil aſpectu differre dixerit. Tertiò quod fiſtulam eſſe dicat, ſicut & Dioſc. σύριγγα vocat. Quartò quod non raphani modo, ut radix acori, ſed aſſulatim frangatur. Quintò, quod Arabes calamum aromaticum caſſab Aldirira nuncupant, quod ſonat canna aromatica, ut Avicenna lib. 2. tract. 2. cap. 160 & 211.

Quamvis enim officinarũ calamus densé geniculatus ſubalbicans ſit, & ſubacris: tamen aſſuloſé non frangitur, nec eſt fiſtula, nedum araneorum plena, non eſt lentus mandendo, non eſt aſtringens, non ſubacris, ſed ſatis manifeſtè acris, non ſine amaritudine, qualem acoro à Galeno aſcribi ſupra oſtendimus. Hactenus ſanè

A deſideratur in officinis per totam Germaniam & Italiam calamus aromaticus, cuius tamẽ copia venalis eſt Aſianis & Ægyptiis apothecis ea facie, qua delineatur à Dioſcoride, teſte Scaligero exercit. 140.

Seritur inquit Garcias, per univerſam Indiam, plurimus autem in Gazarate & Balaguate, etiam Goæ, ubi multus eius uſus eſt, in hortis ſatus provenit, ſed perpaucus: & licet multis de calamo diſſerat lib. 1. cap. 3. non tamen deſcribit.

Quam Matthiolus calami effigiem exhibet, eſt potius ex coniectura ficta, quam ad vivum expreſſa: non enim fatetur ſibi unquam calamum aromaticum viſum eſſe.

B Carolus Cluſius in ſuis in Garciam ſcholiis effigiem calami aromatici, ex eiusdem fragmentis ad Dioſcoridis deſcriptionem exactè quadrantem expreſſit. Vmbellifera verò potius planta, inquit, meo iudicio, quam arundinacea cenſenda eſt. Etenim rectum habet caulem, multis nodis ſeu geniculis cinctum, lævem alioquin, intus cõcavum, & membranula, ut arundines, præditum, qui aſſuloſé, quemadmodum Dioſcor. ſcriptum reliquit, frangitur. Eſtq; ſatis odoratus, gratiq; ſaporis, amari tamen & nonnullæ aſtrictionis particeps: Folia, (ut ex veſtigiis colligere licet) bina ex adverſo in ſingulis geniculis caulem amplecti videntur, radix ſummo capite nonnihil ex-

C tuberat, deinde in fibras deſinit.

Nota, quod huiuſmodi planè calamum, qualem Cluſius depingit, vidimus in officina Sprengeriana 5. Febr. 1607. Heidelb.

CAPVT. XVIII.

DE BALSAMO.

Balſamus dicitur à Belſamin, quaſi princeps aromatum. De Bal-

D ſamo Strabo lib. geograph. 16. ſic ſcribit: Hiericus campus eſt, à montana regione quadam circumdatus, quæ in theatri ſpeciem ad ipſum declinat. Hoc in loco eſt palmetum, palmis abundans, ſpacio ſtadiorum centum, & totum irriguum & habitationibns plenum: ubi & regia, & balſami viridarium.

Quin & Ioſephus lib antiq. 15. ca. 5. in agro hierichontino balſamum ſolummodo provenire teſtatur. Sicut & Plinius lib. 12. cap. 25. his verbis: Sed omnibus odoribus præfertur balſamum uni terrarum Iudææ conceſſum, quondam in duobus tantum hortis utroque regio, altero jugerum XX. non amplius, altero pauciorum.

Quanquam & alibi quam in Iudæa naſci balſamum aſſerant authores alii, oriri enim & in Arabia, teſtis eſt Pauſanias in Boeoticis, magnitudine fruticis myrthi, foliis amaraci. Imò Strabo ipſe libro citato, etiam alibi naſci, tradit his verbis: Et apud Sabæos thus, & myrrha, & cinamomum naſcitur, in ora etiam balſamum & quædam alia planta valdè odorata. A

In Ægypto quoque oriri prodit Dioſcor noſter. Neque mirum iſtud, cum & Ioſephus l antiq. 8 c.6. Inde in Iudæam tranſlatam fateatur his verbis: Aiunt etiam quod balſami plantam, cuius hodie ferax eſt noſtra regio, illius reginæ (videlicet Ægypti & Æthiopiæ quę ad Salamonem viſendum venerat, & in ſacris literis regina Saba appellatur, 3 Reg 10. Eius inquam reginæ liberalitati acceptum ferri oporteat. Quotquot in Syriam peregrinantur, omnes Iudæam hoc tempore omnibus balſami plantis deſtitutam affirmant. Memphi tamen in Ægypto, balſami viridarium extare nonnulli conſtanter aſſerunt. Sed Petrus Martyr Mediolanenſis libro tertio legationis ſuæ Babylonicæ, quam ex Hiſpania anno 1501. miſſus obivit, totum balſametum, quod ab urbe Ægypti Cairo, quæ eſt Memphis, 10. miliaribus aberat, penitus interiiſſe & deſertum vidiſſe teſtatur, ut nullum arbuſtorum balſami extaret iam tum amplius veſtigium. Erat autem ſpatium balſameti longum paſſus 200. latum non multo plus dimidio, terreis aggeribus, ſine calce aut lapidibus circumſeptum, & palatio, jam tum deſerto, olim ornatum. B

In deſcriptione Balſami non omninò conſentiunt authores Pauſanias, ut diximus, foliis amaraci balſamum conſtare, & magnitudine myrthi fruticem æquare ſcribit. Strabo loco citato arborem fruticoſam eſſe cytiſo & terebintho perſimilem. C

Plinius lib. 12. cap, 25. balſamum arbuſculam dicit, & viti ſimiliorem, quam myrtho, folium rutæ proximum, perpetua coma, proceritas intra bina cubita ſubſiſtit.

Arbori tria genera, tenui & capillacea coma, quod vocant Eutheriſton. Alterum ſcabro aſpectu, incurvum, fruticoſum, odoratius, hoc Trachy appellant. Tertium Eumeces, quod eſt reliquis procerius, lævi cortice, huic ſecunda bonitas, noviſſima Eutheriſto. Semen eius vino proximum, guſtu, colore ruffum, nec ſine pingui, peius in grano, quod levius atque viridius. Ramus craſſior quam myrtho: Inciditur vitro, lapide, oſſeiſve cultellis, ferro lædi vitalia, odit. Succus e plaga manat, quem opobalſamum vocant, ſuavitatis eximiæ, ſed tenui gutta, ploratu, lanis parva colligitur in cornua. Ex iis D

novo

novofictili conditur, craſſiori ſimilis oleo, & in muſto candida. Rubeſcit deinde, ſimulque dureſcit è translucido. Alexandro Magno res ibi gerente toto die æſtivo unam concham impleri iuſtum erat: Omni vero fœcunditate ex maiore horto congios ſenos, minore ſingulos, cum duplo rependebatur argento. Nunc etiam ſingularum arborum largior vena. Ter omnibus percutitur æſtatibus, poſtea deputatur. Præcipua gratia lachrimæ, ſecunda ſemini, tertia cortici, minima ligno. Ex hoc buxoſum eſt optimum, quod eſt odoratiſſimum: è ſemine autem, maximum & ponderoſiſſimum, mor-
A dens guſtu, fervensq; in ore. Adulteratur Petræo hyperico, quod coarguitur magnitudine, inanitate, longitudine, odoris ignavia, ſapore piperis.

Lacrymæ probatio, ut ſit pinguis, tenuis ac modicè ruffa, & in fricando odorata: ſecundus candido color, peior viridis craſſusque, peſſimus niger. Quippe ut oleum ſeneſcit. Ex omni inciſura maximè probatur, quod ante ſemen effluxit. Et alias adulteratur ſemine ſuo, vixq; maleficium deprehenditur guſtu amariore. Eſſe enim debet lenis, non ſubacidus, odore tantum auſterus. Summa probatio eſt, ut lac coaguletur, in veſte maculas non faciat, nec manifeſtior
B alibi fraus.

Theophraſtus lib.. 9. cap. 6. de plantis : Balſami arboris magnitudo, quæ malo punicæ magnæ, rami multi, folium rutæ ſimile, candidum tamen & perpetuò virens, fructus ſimilis terebinthino tam magnitudine & figura, quam colore. Is quoq; admodum odoratus eſt, & magis q̃ lacryma; colligi lachrimã in caudice & parte ſuperna tradũt, facta inciſura unguibus ferreis, ſubſidere, eũ æſtas maximè angit, ſed quod manat multũ non eſſe, vix n. toto die concham poſſe impleri, odorem tamen inferri eximium & copioſum, adeò ut ex parvo, ſpatium perlongum odor valeat permeare. Sed ſyncerum
C ad nos nullum advehi, ſed quod miſtum colligitur; plurimis enim miſtionibus vitiari, quod Græciæ venditur.

Iam dudum ſanè & opobalſamum & carpobalſamum, & balſami lignum legitimum, ut omnes eruditi teſtantur, afferri deſiit. Imò pleriq; balſamum omne deſiiſſe prorſus exiſtimant.

Scaliger tamen exercit. contra Cordamum. 57. ſe apud Maximilianum Cæſarem multum, & nonnihil apud patrem ſuum ex ipſis allatum locis ſe vidiſſe, & quidem puriſſimum affirmat. Nec parum etiam apud Carolum Sabaudiæ Ducem, feliciſſimo, inquit, ad ingens vulnus cuiuſdam equitis in ingui-
D ne ſucceſſu, imò maximum periculoſiſſimumque ſibi ſub ſiniſtro oculo vulnus, cuius adhuc parva extabat cicatrix; non alio quam balſami auxilio perſanatum fuiſſe, quod illi miſerat Agneſina Soleria laudatiſſima heroina, cuius hoſtes ille victos, profligatoſq; tota ditione exegerat, ſed quale eſſet colore, ſubſtantia,

ſapore odore non deſcribit, puriſſimum tamen fuiſſe aſſerit.

Nihil veri opobalſami in ullis Germaniæ, ne dicam Europæ officinis ſpectatur, imò ne adulterati quidem. Eſt tamen liquor balſami, in quibuſdam, non Syriaci quidem, aut Iudaici illius, aut Ægyptiaci, ſed qui ex novo orbe afferri cæpit, de quo paulò poſt dicemus. Lignum quoddam obtrudũt nobis officinæ pro Xylobalſamo, quod licet ſit tenui ſarmento, & aliquatenus fulvum, tamen odoratum nõ eſt, nec recens, nec quicquam opobalſami ſpirat, nec πυῤῥὸν, aut, ut Plinius, buxoſum eſt colore, ſed potius fuſcus eſt, vel ex nigro rubeſcit, ſapore aliquid aromatis, ſed valdè obſcurè oſtentat. Præ- A terea & fructum quendam pro carpobalſamo venditant officinæ, qui non eſt flavus, ſed ex obſcuro rubens, non eſt plenus, ſed ſatis inanis, non magnus, ut fructus Terebinthi, qui, Theophraſto teſte, fabæ inſtar eſt, non ponderoſus, ſed leuis, non mordens guſtu, neq; in ore fervens, quamvis aliquid aromatis etiã reſipiat. Quamobrem nec pro carpobalſamo fructus iſte, ſicut nec pro Xylobalſamo lignum iſtud recipiendum ullo pacto fuerit. Et quamvis interim Proſper Alpinus Venetiis anno 1592. veram balſami fruticis effigiem totamque de ſucco, fructu & ligno eiuſdem hiſtoriam, & quæ ipſe viderit, in libello Venetiis à Franciſco de Franciſcis excuſo B publicarit: in quo & Petri Bellonii de iiſdem ſententia ex lib. 2. cap. 39. Itinerarii ſui extat, nihilominus nec ſuccum, nec fructum, nec ſarmenta balſami recentia, ut antidotis utiliter indantur, hactenus haberi potuerunt.

DE BALSAMO AMERICANO ex Hiſpania Nova.

DEFICIENTE jamdudum tam Iudaico, quam Ægyptiaco balſamo, Hiſpanicarum navigationum beneficio, alius quidam li- C quor longè præſtantiſſimus ex novo orbe afferri cæpit, quem propter excellentes facultates, effectusq; mirabiles, quibus ad balſami Ægyptii naturam quam proximè accedit, non immeritò & balſamum vocarunt. Elicitur autem teſte Nicolao Monarde lib. 1. ex arbore malo punica maiore, naſcente in Hiſpania nova, cuius folia urticæ ſimilia, ſerrata & tenuia ſunt, incolæ gomara Zilo appellant.

Fit autem duobus modis, uno multis inciſuris vulnerato arboris cortice, qui tenuis eſt, è quibus liquor emanat tenax, ſubalbidus, excellentiſſimus & perfectiſſimus, ſed adeò pauca quantitate, ut ad nos non deferatur. Altero modo incolis admodum familiari, D in ſuccis & quavis arbore eliciendis. Ramos enim atque etiam truncos arboris aſſulatim & minutim conciſos, in lebetem ampliſſimũ coniiciunt, multa aqua deſuper affuſa bulliũt omnia & fervent, quantũ ſatis eſſe putãt, igne ſublato frigeſcere ſinũt, & cõchyliis oleũ ſupernatans colligunt, i. e. quod in has regiones advehitur, quoque vulgo utimur, colore ex nigro rubente, & odoris ſuaviſſimi, vaſculis

argenteis

argenteis,vitreis,ſtanneis,aut fictilibus vitratis aſſervatur, aliam o-
mnem vaſorum materiem penetrat. Guſtu eſt acuto & aliquantum
amaro, unde colligere licet,multæ inciſionis, nec non abſterſionis
cujusdam,particeps eſſe,calidum & ſiccum in ſecundo gradu.

Triplex ejus uſus eſt,ut aut intrò aſſumatur,aut extra adhibea-
tur,aut chirurgicis medicamentis admiſceatur. Intus aſſumptũ ma-
ne jejuno ventriculo,aſthmaticis utile eſt,phthiſicos levat,veſicæ do-
lores mulcet, menſes ciet, veteres ſtomachi dolores finit, eumque
roborat,colorem & anhelitum commendat, jecori prodeſt, obſtru-
A ctiones aperit, atque juventam conſervat, ſterilium uterum expur-
gat,etiam peſſi modo ſubditum.

Foris calidum plumula illitum omnes cruciatus ex frigidis hu
moribus natos tollit,præſertim ſi linteum balſamo delibutum impo-
natur. Tumores œdematoſos diſcutit & abſumit, quamlibet corpo-
ris partem roborat, capiti illitum cerebrum reficit & fovet,omnem-
que humorem noxium abſumendo ,dolores tollit, paralyticis ſuc-
currit,ſi cerebrum,cervix,ſpina,& pars affecta inungatur. Eadem ra-
tione ad omnes nervorum affectus & contractiones utile eſt, ſto-
macho illitum concoctionem juvat,flatibus liberat,lienem emollit,
B nephritidem & ventriculi dolores, à frigida cauſa ortos, ſi calidum
dolenti loco,aut pani calido inditum admoveatur, ſedat. Urinam
expellit,Illitum Summe laudatur in articulorum doloribus, præſer-
tim coxendicum,quod omnem duritiem & tumorem diſcutiat.

Chirurgicis remediis additum valdè prodeſt. Vulgare eſt ad recen-
tia vulnera adhibere, quę ſtatim ſine ſuppuratione ulla conglutinat.
Contuſiones,ſi quæ vulnerũ glutinationes impediebant, ſtatim diſ-
ſipat. Nervorũ juncturarumq; vulnera ad cicatricẽ perducit,& con-
tractionẽ prohibet. Capitis vulnera curat,modò craniũ illæſum ſit.
Antiqua vulnera per ſe,aut cum alio unguento impoſitum ęmun-
C dat,& ad cicatricem perducit. In diuturnis febribus, ſi ſpina, dimidia
ante paroxyſmum hora,calente balſamo inungatur; & illicò quin-
que aut ſex guttæ ejus ex vino ſumantur, horrores diſcutiuntur: Si
ter aut quater id remedii repetatur.

Notandum autem,iſtud balſamum ſic ori infundendum eſſe,
ut linguam non attingat,ne ſapor ejus diutius in ore hæſitans, nau-
ſeam fortè movere poſſet.

BALSAMUM DE TOLU. Nicol. Monarde lib.3.

D

Advehitur prætereà ex novo orbe & aliud balſami genus,in con-
tinentis provincia quadam, inter Carthaginem & Nomen Dei ſita
natum,quæ Tolu vocatur,eſtque liquor præſtantiſſimus & maxima-
rum virium. Arbores ex quibus colligitur, pumilis pinis ſunt ſimi-
les,multos ramos quaquaverſum ſpargentes, foliaque ceratiæ ſimi-

lia obtinentes, perpetuò virentia: præferuntur autem domeſticæ, & incultis natæ. Colligitur liquor vulnerato inciſoque arborum cortice, qui tenuis & tenellus eſt, ſuppoſitis annexiſque arbori, veluti quibusdam cochlearibus, ex nigra cera, quæ illis regionibus naſcitur, confectis, quæ emanantem è vulneribus lacrymam excipiant, quam deinde in alia vaſcula ad eam rem parata, effundunt. Id verò ferventiſſimo ſole fieri neceſſe eſt, ut liquor faciliùs emanet. Nam noctu ob frigiditatem nihil effluit. Erumpit etiam interdum ex ipſis arboris nodis & alis nonnihil liquoris, qui cum exiguus ſit, & in ſolum decidat, perit. A

Colore eſt rubro ad aureum tendente, mediæ inter liquidum & denſum ſubſtantiæ, glutinoſus admodum, & ubicunque reponatur firmiter hærens, ſapore dulci, & grato, nec, ſi ſumatur, nauſeam movente, ſicut reliqua balſama; odore eſt excellentiſſimo, & limonum fragrantiam quodammodo referente, ſic, ut ubicunque reponatur, abſcondi non poſſit, ſed odore ſuo locum ſuaviorem reddat: Etiam pauxillum in manus vola attritum, ſuaviſſimum ſpirat odorem Jaſmini æmulum.

Facultates ejus inſignes ſunt, quoniam inciſione elicitur, quemadmodum olim opobalſamum in Ægypto, ad eadem omnia, ad quæ illud celebrabatur, efficax: efficacius autem illo, quod ex nova Hiſpania advehi diximus. B

Omnia recentia vulnera curat, conſolidat, labra glutinat, nullumque pus inter illa colligi ſinit, imò nullum cicatricis veſtigium relinquit, ſi modo vulneris labra probè juncta fuerint. Utile eſt etiam vulneribus cum oſſium fractura conjunctis, exemptis primum iis, quæ ſeparata ſunt, fragmentis, reliquis intactis: Balſamum enim illa expellet, vulnuſque ſenſim conſolidabit. Eſt & miræ facultatis in articulorum vulneribus, & nervorum ſectionibus omnibuſque puncturis, illa enim percurat; à contractione etiam præſervat, ne partes motu priventur, & inutiles fiant. Quin etiam altè penetrantia & cuniculoſa vulnera balſamo ſeneſcunt, ſi vino albo mixtum per Syringem injiciatur, & poſt ternas deinde horas educatur. Idem fit in vulneribus punctim inflictis, ſi ſemel quotidiè mediocriter calidum injiciatur. Utile prætereà eſt contuſionibus, reliquiſque chirurgum requirentibus malis, modò inſignis haud adſit inflammatio, qua remediis idoneis ſublata: Balſamum utiliter adhiberi poteſt. C

Prodeſt & internis affectibus plurimum, ut aſthmati, ſi pauculæ ejus guttæ ex albo vino bibantur, capitis dolorem ex frigida cauſa natum lenit, ſi linteum balſamo delibutum capiti circumligetur. D Temporibus appoſitum, omnem defluxionem cohibet in oculos præſertim labentem, eorumque dolores levat. Si calidum admodum cerebro admoveatur, dolorem ejus tollit, roborat, & paralyſi remedio eſt. Confert & phthiſicis, & pectus egregiè expurgat, ſi manè aliquot

quot guttæ ex manu lambantur, horrores diuturnarum febrium diſcutit,ex aqua vitæ calida potum aut cum oleo rutaceo ferventi cer vicibus inunctum, ventriculum roborat,dolore liberat, appetẽtiam excitat,concoctionem juvat,flatus diſcutit,ſi cũ nardini æquali parte ab orificio ventriculi ad umbilicum usque inungatur : hydropicis confert,lienis regioni illitum, quemadmodum & nephritico dolori, ſi cum idoneo aliquo oleo fervido illinatur. Nervorum contractorum dolorem lenit, eosque relaxat, ſi per ſummos æſtus eodem fricentur:parotidas ſeu ſcrophulas,tum cæcas tum apertas curat. Quos-
A libet tumores & œdemata, cujuscunque partis, reſolvit: omnes dolores diuturnos, & à frigida cauſa ortos, tollit, ſi emplaſtri modo impoſitum,donec ſponte decidat,continuè geratur. Vide Monard.lib. 3.a.pag.34.usque ad 37.

CAPUT XIX.

DE ASPALATHO.

ASpalathus & aſphalthus differunt: Illud enim eſt planta: iſtud eſt liquor craſſus ex fontibus prodiens,bitumen dictus, de quo Dioſc.lib.1.cap.100. Plinius lib.24 cap.13 aſpalathum duplicem ponit, unum arborem, alterum fruticem, his verbis: Vulgaris quoque hæc ſpina, ex qua cortinæ fulloniæ implentur, radicis uſus habet. Per Hiſpanias quidem multi & inter odores,& ad unguenta utuntur illa,aſpalathum vocantes. Eſt ſine dubio hoc nomine ſpina ſylveſtris in oriente candida magnitudine arboris juſtæ Sed & frutex hu-
C milior æquè ſpinoſus in Niſyro & Rhodiorum Inſula, quem alii eryſiſceptrum vocant, optimus, qui minimè ferulaceus,rubens, & in purpuram vergens, detracto cortice, naſcitur pluribus locis, ſed non ubique odoratus. Idem lib.12.cap 24. In eodem tractu aſpalathus naſcitur ſpina candida,magnitudine arboris modicæ,flore roſæ : radix unguentis expetitur. Tradunt in quocunque frutice,curvetur arquus cœleſtis, eandem quæ ſit aſpalatho, ſuavitatem odoris exiſtere, ſed in aſpalatho inenarrabilem quandam. Quidam eum eryſiſceptrũ vocant,alii ſceptrum. Probatio ejus in colore ruffo vel igneo, tractuque ſpiſſo & odore caſtorei.

D Ex quibus videre eſt, non undiquaque convenire Plinio cum Dioſcoride de aſpalatho. Plinius radicis uſum eſſe dicit, Dioſcor. quæ pars aſpalathi uſurpanda ſit, non declarat: Videtur tamen de ligno intelligere potius, cum dicit, optimum eſſe gravem & rubentem detracto cortice: raro enim radicibus detrahitur cortex, ſæpius ligno, Præterea Plinius aſpalathum in duplici differentia ſtatuens, alterum

arborem juſtæ magnitudinis, alterum fruticem humiliorem affirmat. Dioſcorides utrumque ſimpliciter fruticem appellat, nulla arboris mentione. Plinius candido aſpalatho ſuavitatem odoris aſcribit, & quidem inenarrabilem. Dioſcor contrà, alterum aſpalathi genus candidum, ſine odore eſſe, ideoque deterius haberi.

Gal. lib. de theriaca ad Piſonem cap. 19. in paſtillis hedychroi corticem radicis aſpalathi inſerit. Avicen. lib. 2. cap. 210. & corticis & floris, & ligni aſpalathi, quod darſiſahan vocat, meminit.

Aſpalathi uſus eſt in paſtillis, aut trochiſcis hedychroi & cypheos ad theriacæ & mithridatii compoſitionem neceſſariis. A

Quidam in ea ſunt ſententia, ut Sandalum pro aſpalatho habeant, inter quos eſt Cardanus; qui à Julio Scaligero lib. ſubtil. exerc. 104. partic. 13. refellitur in hæc verba: Aſpalathus arbuſcula eſt, eaque ſpinoſa; ſandalo proceritas juſtæ arboris; ſpinæ nullæ; aſpalatho ſapor acris, teſte Gal. lib. 6. ſimpl. cap. 59. Sandalo non. Serapio de ſandalis & aſpalatho egit ſeparatis capitibus, quem darſiſahan, ſicut & Aboali vocat. Apud Dioſc. aſpalathus is, qui detracto Cortice rubet, odoratus eſt; alia ſpecies quæ eſt candida, inodora, contra in Sandalis, rubra odore carent. Alba tam ſuave ſpirant, ut moſcatellini nomen invenerint. B

Aſpalatho tribuit Dioſc. vim calefaciendi. Sandala frigida eſſe perſuaſum eſt omnibus.

Non deſunt, qui lignum aloës officinarum, aſpalathum eſſe putent, inter quos eſt Sylvius, medicus Pariſienſis magni nominis, teſtante id de illo Diſpenſatorio Colonienſi cap de lignis. Sed lignum aloës revera lignum eſt, aſpalathus eſt cortex radicis, vel radix ex Plinio & Galeno. Lignum aloës cinerei eſt coloris, & maculis aſperſum nigris: aſpalathus rubens & purpuraſcens, ſed melior; vel candidus, & deterior, eſſe debebat; lignum aloës ſatis leve, & majori ex parte rarum: aſpalathus gravis & denſus eſſe debet. Lignum aloës leviſſimè amareſcit, ſine acredine, aut aſtrictione ulla evidenti. Aſpalathus autem guſtu amarus, & ſecundum Galenum acris ſimul & aſtringẽs eſſe debebat. Quare neque lignum aloës, neque Sandalum pro aſpalatho haberi debent. Aſpalatho adhuc vero caremus. C

Gal. lib. 6. ſimpl. cap. 59. Aſpalathus guſtu quidem acris ſimul & aſtringens eſt: facultate verò ex diſſimilibus conſtat, nempè partib. ſuis acribus excalfaciens, partibus verò aliis, auſteris ſcilicet, refrigerans. Itaque utriusque ratione deſiccat, & proinde ad putredines & fluxiones utilis eſt.

DE SANDALIS. D

Occaſione aſpalathi, quod quibusdam Sandalum eſſe videtur, etiam de Sandalo, (quia frequens in medicina ejus uſus eſt, ut in utroque aromatico, garyophyllato, & roſato: Item in Electu diarhodon Abbatis, diatrion ſandalon, de ſucco roſarum, diaturbit cum

Rhabar-

Rhabarbaro, unguento Sandalino & multis aliis) etiam pauca dicemus.

De Sandalo non meminerunt Græci; Arabum inventum eſt. Eſt autem ligni ſpecies. *Vide Garciam ab horto l. 1. c. 17.*

Appellatur in provinciis orientalibus Malacæ vicinis, Chandama; Arabes corrupto nomine Sandal vocarunt, quos Mauritani, aliæque provinciæ per Europam ſecuti ſunt.

Sunt autem Sandalorum genera, rubrum, album, & pallidum aut flaveſcens, quod citrinum vocant officinæ. Non naſcuntur o-
A mnia in una provincia. Nam rubrum in India intra Gangen fluvium, quem incolæ Ganga vocant, naſcitur, videlicet in provincia Tanaſarim & Charamandel, ex quibus certum eſt, omne rubrum deferri.

Differt autem Sandalum rubrum à ligno Braſiliano, quod etiã ſanguinei ruboris eſt, utrumque tamen inodorum. Nam Sandalum rubrum non tingit, & dulcedine caret. Lignum Braſilianum, dulceſcit, & inficit egregiè.

Album autem & pallidum in Indiæ provinciis ultra Gangen ſitis provenit; plurimum autem in Inſula Timor ad gradum longitudinis quidem 160. Latitudinis autem trans Æquatorem ſub gra-
B du 12. ad auſtrum Primum locum obtinet pallidum, quod odoratius eſt, & minori copia invenitur; quippe inter innumeros Sandali trũcos vix quinquageſimus quisque pallidus eſt. Tanta autem eſt inter pallidi & albi arbores ſimilitudo, ut pallidi arbor ab albò diſcerni nõ poſſit; niſi fortè ab incolis ipſis, qui cœſas mercatoribus vendere ſolent.

Sandali arbor in nucis juglandis magnitudinem attollitur, foliis admodum virentibus, lentiſci æmulis, flos ex cæruleo nigricans, fructus ceraſi magnitudine, primum viridis, deinde niger, inſipidus & facilè deciduus. Inodoram ferunt eſſe arborem, niſi detracto jam
C cortice exſiccatam.

Eſt autem hæc Sandalorum albi & citrini arborum deſcriptio; rubri deſcriptio non exſtat. Non fit veriſimile, Sandalum citrinum legitimum, ex judicio Cluſii, ad nos deferri. Scribit enim Garcias vix in Luſitaniam illud deferri, quoniam multò pluris apud ipſos Indos emitur, quam in Luſitaniam usque delatum, vendi poſſit.

Idem tamen Cluſius in annotationibus in libellum Chriſtophori Coſtæ affirmat ſibi Ann. 1581. Sandali flavi lectiſſimi fragmentum librale à Pharmacopola regio Londinenſi donatum: Fuiſſe autem illud grave, ſolidum, nodoſum, colore intus flavo, odore ſuavi,
D cerebrum reficiens & grato ſapore palatum leniens.

Vidi & ipſe hujusmodi fruſtum plus minus trilibre croceum, & odoris ſuaviſſimi violacei anno 1566. Antuerpiæ apud Franciſcum Penninum Pharmacopœum eruditum, quod à Luſitanis coëmerat.

Et licet Arabes ſandalis ſuis temperamentum frigidum omnibus aſcribant, quod tamen citrinum vocatur, manifeſtè calidum de-

prehenditur.Eſt enim reſinoſum guſtu,ſubacre, & ſubamarum,niſi illegitimum exiſtat.

CAPUT XX.

DE MVSCO.

MUſcum Arabes uſneam, Germani Moeß/& Mieß vocant. A
Muſcus eſt villoſa illa in arborum cortice,nata canities, quem Græci βρυόν appellant. Plinius ſphagnum vocatum ſcribit; habuit & alia nomina. Aëtius non modo & ſplangnon,ſed & hypnon etiam Græcis dictam fuiſſe meminit. Tanta fuit veterum indefatigata diligentia, ut etiam minutæ hujus rei naturam ſint perſcrutati. Sicut & ſacræ literæ lib. Reg. 1.cap.4. de Salomonis ſapientia & eruditione teſtantur, diſputaſſe illum cum de aliis, tum etiam de plantis à cedro, qui eſt in Libano, usque ad muſcum, qui prodit in pariete, ſicut eruditiores interpretes Eccleſiæ Palatinenſis conver- B
terunt.

Meminit hujus Plinius inter aromata lib. 12.cap.23. ſed differentiam non ab arborum diverſitate; ſed à regionibus ſtatuit, his verbis: ſphagnos in Cyrenaica provincia maximè probatur, alii bryon vocant, ſecundum locum obtinet Cyprius; tertium Phæniceus. Fertur & in Ægypto naſci, quin & in Gallia non dubitaverim. Sunt enim hoc nomine cani arborum villi, quales in quercu maximè videmus; ſed odore præſtantes. Laus prima candidiſſimis atque altiſſimis; ſecunda rutilis, nulla nigris. Et in Inſulis petriſque nati improbantur, omnesque quibus palmarum, atque non ſuus odor ineſt. C

Dioſcorides in cedro,populo alba, & quercu naſci: Galenus verò non tantum iſtis,ſed & in piceis inveniri tradit. Matthiolus & odoratum valdè, in Larice provenire, teſtatur hiſtoria quadam paſtorum noctu muſcum larignum incendentium, cujus ignis maximè crepitabat, & fumus odore ſuo oblectabat. Unde veriſimile eſt, & in aliis reſinoſis arboribus, ut abiete, pinu, & pinaſtris odoratum muſcum increſcere. Dioſcorides optimum eſſe cedrinum; proximum populeum, in quo genere candidum, & odoratius præſtat.Oribaſius lib.x 1.lit.B.ſic habet: Cæteris præſtat cedrinus viridis, montanus: Secundo loco cenſetur is, qui ex alba colligitur populo, D
ex quo probatur etiam is,qui odoratus albusque eſt.

DE MOSCHO ODORATO.

Muſci nominis affinitas, etiam præſtantiſſimum illud odoramenti

menti

meriti nobis genus ſuggerit, quod Arabes Miſch vel Meſch / Latini muſcum Galli muſc, Itali muſco, Hiſpani almisque, Belgæ muskeliat, Germani Biſem / Græci μόσχοι vocant.

Non meminerunt moſchi veteres Græci, ante Aëtii ætatem, quem vixiſſe conſtat, non multò poſt Imperatoris Juliani apoſtatæ tempora.

Aëtius lib 16 moſchatorum unguentorum deſcriptiones aliquot tradit.

Eſt autem moſchus nihil aliud, quam excrementum, & veluti
A pus cujusdam animalis gazellæ vocari, quod certo anni tempore, circum ejus umbilicum veluti in tumorem quendam colligitur. Hiſtoriam ex India adjunctam, narrat Julius Scaliger exercit. 21. idem exercit. 211.3. Contra Cardan: In regno Pegu, quod eſt ad ſinum Bengalinum in India eſt animal quoddam album gazellæ aſſimile (gazella autem capræ ſimillima exiſtit) ex cujus inferiore mandibula, æquè dentes utrinque ſinguli exeruntur: Sub ejus ventre fit ſanguinis collectio in tumorem, quod apoſtema Græci vocant. Capta fera, eam partem, cum corio ſimul abſcindunt. Quæ inter ſecandum guttæ ſanguinis effluunt, caduntque, eæ pro optimo moſcho, atque
B excellentiſſimo excipiuntur, aut colliguntur. Hujus minimæ portiunculæ beneficio ad cæteri cruoris condimentum utuntur; ubi ſecuerunt, hirundines admovent tot tamque diu, quoad earum ſuctu cruor univerſus cum ipſa vita detrahatur. Eum ſanguinem exſiccatum, atque in pulverem redactũ prioris illius perpauxilla quantitate, viribus verò efficaciſſimis perficiunt. Quippe centeſimum ſatis eſſe produnt: Tum illud in folliculos hoſce, qui ad nos importantur, inditum ſervant.

Præfertur, qui colore eſt ſubflavo, & qui pelvi humectatæ immiſſus levior evadat; deterior eſt, ſi inde gravior fiat, ut qui colore
C ſubnigro præditus eſt. Ex Cathayo tamen Indiæ regione, (Serica veteribus dicta) niger hodiè præſtantiſſimus adfertur, ferrugineus ferè eſt noſter, non, quem Avicenna probat, Citrinus. Servatur melius pixide plumbea, cera obturata per ſe, ſin odoris gratiam perdidit; reponunt vaſe vitreo aperto, & in cloaca ſuſpendere ſolent: Sic enim ex fœtore illo odoris fragrantiam recuperat, quod uſus teſtatur.

Moſchus excalfacit, teſte Matthiolo, ordine ſecundo, ſiccat vero tertio, cor frigidum & tremulum roborat, atque omnibus ipſius affectibus opem præſtat, potus atque illitus. Detergit tenues ocu-
D lorum albugines & humidas fluxiones exſiccat, cerebrum roborat, & diuturnum capitis dolorem mulcet, ſi ex pituitæ redundantia proveniat; Coles ex eo, cicino oleo macerato perunctus, promptius in venerem excitatur.

DE ZIBETTO.

Aliud quoque odoramentum habemus moſchi æmulum, quod & fragrantiſſimum eſt, & primo ſtatim occurſu odoris vehementia, nares admodum ferit. Hoc vulgo Zibettum appellatur, unguentariis valdè expeditum ad ea odoramenta componenda, quas miſturas in Italia vocant.

Eſt autem Zibettum excrementum quoddam odoratum, pingue, craſſum nigri ſaponis facie, & veluti ſudor animalis, quod felem figura refert, concreſcens inter ipſius teſticulos, qui animali irritato, aut defatigato, & copioſior & odoratior colligitur, & cochleari corneo abraditur. A

Eſt calidæ humidæque facultatis teſte Matthiolo. Id mulierib. ad uteri ſtrangulationes mirificè prodeſt, ſi cavernulæ umbilici imponatur, quin & ad idem malum peſſo indi utiliſſimum, præſentiſſimum autem ægræ ſolatium, ſi ante concubitum, viri genitalia Zibetto circumlita fuerint.

DE AMBRA ODORATA, QUÆ *ſuccinum orientale eſſe putatur.* B

Præter moſchum & Zibettum, etiam aliud in uſu eſt odoramenti genus præſtantiſſimum, ambra appellatum, veteribus ignotũ, ſoli inter Græcos Aëtio lib. 16. cap. 122. inter ſuffumigia odorata memoratum. Ambra griſea officinis, ambra cana Italis: ambra citrina eſt ſuccini ſpecies.

Quid ambra ſit, variæ ſunt ſcriptorum ſententiæ; aliis pro balænæ ſemine; aliis pro alterius cujusdam belluæ marinæ excremẽto; aliis pro maris ſpuma cenſentibus, aliis pro ſtercore avium. C

Veriſimilior & probabilior illorum ſententia videtur, qui ut fungi arboribus, aut rupibus annaſcuntur: Ita etiam in mari ambrã generari, & bituminis modo, ex alveo ejus emanare, & tempeſtatum violentia, una cum ſaxis, quibus adhæret, interdum in littus ejici exiſtimant. Nam multum flantibus Euris magnæ ambræ copia ex oriẽtalibus Maldivis Inſulis, in provincias Africæ Sofalam, Moſambicã, Melindam, & vicinas Inſulas magis occidentales devolvitur: Sæviẽtibus verò favoniis copioſè invenitur in Inſulis Maldivis.

Avicenna ſanè lib. 2. tract. 2. cap. 63. Ambram dicit eſſe manationem fontis in mari. D

Eſſe quandam fungi ſpeciem credit Julius Scaliger exercit. 104. paragr. 10. nam ambræ maſſam cortice obductam, & quibusdam ſquamularum veſtigiis præditam, ut in fungo vetulo ſe vidiſſe teſtatur, & propter globulorum intus cohæſiones, potius ad tuberum naturam, quæ papillatim concreta ſunt, videbatur accedere. Fabulæ proximum

proximum eſt,quod de Azel piſce,ſic balænam Indi vocant,narratur, quod maximè ambram appetat,qua devorata ſtatim moriatur.

Tria ambræ genera,produntur,unum album,quod vocant porambar,teſte Scaligero,maximi pretii: Ajunt enim haud diu fluitaſſe; proxima commendatione fuſcum, ideò puambar nominatum: Ejuſmodi colorem diuturna mora à mari contraxiſſe, ferunt. Tertium vilius,quod à balænis,ut credunt, devoratum atque excretum, idcircò nigrum ſit,à colore pinambar appellant.

Exiſtimat Garcias ab horto, pro ut regionum terra interdum
A rubra eſt,ut bolus Armenius; interdum candida, ut creta; nonnunquam nigricans: Sic quoque ambram, modo hujus, aut illius coloris,aut ſubſtantiæ diverſæ inveniri,cum qualitate terræ ſuæ,ex qua oritur,conveniente.

Inventa ſunt ambræ fragmenta humanæ magnitudinis, interdum 90.palmorum longitudine, 18 vero latitudine. Affirmarunt nonnulli ſe Inſulam ex puro ambaro vidiſſe, quam cum poſtea requirerent,non amplius comparuiſſe.

Anno 1555.circa Comorin promontorium, quod eſt è regione Inſularum de Maldiva, fragmentum trium millium pondo repertũ
B eſt. Sed cum is,qui invenerat,picem,aut bituminis genus eſſe putaſſet; viliſſimo precio vendidit.

Maximum quod Garcias ſe vidiſſe affirmat ambræ fruſtum, quindecim libras pendebat. Sed qui Æthiopiam commercii cauſa circumnavigant,multò majora fragmenta vidiſſe affirmant. Totus enim ille tractus Æthiopiæ à Sophala ad Bravam usque nempè quicunque inter tropicum capricorni & æquatorem interjacet,totus,inquam,ambra abundat.

Porrò optima ambra cenſetur,quæ à ſordibus maximè repurgata eſt,(nam interdum avium roſtris,interdum conchyliis,teſtiſque
C oſtreorum permixta invenitur, quæ contactu illi adhærent) & quæ plurimum ad candorem accedit, videlicet quæ ſit cinerei coloris, aut quod ex venis nunc cinereis,nunc candicantibus conſtet: levis quæque acu perfoſſa,multum oleacei liquoris reſudet. Nigra improbatur; præterea & candidiſſima,teſte Serapione, quæ gypſo adulterata cenſetur.

Quò majus fragmentum: eò majus ambræ pretium,ſicut & in Gemmis. In regione Chiaarum (qui Sinæ veteribus dicebantur) pondus xx. unciarum, quod Cate apud illos vocatur, mille quingentis ducatis vendi ſolebat, quod eſt in ſingulas uncias 75.ducatis. In ſin-
D gulas drachmas 9 ducatis. Sed in Europa hoc tempore longè eſt vilioris pretii. Eſt & ambra factitia,ex moſcho, Zibetto,ligno aloës, ſtyrace, & Ladano conſtans; ſed odor rerum, ex quibus facta eſt & color,qui ferè niger eſt,illam prodit, propterea aqua impoſita citius molleſcit,quam nativa

Vires ambræ tradit Avicenna loco citato, quod calida ſit in ſecundo,

cundo, & ſicca in primo receſſu. Senib. & natura frigidis opem mirificè præſtat; quare iiſdem potius, quam juvenib. chirothecas ambra imbutas geſtare conveniret, vino infuſa temulentos efficit; cerebrū, ſenſus, & cor, olfactus roborat.

CAPUT XXI.

DE AGALLOCHO.

AGallochum ab Arabibus modo agalugin, modò haud appellatur, recentioribus Græcis ξυλαλοη. Inde officinis lignum aloes, quod Itali, Hiſpani, Galli imitantur, Germani Aloes Holtz/ vnd Creütz Holtz. A

Textus Dioſcoridis Græcus eſt vitioſus, quod enim ἐκ τῆς ἰνδίας καὶ ἀραβίας θυΐνης: rectius ex meliori codice & veteri ſic habente, καὶ ἀραβίας, ἐοικὸς θυΐνῳ ξύλῳ, interpres convertit, thuiæ ligno ſimile. Ita quoque legit Ægineta lib. 7. cap 3. & Oribaſius lib. 11. Maculatum) textus quidem habet ἐστιγμένον, quod eſt punctis diſtinctum, vel maculatum. Quod alia exemplaria non habent, ſed pro ἐστιγμένον legunt ἐστὶ μὲν οὖν εὐῶδες, eſt itaque odoratum. Ita Oribaſius loco citato habet. Neque Ægineta legit maculatum, ſed hunc in modum, thuiæ ligno ſimile odoratum. Quin neque Serapio aut punctorum, aut macularum meminit B

Aetius lib. 16. cap. 122. lignum aloes tarum interpretatur; cujus meminit Plinius lib. 12. cap. 20. Ab incolis Malacæ garro vocatur, teſte Garcia.

Avicenna duobus locis de agallocho, una eademque re cõſcripſit, nempe lib. 2. cap. 14 ſub nomine agalugin: Deinde eodem tractatu cap. 744. ſub nomine haud, quod Xylaloe expoſuerunt; ſed hoc poſteriori multò fuſius, quam priori. C

Eſſe autem unam eandemque rem declarant eædem vires, quas ex Dioſcoride utrique nomini attribuit.

At omnes hodiè illius ſunt ſententiæ, ut lignum aloes legitimum ſit agallochum. Quod quam verum ſit, examinandum eſt. Quamvis enim lignum aloes, maculatum & odoratum ſit & mandi poſſit ad commendandum oris halitum: tamen thuiæ ligno diſſimile apparet. Nam thuiæ ligni materies, incorrupta perdurat, teſte Theophraſto lib. 5. cap 5. ut vetuſtiſſimæ contignationes ex thuia memorentur. Quin & Mercurii ſimulachrum, teſte Pauſania in Arcadicis ex nulla arborum, ne quidem ex ebeno, cupreſſo aut cedro; ſed ex thuio pedum 8. longitudinis, confectum fuit At lignum aloes ſæpiſſime carioſum vidi, quin & rarum eſt, & leve, non denſum, compactum, ſolidum, grave. D

Secundo, agallochum Dioſcoridi guſtu aſtringit, cum aliquanta amaritudine præcellenti, nimirum aſtringendi facultate, quod effectus

ſectus declarant. Nam ſudores arcet corpori inſperſum, & dyſenteri-cis prodeſt, quæ ab aſtrictoria virtute dependent: Verum in ligno a-loes contrà, amaritudo aſtrictionem evidenter ſuperat: Imò vis ſty-ptica nulla notabilis adeſt: Neque acrimonia prorſus caret.

Tertiò, Agallochum Dioſc cute verius, quam cortice veſtitur. At lignum aloes, teſte Garcia ab horto lib 1. cap 16. non cute ſanè, ſed cortice, ut reliqua ligna veſtitur, & quidem craſſo.

Quartò, agallochum pro thure ad ſuffimenta antiquitus ſubſti-tuebatur, tanquam thure vilius, aut parilis pretii. Lignum autem a-

A loes adeò carum eſt, ut potius thus, pro ligno aloes ſubſtitui debeat. Nam thuris electi 100. ℔, aureo uno apud Indos emi poſſunt, quam-vis ex Arabia ſubvehi debeat. Lignum verò aloes apud Indos, aureis tribus, quanquam illic natum, in ſingulas ℔. venit.

Quintò, in agallocho radix ligno præfertur, & potiſſimum in u-ſu erat; ligni aloes nulla adfertur, nec commendatur radix.

Ex quib. quinq; argumentis conficitur, lignum aloes non eſſe a-gallochum Dioſc. Ideoque agallocho nos adhuc caremus. Arbor, ex qua lignum aloes provenit, eſt oleæ forma interdum major, cortice craſſo; cujus lignum oleoſum & pingue quidem; recens diſſectum,

B nulla odoris fragrantia commendatur, ſed ubi exaruit, odoratum e-vadit: Imò fragrantia ne tum quidem per univerſam ligni materiem diffunditur, ſed in ipſo arboris meditullio, quod cor vel matricem vocant, coacervatur.

Scribit Serapio lib. ſimpl. cap. 197. ramos ligni aloës ab arbore reſectos, integro anno ſepeliri, ut ita obruti ligni cortex marceſcat, lignumque purum duntaxat remaneat, nihil tamen è ligno eroda-tur. Ita nimirum odoratius fieri. Putrefactione nihilominus tali, & defoſſione minimè jam utuntur Indi. Sed repurgare ſolent, antequā negotiatoribus vendant.

C Naſcitur legitimum aloes lignum in Malaca & Sumatra unde Chinenſes auferunt.

Præfertur, quod multum nigricat, cinereis diſcurrentibus ve-nis, ponderoſum plurimo humore pingui prægnans. Probatio erit, ſi igni accenſum multum humoris exſudet: Non autem, ſi in aquam conjectum ſubſidat. Nam ſelectiſſimum quandoque innatat, nec ſubſidit, quod calambar, ut optimum in Malaca vocant.

Agallochi vires præter Dioſcor. ſolus Paulus Ægineta inter Græcos deſcripſit lib. 7 cap. 2. Agallochum lignum eſt, quod ex India advehitur, thyiæ ligno ſimile, odoratum. Manſum animæ ſuavita-

D tem commendat. Item in ſuffitus adhibetur. Radix ejus po a denarii pondere, languidum ex humore ventriculum reſolutumque confir-mat. Ad hæc jecinoroſis, dyſentericis pleuriticiſque opitulatur.

CAP.

CAPUT XXII.

DE NARCAPHTHO.

NArcaphthum etiam naſcaphthum Dioſcoridi vocatur, quod Paulus Ægineta lib 7.cap.3.nacaphthum & naocanthum appellat. Idem cap.22. ejusdem libri Jacaphthum nominare videtur. Hujus neque Galenus, neque Aëtius, neque Plinius. neque Theophraſtus meminerunt. Recenſet quidem Theophraſtus nartam inter aromata, quæ unguentis miſcentur lib. 9. de hiſtor.plantar. Eſſe autem nartam eandem cum naſcaphtho, Manardus lib.9.Epiſt.3.ſuſpicatur potius,quam certum decernat. A

Quod ſi verum eſt; fortè apud Dioſcor.pro narcaphtho,legendum nartaphthum fuerit.Verum naſcaphthi hiſtoriam adeò paucis perſtrinxit author; ut quid rei ſit,difficilimum ſit ſtatuere.Ægineta lib.7.cap.3.Naocanthum,ſive nacaphthum ſolummodo Indicum odoramentum dixit eſſe.Idem cap 22.ejusdem lib. Compoſitionem Cyphios magni tradens,jacaphthum quiddam nominat,quod piceæ, vel alterius cujusdam arboris corticem eſſe exponit. Oribaſius lib. 12.Dioſc. verba tranſſcripſit; Naſcaphthum quod narcaphthum aliqui vocant, ex India affertur,corticis formam gerit, libro Sycamini ſimilem. Ad ſuffitus adhibetur,propter ſuavem odorem, quem ex ſe mittit. B

Manardus tamen loco citato, adeoque Matthiolus non abhorrent à quorundam ſententia, qui corticem quendam officinarum, quem tegnamen vocant, pro narcaphtho habeant, vocabulum ſanè tegname, non aliud ſonare videtur, quam thymiama; quod Latini ſuffimentum dicunt.Cum enim hujus corticis frequentiſſimus ſit ad ſuffitum uſus,nihil miri,ſi novum ſibi ex uſu nomē vendicarit, quod eſt thymiama, quod poſteri corrumpentes pro thymiamate tegname dixiſſe videntur. Certè ſecundum Dioſcoridem, narcaphthum jucundi odoris gratia ſuffitur,& thymiamatis compoſitis miſcetur. Oribaſius quoque ad ſuffimentum ſolummodo quaſi utilem indicat,cum dicit,ad ſuffitus adhibetur, propter ſuavem,quem ex ſe mittit odorem,nihil amplius addens.Unam ipſi præterea utilitatem adſcribit Dioſc.videlicet,quod conſtrictionibus uteri ſuffitu proſit, ſicut & Ægineta, quod ad aſtrictos fœminarum locos ſuffitu vaporetur: Verum & hæc ejus utilitas inſuffitu conſiſtit. C D

Quamobrem cum non amplior narcaphthi ſit uſus, neque ullæ, hodierni uſus medicamentorum compoſitiones narcaphthum requirant,ſine ullo incommodo illo facilimè carebimus.

CAPVT. XXIII.

DE CANCAMO.

NON Cancami, ſed cancani Gal. mentionem facit cap. 4. lib. 7. ſimpl. Differunt tamen cancamus & cancamum inter ſe quam plurimum. Cancanus enim radice ſua prodeſt, & linctu utilis eſt, ut glycyrriza, aut tragacantha, ad arteriæ aſperitatem. Cancamũ A autem lacryma eſt arboris Arabicæ, & ad ſuffimenta uſurpatur. Quare Paulus de utroque ſeorſum egit. Verum adeò breviter cancami faciem delineauit Dioſc. ut quid hodie ſit revera, difficulter dici poſſit.

Scaliger exercit. 172. paragrapho 1. totius eſt in ea ſententia, ut exiſtimet cancamum eſſe nil aliud, quam illud gummi, quod Laccam hodiè vocant, disertis his utitur verbis: eſt igitur cancamũ verũ lacca.

Nec abhorrere ab hac opinione videtur ipſe Matthiolus, illamq; argumentis quibuſdam defendere conatur. Verum ſi altius rem introſpiciamus, non ita propinquam veritati, tantorum virorum ſen- B tentiam inveniemus. Primò enim cancamum, teſte Dioſc. in Arabia naſcebatur. At lacca, teſte Serapione lib. ſimpl. cap. 81. ex Armenia defertur. Imò Arabes ipſi hodie, prout narrat Garcias ab horto Laccam ex India in Arabiam advehunt, vocantq; loc Sumatri, quaſi dicas, laccam è Sumatra, quæ eſt Taprobana veterum quod illic naſci Laccam veteres putarent. Si itaque lacca cancamum eſſet, quod in Arabia naſcitur, non fuiſſent rem ex India, & ex Samatra nomen quæſituri. Nam in regno Pegu lac vocatur. Adeoque incolæ regni Pegu & urbis Martaban, laccam in Samatram exportabant, & inde piper revehebant.

C Secundo cancamum Arabici ligni lacryma eſt: eſt autem lacryma liquor, qui ſua ſponte ex plantæ alicuius parte promanat & concreſcit, idque vel in gummi, vel in reſinam. At lacca non eſt lacryma ex arbore fluens, ſed res quædam congeſtitia circum ramulos arboris, quam formicæ quædam alatæ, ſicut apes mel & ceram in favis ſuis congerunt & elaborant: Quod ita ſe habere forma laccę declarat concava & tubuloſa, imò inſertos adhuc ſurculos plerunque retinens.

Teertiò, cancamum myrrhæ ſimilis eſt lacryma. At lacca parum cum myrrha ſimilitudinis habet, ſubſtantia & fragilis, du- D ra, color pellucidus, rubens, ſapor non amarus laccæ, myrrhæ verò magis pinguis & lenta, color non ſemper rubens, ſæpè varius, ſapor amarus.

Quarto, cancamum eſt viroſi guſtus: Lacca non eſt viroſi horridi, aut mali ſaporis, qui offendat: imò ferè ſapore caret.

Quinto, Paulus Ægyneta cancamo etiam odorem gratũ aſcribit

lib. 7. c. 3. Lacca ut non ſit odoris ingrati, tantam tamen ſuavitatem non habet, ut veſtes eo ſufficere quiſquam dignetur.

Sextò, Cancamum veteres ad ſuffimenta uſurpabant. Lacca ut hodiè, ita olim ad tincturas pannorum utebantur, quod ipſe teſtatur Serapio loco citato, his verbis: Lacca eſt res quædam rubea, quæ tenuibus lignorum ſurculis inhæret. Coquitur hæc & ex ea panni rubeo colore inficiuntur, quam infecturam Chermes appellant.

Septimò, cancamum extenuat obeſos, lienoſos, comitiales, ſuſpirioſos iuvat, menſes pellit, oculorum cicatrices emendat, & eorundem hebetudini medetur, tumentes gingivas cohibet, dentium dolorem tollit. Lacca, teſte Serapione, exſiccat, & calfacit ordine ſecundo, ventriculum & jecur roborat, obſtructiones aperit, ictericos iuvat, & aquas pellendo hydropem curat. Ex quibus manifeſtum fit, laccam non eſſe cancamum. A

Quomodo autem lacca gignatur, ſic ex relatu teſtis oculati tradit Garcias lib. 1. cap. 8. In regno Pegu, vaſtam arborem inveniri, quæ in nucis juglandis magnitudinem ſæpè excreſcit, foliis quodammodo pruni, in cuius ſurculis, & munitioribus ramulis, magnæ formicæ alatæ, in terræ viſceribus, aliiſque locis enatæ, laccam elaborarent (ſicut apes mel conficiunt) materiam ex ipſa arbore exſugentes. Hos deinde ramulos, ab arbore revelli, atque in umbra ſiccari, donec deciderent ramuli, lacca autem ipſa velut in tubulos concreta maneret. Interdum autem ligni fragmenta inhærere. Meliorem cenſeri, quæ ſincera eſſet, ligniq; fragmentorum expers: eam verò, cui fragmenta inhærerent, deteriorem cenſeri. Inveniri etiam ſolidam & minimè ſinceram, quam poſtea colliquarent & in pollinem reducerent, ſed viliorem hanc cenſeri, quod multam terram admixtam haberet. Formicas autem laccam elaborare manifeſtum eſt, quod plærunque alæ formicarum laccæ permiſtæ conſpiciantur. Delectus laccæ eſt, ſi commenſa pulcerrimo rubore ſalivam inficit. Ex lacca bacelli illi fiunt, qui obſignandis literis caræ loco ſerviunt, admiſtis iis coloribus, quos maximè expetimus, quos ceram duram uel Hiſpanicam vocat. Hac etiam lacca implent aurifabri vaſa majora aurea, & argentea. B C

Et quamvis cancami notitia uſuque deſtituamur, parum damni medicinæ accedit, eò, quod nullæ ſint compoſitiones aut mixturæ uſitatæ, mihi quidem cognitæ, quæ cancamum requirant. unica compoſitio dialacca major, laccam recipit.

De cancamo Paulus lib. ſeptimo cap. 3. Cancamum lacryma eſt: arboris in Arabia, myrrhæ ſimilis, odore grato, qua etiam ad ſuffitum utuntur: vis eius obeſos extenuare, abſtergere & aperire obſtructa. D

Cancami nec Galenus, nec Aëtius, nec Oribaſius meminere.

CAP.

CAPVT. XXIIII.

DE CYPHI.

CYphi cum non ſit ſimplex aliquod medicamentum, ſed compoſitio quædam ex plurimis conflata, mirantur docti, qui fiat, ut illius inter ſimplicia meminerit Dioſc: ſuſpicati aliunde Dioſc. A accreviſſe, & ab aliquo tranſcriptore interſertum eſſe. Verum cum & aliorum compoſitorum etiam hoc libro author noſter mentionem faciat, adeoque deſcribat, nimirum unguentorum mixtiones plurimas, utpote in cenſu odoratorum, nos quidem minus mirabimur; nam & vina compoſita lib. 5. tradit. Cypheos uſus erat antiquitus, non ſolum ad ſuffitum & Deorum cultum, verum etiam ad medelas, cum per ſe, tum admiſta magis compoſitionibus antidotorum, ut oſtendit Gal. lib. 2. antid.

Hodiè trochiſcos pharmacarii habent ad compoſitionem mithridatiæ antidoti neceſſarios, ſed diverſa ratione conſtantes, quam hic tradit Dioſc. B Eſt enim ſecundum Damocratis præſcriptum, Cypheos compoſitio, qua officinæ utuntur, quam tradit Gal. lib. 2. de antidotis capite undecimo. Conſtabat autem illa Damocratis, rebus X V. Hæc autem Dioſcoridæa ſimplicibus tantum decem, & multò diverſis ponderibus.

Tradit & duas cypheos mixturas Ægineta lib. 7. cap. 22. multũ ab his diverſos, quarum una cyphi magnum & ſolare vocabant, ex rebus XXXVI. confectum. Altera tantum rebus XXVIII. conſtat, lunare appellata.

Cypheos majorem utilitatem enumerat Paulus loco citato, quã Dioſc. hic fecit. C Pauli verba ſunt: Cypheos materia inter medicamenta, quæ potui dantur, & antidota exiſtit. uſus eſt eius incenſi, ad odorem gratum conciliandum, ſicut & ſuffiminum. Interim naribus admovetur, ut deſtillationes ex capite in ſubjectas partes concoquat, gravedineſque & obſtructionem liberet, purgetque cerebri ventriculos, item peſtilentialibus morbis evitandis facit. Iam per os quoq; aſſumitur, tum ad hæc, tum ad ea quæ pectori inhæreſcunt, concoquenda: nec non ad frigidiores jecoris affectus, unde & cyphoide appellata antidota, veteres invenerunt. Miſcetur autem compoſitis medicinis, præcipuè Epithematis & antidotis.

D Quantum ad ponderum, quorum hoc capite fit mentio, rationem attinet, Attica & Ægyptia, teſte Paulo libro ſeptimo cap. 26. uncias habebat ſedecim. Mina verò Romana major erat, continens uncias viginti. Libra unicas duodecim uncia pendet drach-

mas octo, drachma ſcrupulos tres, Scrupulus obolos duos, obolus vero ſiliquas tres continet, ſiliqua exæquat æreolos duos, & duas tertii partes. Ita ut obulus æreos octo complectatur.

In menſuris liquidorum Italicum ceramium vel amphora continet congios octo. Congius ſextarios ſenos. Sextarius habet cotylas duas, cotyla, quæ & hemina & triblium dicitur, continet myſtra magna tria, vel acetabula quatuor. Acetabulum habet ſesqui cyathum, Cyathus chemas parvas duas, vel myſtra parva duo. Hæc verò ad pondus examinata, cum multum ſit diſcriminis inter materias, quæ menſurantur ſecundum pondus, A prout graviora, vel leviora ſunt, ſicut in melle, vino, oleo, videre eſt (Nam mel vino ponderoſius eſt, parte quarta & item decima. Mel oleo, media ex parte gravius eſt: vinum oleo parte nona ſupereminet) ut itaque res dilucidior fiat, pro materiæ diverſitate, ad exemplum mellis, & olei, menſurarum, pondera examinabimus. Continet itaque.

Amphora Italica olei ℔ 72.	Vini ℔ 80.		Mellis 108. ℔.	
Congius	℔ 9.	℔ 10.	℔ 13½.	B
Sextarius	℥ 18.	℥ xx.	℥ xxvij.	
Hemina	℥ 9.	℥ 10.	℥ 13½.	
Myſtrum magnum	℥ 3.	℥ 3. ſcr. 8.	℥ 4½.	
Acetabulum	ʒ 18.	℥ 2. ſcr. 12.	ʒ 27.	
Cyathus	ʒ 12.	ʒ 12. ſcr. 4.	ʒ 18.	C
Myſtrum parvum	ʒ 6.	ʒ 6. ſcr. 2.	ʒ 9.	

Oribaſius Sextarium Italicum, uini quidem, iuxta menſuram uncias 24. habere dicit. Iuxta pondus verò libram unam, uncias octo, id eſt, uncias XX. Sextarium verò mellis librarum duarum & dimidiæ pondus habere tradit, id eſt, uncias XXX.

Menſura autem aridorum ſic habent. D

Modius Ægyptius & Italicus habet chænices octo.
Chænix capit ſextarios duos.
Sextarius continet heminas duas.

Hemi-

Hemina verò habet Cyathos octo.

Cæterum menſurarum pōdus proferre difficile eſt, quod immenſa diverſitas rerum aridarum juxta lancis inclinationem exiſtat.

Cypheos compoſitio ad uſitatam ponderis rationem, quoad fieri potuit.

Cyperi ſextarii dimidium, vel hemina una, & pendet plus minus

A			℥ xii.
Bacc. juniperi par pondus		id eſt,	℥ xii.
Uvæ paſſæ minæ	xii.	id eſt,	lib. xx.
Reſinæ minæ	quinque	id eſt,	℔. viij $\frac{1}{3}$
Calami mina	j.	id eſt,	℥ xx.
Junci tantundem		id eſt,	℥ xx.
Aſpalathi par modus		id eſt,	℥ xx.
Myrrhæ ὁλκὰς	xii.	id eſt,	℥ j ſ.
Vini veteris ſextarios	ix.	id eſt,	lib. xv.
Mellis minæ duæ		id eſt,	℔. iij $\frac{1}{3}$

B In hoc menſurarum & ponderum examine, error videtur in myrrhæ ad reliqua proportione. Quid enim eſt ſeſcuncia myrrhæ (tantundem enim xij holcæ pendent, nam L. nota holcam, id eſt, dragmam deſignat) ſi ad aliorum pondus referatur. Quod ipſum & interpres olfeciſſe videtur, qui non ponderis ſpeciem, ſed tantum numerum nempe xij. expreſſit.

Nam ſi dragmæ modò, ſicut Græcus textus præ ſe fert, eſſe debent, tantum erit liquidorum, quantum aridorum pondus, quod uſui, nempe ad ſuffitum, ineptum foret. Sin verò pro xij. holcis totidē minas myrrhæ accipiamus, quæ faciunt lib. xx. tunc evadent arido-

C rum ℔. 47.

Liquidorum verò ℔. 26 $\frac{2}{3}$ quæ proportio mixturæ paulò ſolidiorem compagem dabit: alioquin nimis flueret.

Cypheos Damocratici deſcriptio.

℞ Carnis paſſul. pinguium, Terebinthinæ coctæ } ana ʒ xxiiij.
Myrrhæ ſchænanthi ana ʒ xij.
Calami odorati ʒ ix.
D Cinamomi ʒ iiij.
Bdellii onychis, Nardi ſpicæ, Caſſiæ optimæ, Cyperi purgati, Arceuthid. pinguiſs. } ana ʒ iij.

Aſpalathi ʒij ſ.
Croci ʒj.
Mellis optimi & vini ana q.ſ. Formentur trochiſci.

Thymiamatis Sacri deſcriptio
Exod.c.30.verſ.34.

Accipit Stactes
Onyches
Chalbani } ana par pondus. A
Nardi folia & ſpicas
Thuris puri

Formentur paſtilli, ex quibus uſu poſtulante, unus in pulverem terebatur. Unde videre eſt, Cyphi Ægyptiacum cum thymiamate Iſraelitico nihil prorſus habere affinitatis.

CAPUT XXV. B

DE CROCO.

CRoci vocabulum,tam Latini,quam Græci ſervant. Hebræi carcos vocant; vide affinitatem nominis. Arabes zafaran dicunt, quos Hiſpani,Galli,Itali,Belgæ,imo Germani ipſi appellatione imitantur.

Eſt autem zaffranum nihil aliud,quam filamentum quoddam ferè triplex flavum,medio floſculi, narciſſo ſimilis, ſed rubicundi enaſcens, ex herba humili,cujus folia longa,& auguſta,radix bulboſa, C
candida,plena.

Crocum licet non deſcripſerit ſuis notis Dioſc. nec quiſquam veterum Græcorum,imò nec Plinius,nec Theophraſtus ipſe,puta ut rem uſitatiſſimam,vulgoque notiſſimam: Eſſe tamen crocum ipſiſſimum noſtri temporis zaffranum aliquot argumentis aſſeremus.

1. Quod utrique & croco & zaffrano bulboſa ſit radix. Plinius enim lib.21.cap.6 croco radicem talem tribuit: Seritur, inquit,radicis bulbo!

2 Quod utrique folium ſit longum & auguſtum: Plinii verba ſunt croci herba folio eſt auguſto,penè in capillamenti modum.

3. A forma aromatis, quæ eſt filamentis, aut ſtaminibus ſimilis. D
Crocotalem eſſe fatetur Plinius his verbis: Optimum eſt crocum ubicunque,quod pinguiſſimum & brevibus capillis.

4. A qualitate odoris,qua caput ferit. Galen.lib.2.cap.1.partic. 9. ſecundum locos. Quidam ex croci uſu,capite læduntur, quod ipſum etiam

etiam ſæpè ex ſolo ejus odore perpetimur: Idem ex zaffrano etiam accidit.

5. A colore utrique communi. Gal. lib. 1. de antidotis cap. 27. Perſpicuum autem eſt, optimum crocum ſummè flavum, & plurimum redolens eſſe, & longo tempore utraque hæc ſervare.

6. A modo terendi utrique communi. Dioſc. dicit, quò facilius conteratur crocus in calido fictili, ad ſolem ſiccandum eſſe, & celeriter verſandum eſſe. Eadem terendi ratio eſt & noſtro zaffrano.

7. A communicatione appellationis. Nam ut Græci & Latini hoc
A aroma, & plantam crocum appellant: Ita & rura quædam in territorio Senenſi Italiæ, teſte Matthiolo, eandem plantam depravata quidem voce, gruogo nominant.

8. A tempore nativitatis. Theophraſtus & Plinius crocum circa vergiliarum occaſum, quod eſt circa æquinoctium autumnale florere paucis diebus, folioque florem expellere aſſerunt Idem de zaffrano noſtro Hieronymus Tragus teſtatur, videlicet circa Septembrem rubicantes zaffrani floſculos erumpere, durare autem plus minus per menſis ſpatium. Ubi autem florere deſierit, tum primum prodire oblonga & auguſta ipſius foliola, gramini ſimilia, quæ per totam
B hyemem perdurant, viridia & integra, in Majum usq;, tum demum contra aliarum plantarum naturam, mutata in flavedinem viriditate, flacceſcere, perire, nec ulla per æſtatem totam, ſui veſtigia vigoris relinquere ſpectanda. Sed adventante autumno denuò florem protrudere. Ita per autumnum flos; per hyemem & ver folia; per æſtatem ipſam radices croco vigent.

Ex hac itaque collatione manifeſtum fit, crocum veterum, nihil aliud eſſe, quam hodierni temporis zaffranum.

Sicut olim croco Corycio & Lyciaco ſumma laus fuit: Ita hodie in India, qui ab Aquila, Veſtinorum oppido affertur, primas obti-
C net. Imò ipſo Aquilano præſtantius eſſe crocum Matthiolus fatetur, quod in Germania circa Viennam Auſtriæ naſcitur. Sed cum ejus multus ſit apud Germanos & Hungaros uſus, paucus in Italiam ſubvehitur.

Quinimò ad Rhenum in pago territorii Landavienſis dicto Ilſuſheim/prope arcem Newcaſtel. Item in territorio Vangionũ, quod Wormſergaw vocant, vff der Pfrimmen / magna ſedulitate crocus colitur.

Memini me & in Flandriæ oppido Aloſto, patria mea cariſſima in horto civis & vicini, Martini Mulardi crocum florentem vidiſſe.

D Gal. lib. 7. ſimpl. cap. 57. Crocus paulum etiam aſtringens, quid obtinet, quod terreum frigidumque oſtendimus. Sed ſuperat in eo calfaciens qualitas & facultas, ut tota ejus eſſentia ſecundi ſit ordinis calfacientium, & primi exſiccantium: proinde concoquendi quoq; vim quandam habet, adjuvante ſcilicet in hoc, & paucula illa aſtrictione.

CAPUT XXVI.

CROCOMAGMA.

MAγμα dicitur maſſula, aut paſtillus unguentorum, & quicquid ſupereſt craſſum ex materia aliqua expreſſum. Celſus recrementum. Plinius fæces unguentorum interpretatur. Crocomagma non ſimplex ſed compoſitum quid eſt Nec eſt aliud ſecundum Dioſcor. quam unguenti crocini expreſſæ fæces. Crocini autem unguenti deſcriptionem cap. 65. hujus libri tradit, à qua diverſam docet Paul. Ægineta lib. 7. cap 20. tam ratione materiei, quam ponderis. A

Propriam autem crocomagmatis miſtionem tradit Gal lib. 2. antid. cap. 20 ex doctrina Damocratis quæ ℞ croci cilicii ℥ 100. myrrhæ pinguis, roſæ ſiccæ, amyli candidi gummi ana ℥ 50. quæ tuſa & cribrata vino Coo odorato excepta in trochiſcos formantur.

Eandem Damocratis formam expreſſit Aëtius lib 2. cap. 196. quæ ad varia antidota requirebatur. B

Hoc ſæculo nullus eſt crocomagmatis in medicina uſus. Quare de illo quoque minus laborabimus

Quod ad vires attinet, non eædem facultates omnibus inſunt compoſitionibus, ſed pro varietate materiei & ponderis etiam vires differunt.

CAPUT XXVII.

HELENIUM.

C

HElenium Græcis Latiniſque, & inula quoque dicitur, Italis Enula, Gallis aulnée, Germanis, Belgiſq; **Alant** appellatur, & enula Campana. Conſentiunt eruditi omnes, enulam campanam eſſe helenium veterum, quod an ita ſe revera habeat: Noſtræ enulæ campanæ deſcriptionem ex Dodonæo proferemus: Grandia mox à radice promit folia, palmum aut ſemipedem lata, cubitum ſubinde longa, acuminata, ſymphyti ferè majoris conformia; ſed mollia, tenuique lanugine piloſa, in virore candicantia, & inferiore parte albidiora, ambitu leniter crenato, caulis ſæpè tricubitalis, digito craſſior, non abſque lanugine, in cacumine diviſus: In ſingulis ferè adnatis, D flores magni, lati, rotundi, quorum non modo circum ambientia, oblonga foliola, verum & medius luteus eſt orbis, qui infinitis ſtaminibus confarcitur, tandemque in tenues ſolvitur pappos: quibus ſemen ſubeſt gracile & oblongum; radix inæqualis, toroſa, craſſa, manum implens, haud longa, foris quandoque nigricans, intus candida,

dida,& carnoſa,guſtu non tantum ſubacris, ſed amaricans non leviter.

In pinguibus & lætis naſcitur pratis; reperitur quandoque & in montibus, locis umbroſis; at non omninò aridis, frequens apud Belgas,Gallos,Italos & Germanos.

Flores Junio & Julio vigent,radices Autumno & non rarò Aprili & Majo menſibus leguntur.

Hanc enulæ deſcriptionem, ſi cũm Dioſcoridæa conferamus, non usque quaque convenire deprehendemus.

A 1. Helenio attribuuntur folia verbaſco anguſtioris folii ſimilia: Enula verò grandia mox à radice promit folia,palmum aut ſemipedem lata,cubitum ſubinde longa.

2. Helenio folia ſunt aſperiora,quam verbaſco : Enulæ verò folia mollia ſunt,tenuique lanugine piloſa.

3. Helenio nullus tribuitur caulis: Enulæ caulis eſt ſæpè tricubitalis,digito craſſior,non absq; lanugine in ſummo diviſus.

4 Helenio nullus aſſcribitur flos, enulæ flores ſunt magni, lati, rotundi,lutei toti.

5. Helenio,ut nullus flos: ita nullum ſemen attribuitur. Enula
B ſub pappis ſuis ſemen habet gracile & oblongum.

6. Helenium radicem habet Dioſcoridi ὑπόκιῤῥον, id eſt, ſubrufam,& ὑπόδριμυν ſubacrem : Enulæ ſubeſt radix intus candida interdũ ſubrufa,foris terræ ſuæ colorem referens,ut Tragus inquit,ſubacris quidem,ſed magis amaricans.

7. Helenium gignitur loco ſicco & humore carenti : Enula verò pinguibus lætisque pratis gaudet.

8. Helenii folia vino cocta utiliter iſchiadicis illinuntur: At foliorum enulæ nullus eſt uſus.

Ex quo diſcrimine multiplici colligimus, enulam campanam
C noſtram non eſſe helenium Dioſcoridis, utut excuſent quidam,textui Græco non parum deeſſe.quicquid ejus ſit.

Oribaſius lib.11.Helenii deſcriptionem ex Dioſc. iiſdem planè verbis tranſſcripſit, una vix aut altera voce fortè differens,quod radicem quidem ὑπόκιῤῥον,ſed & ὑπόλευκον dicat; deinde ὑπόπικρον, id eſt,ſubamaram.

Amaram eſſe inulam etiam Virg. teſtatur, dum triſtes inulas vocat.Imò Horat. amaras planè dicit: Inulis ego primus amaris. Plin. quoque lib.19.c.5. Siſaris brevior eſt,ſed toroſior,amariorque inula, per ſe ſtomacho inimiciſſima. Eadem dulcib.miſtis ſaluberrima,il-
D luſtrata maximè Juliæ Auguſtæ quotidiano cibo.

Gal. Helenii vires lib 6.ſimpl.c.114 perſequitur:Helenii radix maximè utilis eſt, non primo ſtatim occurſu calfaciens,ac proinde non dicẽda eſt calida & ſicca exactè, ceu piper tam atrum,quam candidũ, ſed cum excrementitio humore.Quapropter eclegmatis ad educendos ex thorace & pulmone craſſos lentosque humores, idoneè commiſcetur.

Rubificant quoque ea partes frigidis ac diuturnis vexatas affe-ctibus, cujusmodi ſunt iſchiades, & exiguæ aſſiduæque articulorum quorundam, præ humiditate, procidentiæ, luxationesque.

Helenio in paſſo condito, quiddam ſimile parant Neoſtadiani ad montes Nemetum, cum radices helenii vulgaris purgatas, decoctas, in ſapam conjiciunt, nimirum muſto ad dimidias decocto, & vocatur talis ſapa ab helenio **Alentwein** / quaſi **Alantwein** / diverſum à Nectarite Dioſc. quod ex helenii radice parat lib. 5. cap. 66.

HELENIUM ÆGYPTIACUM.

A

De hoc helenio Plinius lib. 21. cap. 10. Helenium ex Helenæ lacrymis natum dicitur, ideoque in Helena Inſula laudatiſſimum. Eſt autem frutex humi ſe ſpargens, dodrantalibus ramulis, folio ſerpilli. Item cap. 21. ejusdem libri. Helenium ab Helenæ lacrymis natum, favere creditur formæ, cutem mulierum in facie, reliquoque corpore nutrire incorruptam. Præterea putant, uſu ejus quandam gratiam iis, veneremque conciliari. Attribuunt & hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumque quem habuerit Nepenthes illud B ab Homero prædicatum, quo triſtitia omnis aboleatur. Eſt autem ſucci prædulcis. Prodeſt & orthopnoicis radix ejus in aqua jejunis pota. Eſt autem candida intus & dulcis. Bibitur & contra ſerpentum ictus ex vino. Mures quoque contrita dicitur necare.

Avicenna tract. 2. cap. 240. Vtrumque helenium turpiter confundit, neutrumque noviſſe videtur. Hoc Helenium Ægyptiacum cum hodiè nemo eruditorum ſit, qui ſe noviſſe venditet, non eſt quod de illo pluribus laboremus, præſertim cum contra ſerpentum ictus præcipuus illius prædicetur uſus.

C

LIBER DECIMVS.

RARIORVM ALIQVOT MORBORVM ET SYMPTOMATVM OBſervationes per 48. annos Medicinam faciendo ab

A

HENRIC SMETIO collectæ ANTWERPIÆ.

ANno 1561. cum in Emporio illo totius Europæ celeberrimo 1561.
Medicinam facere cœpiſſem ætatis meæ XXIV. in mercatoris
cujuſdam diſſecto corpore, vidi dextrum cordis ſinum, cui vena cava
inſeritur, interiore ſui parte durum, exaſperatum undique, & quodã
modo ſquamoſum, ut inſerta manus mea ſquamarum ſcabritie of-
B fenderetur, quo in loco continebatur, fruſtum condenſati humoris
pituitoſi lenti albicantis, longitudine digiti medii, craſſitie pollicis,
aut amplius, ſanguini immerſum, quod medullam cruris bovilli ca-
lefactam, ſubſtantia & forma referebat. Laborarat palpitatione cor-
dis diuturna, ex qua & mortuum narrabat ejus medicus, qui me ad
ſectionem adduxerat. Viventem enim non videram.

In eodem emporio atque anno, mercatoris cujuſdam famu-
lum 26. aut circiter annorum, novi, qui duritie ſplenis affligi putaba-
tur, & ramice ſimul carnoſo teſtis ſiniſtri. In quo curando omnis me-
dicãtium induſtria conſumebatur. Quo mortuo, & cadavere adaper-
C to, ego medicum ejus comitatus, animadverti vaſtiſſimum abſceſ-
ſum, qui totam abdominis regionem ſiniſtram, ab ipſo diaphragma-
te ad inguen uſque deorſum, adeoque ad umbilicum ipſum latè ex-
tenſus, adimplerat. Imò cujus haud exigua portio per inguen in ſcro-
tum deſcenderat, & ſarcoceles ſpecie medicos deluſerat. Hujus ab-
ſceſſus vaſtitati, omnia ventris, illa in parte, viſcera ceſſerant. Inteſti-
na univerſa in dextram regionem compulſa jacebant. Diſſecto au-
tem tumoris monſtroſi utriculo; deprehenditur materia ſubſtan-
tiæ cerebrali ſimillima, tunica firma, & peculiari veſtita, abſque fœ-
tore ullo, tantæ copiæ, ut ampliſſimam paropſidem adimpleret. Poſ-
D ſet non male ad Steatomata referri.

Ibidem anno ſequenti, Oeconomus contubernii Anglorum, 1526.
vir infra quadrageſimum ætatis annũ, quoties bibiſſet, ſingultiebat,
potumque difficilius, quàm cibum deglutiebat, neque tamen poſt ci-
bum ſingultus oriebatur. Durarat aliquantiſper affectus.

Quidam ex bajulis ceſpitum bituminoſorum (quibus arefactis
ſoleque

ſoleq; excoctis, apud Belgas paſſim pro ignium fomite utuntur) ex febre maraſmode usq; adeò exſucco marcidoq; erat corpuſculo, ut articulorũ nullus inflecti poſſet, cutisq; corio, arefacto ſimilis, ita oſſib. adhæreret, ut digitis alienis prehẽdi, aut corrugari vix quiret.

Matrona nobilis juvencula, melancholico affectu laborans, ſibi fame pereundum metuebat, ideoque aſſiduè ferè aliquid mandebat: Et quæcunque potuit panis fruſtilla in angulis domus, à pueris aut catellis neglecta, etiam pulvere ſituque obſita ſtudioſè acquiſita, die noctuque eſitabat, & reliquias in neceſſitatem ſolicitè aſſervabat, ne quid imperio famis, quocunque tempore, deeſſet. A

Vetula quædam acicularii uxor, ex omphalo, aut ramice umbilici affligebatur tanto, qui caput infantis, recens in lucem editi, adæquabat, gangrænaque contracta illam necabat.

Mercator veſtiarius ſenex tubercula dura, dolore carentia, ſcrophularum inſtar, in variis corporis partibus, ante & retro, in capite, ore, oſſe ſacro, femoribus, brachiisque habebat, quorum quædam, ſed pauciſſima, raroque exulcerabantur, accreverant hìc illic ſenſim, à longo tempore.

1563. Proxeneta quidam Italus, Julius Piſanus, ſub genu ſiniſtro in poplite tumorem quendam latum, oblongum, mollem, absque dolore ſingulari, absque calore quoque, ſed ubique & per omnia pulſantem colore cutis nõ mutato, gerebat, quod morbi genus ἀνεύρυσμα Græci, recentiores arteriæ dilatationem appellant. Talem quoque aneuriſmatis tumorem patiebatur Thomas Jungelingus Alchymiſta in pectoris mamilla ſiniſtra, dixiſſes primo aſpectu mammam fuiſſe pubeſcentis virginis ſucculentam. B

Duo pueri fratres, alter 8. alter 10. vel circiter annos nati, hæmorrhagiam ex naribus ſpontaneam, quæ ſiſti per multos dies vix potuit, tam copioſam ſuſtinebant, ut ſinguli ſupra duas ſanguinis libras reddidiſſe putarentur. C

Thomas van Meeren Colonienſis juvenis, pulſatione cordis continua, citra febrim vehementiſſima infeſtabatur adeò moleſta, ut ne leviſſimum quidem laborem obire poſſet, quin præ defatigatione nimia vix ſpiritum ducere valeret. Durarat malum per quinquennium, cum frequenti ſanguinis per nares fluxu.

Ancilla quædam ex herili filio gravida, promiſſo matrimonio fruſtrata, pepererat, & præ ægritudine animi, in tympaniam hydropẽ lapſa moritur. Cadavere diſſecto, univerſa inteſtina, adeoque ventriculus ipſe flatu diſtenta inventa ſunt, & ferè excrementorum prorſus vacua, absque ullo flatu aut humore ſecundum Hipp. l. 4. Aph. 11. in cavitate peritonæi extra inteſtina conſiſtente, ut meritò & verè hydrops ſiccus diceretur. D

Muſicus quidam celebris Guido, mania correptus, pedibus brachiisque lecto per vincula lata ex corio firmiſſima aſtrictus ſibiipſi, dum ſtragulis tectus quietior ſolito jacere videbatur, dilacerato unguibus

guibus ſuis clanculum ſcroto, utrumque teſtem avulſit, abſque ullo doloris indicio. Nec prius facinus innotuit, quàm uxor ejus multò pòſt ſublevato lecti tegmine, ſi forte ſe perminxiſſet, exploraſſet. Videns itaque illa lectum cruentatum, chirurgum accerſit, qui diſruptū ſcrotum conſpicatus, neutro teſtium apparente, quærit à maniaco, ubinam illi ſint? æger verò nihil quidem reſpondens, ilico tamen utraque manu prolata, & explicata, ſingulos complexus, avulſos oſtendit,

Idem haud longo poſt tempore à ſcroti diſruptione & mentis
A vitiò reſtitutus, non ſolùm ipſe, ſed & conjux ejus juſtæ ætatis, habitique benè corporis mulier, candidè faſſi ſunt, maritale debitum à viro perſolvi, adeoque ſemen, non minus, quam ante morbum ſolebat, ejaculari.

Vxor Danielis Brunæi civis Antuerpiani formoſa fœmina, poſtquam in ſumptuoſo epulo, genio prius, deinde remotis menſis, tripudio de more gentis indulſiſſet: Oborto mox animi deliquio, abunde vomitu, doloresque intra abdomen acerbiſſimi ſunt ſubſecuti, ut paulò pòſt exſpiraret. Diſſecto cadaveris ventre, peritonæi cavitas cruoris plena diſruptam venam eſſe teſtabatur. 1564.

B Filiolus inſtitoris cujusdam nondum quinquennis, ſupra infraque nigerrima, liquefactæ picis modo, in ſuperficie nitentia, & copioſa excreverat. Coagulatus autem aterque ſanguis videbatur, eo quod nigricante rubore lintea tingeret, neq; ex tali vacuatione ſpōtanea moriebatur, & pulcre convaluit.

Infanti cuidam genitale cum ſcroto, ſubter cute intumuerat, & pellucidum erat, totumque ſimul corpus intumeſcebat, in modum hydropis ſarcitæ quæ aqua intercus rectè appellatur.

Quæſtor Abbatiæ Tongerloienſis affectu flatuoſo, palpitationi cordis ſimili, in media pectoris regione premebatur. 1565.

C Simon Bilancium confector, atram bilem vomitu, cum magna virium dejectione ejiciebat.

Senex quidam paralyticus, lotium pellere non poterat, unde illi tumor inter pubem & umbilicum rotundus, oblōgus, magnus oboriebatur, nimirum veſica tumefacta, in perinæo inter anum & ſcrotum gangræna deprehenſa.

Vomitu ſanguinis, plures vidi affectos, qui ſanguinis aliquot libras evomerent.

Thomas Mauldenus, chirurgus egregius, ſenex ſexagenarius plus minus linguæ paralyſi tentabatur. Erat enim vinoſus, qui & no-
D ctu & mane vini rubelli cantharum præſentem ſibi eſſe volebat, manibus ſemper tremulis, niſi ſe vino liberaliter intus proluiſſet, tum demum ſatis firmabatur.

Filiolus ſartoris cujusdam per veſicam ſimul, ac per alvum ſanguinem emittebat, abſque cauſa manifeſta.

Vxor civis cujusdam, paralyſi linguæ, & malæ, & manus

ſimul

ſimul ſiniſtræ afficiebatur Mercator Dantiſcanus, cùm ex cochleæ gradibus in caput decidiſſet, obmuteſcebat mox, & aſſiduè convellebatur.

Commentarienſi carceris publici Antuerpiani, ex hydropis tympaniæ malo, ſcrotum unà cum genitali intumuerat, ex quo gangræna ſuborta, quæ ſcrotum, unà cum genitali abſumebat.

Aloſti olim, adoleſcens cum eſſem, quendam novi, cui ex vehementi frigore, ſcrotum ſphacelo enectum, univerſum abſque tumore deciderat, teſtibus illæſis.

Filiolus cujusdam, manus dextræ paralyſi affectus, brachii ejusdem dextri convulſione particulari vexabatur. A

Cementarius quidam ex alto delapſus, caput contuderat, & paralyſi crurum ani & veſicæ affligebatur.

Virgini cuidam ex dolore dentium vehementiore convulſiones oriebantur.

Victor quidam utriusque cruris, à ſummo ad imum usque, ſtupore diuturno premebatur, perinde ac ſolent ex diuturniore incommoda & dura ſeſſione Alioquin incedebat.

Vxor mercatoris Jani Andriſii, in ſcapula ſiniſtra, ad initium cervicis aneuriſmate, aut arteriæ dilatatione laborabat. Sicut & Julius Piſanus, & Thomas Jungelingus, de quibus ſupra anno 1563. B

1567. Mulier qdã ob hemicraniã dextræ partis, in cõvulſiones inciderat.

Weſaliæ in principatu Clivenſi matrona quædam Antuerpienſis, puerpera propter dolorem œſophagi, ſine ullo tumore apparente, ſuffocationi quid ſimile querebatur.

Ibidem coriarii cujusdam Galli uxor, alterum pedem aridum, nigrum, absque tumore emortuum, nempe ſideratum aut ſphacelatum, ſine ullo motu aut ſenſu aliquandiu geſtaverat, abſque ſeparatione à parte ſana, quam tamen multò pòſt factam intellexi, & ſpeciem linguæ bovillæ fumo induratæ præ ſe tuliſſe. C

Lemgovii urbe Weſtfaliæ hoc anno (quo familiam, (relicta, ob imminentia belli religionis cauſa naſcentis pericula, urbe Antuerpienſi) ſtipendio illuſtrium Lippiæ comitum vocatus tranſtuleram) conjugi meæ ex lapidoſi ſoli ſuccuſſatione aborſus acciderat, cujus copioſa ac diuturna hæmorrhagia, cum ſponte ſua, nec per quietem, nec per deſinentis jam autumni incipientia frigora ſiſteretur: tandem infuſo per metrenchytam hypociſtidis & tragacanthæ decocto, Dei gratia refrenata ceſſavit.

Ibidem, civis Herevordienſis filia, xij. annos nata, Epilepſiæ diminutæ paroxyſmo, ſingulis horis imò frequentius eo tentabatur, in modum levioris convulſionis, abſque ulla oris ſpuma, imò ſine lapſu, capite, collo, oculis, vultu, cruribus, brachiis leviſſimè convulſis, ita nempe, ut candelabrum manu tenens, non dimitteret: Jam ab anno ætatis octavo, nempe per annos quatuor malum perpeſſa fuerat. D

Here-

Herevordiæ canonici cujusdam uxor, dolorem cum ſenſu ſtupido, & palpitatione, inæqualique diſcurſu, per brachium dextrum, ab humero ad manum uſque patiebatur. 1568.

Godſcalci Donopœi viri nobilis, conjux juvenis ſed ſterilis, purgationes menſtruas difficiles ſummoque cum cruciatu conjunctas querebatur.

Abbatiſſa Herevordienſis ex comitum Lippiæ familia, vertiginem, cum lateris ſiniſtri, brachiique, & cruris & linguæ impedito motu, ſtupidoque ſenſu percipiebat.

A Nobilis matrona Margarita von Twiſten/ ſtuporem in brachiis, ac cruribus, ac ſi acubus pungeretur, ſentiebat, unà cum calculo renali.

Johannes Holmannus Conſul Oeſſelenſis, ructationibus duriſſimis, & ſonoris, crebriſque, cum ſingultu moleſtiſſimo conflictabatur.

Filia Conſulis Wuntzdorffienſis XVI. annos nata, poſt menſium, per annum totum, durantem obſtructionem, ſubitanea ſenſuum, rationis, memoriæque occupatione, correpta fuit, momẽtum quidem perſiſtente, ſtatimque ſoluta; ſed frequentiſſimè redeunte,
B ſine ullo prolapſu in terram, aut ulla convulſione.

1. Octob. venerandus ſenex & conſularis, Johannes Corputius Bredanus ſocer meus dilectus, anno ætatis 77. ex mœrore, propter calamitates totius Belgici, per ducis Albani tyrannidem religionis prætextu invectas, ſuæque familiæ exilio ſpontaneo diſſipationem, contracto; in febrem quartanam Lemgovii, quo noſtri viſendi gratia pervenerat, incidit, à qua 23. Januar. 1569. liberatus ſingulari Jeſu Chriſti clementia, & quidem per ſex hebdomadas incolumis permãſerat. Verum 25 Februarii in lateris dolorem prolapſus, poſtridie, cũ à lecto aſſurgere, & erigere ſe, erectuſque pro more ſuo, in pavimentũ
C (familiæ operam, ad ſublevandum ſe, oblatam recuſans) deſcendere laborat; Ex illa defatigatione lipothymia correptus, collapſuſque in terram exſpirat, & vivendi finem facit.

Theodorici Grothenii patritii Lemgovienſis conjux, œdemate utriuſque cruris ſcirrhoſo incipiente, maculis puniceis ſubnigris, quæ ſcorbuti vernaculi weſtfalis morbi erant veſtigia. 1569.

Canonicus quidam Paderbornenſis, cum urina purum ſanguinem excernebat. 1570.

Gabrielis Donopæi uxor, cum febri Epiala luctabatur, nam cũ ingenti fervore, magnum ſimul frigus toto corpore ſentiebat.

D Hermannus Corveyus, ſenex, patritius Lemgovianus ſeptuagenarius, ratione, memoria, ſenſu communi, per aliquot dies deſtituebatur. Revaluit.

Reinerus Donopæus nobilis vir, hæmorrhagia per alvum copioſa, libras ſaltem quinas confertim dejiciebat, clyſteri aſtringenti reſtitutus.

Eſaias Tinctor pannorum Mindenſis, fœtore narium vexabatur, ut omnia ſibi fœtidum olere viderentur, absque ulcere tamen naſi ullo.

Comitiſſe Lippienſis viduæ filia natarum minima Bernarda, maculis illis rubris quas exanthemata eſſe volunt, vulgus **die Kindsflecken** appellat, ſimul cum vehemente febri decumbebat, nec non diarrhæa nigricante affecta, quam dyſenteria excipiebat convaluit.

Civis Herevordienſis, fluxũ cœliacum, quo lævia, æqualia ſuiq; ſimilia, chyli ſpeciem habentia profluebant, jam per quinque hebdomadas continuo, corpore extenuato dejectisque viribus patebatur. A

Johannes ab Hærda vir nobilis territorii Paderbornenſis, hydrope duplici tympania & ſarcite ſimul premebatur, abdomine intus à flatu diſtento, & extra cute ædematoſa, prætereà ædemate ſcirrhoſo utrùmque crus, per femora ad lumbos uſque intumuerant, aderat & orthopnæa, cum monſtroſiſſimo pulſu inordinato & inæquali, lethaliter decumbebat.

Chriſtophori Amelonxii viri nobilis, & militum tribuni vxor, lotium hypoſtaſi multa albi cretacea abundans, longo tempore profundebat.

Fuſor æramentarius, de dolore inteſtinorum circum umbilicum acerrimo, cum crebro vomitu ſtrictaque alvo, iliaco ſimili, quærebatur, affectu apud Weſtfalos inſolenti. B

1571. Filiolus Diderici Cathmanni patritii Lemgoviani, convulſionem in utroque oculo, gena dextra, dextroque brachio tantum percipiebat.

Ianitor Caſtelli Bracæni, venabulo ſupra tempus ſiniſtrum inflicto proſtratus, duobus capitis vulneribus cum contuſione, exigua valdè cranei fiſſura (quæ non niſi calva per ſerram ablata, & quidem atramento infricto, pili tenuitate apparuit) brachio tamen dextro reſolutus, nam in illa capitis parte, non in ſiniſtra, venæ diſruptæ, C multum cruoris intra cranium effuderant, ſine mente, ſenſu, voce in tertium diem ſupervixit.

Illuſtris Dominus Hermãnus Simon à Lippia, Pirmontii, Spigelbergii & Swalebergii Comes, ex puſtulis flavis lātiſque ægrotabat, qui ipſi 40 annos ſuperanti menſe aprili hoc anno, cũ febri exanthematum more eruperant, ſub utraque nimirum ala, in utroque brachio & manu. cubitis, ſcroto, genibus, circum talos & in pedibus.

Abbatiſſa Herevordienſis, comitis prædicti ſoror, tumore oblongo ſcirrhoſo in meſenterio ilii dextri, cum cruciatibus acerbis per intervalla circa umbilicum recurrentibus, in flatione manus, livoribus & ſudore palmæ ſubitaneis per vices recurſantibus, non ſine animi anxietate affligebatur.

Iohannes Burggravius Canonicus Bilefeldianus, ardore urinæ tanto torquebatur, ut nec de die, nec nocte, ne per quadrantem quidem horæ lotium continere poſſet, abſque ullis tamen aut calculi

culi,aut ulceris indiciis. Durarat malum jam per annos ſeptenos.

Civis Lemgovienſis,ſtranguria cum dolore lumborum atque pectinis, abſque calculo vexatus.

Tabellarius Herevordianus,palpitatione, & ſtupido quodam ſenſu,tanquam repentium formicarum(quod ein Krimmelinge appellabat) ferè per univerſam cutem perſeverante, & hemicrania moleſtabatur.

Filia equitis cuiusdam Ulotenſis,convulſione brachii dextri, cũ ſenſuum mentiſq; læſione per intervalla recurrente, & vix quadran-
A tem horæ continuante, interdum pedis dextri agitatione accedente tentabatur, quod ex ſubita animi conſternatione ortum duxerat.

Nicolaus Doppius pharmacopæus Mindenſis ſenex,ex diuturniore urinæ,in ſympoſio honeſtorum hominum,detentione tumorem 1572.
tenſum ovali figura ad Spithamæ longitudinem inter umbilicum & pubem, ſicut ſenex ille paralyticus Antuerpiæ an 1565. in ipſa nimirũ veſica contraxerat,cum lotii ſtillicidio continuo, ac ſedimento craſſo & albo.

Hilmarus Monickhuſius clarus copiarum ductor quondam ſub Carolo Quinto,ulcus inteſtini recti,cum magnis doloríb. ad os ſacrũ
B & perinæum,per longitudinem penis, ad glandem uſque per multos patiebatur mẽſes,poſt excretionẽ rei cuiusdã duræ,ſiccæ, & 18. pollices longæ ad finẽ modulo præditæ,in quo aliquid fæcis latitabat. De quo affectu,vide Epiſtolã 28. Aprilis 1572. ad Hectorẽ Mithobiũ miſsã.

Diderici Cathmanni patritii, Lemgoviani filiolus, imaginatione ad tempus corrupta deinde tendinum utriuſq; cruris, intra poplites contractione per intervalla,ex animi conſternatione,ſecutis.

Rutgerus Cramer civis Huxarienſis ad ripã Viſurgis,vomitu matutino quotidiè,vẽtriculo ieiuno,qui diu durarat,cętera benè habebat.

Detmoldiæ in noſodochio,mulierculæ cuidã vetulæ quondã obſtetrici,carnoſa quædã excreſcentia,puerilis pugni inſtar, ex angulo
C maiore oculi dextri propendebat,Encauthis græcis dicta videtur. 1578.

Pręfectus venatorum illuſtris Lippenſium comitis de dolore circa dextram œſophagi partem querebatur,præ quo ne micam quidẽ panis madefactam ſorbendo hauſtam ferre potuit, immo vix ipſum ſolumq; potum, niſi paulatim & per cochlearia ſingula ſumeret. Æger cauſam in fruſtum tendinis bovilli ſubduri devoratum referebat. Ego tuberculum durum intra œſophagum, ea in regione ſuccreſcere occoepiſſe exiſtimo.

Sartoris cuiusdam Mindenſis filius 17 annorum,œdemate eryſipe-
D latoſo & ſcirrhoſo,in utraq; manu,utroq; brachio ad cubitos uſque, nec nõ in pede & cruce dextro ſolum affectus,poſt 2. aut 3. hebdomadas aut ad ſummũ menſes ſingulos recurrente malo. Vexatus eo fuerat inde ab anno ætatis nono, hucuſq; continuo,in cruce tamen rarius, fortè vicies aut circiter.

Iohannes Seyler adoleſcens, Cancellarii Pirmontani filius, hæ

morrhoidum recluſione anniverſaria, circa vernum tempus, iam per aliquot annos facta, laborans.

Heidelbergæ (iam n. ex weſtfalia in Palatinatũ à Friderico tertio Electore vocatus familiã transportatã) Abrahami Galli paſtoris Eccleſię Caulẽſis ancilla, defluxione acerrimi humoris infeſtabatur, qui pinnas narium, & columellã faucium, per annos iam XII. erodebat. Antea oculos affligere ſolebat.

Henricus filiolus meus, nuper natus, abſq; vagitu mortuo ſimilis, in lucẽ editus, quarto ab ortu die, plures q̃ viginti paroxyſmos epilepticos, leves tamẽ, intra XV horarũ ſpaciũ patiebatur. Poſt pauculos inde dies, tumores ſcirrho phlegmonoſo nõ abſimiles, inter utraſq; ſcapulas, ad utraſq; nates, & coxã utrãq;, verſus genua ſequebãtur, q vix intra mẽſes ternos diſcuti per remedia potuerũt. Adeoq; pes ſiniſter eã ob causã per annos aliq ad inceſſum minus cõmod⁹ fuit. Manus a dextra ad actiones mutila manſit dum ſupervixit, per annos prope novem. Cuius imbecillitatis cauſa viſa eſt, triſtitia matris quã ex damno ſuppellectilis lineæ veſtiariæq; negligentia aurigarũ, madefactæ & magna ex parte putrefactæ cõceperat & per octo mẽſes in animo foverat, quotidiana corruptorũ inſpectione ac reparatione. A

1574. Thomæ Thilii Theologi vxor dolore lateris ſiniſtri, paulo infra ſcapulam ſpiratione difficili, tuſſi, ſanguinis ſputo cum febri tertiana, doloribus colicis accedentibus. B

Iſabella de la Rocca Brixienſis, poſt copioſam ex narib. hæmorrhagiam, in febrem continuam, cum capitis & ſtomachi dolore, vigiliis, & animi deliquiis, incidebat.

Virgo nobilis Giffordii pręfecti pętorio in aula Electorali neptis, febri tertiana duplici jam fixa laborabat, quæ circa octavam matutinam quotidie recurrebat, frigore per horas duas, & calore totidem durante, nullo ſudore ſequente. Tali modo jam ſupra hebdomadas triginta perſeverante, hæc adoleſcentula annos plus minus XII. nata, nullis purgantibus, ne quidem pilulis vehementiſſimis permoveri potuit: Lenibus autem & quidem liquidis parebat facilius. C

Nobilis virgo in Gynæceo Electorali **Die Quadin**, febri tertiana intermittente, cum furore affligebatur vigentibus paroxyſmis.

Theodorus Rabotius adoleſcens Pariſiẽſis nobilis annorũ XIV. in frequentẽ lipothymicã proclivis, dolore ſtomachi, tumore duro hypochõdrii dextri, ſcabieq; affect⁹, pulsũ parvũ, debilẽ, mollẽ, frequẽtem in arteriis carpi quidem, in corde verò motum vehementem ſatis magnum, & celerem, utrobique tamen ęqualem habebat, accedente paulò pòſt hydrope aſcite. D

Nobilis puer Principis Iohann. Caſimiri febricitabat cum capitis vertigine, accedente vehementi diarrhæa, qua ferè ſedata & ſponte ceſſante, in delirium melancholicum prolabebatur.

Filiola mea Antonina, poſt vomitionem crebram, cum alvi profluvio, febrem continuam patiebatur, qua 18. Iulii anno 1574. ætatis octavo extincta eſt, magni ingenii puella.

Vxor

Vxor mercatoris Heidelb. diarrhæa nigricãte, tãdẽ liveſcẽte correpta.

Ludovicus Comes Wittigenſtenius, magnus aulæ Electoralis magiſter, paroxiſmo melancholico, & triſtitia vana ſubinde affectus.

Schonavienſis civis filius, aphonia per intervalla laborabat, abſq; ulla reſpirationis offenſa.

Illuſtriſſ. Princeps Fridericus Elector, tuſſi cum reſpiratione difficillima, ſummoque ſuffocationis diſcrimine, quo ſubinde invadi ſolebat, **das Keichen** vulgo appellatur, ex tenui catarrho. 1575.

Illuſtriſſima Domina Amelia, ex Comitum à Newenar familia,
A Electoris coniux, ſtillicidio urinæ cum ſummis in utraque pectinis parte cruciatibus & febri.

Hiſtoriola admiratu digna, de ruſtico utriſq; luminib. orbato, attamẽ, & quidẽ p nares, cernẽte: ſic habet: Ruſticus ætate iuvenili, utroq; oculo cæcus vulgo putatus, q̃ tamẽ p narẽ ſiniſtrã omnia obiectã etiã quaſvis monetæ ſpecies, viſu diſcernere poterat (eo ꝙ chirurgo ſuo de imperita curatione litẽ intẽtabat) Medicis explorãdus offebatur: Nã poſtq̃ oculorũ dexter multò antè tẽpore extinctus eſſet: tãdẽ ceraſa decerpturus, ex arbore in ſudẽ dumi faſtigiatã delapſus, vultũ impegit, circa tẽp⁹ ſiniſtrum, & utrãq; cũ oculo palpebrã naſumq;
B fœdiſſimè dilacerarat, & perfregerat. Quo vulnere, naris ſiniſtræ meat⁹ eſt dilatatus diſruptiſq; in angulo temporali oculi muſculis, retracta ad naſũ pupilla in ãgulo maiori delituit. Vulnere a. percurato, utraq; ſuperior ac inferior palpebra, abruptis ambarũ muſculis, ad annatã oculi tunicã agglutinatæ ſunt. Atq; in hũc modũ, utroq; orbus oculo, cœcuſq; , nõ vulgi ſolũ, ſed etiã ſua ipſius opinione videbatur. Nam oculi globũ cadẽdo evulſũ, ſudiq; acuto inhæſiſſe chirurgus omnib. aſtãtib. perſuaſerat Evoluto a. poſt acceptũ vuln⁹ anni ſpacio, cicatricib. iã intra naſũ ſiccitate adæquatis, aut lævigatis, dũ p æſtatẽ in gramine ad ſolẽ apricaretur, aliquid lucis per nares haurire ſibi viſus eſt,
C imò albicãtes per herbã floſculos cernere. Taliq; initio, viſionẽ porrò per ſiniſtrum naſi meatum, vulnere patentiorem factum exercere cœpit, ac per quinquenniũ continuo deorſum ſpectare aſſueverat. Verũ ſuſpectans lucem ferre nequibat. Anno 1575. vide Epiſt. 13. li 5.

Adoleſcens quidã inter coquos aulicos 22. Martii ex paroxyſmo Epileptico, in carũ incidit, quo per triduũ ſoporatus iacuit. Quarto inde die ex profũdo illo ſopore excitat⁹ in deſipiẽtiã, vigiliaſq; trãſit, 5. pòſt diẽ nẽpe 29. Mar dormire ſecundũ naturã, & ſapere rurſus cœpit.

Ego 2. Maii eiusdẽ anni, in ſiniſtra oſſis ſacri parte, cruciatu ingenti exercebar, ut nec ſtare, nec ſedere, nec iacere quidem commodè poſ-
D ſem. Tuſſis ſternutatio nixuſque omnis imò alvi excretio per compreſſionem dolore inſigni afficiebat, exporrigebat ſe malum in os coccigis, ferèque ad genu ſiniſtrum, abſque ulla febri.

D. Thom. Eraſtus, primarius Med. Profeſ. dolorib. pũctoriis, ſubitaneis, vagis, momẽto durãntib. diverſas corporis partes ſubcutaneas modo hic, modo illic invadẽtib. motu & forma febris tertianæ. Ex flatu ſubter cutẽ vagãte, ſuſcitari videbãtur x. die Maii.

In ptochodochio, peregrinus quidam iuvenis ruſticus, [illegible] crus palmi latitudine infra genua, ſphacelo, per frigus intole[illegible] dum præſepi lecti aut fœni loco uti cogeretur, emortuum ge[illegible] quorum dextrum natura ipſa iam ad os usq; ſeparaverat: ita [illegible] ut hiante undiquaq; ad pollicis latitudinem ſeparatione, ne[illegible] næ, arteriæ, tendines, tanquam funiculi teſſi conſpicui eſſen[illegible] illo vermibus pleno ſiniſtrum nondum habat. Præterea in na[illegible] oſſe ſacro, & lumbis, ex decubitu ſupino diu tolerato, ulcera g[illegible] noſa alia hebabat.

D. Antonius Franciſcus Pigafetta Italus chirurgiæ doctor [illegible] ſodochii Electoralis Medicus, peritia celebris, ob domeſtici ca[illegible] (quo propter incœſtum damnatus fuerat) indignationem, in [illegible] rem rapitur. A

D. Thomas Eraſtus 10. Iunii poſt diſcuſſam febrem tertia[illegible] doloribus illis uagis flatulentis, in graves tenuium inteſtinorũ [illegible] ſiq; totius & pectoris, nec nõ capitis, colli, brachii dextri (quod i[illegible] ſolutũ ac inutile à puero erat) & utriusq; cruris dolores incidit, p[illegible] purgationis negligentiam, eò quod à catarcticis tantoperè ab[illegible] ret, ut ſumere ea nequaquam poſſet.

Hiſtoriola empyici aut ſuppurati cuiuſdam per ſectionem [illegible]. B

Centurio quidã inter legiones ordinum Hollandiæ confœdera[illegible] nomine Iohannes Corputius, affinis meus ex injecta ſibi emi[illegible] à ſeditioſo milite ſica, menſe Junio anno 1574. inter 6. & 7. ſiniſt[illegible] ctoris coſtã, adverſum vulnus ſub mãmilla penetrans acceperat. [illegible] plaga, cũ propter magnam collecti intus cruoris, & in pus cõver[illegible] piam expurgari, multò minus conſaneſcere non poſſet, atrop[illegible] modũ hectici & tabefacti hominis abſumptus, ex Hollandia He[illegible] bergam navigio ad me, deſinente Martio hoc anno 1575. ſubve[illegible] pervenit, perſuaſus ſe medicatis potionib. quas vulnerarias vocã [illegible] curari poſſe. Quod cũ per menſes totos tres, me tamẽ diſſuade[illegible]) C fruſtra tẽtaſſet: & magis magiſq; in dies ſingulos vires labaſcere, [illegible] puſculũ hectica febri ſymptomatica attenuari per vulnuſculũ [illegible] ſtũ, nihil memoratu dignũ idq tenue ſolũmodo pus, potiusq; i[illegible] quendã nec niſi tuſſiendo alio ve conatu vehemẽti excerni, po[illegible] deret: tamq abominãdi eſſe putoris, ut non aſtantib. ſolũ (at[illegible] in ampliſſimo cubili, & ventis pervio) verũ & ſibi ægroto intole[illegible] lis deinceps foret: ſibiq; niſi generoſius aliud remediũ adhibere[illegible] certo & quidẽ brevi pereundũ eſſe (Facile n. ſibi perſuaſit per [illegible] plagã, tũ natura loci arctiſſimã, tũ ſua ſponte, vel invita chirurg[illegible] leſcentẽ: craſſũ illud & fœculentũ inveteratũq; iã per anni inte[illegible] D pus universũ, quòd infra vulnus in pectoris cavo, diaphragmati [illegible] derat, ſurſum expelli minimè poſſe) deſperabũdus tandem, m[illegible] meis conſilioque unico, ac neceſſario, quantumlibet periculo[illegible] acquievit: novoque vulneri (commodiori tamen ad reſidis [illegible] ſtæque materiei effluxum loco) faciendo ſeſe viriliter offe[illegible] bat.

rebat. Quamobrem 6. Julij 1575 Johannis Alardini Chirurgi Schonavienſium induſtrii & periti opera uſus, deſignato per carbonem loco, ſcalpelli Gallici, Lancettam vocant, mucrone latiore, inter decimam atque undecimam, hoc eſt, inter penultimam & antepenultimam coſtam (à collo deorſum numerando) in latere ſiniſtro, proximè tamen & contiguè ſuperiori undecimæ ſive penultimæ inter coſtas nothas parti, adacto: meatum latitudine pollicis molitus ſum. Quo adaperto, forcipem ad figuram roſtri corvini ſinuatum, longitudine ſpithamæ immiſſum; huc illuc, ſurſum deorſum, intra
A thoracis cavitatem leniter verſavimus. Cujus beneficio, pulmones ab interna pectoris, quæ coſtas ſuccingit, tunica (cui vetuſti puris glutino illi accreverant) divulſi ſunt, & inveteratæ fæcis vomica ſoluta eſt. Quæ operatio Jeſu Chriſto (quem flexis genibus antè invocaveramus) benedicente ac dirigente, adeò feliciter ceſſit, abſque ulla vel minima noxa ut ſtatim prima vice grumoſi craſſiſſimique puris, adeoque fœtidiſſimi quantitatem, ad libram unam, eduxerimus. Poſtridiè tantundem, aut paulò amplius. Tertio die quantitas ferè æqualis prodiit. Quarto multò minor. Quinto, vix quidquam. Injecta autem per ſiphonem aqua mulſa, diligenter interna pectoris ampli-
B tudo ſemper expurgabatur: Donec tandem poſt dies non ita multos, qualis immiſſa fuerat mulſa, talis, videlicet pura, puta per novum vulnus redderetur, quod internarum partium puritatem teſtabatur. Qua cloaca thoracis repurgata, mox æger melius habere, renutriri, habitumque corporis (longa ægrotatione deperditum) recolligere cœpit. Vulnus vetus ſub mammilla coaleſcere, & cicatrice obduci permiſimus. Novum verò, per menſes aliquot de induſtria (quamvis non eſſet opus) apertum ſervavimus: ut ſi quid fortè uſpiam latuiſſet, aut renatum fuiſſet excrementitii humoris, hac educi poſſet. Vnde adeò & quidem brevi convaluit, ut ad labores bellicos reverſus
C in hunc usque annum 1611. vivat & præſidiariis præſit in urbe Gruninga Friſiæ.

Sectionem autem eo loco, nimirum in ima lateris parte, & dorſum verſus moliti ſumus, quia commodiſſima illac pateſceret via, per quam & jacendo & ſedendo, vel ſponte ſua omnis ſuperfluus humor efflueret. Nec ea pars eſt diaphragmati contigua, ut attingat: adde quod & pulmonis extremæ fibræ, non modo illic tenuiores exiſtunt, ſed vix quidem eo usque deſcendunt, jacenti præſertim. Omnis autem inter coſtas ſectio, non juxta inferiorem, ſed proximè juxta ſuperiorem coſtæ partem obeunda eſt, nimirum ne vas aliquod, ſeu
D vena, ſeu arteria, ſeu nervus feriatur, quæ tria ſubter inferiore & craſſiore ſimul, cujusque coſtæ parte, deducta exporriguntur, & in foſſula illa longa, in hunc uſum facta, deliteſcunt, teſte Gal. lib. 8. c 6. & 7. adminiſtrat. Anatom. circa medium, his verbis: porrò dictum eſt inferiori ſingularum coſtarum circumferentiæ, non modo nervum, ſed arteriam quoque & venam porrigi.

David Betz præfectus arcis Walteck, doloribus iliacis, cum vomitu, conſtricta alvo, ictero, & dolore ſyncipitis vexatus circa mediũ menſis Julii, medicamento per inferiora purgatus 14. ſedibus nigerrima & plurima primo, deinde flava dejecit

In auguſto D. Caſparis Oleviani ancilla, de oculo ſiniſtro querebatur, qui extrinſecus quidem bene habebat, majuſculus tamen & tumidior dextro erat. Intus quoq; dolebat, cum vicina ſibi frõtis parte, eodemq; illo adeò obſcurè cernebat, ut aſtantem ſibi hominem pro umbra quadam, ſine ullo lineamentorum diſcrimine aſpiceret. Dicebat a. eundem ſibi oculum ſubinde ſcintillare, malumque per dies circiter x v duraſſe quodam quaſi ſuffuſionis principio. A

27. Auguſti Villicus nobilis viri Junii de Ionge, febre lipyriæ ſimili, torquebatur, intus ardens, cum ſiti magna, vomitu continuo, & diarrhæa, extrinſecus verò per triduum frigens.

Hector Thomas Juris Licentiatus, Diarrhæa varia, nigra, flava, ſubvireſcente, aquoſa, pingui, per vices, cum tumore flatulento hypochondrii medii ſupra ventriculum, nec nõ utriuſq; ilii, maximè dextri tenſione, non ſine dolore verſus inguen dextrũ colore cutis ſuppallido, febricula & tuſſi ſicca, cum hydropis tympanitis principio. Qui ſexto inde die, hæmorrhagia magna mane oborta, ut ſupra & inf. ſimul, ſanguinem copioſè redderet, ante veſperã exſpirabat. 28. Sept. B

Sartor quidam aulicus adoleſcens quartana afflictus, poſt ſingulos paroxyſmos, tumore quodam flatulento, tanquam Leucophlegmatica affectus, per totum ferè corpus intumeſcebat, qui tamen nõ multò pòſt, ſaltem antequam alius paroxyſmus ingrueret, evaneſcebat in Novembri.

Villico nobilis viri Junii de Jonge, de quo paulò antè, dudum à Lipyria febri reſtitutus, de dolore oſſis ſacri queſtus eſt, qua ab hora xii. diei, usque ad xii. noctis excruciabatur quotidiè, reliquo temporis intervallo intermittente. Perſeverarat malum ferè per hebdomadas quinque. 1. Decemb. C

Virgo nobilis in Gynæceo Electoris, dolebat parte corporis ſiniſtra, ab oſſe ilium, usque ad omoplatam, ut in latus affectum facilius, quam in dextram cubare poſſet, cum febricula.

Ruſticus 32. annorum, optimè coloratus, firmique habitus, genitalium impotentia laborabat; ut per decennium totum, ex quo uxorem juvenculam x i v. annos natam duxerat, maritale debitum eidem perſolvere nunquam potuerit.

Coquus Dn Ludovici Comitis Witgenſtenii quartana febri aliquantiſper laborarat, quæ ſub finem Decembris in tertianam mutabatur, eademque poſt duas aut tres corporis purgationes, ante Idus Januarii anni ſequentis *76.* ægrum omninò deſeruit. D

1576. 20 Janu. Socrus mea, dolore juxta axillam ſiniſtram febriq; continua cum tertiana intermittente corripiebatur, durabatq, paroxyſmus primus xx v i i i. horas abſque ullo ſodore, comitabatur coma quoddam

quoddam, ut vigil eſſe nequiret, etiam paroxyſmo finito. Poſt ſectionem venæ, dolor ab axilla per totam thoracis regionem diſpergebatur, ſine tuſſi notabili. Paulò pòſt totus dolor deſerta ſiniſtra in dextrã transibat. Quarto die aphthæ in ore apparebant. Sexto, dolor relicto pectore, infra coſtas nothas deſcendit. Septimo ſingultus invaſit. A quib. malis tamen, Chriſti favente clementia convaluit, an. nata 67.

Filiola Dn. Joan. Reckii triennis, utriusque oculi lippitudine, præſertim verò dextri, jam per biennium vexabatur, cum tanta lacrymarum acrimonia, ut genas, malas, labra mentum exulceraret.

A Nobilis virgo à Carthauſen in Gynæceo Comitis Witgenſtenii, tardantib. menſib. jam tamen redire incipientib. Poſt cœnam horrore corripiebatur, quem lenta raraque reſpiratio (velut ſuſpiria altiſſima) excipiebat, una cum cordis quadam, ut dicebat, compreſſione difficilique ac raro ſermone, mente tamen integra.

Antonius Olevianus, Medicus Neuhuſienſis pædagogii juxta Wormatiam, qui ab initio Octobris iliacis cruciatibus, tarda alvo, cum dolore oris ventriculi tanto, ac ſi ſtilus impactus fuiſſet ad dorſum usque, & principio icteri torquebatur; quib. laſſitudo, levisque tamen omnium articulorum dolor cum inquietudine nocturna acceſſerat. 19. Octob. dextrum brachium reſolvi ceperat, cum magnis

B tamen brachii utriusq; dolorib. vocis exilitate, epiglottidisq; imbecillitate, ut absq; tuſſi bibere non poſſet. 4. Novemb. trib. digitis infra mamillam dextram dolebat, cum reſpirationis offenſa, tuſſicula, & febri. 7. ejusdem cum catarrho tenui nocturno ſuffocationem minãte luctabatur. A qua affectuũ hydra, divina gratia liberatus ante veris initium, ita convaluerat, ut & brachia & manus officiũ facerent. Sed ſub Cal. Aprilis in dolores iliacos relapſus cum brachiorũ femorumq; imbecillitate incipiente, circa initium Maji in aphthas malignas incidit, quarum ulcera duo grangænoſa coloris nigri evaſerũt,

C in utraq; mala intra os, comitante ſingultu, & æſtu ſtomachi, aliisque pravis ſymptomatib. Poſt paucos dies moritur.

Otthoni Breunle, poſt paroxyſmum febrilem unicum, ſequente ſomno, brachium & crus ſiniſtrum reſolvebatur.

Bernhardi Heuſeri uxor, dolebat in ilio dextro cum vomitu, dolore ſe per dextrum pedem totum, usque in humerum ejusdem lateris extendente. Revaluit.

D. Immanuelis Tremelii Theologi conjux annos 75. nata, diarrhœa bilioſa, pituitoſa, tandemque melancholica, cum excrementis nigricantibus & cæruleis convaluit.

D Fabri cujusdam ærarii uxor parturiens, per triduum aut quatriduum fœtum mortuum geſtarat, jam longæ parturitionis laboribus incaſſum fracta; quæ cum balneo ex emollientibus, calfacientib. aperientibus à me præſcripto aliquantiſper inſediſſet, enixu pariẽdi hoc modo reſuſcitato; ſtatim vix in lectulum repoſita, fœtum mortuum quidem, ſed ingentem facillimè peperit.

Georgius Kœtzer præfectus Caſtrenſis ærarij, cum duce Joan. Caſimiro ex bello Gallico domum reverſus, febri tertiana intermittente ſimplici, in duplicem, ex duplici intermittente in continuam mutata, ſexagenarius, obiit.

Ejuſdem uxor vetula febri continua, cum pulſu crebro & inæqualiter intermittente, frequentibus extremorum tremoribus, brachii præſertim dextri, & ſiccitate oris multa. oſpitata.

D. Chriſtophorus Ehemius Cancellarius Electoralis, laſſitudine ſpontanea ulceroſa, ac ſi fuſtibus dedolatus fuiſſet.

Illuſtriſſimus Princeps, Fridericus tertius Elector Palatinus ad Rhenum, quamvis obeſo admodum corpore, vergenteq; eſſet ætate, putà ſexagenario major, rariſſimè tamen ægrotabat, præterquam bis aut ter in anno, ex catarrho tenui ad pectus fluente, & orthopnæā cum ſuffocationis periculo ad breve tempus generante, quod poſt pauculos dies ceſſabat. Nonnunquam & cordis palpitatione vexabatur, rarius tamen, & quam contemnebat, utpote vetus vitium, nec adeò moleſtum. A

Tandem 5. Octob. 1576. (poſt reditum principis Jo. Caſimiri filii cariſſimi ex bello Gallico) à venatione reverſus domum, aſthmate ſuo corripiebatur, & hæmorrhoidum fluxu, ichore quodam, inſtar loturæ carnis recens mactatæ, ſuccedente. B

Octavo ejuſdem, utrumque crus ab œdemate invadebatur tenſo & ſubduro, quod ad femora aſcendebat, accedebat & tumor planus aſſeris inſtar, durus in imo ventre, inter umbilicum & pubem, cum pulſu inæquali & inordinato intermittente, tumeſcebat ſenſim totum abdomen.

XII. die, ex quorundam malè feriatorum hominum, non medicorum conſilio (ſaltemque non meo) acidulam Birckfeldianam, ut hydropem pelleret, princeps ſenex, autumno jam adulto, tempeſtate frigida, morboque frigido gravatus, aquæ frigidæ minimè aſſuetus, ſed vinis generoſiſſimis, moderatè tamen ſemper, nunquam ad ebrietatem utens: acidulam, inquam, & quidem in otio, domi quietus, modiceque tantum (cum largiſſimè illam adjunctoque exercitio, quo citius in venas & per corpus diſtribuatur, perque urinas & ſudores evacuetur, ingurgitari moris & neceſſe ſit) bibere occœpit, & ad vigeſimum usque menſis diem, continuabat. C

Quam cum nec ſudores, nec urinas, nec alvum ciere videret, putà propter doſin nimis modicam, & quidem in otio cubiculari: Idcircò à vigeſimo per dies aliquot, affatim largiterque illam hauriebat, perſuaſus ab illis aquæ potoribus, hac via rem feliciter ſucceſſuram, adeoque eryſipelati profuturam, quod cruri dextro XX. menſis acciderat, ac exulcerari cœperat, verum longè aliter cecidit. D

Nam 24. die ab hora ſecunda pomeridiana usque ad quintam veſpertinam, principem frigus horridum occupabat, calore febrili ſubſequente, qui in ſudorem noctu ſolvebatur, cum ſumma virium proſtra-

tione. Qua febri poſtridiè pedis cruriſque eryſipelas vehementer accrevit in noctem. Totoque xxv. die ſopore detinebatur.

26. Continuabat in Electore ſopor & ſomnolentia, ut eodem illo, veſperi paulò ante quartam horam, ex hac vita placidiſſimè in Jeſu Chriſto, dormienti ſimilis, ſed tamen ad interrogata annuens decederet, anno ætatis ſuæ LXij dignitatis verò Electoralis xviij.

Notandum, quod per totum hunc annum dum filius ejus Dux Joh. Caſimirus in Gallia belligeraretur, per varios de rebus Gallicis, & quidem ſiniſtros rumores, paternus animus infinitis curis, moleſtiis & anxietatibus excruciatus fuerit.

A Poſtridiè obitus, diſſecto ad exenterationem corpore, abdominis cavitas, aqua plena, inteſtina flatu turgida apparent; interior ventriculi tunica, circa ſtomachum, verſus dorſum, ſubnigricans.

Hepar, lien, renes, nihil mali habebant.

In thorace omnes pulmonum lobi, intus atque extra nigricabant, ſanguine quoque nigro turgebant, ſubſtantia viſceris æquabili, dextro tamen lobo pleuræ adnato.

Cor in utroque ſuo ſinu, ſubſtantiam quandam continebat oblongam, teretem, mollem, ex albo flaveſcentem, lentam, medullæ

B oſſium calefactæ, perſimilem, ſed appendicibus aliquot præditam, in dextro quidem longam digitos ſeptem, in ſiniſtro tamen ſinu minorem multò, craſſitie digitali, ſubſtantiam hanc talibus locis contentam. veroſimile eſt inæqualium, inordinatorum, intermittentium pulſuum, foraſſis etiam palpitationis cordis, qua ſæpè laborabat (ſicut in mercatore illo ſuprà anno 61 diſſecto) cauſam fuiſſe.

Urinæ per totum morbi decurſum croceſcebant, craſſiuſculæ quoque, attamen perſpicuæ erant.

Sanguis ex vena hoc morbo nullus detractus eſt. Qui tamen in vere circa Cal. Aprilis extrahebatur ad pluſculas uncias, (habebat e-

C nim venas amplas, eratque multi nutrimenti & quodammodo vorax probe tamen concoquens) pulcher & floridus totus erat.

In anatome iſta pluſcula obſervari potuiſſent, niſi tonſor aulicus (verius quam chirurgus) qui ſectionis adminiſtrationem ſibi pro more ſumebat, ut homo indoctus, & anatomes imperitiſſimus, idiota, Empiricus, ita & moroſiſſimus ſimul fuiſſet, ut doceri aut moneri ferret impatientiſſimè.

Notatu adeoque admiratione dignum eſt, vultum exanimati hujus corporis (quod pollinctum quidem, ſed inſepultum totos dies ſedecim, in maximi natu filii, & ſucceſſoris, Principis Ludovici ad-

D ventum ſervabatur) vultum, inquam, ejus, non flaccidum, non pallidum, aut luridum, quales mortuorum facies eſſe ſolent: ſed plenum adeoque roſeum fuiſſe & permanſiſſe, qualis decumbenti & morienti fuerat.

De cerebri conſtitutione nihil dici poteſt, eò quod principum capita aperiri, non ſit moris.

Conjux mea, dum filiarum minimam utero gereret, per aliquot menſes, urinas turbidas graveolentes & fœtentes emiſerat, absq; ullo tamen alio vitio. Neque puerperio corrigebatur malum.

1577. Uxor mea, ex lapſu, cubitum ſiniſtrum gradib. impegerat absq; vulnere, ex qua contuſione, eſchara rotunda, unguem lata, colore reliquæ cuti ſimilis, eſt ſeparata, absque phlegmone.

Mulier Schonavienſis, quoties ſibi menſes fluerent, inter umbilicum & pubem, ſimulque in lumbis dolorem patiebatur, unà cū fluxu alvi, ſtatis temporibus, ſingulis nimirum menſibus, quod totū biennium jam durarat. A

Cornelius Meierius civis Antuerpianus in æſtate 1577. (quo tēpore Antuerpiam negotiorum cauſa profectus fueram) inexplebili dormiendi neceſſitate correptus, cum oblivione, & amentia quadam decumbebat. merus videbatur lethargus, erectus in pedes, nec cruribus conſiſtere, nec progredi poterat, ſed progreſſionis loco, retrorſum potius ibat. ſuſtentatus tamen.

Henrici Rouſtii miniſtri Zellenſis uxor, Francotalii, prægnās, ex ingenti capitis dolore, in Epilepſiam ſæviſſimam inciderat, per cujus intervalla, ſoporoſo affectu, ac amentia detinebatur, cum ſanguinis ſputo, ob violentiam paroxyſmorum. Paſſa autem convulſiones epilepticas XL. intra XXII. horarum ſpacium, obiit ſequentis noctis hora ſecunda. Ceperat malum pridie nempe 26. Novembris mane hora quinta geſtationis menſe penultimo. B

1578. Filius Septennis, Wilhelmi N. miniſtri Eccleſiæ cujusdam, exautorati à principe Ludovico Electore (quales multi alii, tunc temporis religionis orthodoxæ cauſa) qui oculo dextro cæcus erat, propter humoris cryſtalloidis craſſitiem, aut glaucedinem, absque ullo morbo prægreſſo.

Vxor Davidis Arondæi ægilopem habebat, tumor erat, in angulo majori oculi dextri ad naſum, in abſceſſum converſus & fiſtulam. C
Sed ex dolore œdema illi eryſipelatodes & flatulentum, utramque palpebram malamque invaſerat.

Filiolus civis Francodalenſis febricitabat, & eryſipelate corripiebatur, quod totum pectus cum dorſo toto occupabat. Inde deorſum per totum abdomen, & femora ad genua usq;, ſurſum verò per collum, in faciem, & brachia, ad cubitos usque, ſeſe exporrigebat. *Den rooden vmloop* vocant Flandri.

Uxor artocrearii cujusdam Gallici, partui vicina, ex Epileptica convulſione cum oris ſpuma, in ſoporoſum affectum, ſenſuum, mentisq; impos incidit. Sic affecta, partu juſtum tempus anticipante, fœtum vivum quidem, at mox à partu exſpirantem enixa fuit. Ipſa verò puerpera mēte, ſenſibusq; adhuc deſtituta, poſtridie quoq; moritur. D

Simile quid accidit conjugi Chriſtiani Baerſii cognatæ noſtræ in oppido Bredano menſe Jan. 1562.

Uxor civis Francodalenſis, de dolore lumborum & oſſis ſacri.

magis

magis verò circa partem dextram querebatur, ita, ut neutro pede cōmodè ingredi poſſet. Durarat vitium annos circiter quinque, quod difficultati partus cujusdam acceptum ferebat.

Nicolai Schwabruchii Eccleſiaſtæ in Lambertano prope Neoſtadii oppidum conjux, vomebat æruginoſam bilem ferè quotidiè, dura alvo menſibus rariſſimè manātib. continuarat ſymptoma multo tempore, cætera benè valens, probè colorata.

Uxor incolæ in pago Oedencoviano, ex immoderato uteri profluvio extra partum decumbebat, cui intra menſem unicum, hęmorrhagia eadem, abundantiſſimè quater acciderat.

A Didericus Knodius civis Neoſtadianus aurifaber, valetudinarius propter arthritidē, cujus profligandæ gratia ſcobis Guajacini decocto per menſem integrū, interpolatisq; de more purgationib. uſus fuerat, finiente nihilominus diæta illa (q̃ accuratè ſatis obſervarat) iterū tumores flatulenti frigidi circa genu & pedem ſiniſtrū, itemq; circa dextri cruris malleolū exteriore propullulabat. Unde videre licet adverſus arthritidem, alioſq; morbos à fluxione dependentes, decocto Guaiaci parum profici. Videntur a. humores corporis, medicamento tali magis attenuari, & ad fluxum faciliores reddi.

B Idem in Conſiliario Electorali, podagrico D. Mar [illegible] obſervavi.

Vxor Stannearii Francodalenſis ex difficili partu, herniam intra uteri cervicem patiebatur. Tale quid conjugi quoque meæ ante acciderat, abſque tamen notabili impedimento.

Anatomen decollati corporis in Academia recens inſtituta Neoſtadiana ad q̃ ſuperiore anno vocatus commigraveram in Febr. 1579 publicè exhibui, in qua quædam notatu non indigna animadverti. 1579.

1. Nullum inteſtinorum, ne craſſiora quidem, aut ipſum colon, quicquam adipis intra concavam ſuperficiem habuit, ſicut nec alias

C unquam quicquam adipis eo in loco me vidiſſe memini. Cum tamē practici in dyſenteriis pinguedinem, quæ intrinſecus inteſtinis adhęret, circum liquefactam abradi excernique dicant, antequam carnoſa ſubſtantia lædatur, aſſerente id etiam Gal. lib. 6. loc. affect. cap. 2. & Aetio lib. 13. cap. 43.

2. Non poteſt meo judicio pro cæco inteſtino haberi appendix illa, quæ in modum craſſiuſculi contortique Lumbrici, principio coli, in dextro ilio annata conſpicitur, quum tam exiguus ejus ſit meatus, ut vix ſpecillum craſſiuſculum admittat, tantum abeſt, ut in illo excrementum alvi craſſius primo formari poſſet. Adde quod cæcum

D non tenuioribus inteſtinis, ſed craſſioribus annumeratur. Iſta autem appendix tenuibus longè tenuior & gracilior exiſtit, neque eſt pervia.

3. Initium coli eo loco, amplitudinem pugni habere vidi, quam ad jejunium usque ſervabat. Subter ventriculum autem à dextro ad ſiniſtrum hypochondrium, ipſis gracilibus inteſtinis amplius

plius non erat. Verum in ſiniſtro ilio juxta ſplenem ſeipſo rurſus amplius, ferè ad rectum usque viſebatur.

4. In duodeno nullam meatus fellei inſertionem circa finem ejus, ne quidem inverſo inteſtino notare potui: Niſi obliquata valdè ſit inſertio illa, qualis eſt ureterum in poſteriora veſicæ.

5. Nullas fibras rectas. in tunica ventriculi interiore conſpexi, quales tamen œſophagus habebat conſertiſſimas.

6. Pylorus non erat ipſo ſtomacho, ſitu inferior: Nec ullas habebat glandulas. Erat tamen annulus quidā rotundus, & craſſiuſculus, circum utrumque ventriculi meatum. A

7. Nec erat fundum ejuſdem carnoſius ſuperiori ejus parte, quæ meatui utrique interjacet.

8. Hepatis ille lobus, qui ventriculum ſuprà integit, extremitate ſua (dictu mirum, viſuque inſolens) ſupremæ lienis regioni erat annexus, non equidem membranam aliqua, ſed epiphyſi tres digitos lata, & ſcriptoriæ pennæ craſſitudine verè adnatus apparuit, per quam lienem multum purioris alimenti tranſſumpſiſſe credibile eſt: ut in hoc corpore, rubicundo potius, quam liveſcente colore præditus eſſe conſpiceretur.

9. Renes æquali utrinque ſitu, vaſaque emulgentia ex diametro ſibi oppoſita fuerunt, ut neuter altero ſuperior appareret. Adde quod & renes declivi diaphragmatis parti, ferè toti utrobique adhærebant: niſi quod ima renum portio, duos digitos lata, ſepti tranſverſi adhæſu careret. B

10. Mucronata cartilago fuit bifurcata.

11. Pulmones dextri adeò firmiter pleuræ per membranulas undiquaque agglutinati erant, ut absque dilaceratione ſeparari nequirent. Siniſtri contra erant liberrimi.

12. Pulmones utrique colore ſpectabantur vario, maximè autem fuſco aut ſubnigricante. C

13. Pleura nigerrimas aliquot maculas habebat, unam digiti latitudine, quasdem ciceris, piſi, aut lentis amplitudine, adeò nigras, ut atramento nigriores pingi haud potuiſſent.

14. Aperto cranio, cerebelli ſubſtantiam, cerebro nequaquam ſicciorem aut duriorem, ſed vel æqualem, mollitie, vel molliorem etiam manifeſtè deprehendi.

15. Nullus ex cerebello nervus exortum habebat.

16. Ventriculos cerebri ſuperiores, intus membranula tenuiſſima quidem, quam tamen induſtria ſeparare poſſet, veſtiebat.

17. In ventriculis illis nihil pituitæ fuit, niſi fortè una cum cruore omnem effluxiſſe ſuſpicari malis. D

18 Verum cum quatuor illi ventriculi inter ſe mutuò ſint pervii; ſuperiores autem duo pituitam excipiant: Quærat quispiam, quî fiat, ut, in coryza aliisque hujuscemodi abundantibus catharris, pituita non infundibulū tertii ventriculi humore oppleti præterfluens,

in quar-

in quartum imumque (qui ex tertio ſubter cerebellum ad medullæ ſpinalis principium pertingit) profluere poſſit, atque ita ſi non inſenſibilitatem, ſaltem paralyſin univerſo corpori à capite deorſum procreare?

19. Oſtendi nullum eſſe in renibus cribrum, per quod ſanguinis ſeroſior portio percolari debeat.

20. Demonſtravi titillationem in venereis, non ex ſeroſitate, per venam ſeminalem ſiniſtram (quæ à vena emulgente deſcendit) teſti ſiniſtro communicata, oriri. Sic enim à teſte ſiniſtro ſolummodo
A voluptas promanaret. Conſtat autem eos, qui ſiniſtrum teſtem ſectione amiſerant non minori titillatu ſemen ejaculaſſe, quam ſolebant, cum utroque adhuc inſtructi eſſent, teſte Realdo Columbo, & conteſtante illo, (qui utroque ſe teſte privaverat) Guidone Muſico, de quo ſupra, anno 1563.

Juvenis quidam Lambertanus Simō Godon, ex conflictu ſubter axilla dextra, ad muſculi brachium adducentis inſertionem, vulnus acceperat, quod punctim enſe anguſto illatum, inter tertiam quartamque coſtam, in pectoris cavum uſque penetrârat.

Poſtridiè vulneris accepti, mane toto corpore turgidus, & tu-
B mefactus apparebat, toto nimirum thorace, dorſo, ventre, ſcroto, nec minus collo, humeris brachiis, imò vultu, & vertice ipſo, adeò ut ne palpebras quidem aperire poſſet. Tumor erat tenſus, & cum dolore non parvo, diſtenſis nempe nervoſis fibris, quæ cutem carni alligant ſenſumque præbent. Hujus inſolentis monſtroſique ſymptomatis cauſam, deprehendi efflationem pectoris, per vulnus axillare obſtructum ſubter cutem accidentem, quo modo videmus veſicam recentem flaccidamque, inſerto calamo per flatum intumeſcere, & ſicut laniones pellem ovillam, antequam & quo facilius deglubant, flatu diſtendere alicubi ſolent. Linimentis diſcutientibus intra 4.
C aut 5 dies evanuit tumor.

Senex quidam Neoſtadianus ſenatorii ordinis, duos minores ſiniſtræ manus digitos ſtupefactos habebat, cum frigiditatis quodam ſenſu, ut fruſtuli glaciei, nec digitos illos duos commodè contrahere poterat. Frigiditatis autem ſenſus, à cubito ad digitos affectos ſe portendebat.

Matrona in Lambertano, tumorem in collo juxta jugulum gerebat, qui quoties defatigaretur illa pluſculum, reſpirationi moleſtiam afferebat, aliàs minimè moleſtus, herniæ gutturali non abſimilis erat.

D Hoc anno 1579. in pulſu meo obſervare cœpi inæqualitatem in una pulſatione inordinatam, trementi pauliſper ſimilem, ſed mox caprizantis in modum, validius inſurgentem anno ætatis meæ 42. Quem tamen, licet ſanguinem ſubinde minuendo moderatior factus ſit, in annum uſque ætatis 74. non rarò percepi, abſque notabili incommodo.

Joannæ

Joannæ filiæ meæ octenni, in oculo dextro infra iridem macula rubra magna, in tunica adnata, ſponte ſua exorta eſt, doloris & caloris expers, quæ intra menſem per ſe diſparuit. Erat ὑποσφάγματι aut ſugillationi ſimilis.

Uxor Dn Franciſci Junii Theologi, ſuffocatione uterina vehementiſſima de nocte correpta, propter menſes impeditos.

Vitrarii conjux non diu puerperium egreſſa, in melancholiam furioſam, ſtranguria & teneſmo comitatam incidit, ut infantulo nuperrimè ex ea nato naſum mordicus pene abſtulerit.

Illuſtri Comiti Ottoni Rheingravio, in venatione Ingelhemiana apud Ducem Joh. Caſimirum occupato, utrumque crus maculis rubris creberrimis, vehementer prurientibus infeſtabatur, ſine febri ulla, menſe Auguſto. A

Wilhelmi Roberti de Marca Principis Bullionæi, unà cum fratre Johanne Neoſtadii literis operam navantis, famulus quidam jejunus in ſubitaneum animi deliquium præcipitatus, eodemque oppreſſus, mox interiit, qui ante de nullo malo queſtus fuerat. In cujus anatome Domini juſſu facta, dexter cordis ventriculus ſimul cum auricula ejusdem, nigro, craſſo, coagulatoque aut thromboſo ſanguine, multoque flatu diſtentus apparebat. Quin & in ſiniſtro cordis ſinu, non roſeus, floridusque aut ex rubro flaveſcens ſanguis, qualis arteriarum eſſe ſolet: ſed nigricans quoque craſſusque nec is quidem copioſus ſeſe obtulit. Qua ſanguinis cacochymia & craſſitie, vitalis ſpiritus ſuffocatus fuiſſe videtur. In Auguſto. B

In oppido Ogersheim Johannes de Bary puer decennis, febrim continuam intermittenti conjunctam, in modum hemitritæi, nec non diarrhæam in lienteriam tranſeuntem paſſus. Convaluit.

Illuſtriſſimi Ducis Johan. Caſimiri Palatini filiola unica, parvula adhuc, utriusque oculi tumiditate ex tenuis humoris influxu, absque calore, aut dolore notabili, ita tamen, ut ſiniſter multum prominerer, aut exterior protuberaret. Ἐκπιεσμὸν ſeu expreſſionem oculi, Medici appellant. C

Melchioris Chemmii Conſulis Neoſtadiani filius, ante VI. dies cum equo lapſus, contuſo abdomine intus, toto ventre diſtento, febricitans, cum ictero, diarrhæa, per 8. dies durante, inſomnis, cum tympanite, œdematoſis cruribus, ſubſequente lienteria. Convaluit.

Viduæ Ratteloiæ filiolus, præter achores, & glabritiem capitis, genarumque tumorem, maculis etiam lividis per ventrem, purpureis verò per dorſum ſparſis affligebatur. D

Petri Schrammii filiolus, poſt plenam papularum eruptionem, imò quæ modum excederet: in vomitum, difficilem deglutionem, dejectionesque primò quidem meri cruoris, deinde in diarrhæam, vigilias, & febrem lapſus eſt. Revaluit.

Matthias Harniſchius Typographus, dolorem circa os ventriculi

culi tàm acerbum patiebatur, ut pugione perfodi ſibi videretur: idque jejuno ſolummodo, & vacuo ventriculo. Sumpto enim cibo aut potu, nihil mali, aut multò ſaltem minus ſentiebat. Aderat alvi durities, cum quadam viſcerum obſtructione. Perſeverarat malũ per annos ſex aut ſeptem. Ex flatu & ventriculi imbecillitate frigida ortum videbatur.

Hanſo Rœsler incola pagi Moſpacenſis, ex ira & triſtitia in hecticam delapſus, corpore extenuato, ventriculo in appetendo, retinendo, coquendo cibos imbecilli tenſis flatu hypochondriis, illo ſini-
A ſtro ad umbilicum usque dolente, abdomine toto flatu diſtento, alvo aſtricta. Nuperrimè atra inſtar atramenti & ſubcraſſa, attamen amara, vomüerat.

Mihi poſt corporis ex pharmaco purgationem copioſam, quinto die, circa initium Januar juxta mamillam dextram, dolor intus acutus inſtar novaculæ ſecantis oboriebatur, quotiescunque, vel me in latera converterem, vel tuſſirem, vel ſuſpirarem, absque tamen ulla febri, aut tuſſi, aut difficili ſpiratione, idque per aliquot dies detinebat.

Vidua Lambertana, ex dolore lumborum, ſe nec curvare, nec
B erigere ad tempus potuerat. Deinde accedente totius abdominis ſubitaneo tumore velut tympanitidis, miteſcere Lumbalis dolor, curvare & erigere ſe ægra, ſine pedum tamen tumore, aut appetentiæ damno, cœpit.

Magiſter Balthaſar Copius Eccleſiæ paſtor, tumore oculi dextri rubicundo craſſo, in annata tunica circũ iridem, tumefactis quoque palpebris utrisque, absque tamen lacrymatione, aut lucis fuga, aut moleſtia. Diſcuſſus eſt.

Cereviſiarii uxor, ſingultu, ſolummodo, & quidem ſtatim à cibo ſumpto per aliquot dies vexabatur.

C Lautræ Principis Joh. Caſimiri Palatini Pincerna, ex ictu temporibus dextris inflicto, maſſetere toto contuſo, eadem nocte exſpiravit.

Ibidem Johannis Zahnii conjux puerpera, ſed malè à partu purgata, ex doloribus circum umbilicum vomitu, ſtricta alvo, capitis dolore & doſi, febricula, frequentibus deliquiis, pulſu per triduũ, adeò parvo, languido, crebro, ut ferè formicans, imò abolitus videretur, vixque percipi poſſet, clyſmis frequentibus, bellè, Dei gratia, convaluit.

Johannes Sabinus, ex dolore capitis acerbiſſimo cum febri, in
D phrenitidem incidit, ut nec dormire, nec quietus jacere poſſet, nec loqueretur, nec quenquam agnoſceret, poſtea clauſis oculis, tãquam ſopitus quieſcebat, pedes tamen ſubinde movens, ſiniſtram verò manum cum brachio aſſiduè attollens, dextram rarius, interim nec cibum nec potum poſcebat.

Ancilla

Ancilla cubicularia Heroinæ noſtræ Catharina, poſt ſanguinis vomitionem abundantem in triplicem febrem collapſa, cum capitis dolore & cervicis, nec non vigiliis, dura alvo, dejectoq; appetitu convaluit.

Puella Lambertana ulcus habebat ſub mamilla dextra, inter 5. & 6. coſtam in thoracis uſque cavitatem penetrans, ut illuc Spiritus exiret, cum magna puris vomica. Potuiſſet meo judicio curari per ſectionem exemplo Centurionis Corputii ſupra anno 1675. ſed noluit.

Victor quidam Lautræanus paralyſi abſoluta omnium partium, quæ infra lumbos ſunt, decumbebat, tantoque earundem ſtupore, ut ne punctiones quidem ſentiret. Acciderat id mali, ex imperita & præpoſtera juvenis Paracelſici Bald. Clodii medicatione, qua dolorem quendam pectoris inter 7 & 8 coſtam lateris ſiniſtri lancinantem, per diuretica (uti promittebat) neglecta generali corporis evacuatione, tollere conaretur. A

Typographi famulus, poſtero nuptiarum die prolapſus de gradibus cœnaculi, vulnerata ſupra ſupercilium ſiniſtrum fronte, & ſub mento ſaucius, ſtatim ſopore, delirio, ſermonis difficultate, ſtridore dentium, febri continua correptus, quinto die morbi moritur. B

In pago Haarta vinitor quidam Georgius Schillich quadragenarius, natura modeſtus & taciturnus, ex ſuſpicione ſiniſtræ de ſe famæ, in ſilentium pertinaciſſimum, & ſtuporem quendam animi inciderat ut prono capite, & defigens lumine terrã, pendulis utriſq; manibus erectus immotusque ſtatuæ modo, dies integros uno veſtigio conſiſteret. Prandii tamen cænæque tempore menſæ tacitus aſſideret. quod ſatis eſſet ederet, ſingulas micas colligeret. Dormiturus ſeſe exueret, & decumberet, manè rurſus ſe veſtiret, & in ſtationem conſuetam, idemque quaſi veſtigium, rediret. Durarat affectus ſupra menſes quinque. C

Filiolus Iohannis Eberhardi, (pro tempore œconomi Academici in ſchola Caſimiriana Neoſtadii) recens in lucem editus, ex virulento lacte matris, diarrhæa, & dyſenteria epidemica æſtatis hujus, correptæ, quod etiam ex uberibus moribundæ (id ipſum pro ſupremo officio proli ſuæ præſtando ita fieri poſtulantis) ſuxerat, idem virus attraxit, quo breviſſimo tempore, adeò exhauſtus fuit, ut præter cuticulam flaccidam oſſa tegentem, nihil miſello ſupereſſet, quo macilentiſſimo habitu, per ſeptimeſtre permanſit. Victo tandem materni lactis veneno, intra menſes paucos in obeſum & alacrem puellum evaſit, & in annum ætatis 25. ſupervixit. D

Viduæ ruſticanæ filia, abſceſſum turgidum, mollem preſſionis veſtigia non retinentem, abſq; ſingulari dolore, colore cutis æquali, à ſcapula ſiniſtra, ſubter axillam, ad mamillam uſq; extenſum aliquandiu geſſerat.

Civis

Civis Otterburgicus, ex illapſo in verticem pondere, abſque vulnere tamen aut contuſione ulla, aliquanto pòſt, in vertiginem devenit, quam tanta brachiorum crurumque imbecillitas comitabatur, ut ſine ſcipione nec ingredi, nec ſiſtere poſſet. 1581.

Adoleſcens quidam ſtudioſus Abr. Dunotus, utroque teſte natura deſtitutus videbatur, neutro ſaltem foris in ſcroto dependente. Dolorem is in dextro inguine, ilioque dextro ſentiebat, qui & tactu & alta inſpiratione exacerbaretur.

Ego per utroſque rectos abdominis muſculos, à ſummo ad imum usque dolorem percepi, ad tactum & erigendo corpus moleſtum, ac ſi contuſus fuiſſet.

A

Vidua Lambertana, oſſe ſacro tantopere cruciabatur, ut ſe nec erigere, nec incurvare, nec exonerandæ alvo eniti poſſet, dolor ſe per utrunque crus, at modo hoc, modo illud ad talos usque extendebat, ut nec incedere quiret, cum ſudoribus nocturnis.

Me ſimilis moleſtia circa initium oſſis ſacri, ut nec inclinare me, nec ſurrigere commodè per 5. dies poſſem à 23. Junii detinuit. Non diſſimile mihi ante 16. dies evenerat, ſed à dolore ſubcutaneo circa verticem ortum ceperat. Quin & ſequentibus annis ſubinde me reviſit.

B

Duabus ancillis unius familiæ Francodalii, papulæ magnæ flaveſcentes per ſola brachia eruperant, de nullo alio incommodo conqueſtis. Quales multis aliis hoc 81. anno ibidem loci evenerant. Tales etiam Illuſtri Comiti Spigelbergico, ſed pluribus locis acciderãt ſupra 1571.

Bartholomæi Burggravii uxor, omnibus mentis actionibus ſubitò privabatur, ſomnolenta, difficili & incondita loquela, cum vomitu bilioſo, quo copioſiore facto, veſperi rediit ad mentem. 1582.

In Februar. Anatomen decollati corporis, ſtudioſæ juventuti Neoſtadii ſeptenis lectionibus intra dies quinque exhibui. Soloſque tres ventres per ſingulas partes perluſtravi. In qua pulmonis dextri lobos tres vidimus, ſiniſtri verò duos ſolum. Pulmones quoque in ſuperficie ubique punctis nigris plurimis, ſicut in illa anno 79. conſperſi erant. Cor autem multum adipis habebat. Vidimus quoq; valvulas in venis deorſum tendentibus.

C

Guſtavus ab Ooſten nobilis Pomeranus, melancholicus, de nimia naſi ſui longitudine querebatur, cum rugitu ilii ſiniſtri, alvique tarditate.

Petrus Brechtelius Prætor Neoſtadienſis, ex cochleæ gradibus non altis, in præceps lapſus, utroque crure omnem motum, omnemque ſenſum amiſit, ut nec alvum, nec urinam excernere poſſet, hypochondriis tumeſcebat, difficulterque ſpirabat. Moriebatur poſt pauculos dies.

D

Johannes Vultavius Bohemus, ſibilum non in auribus, ſed in

occipite quendam percipiebat,cum ore ſalivoſo & punctionibus per intervalla in temporibus.

Jacobus Kreſtelius Senator Neoſtadienſis, utroq; crure ad gradiendum incommodo, præſertim cum frigeſcit, aut timet aut pudefit, aut conſternatur, aut pluſculum bibit. Continuarat malum per annos ſeptem

Ego in Majo huius anni, tuſſiendo vehementius, exſcreavi aliquot fruſtula exigua pituitæ ſubduræ & tenaciſſimæ, ferè gypſeæ, formam coloremque oryzæ excorticatæ, & coctæ leniter imitantia, abſque reſpirationis offenſa, vel prægreſſa, vel ſecuta. A

Uxori meæ dolor quidam juxta aurem ſiniſtram premendo ſolum moleſtus, poſt aliquot ſeptimanas, ſuppuratione facta, pus fœtidiſſimum per aurem emiſit.

M. Wolgangus Weickius phyſices profeſſor, poſt paroxyſmum (ut adſtantibus videbatur me abſente) Epilepticum, in rationis, memoriæ & ſermonis impedimentum, & ſiniſtri lateris motum imbecillum labebatur.

Adoleſcens ruſticanus in pago Haſeloch, Adam Reisler, ſpaſmo mirabili totum corpus perreptante affligebatur, qui modo has, modo illas partes aggrediebatur, dum autem crura occupat, in altum a B liquamdiu ſubſultare invitus cogebatur: Ubi verò brachia invaſerat, jactare illa, & quævis ſubiecta vehementiſſimè pulſare non ceſſabat. Subinde quoq; usq; adeò contrahebantur, ut à robuſtiſſimo viro extendi nequirent. Deſertis inde brachiis in caput ſurſum cauſa repens, alteram eius partem vexabat. Quoties verò cor attingeret, tum denſiſſimè reſpirabat, imò reſpiratione interdum carebat, mortuo ſimilis, mente tamen ſemper integra. Perſeverarat cruciatus aliquot menſes.

Pauli Wipelii pharmacopæi coniux, ex vehementia iliaci circum & ſubter umbilicum doloris, in viſus obſcurationem tantam C devoluta eſt, ut neutro oculorum ne lucem quidem cernere poſſet, per integrum triduum.

Idem cæcitatis vitium ex ſimili iliaco affectu, duobus aliis Joanni Daumio vitriario & pugili, nec non Jacobo Breuningero, Adami Zirckii pharmacopæi alterius famulo, poſt accidiſſe memini, quamvis non tam diu permaneret.

Eadem illa Wipelii coniux ex tenuis inteſtini afflictione utroque brachio, & utroque ſimul crure reſolvebatur, potiſſimum verò dextro, anhela, ſuſpirioſa, anxietatibus frequentibus, levibusque deliquiis exercita. D

Laurentius Welmenitz pharmacopæi Pauli famulus, ex cruciamine iliaco in Epilepſiam & amentiam prolapſus.

Epilepticas convulſiones ex malis iliacis, etiam Petro Bitzero, Ioanni Daumio Laniſtæ, qui Dei gratia convaluit, Iacobo Breuningero, item Thomæ coquo bis, aliiſque nonnullis contigiſſe conſtat.

D.Za-

D. Zacharias Urſinus, primarius, ſicut ante Heidelbergæ, ita poſtea in ſchola Neuſtadienſi Theol. profeſſor, ab iliacis cruciatib. ſæpius curatus, & ab utriusq; brachii manusq; paralyſi, pedumq; imbecillitate, Dei beneficio, pulchrè reſtitutus per 4 annos. Relapſus eſt 23. Octob. 1582. in dolores iliacos, 22. Decem. in manuum & brachiorum reſolutionē, cum dolore vehementi, qui ſupra ad jugulū, & ad pubē infra ſe extendens, pectoris anguſtiam comitantem, habebat, corpore extenuato, voce rauca, lingua non rectè verba formante, ephialten ſubinde patiebatur etiam ferè vigilans, 9. Ian. de frigidis guttulis per 1583.
A utrunque femur defluentib. queſtus, dum reliquæ vicinæ partes probè calebant. 28 Febr. memoria deficiens, cum ſermonis impotentia. 1. Martii ſoporoſus affectus, & levis lipothymia. 6. Ejusdem die, vivendi finem fecit, vir incomparabilis.

Ancillam noſtram febrilis paroxyſmus cum dolore capitis noctu corripiebat, ſubſequente ſomno profundiſſimo in veſperam usque continuato, à quo non niſi violenter excitabatur.

Nicolao Raimundo cruſtulæ furfuraceæ abſque pruritu, aut puſtulis, per totum corpus diffuſæ, etiam vultum fœdabant, quæ ante menſes duos erumpere cœperant. In Febr.

B Adoleſcens quidā ex carnificum familia, viduam procans, pridie multa nocte, ebrius, cantharidū Drach. duas (pro libidinis incentivo nebulonum ſimilium perſuaſu partim ſiccas per ſe devorarat, cinamomi fruſtilla ſupercomedens: partim ex vino hauſerat. Unde linguæ, palati, faucium excoriatio, vomitus, ſingultus, æſtus internus, ſtranguria cum urina cruenta ſequebantur.

Filiolus noſter Henricus, X Febr. ab hora ante meridiem decima, usque ad tertiam pomeridianam, Epilepticis convulſionibus, abſque ulla intermiſſione diſtorquebatur. Unde ſequente calore febrili, nocte inſomni, ſpirituque ſtertente, nondum ad ſe reverſus:
C poſtridie, inter 9. & 10. ante meridiem miſeriis huius vitæ (quam continuis ferè malis obnoxiam per annos penè IX. duxerat) per Dei gratiam ereptus eſt, in beatitudinem æternam traducendus. Vide ſupra anno 73.

Wilhelmi Pluvionii filiolus, præputio per colis longitudinem inflato, & ferè lucido tumebat. Tale memini me Aloſti in puerulo quodam, ſed cui præter coliculum, ſimul & ſcrotum flatu turgebat, dum adoleſcens eſſem vidiſſe.

Hermanno Dræo Friſio Literato juveni, ab anno ætatis XXII. hæmorrhoides ſingulis menſibus ſtatisque diebus jam per triennium fluebant.
D Vide ſupra ſimile exemplum anno 73. in Joanne Seylero.

In pago Moſpach, ruſticus, ex alta arbore delapſus, motum ſimul, & ſenſum utriusque pedis, à lumbis deorſum amiſerat, cum dolore à maxilla dextra ad ſcapulam usque pertingente.

Vide ſupra utcumque ſimile in Petro Brechtelio prætore Neuſtadienſi anno 1582.

Simon Auriga Otterburgenſis, ex febri peſtilenti malè curata, in inguine dextro bubonem durum cum fiſtula vicina retinuit. Qua de cauſa, femur dextrum, durum, ſcirrhoſum ſine dolore, alteroque majus etiam duplo evaſerat. Ulcuſculo tamen ſupra malleolum ejusdem cruris enato. Tumebat illi & mamilla dextra. Inſuper & moleſtè præter conſuetudinem, ab eo tempore, & cum labore verba pronunciabat.

Lambertus Lupoldus Aquisgranenſis, ſtudioſus, ex nimia lucubrationum pertinacia, delirium abſque febri, dementiamque in multos menſes durantem adeptus eſt. A

☞ Matthiæ Harniſchii Typographi filia tredecim modo annos nata, nondum menſes experta; fluore tamen albo muliebri vexabatur, qui acrimonia partes genitales offendebat, cum lumborum & ſiniſtri hypochondrii dolore. ☜

☞ Similis fluor Mariæ, uni ex conjugis meæ ſororibus; ante pubertatis annos in longo decubitu acciderat. ☜

Bartholomæus Gerich. Hugelii ſcriba, ad primam ciborum deguſtationem, nauſea cum pituitæ vomitu vexabatur, potiſſimum verò latrante ob inediam nimis longam ſtomacho. B

Ruſticus juvenis robuſtus ex Haarta pago, ob capitis dolorem prægreſſum, usque adeo aure utraque obſurduerat, ut nullum prorſus ſonitum, nec tonitrua, nec bombardarum diſploſiones, imò nec intenſiſſimos clamores in aurem factos, percipere poſſet. Internos tamen ſtrepitus quosdam aſſiduò ſentiret.

Matthias Eul ſartor Neoſtadienſis, melancholicus mœrore affectus & metu, quod ſe in judicium tractum iri, ignisque ſupplicio damnandum vereretur, quamvis imaginario fictoque apud ſe crimine ante annos XVIII. ob iracundæ cujusdam aniculæ execrationes. C

Philippus Reis aurifaber Neoſtadii, dolore à lumbo dextro usque ad inguen pertingente, cum dextri teſtis tumore & ramice gemino carnoſo ac aquoſo, nec non ulcere fiſtuloſo juxta perinæum, per quod urina inter mingendum exibat, adjuncto tumore ſcirrhoſo.

Uxor Michaelis Geigeri Prætoris in pago Altzeborna, nō procul ab urbe Cæſaro Lutræa, Melancholica mœrens metuensque imaginatione delirante, quod ſpectra nocturna videat multosque homines lectum ſuum circumſtantes, dolorem capitis ſentiens pungentem ac diſtendentem, cum vigiliis ſibiloque aurium maximo. D

Johanna filiarum mearum media 23. Januar. inter prandēdum de viſus repentina læſione queſta, qua dimidiatæ molis ſolum objectorum ſpecies ſe diſcernere poſſe dicebat 14. anno ætatis.

Idem eidem 20. Febr. ejusdem accidit, & poſtridiè ſponte ſua diſparuit. Item 19. Martii rediit, & poſt horas tres evanuit, nempe dū ante

ante prandium lectum ſterneret dextro oculo objecta dimidio minora, idq; obſcurè ſatis apparebant, ſiniſtro verò oculo nivis floeculi obverſari videbantur, mox quoq; circummagi omnia putabat, deinde capite dolebat. Sed hæc univerſa intra horarum trium intervallum diſparebant.

Valentinus Muller Sartor Neoſtadienſis, ex febri & tuſſi dolorem capitis eſt nactus, quem aquæ bullienti aſſimilem ſtatuebat.

A 5 Febr. Catharinæ filiarum mearum natu maximæ, annos habenti octodecim, veſperi, dum brachium in diverſa abſque defatigatione tamen, movet, ex nœvo quodam genitivo, verrucæ latiuſculæ formam habente (qui in ſuperiore dextri femoris parte conſiſtebat) ſanguis copioſus in modum ſectæ & ſalientis venæ erupit, ſponte ſua.

Idem ipſi 15. Febr. ex eodem loco ſponte, & abſque omni defatigatione copioſè accidit.

Idem rurſus 5. Febr. 1585. abſque ullo labore copioſè proſiliit ex eadem verruca. Item 13. Decemb. eiuſdem 85. anni de nocte erupit.

B M. Hanſo Daum iuvenis robuſtus, alacer, laniſta, ex iliacis malis, in capitis dolores, Epilepſias, & oculi utriusque cæcitatem, cum magna virium proſtratione, & difficultate mingendi devolutus. Revaluit.

Vxorem meam in lecto cubantem, dolor occupavit, qui ab oſſe Xiphoide in dorſum uſque inter ambas ſcapulas pertingebat, tum ſolum moleſtus, cum ſe retrorſum incurvaret, & in latera converteret, nihilo vel tuſſiendo, vel enitendo, vel antrorſum incurvando, acerbior.

Ruricola quidam pagi Gimmeldingen, à febre quartana, qua C per hyemem laborarat, per appenſæ radicis amuletum & excantationem liberatus quidem, ſed neglecta peccantis materiæ præparatione & expurgatione, in deteriora detruſus eſt, putà in hydropem, & ædemata ſcirrhoſa pedum, crurum, femorum, ſcroti & lumborum. 20. Febr.

Andreæ Remmichii filiolus, poſt diarrhæam febremq; continuam, in capitis dolorem ſermoniſq; privationem lapſus eſt, cum ſumma virium deiectione.

Mulier ex oppido Wachenheim, melancholica, in hoc ſolum delirans, quod liberos ſuos à ſe occidi debere exiſtimaret. Cætera D mentis ſanæ.

14. Martii Hector Dubiens ſtudioſus, tuſſi, vomitu glioſo, ciborumq; incontinentia, cum lipothymiis, capitis dolore, febriq; ſuſpecta. Poſtridie tuſſi, vomitu, deliquiis & cephalagia mitigatis: Dolor lateris ſiniſtri invaſit, qui ad poplitem uſq; extendebatur, cum reſpiratione crebra pulſuſque frequenti, parvo, debili.

16. April. Vxor nobilis viri Erhardi à Flerſheim, in arce Winzingen/ poſtquam per totam hyemem quotidiano pituitæ vomitu mane vexata fuiſſet hactenus: ante triduum noctu linguæ paralyſin, ſermoniſq; impotentiam, ſomnolentiam, rationis, memoriæ, imaginationisq; defectum perpeſſa 7. Maii demum ad ſe rediit, ſed omnium oblita.

6. Junii Jacobus Kreuninger pharmacopæi famulus, ex iliaci cruciatus acerbitate ante auroram neutro oculorum quicquam cernere potuit, & paulò poſt Epilepſiam paſſus eſt, qua finita, ſumptiſque pilulis evacuatus, viſum, Dei gratia recuperavit. A

Vxor Dn. Franc. Iunii, ex triſtitia, in perturbationem ventris, vomitum vehementem, diarrhæam, dolores iliacos colicoſq;, & febriculam cum dejectis viribus præcipitatur. Convaluit.

6. Iulii vxor Dn. Windelini Hofferi, poſt tertianam febrem diſcuſſam, & diarrhæam ſublatam, in ſcabiem ſiccam & achores, mœroremq; ob privigni ſui abſentiam, quem contra novercarum morem, ut filium diligebat, 30. Julii in melancholiam porrò tranſiit.

Dn. Franc Junii conjux, doloribus cervicis, humerorum, dorſi, lateris corripitur, ut nec iacere, nec ſurgere, nec ſe in latera vertere quiret. Revaluit. B

18. Auguſti Mag. Jugnitii privigna, puſtulis magnis flaveſcentibus, magnaſq; cruſtas relinquentibus toto corpore diffuſis, ſubinde repullulantibus, adiuncto ante paucos dies œdemate cruris dextri, uſq; ad genu, ſimiliq; in pede ſiniſtro inchoante, vultu quoq; toto intumeſcẽte, in hydropẽ ſarcitẽ inclinans, mẽſib. aſtrictis. Cõualuit.

20. Eiuſdem, Vxor nobilis viri Ehrardi à Fleiſheim nocte prægreſſa, poſt aliquot Epilepſias, cum ſpuma & cruore, ſermoniſq; impedimento, à febri vehemente invaditur, cum brachii dextri iactatione continua, ſiniſtro autem immobili, ſubſequente lethargo, aut potius caro profundiſſimo, apoplexiæ ſimili, quem nec piper naribus inflatum ſolvere potuit, XLV. horas continuante, abſq; ullo motu, cibo aut potu imò ne ſenſus quidem ullius indicio. In tali corporis conſtitutione, febrique continua. die 22. Auguſti mane paulò poſt 5. horam exſpirabat. C

4. Septemb. Friderici Burgii quæſtoris Eccleſiaſtici conſors, quæ heroinæ noſtræ ancilla cubicularia fuerat, de qua ſupra an. 580. uterum geſtans, quartanaria, cholera morbo divexata, diarrhæa nempe cum vomitione crebra, multiſq; deliquiis, & multiplice febri.

10. Octobr. Eadem matrona, partui vicina, quartana dupla, tuſſi ex catarrho, crebriſque animi deliquiis. D

29. Octob. eadem partu levata, ſcirrho ſplenis (qui utero gravido latitabat) iam manifeſto, adeoq; ingente, ut ilium ſiniſtrum univerſum occuparet, ſuſpenſis partus purgationibus, quartana dupla adhuc ſuas periodos ſervante, fœtus eiuſdem perpuſillus (quum uterque parens brevioris ſtaturæ eſſent) ſed macilentus quoq; & miſellus,

lus, puta cuius ſiniſtræ partis genu & cubitus inflammationem minarentur, eiuſdemque manus digitellus medius lividus eſſet.

31. Laurentius Waltziegel, ſuburbanus, ante biduum mane inter mingendum, apoplexia corripitur, ex qua intra mediæ horæ ſpacium refectus, ſiniſtra corporis parte reſolvitur, ut totus pes à lumbis deorſum inutilis prorſus, ſiniſtrumque brachium à cubito immobile: dextrum brachium ab humero & ſcapula deorſum difficilis & diminuti motus fieret, comitante dolore pūgente, infixis aciculis ſimili, per longitudinem eius extenſo, una cum dolore cervicis. Interim nec

A urinæ nec alvi expulſio difficultatis quicquam habebant.

15. Novemb. Dn. Franc. Iunii vxor, iterum moleſtiam cervicis, ſcapularum, humeri, laterisque maximè dextri ſentiebat tantam, ut nec ſe erigere, nec ſtare erecta: nec ſe in latus vertere, nec tuſſire liberè valeret.

22. Eiuſdem, ex principis mandato, ego cum tribus aut 4. aliis mihi adiunctis, miſſus in pagum Schmidweiler des Gerichts Kobelberg præfecturæ Cæſaro Lautreanæ, viſi & examinavi Catharinam filiam Cunradi Victoris ruſticani: quæ (ut fama erat, atq; certis quoq; teſtimoniis compertum) in 7. iam annum, neq ederat

B neq; biberat quicquam, neque ullum excrementi genus interea poſuerat, de qua & hiſtoriola poſt modum edita proſtat. Nota quod iſta ieiunatrix circa Cal. Febr 158 s. ceperit edere & excernere, teſte ſcripto quodam hic interponendo.

Hiſtoriola eorum quæ virgini huic Catharinæ in pago Schmidweiler / iam per decem annos totos ab omni cibo potusq; abſtinenti, à die Iovis 28. Martii 1588. uſq ad 14. Aprilis eiuſdem anni Iuliani, ex ipſiuſmet relatu, acciderunt.

Novem hebdomadibus ante 28. Martii anni prædicti (quod fuit

C circa 24. Ianuarii) quam infrà ſcripti viri, ex illuſtriſſ. Principis Iohannis Caſimiri Comitis Palatini ad Rhenum Ducis Bavariæ, Electoratum eiuſq; hæredem vnicum pupillum gubernantis, mandato ablegati, eo loci advenissent: multæ variæq; mutationes continuatæ contigerunt, ingentes nēpe cruciatus, atq; notabilis corporis, antè ſucculenti ac bene habiti, ſinſim interim facta diminutio. In nona a. hebdomade, dolores intentiſſimi acciderunt, quales nunquā antè ſenſerat. Die illo Jovis circa meridiē craſſa lentaq; pituita, quātā ovi gallinacei teſta dimidiata capere poſſit, & quidē ſanguine atro permiſta, ſponte ſua, & facile, abſq; ſingulari cōmotione p os vomē-

D do prodiit: Cuius ſaporē præ anxietate dignoſcere nequibat. Qua ejecta, faucibuſq; fontana elutis, dolores nihiloſeci⁹ vehemētes, prioribuſq; æquales, in diē uſq Sabbathi perſeverarūt. Quo die inter XII. & primā meridiei, rurſus aliquot atri ac coagulati cruoris globuli, avellanæ nucis molem adæquantes ſinguli, præter alium fluxilem, at nigricantem quoq; ſanguinē qui teſtam ovi ſimul impleverint, à ſtomacho ſurſū exierūt, nō ſine moleſtia, fellis amaritiē referētes, qui

triſtis tarduſque ſapor linguæ hactenus hæſit. A cuius expulſione adeò afflicta fuit, ut vitæ calamitoſæ finem à propitio Deo impoſitum iam iri ſperaret, quem omnibus votis precibuſque contendebat, præſertim ſermone iam tum ob intenſos cruciatus difficultatē ſibi pariente. Paulò pòſt inter quartam & quintam eiuſdem diei, apparuit ipſi genius, ſolatium annuncians, fore, ut moleſtiæ brevi mitigentur. Simul ac ille diſparuit: Copioſus ſudor, ab univerſo corpore, ſolo capite excepto, prorupit (præcipuè à manu dextra, diu reſoluta, nec non ab utroque crure diu contracto) abſq; calore tamen. Quamvis per denos traſacti temporis annos, decubitu durante ſuo, perſæpè dolores ſenſerit ingentes, verum ſudore carebant. Iſte a. ſudor frigidus exiſtebat. Cæterum intra has novem hebdomadas, horrorem cum calore ſubſequente, ſubinde percepit. Hoc autem ſudore mox mitigationem comperit, quiddamq; ſpaſmo ſimile, manui dextræ nimirum reſolutæ, evenit: quam ſtatim ſiniſtra, quæ incolumis erat, correptam extendit, ſuæque integritati reſtituit, licet interim illa ſibi nonnihil ſtuporis habere videatur, à quo pandiculatio ſuborta, cum qua ambo crura ſimul, & derepentè, extendere abſque moleſtia coepit. Poſt biduum iiſdem mediocriter quidem inniti, nec dum tamen progredi potuit, propter vertiginem, crurumque infirmitatem, in quibus ſtuporis quiddam (ſicut & de dextra manu dictum) animadvertit, cum laudabili tamen mutatione in melius, tam in cruribus, quam in manu. Tranſacto pauxillo intervallo, mane inter ſextam & ſeptimam horam, magnus æſtus ſiti comitatus invaſit, qua de cauſa potum poſtulabat. Admirantibus inſolens ſymptoma, potuſque poſtulationem, parentibus, & quidem præ gaudio collacrimantibus, oblatam, à parte recentis fontanæ (cum vini nihil ad manus eſſet) ſemunciam aut circiter, ebibit abſq ullo incommodo, moxq; alimenti loco oxygala, i. e. acidum lac & quidem frigidum appetivit, quod parēs unà cum vini ſextario, à caupona in pago **Rubelbergt** impetratum attulit, de quo acido lacte, dimidiam nucis guglandis quantitatem, ægrota deglutivit: Cum verò pluſculum eius aſſumere conaretur, non potuit, eoq; per vomitum rejecto, vino os colluit: veruntamen nihil eius deglutire valuit. Peramarum n. illud, felliq; affine videbatur. Deinde inter x I I. & primam noctis horam, rediit vomendi neceſſitas, humorq craſſus & ater in piperati condimenti modum (quale carnib. ferinis in Germania affundi ſolet) magna cum anxietate & moleſtia per os extruſus eſt, circiter ſemunciam, amarus valde ſubſequēte ilicò excretione per alvum, & quidem ſubſtantia, colore & quantitate illi haud abſimilis, quæ ab ore prodierat: verum putore abominando nares offendente, cum quo & lotii pauxillum effluxit. Dimidiata inde hora elapſa, craſſum iterū, lentumq; ac amariſſimū humorem, 3. aut 4. drachmarum quantitate, ingenti cum dolore evomuit.

Ab illo autem tempore, in hodiernum uſq; diem, ſemel atq; iterū

cinamo.

cinamomi decoctum, quod biberat, cum modica bile illi permiſta, revomuit, abſque ulla fæcum aut urinæ emiſſione.

Pridie paſchatis, quæ fuit ſexta Aprilis, noctu per octavam circiter horulæ partem, dormivit, quod intra ſex annorum decurſum, nunquam illi antè contigerat. Adde quod intra XIV. dies hactenus interdum vaporis aut ſudoris paululum, quamvis non ſine aliquanta lipothymia percepit.

Durante ægrotatione, neque per nares, neque per os, humiditatem ullam relatu dignam prodire adnimadvertit: Verum, propter
A tam diuturni decubitus tædium, ſubinde ploravit, ſed lacrymis paucis exſtillantibus. Per relatam corporis ſui mutationem, aliquoties, (quod toto ægrotationis tempore nunquam acciderat) ſternutavit, & exinde humilitatis aliquid per nares emiſit. Actum in pago Schmidtweyler/ dominica, Quaſi modo geniti, quæ fuit 14. Aprilis Anni 1588.

JOHANNE POSTIO Med. Doctore aulico,

VALENTINO HENNERO Med. Doctore,

B JOHANNE ZAHNIO, ſcriba provinciali, in præfectura CæſaroLautreana.

CHRISTOPHORO FLURHEMIO, abbatiæ Otterburgicæ Oeconomo, præſentibus.

Notandum.

Virginem hanc toto quinquennio, priusquam ab omni edulio abſtineret, nihil edere potuiſſe præter panem cum caſeo. Nonnunquam & fruſtulum carnis frigidæ, quib. fontanam frigidam ſuper-
C bibebat.

Quinto autem anno, omnis cibarii nauſea capiebatur. Deinde integro decennio, cum ſeptimanis quinque nihil omninò nec comedit, nec bibit.

Hactenus de jejunante per X. annos puella.

EXEMPLIS ET RATIONIBVS DEMONSTRATVR HOMINEM NON SOlum per aliquot dies & menſes, ſed per complures annos abſq; cibo & potu vitam tranſigere poſſe.

A A

M. Davide Lipsio Med. candidato, Licentiaturam petente.

DIfficilem quæſtionem, Nobiliſſime Domine Procancellarie,
Spectatiſſime Domine Decane, præceptor & patrone honorande,
à T. S. propoſitam in hac nobiliſſima corona ratione temporis
pro dignitate enucleare & evolvere certe difficile eſt: Siquidem permulta
illa, quæ naturæ viribus accidunt, & producuntur, propter ra- B
ritatem, rude & cauſarum naturalium ignarum vulgus, vel præſtigioſa
eſſe, vel malorum dæmonum aſtu ſubſidiove contingere ſuſpicatur:
Sicuti & de T. S. propoſita quæſtione complures philoſophorum
& Medicorum diverſorum diverſæ ſunt ſententiæ: Quæritur
enim an homo non ſolum per hebdomadas & menſes aliquot, ſicut
de brutis quibusdam per hyemem latitantibus dicitur, verum etiam
per annos quosdam cibo potuque deſtitutus, vivere poſſit. Ego pro
ingenii viribus, exemplis demonſtrare & rationibus haud levibus
comprobare conabor, haud paucos utriusque ſexus repertos homines,
qui & cibo & potu non per hebdomadas ſolum aliquot, aut men- C
ſes, ſed per complures etiam annos prorſum abſtinuerunt, famem
ſitimque ad miraculum usque perferre potuerunt, ac citra omne extrinſecus
alimentum aut craſſum nutrimentum incolumes vegetique
permanſerunt. Theologorum pomeria ingreſſo, mox occurrit
exemplum viri Dei Moyſis & magni illius Prophetæ Heliæ,
quos inediam quadraginta dierum ſuſtinuiſſe ſcriptura tradit, nec
horum veſtigiis inſiſtere piguit, Matthæo teſte, ipſum etiam filium
Dei, Servatorem noſtrum unicum, cum inter mortales agens à ſpiritu
bono in deſertum abductus eſſet, ut à malo tentari commodius
poſſet; Verum hæc cum ad remotas & miraculoſas potius, quam ad D
viciniores & naturales cauſas referenda videantur, miſſa faciam, & è
Philoſophorum Medicorum ac Annalium quorundam viretis decerpta
quædam in medium proferam.

Divus Auguſtinus cum Caſulano reſcriberet, affirmavit ſua
ætate quendam ſine cibo quadraginta diebus vixiſſe: Et Petrarcha

Fulgoſo

Fulgoſo lib.1.cap 2.teſte alium quendam Venetiis idem feciſſe ſcribit ejusque rei experimentum factum fuiſſe: licet naturaliter ſani corporis robur, quatuor dierum inedia proſterni ſcribatur, & Hippocr.de carnibus inediam per hebdomadam homini lethalem aſſerat, Plinius vero ultra diem undecimum extendat.

Arcanorum naturæ conſultiſſimus Ariſtoteles amitam Timonis quotannis in ſpelunca, urſarum more, bimeſtre tempus absque ullo alimento ſemianimem delituiſſe, ut ſola reſpiratione viveret, ac ægre dignoſceretur, prout Athæneus annotavit.

A Rhodiginus & Montanus referunt, fuiſſe quendam, qui continuo biennio nil prorſus vel comederit vel biberit.

Albertus Magnus lib. 7 de natura animalium tractatu 3. Colonienſis cujusdam fœminæ exemplum ſub Friderico I I. adducit, quæ ſine cibo potuque dies quandoque viginti transmiſerit, ſæpe vero & triginta; virum quoque melancholicum vidiſſe ait, qui ſine cibo ſeptem perſeveraverit hebdomadas, alternis tantum dieb. aquam exorbentem: Et in Hiſpania puellam viſam, quæ comederet nihil, hauſtu tantum aquæ vitam foveret, ac annum ſic ageret ſecundum ac vigeſimum, graviſſimi prodiderunt authores.

B Bocatius ſcribit mulierem germanam triginta annos omnimoda inedia vitam traduxiſſe.

Apud Gordanum de turre ſuper quarto de morbis, de quadam Almanâ muliere etiam legitur, quod ſex menſibus ſine cibo & potu ſteterit, id quod de Villano quodam in Agro Norico inſignis olim apud Lipſenſes Medicus Johannes Reuſchius etiam memorat. Similia Parmæ in Italia, atque item in Brabantia aliisque in locis à fide dignis hominibus aliquoties obſervata ſunt. De prodigioſo Spirenſis cujusdam puellæ jejunio, quod hominum memoria contigit, præter illam Schmiedweilerenſem, cujus Nob. Dn. Procancellarius C mentionem fecit, narrationem ſubjicere non licet, quoniam Gerardus Bucoldianus Phyſicus Ferdinandi Regis Romanorum qui eam in Comitiis Spirenſibus Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo vidit, accurate fideliterque totam hiſtoriam pertexit & ſimul erudite ad naturales hujus inediæ & reliquorum Symptomatum cauſas digitum intendit.

Hæc omnia miraculoſa potius quam naturalia vulgo putantur, quamvis uſitatum ſit Deo, ſub communi rerum curſu & naturæ ordine, ingentia miracula quotidie etiam exercere, & non inficientur Phyſici ſine extrinſeco illo ac craſſiori alimento vulgari degere D quoque aliquandiu hominem ac vitæ ſpiritus corporisque vires ſuſtentare poſſe, partim ab aëre per arteriarum diaſtolen & pulmonis hiatum, inſpirato, ut de Rhytace avicula Plutarchus in Artaxerxe memorat; Dividitur n. hic attractus aër in faucibus, & pars ſurſum ad cerebrum vergit, pars in pulmones ad cordis refrigerium,

pars

pars etiam in ſpiritus (qui inter res corpus humanum conſtituentes ponuntur) mutatur & admixta halitibus, qui ex ſanguine naſcuntur, nutrit ut de aeris attractione per cutis poros & arteriolarum oſcula in cutem finientia nihil dicam) unde videmus etiam aerem totum corporis temperamentum alterare & variare, partim ab odore (cujus vehiculum aër eſt) jucundiore: Etſi enim Ariſtoteles infringere conetur ſententiam Pythagoricorum, qui aſſeruerunt odores etiam ad nutricationem conferre quod de ſpiritibus indubitato conſtat, ut videre licet apud C. Rhodiginum lib. 24. c. 21. antiq. lect. tamen & Aſtomorum gens etiam aliæ à Geographis annotatæ contrarium probāt, A
ſicuti & chamæleō, de quo Plinius lib. 8. c. 33. refert inter cætera, quod ſolus animalium nec cibo nec potu vivat nec alio quam aeris utatur alimento; Divinus Hippocr. qui per litterarias ſemitas iter facientibus perinde ac Lychnuchus eſt lib de alimento pro authoritate ſcriptum reliquit: Quicunque citiſſima indigent refectione iis humidum remedium optimum eſt, ad recuperandas vires, ubi autem adhuc celeriore per odoratum; quibus & calculum adjicit Galenus 2. aphor. 11. & 8. de medic ſecundum loca & alibi nec non excellentiſſimi Philoſophi Democriti exemplum à Laërtio lib. 9. de vita & moribus philoſophorum deſcriptum, qui ſolo odore panis, recenter è B
furno extracti, per aliquot dies, effœtus, licet ſenex, & jam jam moriturus, vitam ſuam prorogavit: Et de ipſomet Ariſtotele dicitur, in libro qui inſcribitur pomum, quod ex odore pomi, tres vixerit dies. Eſt enim odor ſubſtantia quædam halituoſa, ex re nutriendi vim habente proficiſcens, ſicut & ſapor: Siquidem per qualitatem eam aptum & congruum ſibi alimentum è longinquo percipiunt animalia, ſicut conjunctum per ſaporem, ex quo animadvertere licet odores id genus eſurientes mirifice oblectare, ſaturis autem minus acceptos eſſe; Imo experimur quotidie quamplurimos refici & velut reviviſcere ſolo ſapore panis calidi, aut carnis aſſæ, aquæ ſtillatitiæ ro- C
ſarum, cariophyllorum, Nucis muſchatæ, vini & ſimilium: hujusq; odoris ope, ſyncopen lethalem quoque, vel imminentem arceri, vel præſentem ſanari, quod vapor iſte naturæ noſtræ familiaris, ſpirituoſæ ſubſtantiæ effluvium reſtaurat, & reficit, ſicut contra fœtidus malignus venenatusque vapor, & odor, facile nos de medio tollit.

Refertur à Medicis inter appetitus virtutes, non facile fameſcere, ſicut famem perferre poſſe, inter paſſiones naturales. Omnino autem inediam tolerare divinum potius bonum eſſe cenſetur, quam humanum, niſi hoc ex morbo eveniat, quo vel nativus calor omnis concoctionis in ventriculo, ſanguinis verò in Epate, ac Venis opi- D
fex ſecundum Platonem in Timæo, debilitatus adeo ſit, ut cum alimento proportionem non habeat, nec craſſiores illas, viſcoſioresq; humiditates poſt morbi ſolutionem relictas, in corpore minus præſertim perſpirabili, in ventriculo imbecilli concoquere nec nutritio fieri poſſit, unde nec inanitio membrorum, qualis in ſanis, fit (eſt enim &

nim & in ægris nutritio quædam) quemadmodum videmus convaleſcentes à Quartana, Colica, paralyſi & aliis morbis gravioribus magna ex parte debilem, aut abolitum appetitum habere, non ſine diuturna oris ſiccitate, qua de cauſa & tenuiſſimus in extremo victus talibus quandoque naturaliter ſufficit, vel cum vaſa quæ cibum capere atque concoquere ſolent, adeo ſunt repleta vel obſtructa ut nihil amplius queant admittere vel recipere. Conferunt & cincturæ vētris ad inædiam proferendam & Scytharum exemplo compertum eſt, quod fames nulla relicta inanitate inſigni minus infeſtet, ſicuti
A & norunt matres nobiliores potiſſimum filias ſuas graciles & continentes iis efficientes: Ac de Hippice herba Plinius lib. 25. c. 8. tradit quod in ore eam tenentes famem ſitimque non ſentiant ob id Scythas in 12. dies illâ famem ſitimque durare: ponit & Galenus 3. de Natural facultat. Cauſam ob quam animal aliquando non eſuriat abundantiam nutrimenti in Epate, ſed ſcimus ſani corporis robur poſt quatur dierum abſtinentiam proſterni: Imo nutrimentorum penuriam explere ac compenſare aliquandiu ſæpenumero poſſe & adipem ſeu pinguedinem ac phlegma ſanguinis rudimentum & animalia permulta hyberno tempore ſine cibo in ſpeluncis terra & cœ-
B no latitantia & adeps intra peritonæi ac omenti plicas apud quosdam conſtitutus ac tempore inediæ crebro calori naturali cibi atque alimenti inſtar objectus, ſicuti & phlegma crudum ſuccusve abundans cum alimenti vicem ſubit & ſanguini permiſcentur perſpicue convincunt; Ubi igitur alimentum intrinſecus adeſt, externo non indiget.

Pertinent huc & aliæ dejectæ appetentiæ cauſæ complures fuſius à Galeno 4 de ſympt. cauſ. explicatæ, ac morbi nonnulli ceu ſunt relaxationes aut obſtructiones ſenſus nervorum in orificio ventriculi, quas obolitio ſuctionis, quæ vera famis cauſa eſt, neceſſario ſe-
C quitur. Febris item ex humorum & pituitæ cum primis cruditate, de qua Galen. etiam 12. meth. medend. tradit, quod ea correpti longiſſime inediam ferre poſſint, corpore ex crudis illis pituitæ ſuccis & viſcoſa materia alit, id quod in catarrhorum quorundam deſtillatione fieri poſſe nequaquam infimæ ſortis Medici conſtanter affirmant catarrhoſa nimirum materia in pituitam, atque hac in ſanguinem mutata, quemadmodum eleganter non minus quam copioſe, abs aliis demonſtratum eſt, à Petro de Abano potiſſimum, quem conciliatorem vulgo nominant, duobus in locis & eruditiſſime à Johanne Langio inprimis 2. parte Epiſt. 27. Miſcell.

D *29.* Novemb. Friderici Burgii conjux, puerperio ferè jam finito, quartana ſimplice ſolummodo, ſed vehementi valdè conflictabatur, ſimul cum ſcirrho lienis magno.

16 Decembris Nicolai wolffi pauperculi & valetudinarii ſtudioſi claſſici, ſed diligentis, corpuſculum aperui, in quo renem dextrum ſiniſtro majorem duplo, rugoſum, mollem, flaccidum, & parte

anteriore

anteriore ſubnigrum reperi, quia per longum ſciſſa: intus abſceſſum pure mucoſo cruentoque, in quod tota renis ſubſtantia converſa fuerat, plenum, absque ullo tamen calculo, vidi. Parte vero ejusdem poſteriore, qua dorſo jungitur, integrior paulo, tam ſubſtãtia, quam colore quidem ſpectabatur: Attamen intus abſceſſum alium, ſimili materia refertum, licet minorem, quam anterior, fovebat. Siniſter & ipſe flaccidus quidem, intusque magis concavus æquo: ſine ſordibus tamen, colore & mole naturali præditus; Veſica lotio mucoſo, purulento, ſubcruento oppleta, nihil quoque lapidis habuit: præterquam in coli initio, lapillum nigrum, ſabulæ vulgaris agreſtis magnitudine, impactum inveni, de quo queri ſolebat, etiam ante anni ſpacium, quod micturiens (micturiebat autem ſingulis horis, tam noctu, quam interdiu, multumque & frequenter bibebat, ſed nihil præter fontanam) admota virilibus manu, retrorſum pellere illum cogebatur. A

1585. 11. Febr. Rolandi Streinſii Francotalenſis filia, dolore capitis punctorio, qui de nocte ſolum moleſtus erat, deſcendens in brachia, & dorſum, cum rigiditate cervicis, ut nec caput, nec corpus convertere quiret jam inde ab initio Januarii.

12. Ejuſdẽ, Vxor Friderici Burgii, præter mala priora, jã de quartana duplici denuo, ſed mitiori, breviori, & retrogrado paroxyſmo, nec non de impetigine manus ſiniſtræ & femoris dextri querebatur. B

26. Wilhelmus Lontzius paſtor Eccleſiæ in pago Heſſen/poſt longum morbum, in colli parte ſiniſtra abſceſſum collegit, de quo multum puris per aurem exibat, aliquando quidem ſponte, plerunq; preſſione adhibita, capiteque inclinato.

1. Martii, Catharinæ filiæ meæ, verruca illa femoris, quæ 5 Febr. rurſus ſanguine ſalierat, jam duplo major facta varicẽ minitabatur.

6. Chriſtophorus exſtillator aulicus, curru agitato excuſſus, femoris dextri os ad genu fregerat, vulnere in poplitem transverſim permagno, unde in pedem, & crus infra genu, mox motus, ſenſus, & vitæ privatio, cum nigrore, nempe ſphacelus, aut mortificatio ſubſecuta, ſurſumque in ipſum femur aſcenderunt, ut præſectione (nihil tamen profutura nimisq; tardè adminiſtrata) paulò infra nates opus fuerit. Erant haud dubiè vaſa omnia tria, nervi, arteriæ, venæque, aſperitate, fracturæ violentiſſimæ, diſrupta. Poſtridie moritur. C

11 Jacobus Portæ Opidanæ, quæ Auſtrum ſpectat cuſtos, ſica ictus, vulnus inter 4. & 5. Coſtam juxta mamillam dextram, verſus os ſternon, deorſum adactim acceperat, per quod multum cruoris, contento ſpiritu, extrudebat. A quo decimo vulneris die, mortuum aperui, Lobumque pulmonis anteriorem, in longum læſum ad duorum pollicum latitudinem, ad altitudinem verò pennæ ſcriptoriæ animadverti. Poſterior verò lobus, aciem ſicæ exceperat vulnere anguſto, æquè ut alterum profundo. Totus pulmo ſubdurus. Tunicula ejusdem, ſicut & membrana thoracis, rubicunda, aſpera, tanquam inflamma- D

flammata. Cavitas thoracis ſanguine aquoſo, purulento plena. Cordis tunica ſimiliter aſpera, ſubdura, ac ſi phlegmone tentata fuiſſet. Pulmones autē ſiniſtri lateris, integri & incolumes inventi.

18. Nepos Domini Jacobi Kratzii paſtoris Eccleſiæ in pago **Rupertsbergk**/ ex conſternatione nocturna, in delirium melancholicum ruit, quo Jeſum Chriſtum ejusque verbum abnegabat, deinde in opulentiæ admirandæ perſuaſionem venit.

27. Martii, Uxor nobilis viri Johannis **von Dertzheim** / in arce **Altkirchweiler** / decumbens ob febrem hæmitritæum, continuā
A & intermittentem, cum delirio, deglutitione difficili, lingua arida; nigricante, dolore faucium, convulſione extremorum, levi quidem, ſed continua. Poſt triduum excuſſa per criſin febri, diarrhæa fuſca nigricans ſequitur, quæ vires debilitatas febribus, prorſus proſtravit, & vitæ finem poſuit.

23. Maii, Heidelbergæ (quo revocatus ab Academia ad profeſſionem artis medicæ publicā, familiam jam tum transportâram.)

Maiſter Jacob Seignor, argenteæ ſupellectilis Electoralis cuſtos, homo octogenarius, ante biduum ab alvo excretionem merè cruentam habuit, quæ tamen ſanguinem corruptum & ſuppurulentum, prout domeſtici ajebant, referebat, absq. ullo interim do-
B lore, aut virium jactura, putà per hæmorrhoidis recluſionem.

Idem poſtea quoque, 6. Novemb. ob coli cruciatus, clyſteridio non acri ſublutus, ſanguinem ſincerum bis aut ter excrevit hæmorrhoide aperta.

18. Aug. Joan. Trelonius Francotalenſis, febri continua cū cephalalgia, multa ſiti, lingua arida, æſtu circum præcordia magno, difficili ſomno, jam XII. morbi die, ſenex annos ſupra 55. natus, cōſilio Heidelberga petito, ſingulari Dei gratia, convaluit, & in ſexenniū ſupervixit.

18. Sept. Joanni Beneſchio Moravo, capillorum defluvio in ſincipi-
C te, cum furfurib. & pruritu multo, laboranti, aſſumptis morſell. diacinamomi noſtri purgantis dragm. tribus, nigricantia, flaveſcentia, vireſcentia, tandemq. albeſcentia XX. ſeſſionib. educta ſunt. Continet autem diacinomomi hujus dragm. una, turpeti grana vj. & diacrydii grana tria. ℞ cinamomi electi ʒ ij. macis charyophill. ana ʒ j. turpeti electi ʒ iiij. diacrydii ʒ ij. ſacchari canarii aq. roſ. ſoluti ʒ xxx. fiant morſelli. Quib. Neoſtadii feliciſſimè uſus ſum, ut ſuavi & præſtanti purgativo per annos 7. aut 8.

5. Octob. ejuſdē medicamēti eadem doſis drag trium, filiæ majori 20. annos natæ, tertianam, cum capitis, maxillæ ſiniſtræ & lumborū
D dolore, patienti, excretiones alvi plures q̄ xiij. absq; vomitu aut torminib movit. Poſtridie nihilominus diarrhæa ſubſequente, ſedes xj. aut xij. cum quib. lumbricos iij. aut iiij. magnos ejecit.

25. Novemb. ejusdem pharmaci doſis æqualis filiarum mediæ XV. annorum, excretiones ſolummodo ſex. Ameliæ verò minimæ decem modo annos habenti, eiusdem doſisq; eadem, ſeſſiones cir-

nes circiter xı. concitavit. Uxori verò meæ earundem matri, ejuſdem pondus par, Cal. Novemb. ſedes ſolum ternas cievit. Quare eidem poſt 5. hebdomadas auctiori pondere, nempe ad ſemunciam exhibito (& quidem omnibus hiſce præcautionis ſtudio) xij. ſedibus alvum permovit.

1586. 7. Janu. Ejuſdem diacinamomi doſis drag. trium, filiarum mediæ, cui ante hebdomadas ſex evacuationes vj. contulerat, nunc & quidem bis aſſumpta, ne unas quidem attulit.

Hæc ideò adduxi, ne quis exiſtimet, Ioanni Beneſchio 18. Septemb. & filiæ meæ natu maximæ 5. Octab. tantas expurgationes A
violentiæ pharmaci imputandas eſſe, ſed partim corporum humorumque diſpoſitioni, partim aëris conditioni.

2. Aprilis, Andreas Schregelius ſtudioſus, utramque manum habebat tumidam absque tamen calore, rubore, dolore ullo, fere œdematis flatulenti forma, tumor enim erat mollis. Cœperat in dextra ante annos 5. in ſiniſtra verò ante duos. Remittebat ſubinde, & rurſus accreſcebat. Sed ab eo tempore nunquam, prorſus evanuerat. Inſtante verò incremento, moleſtiam plerunque ſub axillis præſentiſcit.

14. Maij. Ulrich Winterfuß / civis wislochienſis, ex vulnere B
temporibus ſiniſtris, ad muſculi maſſeteris initium, inflicto, ſermonis uſum amiſerat mutus omninò factus, alioquin à vulnere ſolidato, benè valens ac intelligens manſit.

20. Puella Schonavienſis 27. annorum, femur dextrum, inuſitatę craſſitudinis, coloris tamen floridi, carnis ſpongioſę, crus verò, pedemque dextrum ſcirrhoſum gerebat. Chæradibus ſub aure ſiniſtra, axillaque ejuſdem lateris exulceratis, verùm menſes à bruma nuperrima fluere primum occœperant.

7. Julii, Tobiæ Engelmanno febrem tertianam patienti, ex levi purgatorio diarrhæa ſuſcitata, qua bilioſa & atra ſubducebantur. C

6. Septemb. Elco Amſonius Friſius ſtudioſus, in ſeditione populari hujus oppidi, veſpertino tempore, inſons omninò, 4. vulnerib. ſaucius, uno in vertice, altero in muſculo maſſetere ſiniſtro, utroque calvam penetrante; Tertio, in dextra frontis parte, quarto in manu ſiniſtra. Is ſexto vulneris accepti die, Epilepſiam ter patiebatur, die verò nono, gravem capitis dolorem, cum Vigiliis, febri continua, & delirio & ſiti, queſtus (quamvis horum quædam largiori veteris cereviſiæ potui propter ſitim & febrem alia deficiente adſcribi poſſe videbantur) tandem xv. morbi die exſpiravit.

22. Septemb. aut poſtridie mortis, caput vulnerati Elconis exa- D
minatum eſt, qui heſterno die ſub veſperam inter 3. & 4. horas deceſſerat, inventumque vulnus temporis ſiniſtri penetraſſe & cranium & utramque meningem, in ipſam cerebri ſubſtantiam, ad duorum pollicum altitudinem una diviſione, & altera ipſi proxima, unicum modo pollicem profunda. Os autem cranii fiſſuram, imò rupturam verius ha-

rius ha-

rius habebat, quæ ab ipſo vulnere (quod latitudine pollicis in maſſetere, ſupra aurem eminebat) & per tranſverſum digito ſupra ſuturæ Lamdoidis initium, uſq; ad aurem dextram ferebatur. Sub cute paſſim in occipite & in tempore dextro, & frontem verſus contuſiones, cum ſanguine coagulato interfuſo: ſicut etiam inter calvam potiſſimum circa verticem, & Lamdoidis initium ex ſanguine grumoſo macula oſſi inhærens, mediæq; palmæ latitudinem adæquans viſebatur.

A Joannes Burchardus Heilman alter Stiefftſchaffner / urinæ ſtillicidio diuturno permadebat, propter carunculam intra muſculum ſphincterem veſicæ, in ipſo nimirum meatu enatum, qui ne exactè claudi poſſet, prohibebat, ſicut prædixeram & cadaveris apertio teſtabatur. Limpidiſſimam n. urinam, fontanæ colore & ſubſtantia ſimilimam, abſq; ulla ſorde, arenulis aut ſedimento, guttatim colligebat. Sed miſer ab aliis perſuaſus eſſe calculum, ſe à Lithomo ſecari & interfici paſſus eſt, mihi non credens.

6. Octob. Meinardus ab Itzarda Friſius, gonorrhæam cruentam patiebatur.

13. eiuſdem, Ioannes à Iaucourt puer 14. annorum ex nobili B familia ducatus Bourgundici, de tanta tarditate alvi querebatur, iam per 5. menſes, ut abſque clyſterum ſublutione, nihil aut vix quicquam exprimeret. Abſtemius erat, abdomine flatibus turgido. Antea quoque de hypochondriæ ſiniſtro tumefacto tanquam de ſplene queſtus, cum metu hydropis tympaniæ. Communibus pharmacis per os ſumptis non permovebat, quin neque pilul. aurearum drag. una, imò ne quidem aureis cochiiſque ſimul mixtis, ad drag. j. ſemel excernere quivit.

Similis alvi pertinacia ſupra notata eſt in virgine illa nobili, nepte prudentis & nobilis viri à Giffort Mariſchalli in aula Palatina C anno 1573.

5. November. aperuimus caput Pandochæi ad Cygnum aureum, cui vulnus cæſim die Octobris XI. inflictum fuerat, digitis 4. ſupra aurem ſiniſtram. Exſpirarat hoc die circa nonam matutinam. Et quamvis vulneri mors imputabatur: deprehenſum tamen eſt, calvam non omninò penetraſſe, immò ne rimulam quidem tenuiſſimam (ſicut in janitore illo arcis Bracenſis ſupra anno 1571. obſervatum) intuliſſe. Et licet puri quid ſimile intra cranium parti læſæ adhæreret, tranſſudaſſe id tamen, potius putandum: quia illic perquam tenue os cranii, propter vulnus in calvam altè adactum, exi-D ſtebat. Quin & ſquama pollicis latitudinem habens, necdum omninò ſeparata, cranio intus adhærebat, infra quã caro novella, ſquamæ ſeparationem moliens, ſuccreverat. vulnus iam cicatricem maiori ex parte duxerat. Adeoq; æger ipſe ante dies aliquot in culinam deſcenderat. Sed inciderat in dolorem lateris, ut difficulter ſpiraret, & ſanguinem mittere opus fuerit. Is verò cacochymus ac decolor di-

cebatur fuiſſe. Sanè ille qui circumſecto capite effluebat, valdè nigricabat, adeoq; talis cruoris aliquid coagulati, aperto cranio, intus circa verticem, latitudine daleri inhærebat.

4. Decemb Jeronimi Comelini filiola recens in lucem edita, dextrum clunem ſimul cum femore dextro, Eryſipelate inflammatorio occupatum eiulabat, pauculos dies ſuperſtes.

16. D. Guilhelmus Raſcalonus Medic. Reipub. Wormatienſis primarius, in arce Heidelb. jam forte exiſtens, arthride obruebatur puta dolore ſubitaneo utriuſq pedis, utriuſq; genu & manus dextræ, nec non thoracis ſiniſtri, à ſpina dorſi uſq; ad os ſternon, & à jugulis uſq; ad ſeptimam coſtam ſe protendente, ut reſpirare commode nequiret, nihil interim tuſſiens, nec exſpuens, nec febricitans. A

1587. 8 Janu. Philippus Roskopffius, de dolore ſincipitis pulſatorio, verſus tempora ſiniſtra tendente querebatur, quiq. per totũ dorsũ ſe exporrigebat, ſiniſtrũ tamen latus magis infeſtans, & quidẽ ante cibos.

17. Feb. Laurentius Fuchſius in ſapientiæ collegio, paroxyſmos quoſdam ſtrangulationi uterinæ non abſimiles, ex occaſione vomitionis poſt cœnam, ab affectione melancholica aliquot dierum, uſitatæ natos, moleſtè ferebat.

19. Eiuſdem, Vxori D. Iulii Pacii Juriſconſulti in humero ſiniſtro, B 4. menſium ſpatio tumor ſenſim ſuccreverat in formam ficus cujuſdam, baſi tamen utcumq; lata, ſenſu obtuſo, qui à Chirurgo Sedanenſi pus ſubeſſe ſuſpicante præcipitanter, (præterq; aliorum, tã Medicorum, quàm amicorũ præſentiũ conſiliumn aut conſenſum) in longũ diſſectus, nihil puris reddidit carne ſolũ ſpongioſa, eaq; ſucculenta, cũ ſanguine ex obſcuro rubente turgebat. Præſtitiſſet ſerici fili ſubſtrictione ad baſin facta magis magisque ſtrangulaſſe.

Talis ὑπερσαρκωσις ſuper naſum honorati & conſularis ſenis huius oppidi Ioan. Franc. Nofelſii anno 1601. accreuerat, ſed baſi anguſtiore, quæ ſerico vinculo ad gibbum naſi iniecto, à chirurgo aulico dexteriùs, quam Sedanenſis ille fecerat, eſt ablata. De ſimili affectu oculi dextri vide ſupra 1572. C

9. Martii, Coniux Domini de Morande Burgundi, ex hemicrania, qua noctu ſolum, & quidem à primo ſomno, iam per aliquot dies corripi ſolebat, cætera bellè habens, nunc utero gerens in menſem octavum. Hoc ipſo die cœnata, verum appetentia quam conſueverat minori ſorbitiunculis tantum modò aſſumtis, in vomitionem abundantem profuſa eſt, pōſtquam, dolor circa os ventriculi acerbus, ad interſcapulium uſq infeſtebat, à quo Epilepſiis ſeptenis, iiſque ſæviſſimis, ab hora nona uſq; ad ſecundam noctis convellebatur. Deinde abortiebat, filiolum vivum enixa, ante quartàm verò matutinam ſoporata, ac amens exſpiravit. D

Simile quid accidit Bredæ in coniuge Chriſtiani Baerſii anno 1562. in Ianu. quæ ſe utero gerere ignorans, eo quod aliquot annos nupta, nunquam conceperat. Iam verò non paucas hebdomadas valetudi-

naria,emaciata exſucca decubuerat: obortis Epilepſiis aliquot, fœtum abſolutum quidem, ſed macilentum, & adhuc Spirantem, ignara tamen ſui, & paulò pòſt moriens, pariebat.

15.Stephanus Debrecinus Ungarus, ſcabie nigricante, & fœda per femora & crura correptus.

14.Aprilis David de Vanteul, ex catarrho ſulfuris ſaporem referente, vehementer tuſſiebat.

28.Iulii Gabriel Iaucourtius, puer nobilis Burgundus, ex primo tabulato in lapideum paumentum præcipitatus, contuſo & ad tha-
A leri latitudinem in oſſe verticis ſiniſtro, depreſſo cranio, vomitus crebros quidem, ſed nulla alia graviora ſymptomata patiebatur.

23. Auguſti, filiolus Caſparis Rutzii pictoris, febricitans cum vermibus brevibus, quorum longitudo digiti latitudinem adæquare poſſet, capite acuto, cauda obtuſa.

14. Octob. Georgius Spinenſis Tranſylvanus, duritie quadam virgæ licet pendulæ, quæ tamen ad ignem molleſcat, contrà frigiditate indureſcat; cum dolore quodam ad radicem virgæ, durarat malum ad menſes duos, in itinere contractum.

De eodem affectu etiam in Janu. 88. in quintum menſem conti-
B nuante conqueſtus.

24. Eiuſdem, Rupertus Walters Mechlinienſis, dolebat ad pubem, quæ moleſtia utrumq; in femina ſe demittebat, abſq; ullo tamen, in alvo aut urina depellenda, incommodo.

14.Novemb. Chriſtophorus Perbandus, unus ex præceptoribus principis pupilli, ex iliacis cruciatibus, in quos poſt febrem tertianam inciderat, de doloribus circum diaphragma, & ad ſcapulas vehementer querebatur, ut nec ſuſpirare, nec in latera commodè ſe convertere quiret.

9.Decemb. Ego per aliquot dies dolorem infra imum articulum
C indicis in manu ſiniſtra, dum manum extenſam retrorſum curvare annitor, ſentire cœpi, qui in longum acutus, in modum ſecantis novaculæ videbatur.

Simile quid 30 Maii anni prægreſſi, ſenſeram.

15 Iohannes Mylius, de ventriculi dolore querebatur, qui eò inani moleſtiam faceſſebat, perinde, ac ſi illum deorſum traheret, cibis a. pleno, minus moleſtus, ſicut etiam cum iaceret, quamvis vacuus.

19. Janu. Rudolphus de ſalicibus Rhætus adoleſcens, ex febri ter- 1588.
tiana intermittente, in itinere ex patria Baſileam verſus contracta
D in hecticam prolapſus eſt, prorſusq; emaciatus.

22. Ejuſdem, Auguſti Cailletii Iuriſconſulti Galli uxor, lotiũ cruentum quoties enixius exprimeret, emittebat, aliter nequaquam.

11. Febru. Petrus à Ripa Curienſis Rhætus, febri continua cum dolore capitis, & ſuſpiriis crebris, pulſuq; dextri brachii, una aut altera, imò tertia ſubinde pulſatione intermittente & myuro quaſi reciproco: qui ſecta vena evanuit.

20. Immanuel Dorenus Londinenſis, qui 4. Febru. à febri continua, cum pulſu celeri, frequenti & parvo urinaq; craſſa obſcura, crocea decumbens, Chriſti benignitate convaluerat: Nunc iterum in continuam cum cephalagia, tinnitu aurium, ariditate linguæ, ſiti magna, inſomniisq; terribilibus recidit, in hecticam proclivis, convaluit belle.

21. Georgius Benedictus Wertelous Harlemius, ingenioſus & carmine felix iuvenis, magnæq; exſpectationis, febrem continuã, cum cephalagia, & furunculis hic illic pullulantibus, urina obſcura, cum hypoſtaſi multa, craſſa, fuſca, obiit. A

22. Martii Antonii Serierii uxor, capitis dolorem acutiſſimum abſq; febri per intervalla repetentem, tam vehementem patiebatur, ut & manuum convulſiones, animiq; deliquia ſuſcitaret.

.. Iunii Dn. Ioannes Grenonius verbi miniſter, calculum mole mediocris amygdali excreverat, ſub equente per aliquot dies ſedimento lotii craſſo & albo, ſicut ſupra anno 1570.

5. Auguſti Caſparus Herſbekius, ſermone obſcuro, per nares ſonante propter columellæ & pariſthmiorum abſumptionem ex prægreſſa earundem partium exulceratione profunda, quæ tamen iam dudum cicatricem duxerat. B

15. D. Iacobi Kimedoncii Theologi ancilla, ſternutatione continua ſupra xiiij. horas perſeverante fatigata ex olfactu floris ellebo ro albo in pulviſculum redacto, fraude adoleſcentis conſperſi, quod ipſe poſt aliquot annos falſus fuit.

16. Eiuſdem, Mulier Schonaviana, tuſſi ſicca vehemẽtiſſima, ex intemperie gelantis aëris ante 9, aut 10. menſes exorta, divexata.

8. Septemb. Puella Alezeiana, utroq; brachio & manu à flexura cubiti ad ungues uſq;, ædemate iam per annos 4. aut 5. turgidis.

11. Octob. Mendicus quidam Limburgenſis, poſt hydropem diarrhæa ſpontanea ſanatum, appetitum ſenſit læſum, cum dolore ventriculi, ac inteſtinorum ex flatibus. C

27 Vxor mea retrorſum collapſa, os coccygis, adeò alliſit, ut nec ſedere abſq; magno dolore, nec ventrem aut veſicam evacuare, nec tuſſire ſine moleſtia quiret.

1. Novemb. Severinus Reuterus Colonienſis adoleſcentulus, totũ ventrem inferiorem, à pube ad hypochondria, imò ad utrumq; iugulum ita dolebat, ut levem preſſionem non toleraret, comitante totius abdominis tenſione, aſſumtorum incontinentia, & febre cõtinuante. 31 Octob. ante auroram cœperat, & 2. Novemb. ipſo meridie placidè vitæ curſum finivit. D

25. Decemb. Reinerus Warkius Antwerpienſis, de rigore abſque febri, qui diem & noctem perduraverat, bis aut ter diverſis temporibus conqueſtus eſt, deque alvo per quintiduum occluſa.

1581. 10. Ianu. Winandus Zonſius Reinbercanus, maculas rubras per

univerſa m

univerſam cutem, cum frigoris ſenſu, nauſea, & febri prorumpentes habebat. Notandum interim, quod maculæ iſtæ per thoracem, ventrem, brachia, femora, crura, imò per faciem caputque expulſæ, in ruborem continuum unitumque, eryſipelatis forma tranſierint, à quibus punctiones velut ab aciculis per cutem ubique percepit, atq; tenues inde ſquamulæ ſunt ſubſecutæ.

Quin & paulò ante 25. Decemb. maculas ſimiles rubras, pulicũ morſus imitantes per totum corpus diſperſas, paſſus fuerat, inter cœnandum, cum frigore exortas, nullo tamen calore magno ſubſe-
A quente, nullaſque corporis actiones oblædente.

15. Ejuſdem, Daniel Niellius de flatibus in hypochondrio ſiniſtro, ructibuſque crebris inſipidis queſtus, ex conſilio, neſcio cuius, pulverem hellebori albi, in ſacculis coriaceis paſſim venalem, ad põdus drag. dimidiæ (tantum enim pulveris ſinguli continent) idque ex modico aquæ hauſerat, à quo vomitus quatuor præruperunt, aquoſi primum, deinde aliquid flavi continentes. Infrà dejecit ſemel.

Notatu non indignum quod poſt aliquot dies, ſudoribus per balnea ſubinde provocatis, epidermis à pleriſque corporis partibus abſcedere ceperit.

B 2. Martii, in Noſocomio Electorali, XXVI. Orphani pauperes, utriuſque ſexus, quorum ætas annos XIII. non exceſſerat, jam ferè à Cal. Jan. per intervalla quædam incerta, ſymptomate quodam omnes ſimul corripiebantur, quod ſingultui, aut potius diaphragmatis convulſioni, affinius erat, ſine arteriarum motu læſo, illæſis quoque actionibus, tam animalibus, quam naturalibus: præterquam quod in natu omnium maximo, annos circiter XII. habente, mens aliquoties oblædi videbatur, quem ſoporatum jacere vidi, nec ſtimulo ullo excitari potuiſſe. Corripiebantur, bis, ter, quater etiam uno die: Ac plerunque ſimul omnes.

C 13 Julii, Abelo Bedæo Gallo, dextrum brachium, ex imperitia chirurgi, pleuritico venam ſecantis, aut potius pertundentis, inflammatum, quo in abſceſſum verſo, & aperto pus copioſum ad uncias V. aut VJ. effluxit.

1. Auguſti, Catharina filia, de lateris dextri dolore infra mamillam querebatur, qui ſtando magis affligebat, manu preſſus miteſcebat, interim nec dyſpnæam, nec tuſſim, multò minus febrem ciebat.

9. Eiuſdem, Ego inter cœnandum frigore, horrore, tandemque rigore concuſſus, in diariam prolabor, quam cruciatus in pectoris muſculis exterioribus, & in lumbis, & oſſe ſacro, nec non & cephalalgia excipiebat.
D

14. Clyſterem ex ſolo herbarum hortenſium, brioniæ, mercurialis lathyridis & peplii decocto, nulla re alia adjecta, ego mihi ipſi decumbens infudi, qui duabus ſeſſionibus aduſta, fuſca ſat commodè eduxit.

15. Ex Syrup. de foliis ſennæ compoſ. unciis duabus, quaternis

excretionibus, aduſta & fuſca mihi defluxerunt.

11 Oct Mulier ruſtica Schrieshemenſis, juvencula nuper nupta, ex prunorum multa ingeſtione, in menſium obſtructionem lapſa. Appetente autem menſtruæ periodi ſtato tempore (& quidem jam tertia vice) dolores lumborum femorumque ad pedes usque dyſpnæa & ventriculi & inteſtinorum moleſtia, vomitumque bilis, pituitæ & aquoſorum paſſa, cum nauſea & ſtomachi dolore poſt cibos, quæ mala ubi per 4. aut 5 dies preſſerint, miteſcunt absque febri, alióve incommodo, & ſine conceptionis indiciis. Redit deinde ad ſolita vitæ domusque munia exſequenda. A

13. Eiusdem Joanna filia de viſus obſcuritate ſubitanea ſubinde conqueſta, ſicut ſupra an. 1584. Neoſtadii.

23. Novemb. Eadem ventris profluvio ſpontaneo, abunde per aliquot dies, & quidem in gelidiſſima aëris conſtitutione, ipſo Neccari profluento incruſtato purgabatur, quæ ante 16. dies hieræ mellitæ uncia integra, ne moveri quidem poterat, cum aër eſſet benignus.

1590. 28 Martii Amelia filiarum natu minima, totum hunc diem de magno frigore & laſſitudine ſpontanea querebatur, ſub veſperam calor invaſit, febrem continuaturam portendens, cum cephalalgia vehementi, calor ille absque intermiſſione aut ſudore ullo, tres dies totos perdurabat. B

27. Aprilis Joannis Staf rdi Bruxellani pictoris coniux ex ovorum frixorum eſu, in lipothymiam, ac convulſiones epilepticas decies aut ſæpius repetentes procidit.

3. Junii, Ruſtica mulier Ogershemiana infra 40. annos nata, bono habitu prædita, à marito agricola, curanda adducitur, cui ex ulcere inter umbilicum & pubem enato, primo quidem lumbrici aliquot, ſeſqui ſpithamam longi, deinde verò excrementa prodire ceperant. poſtea & inteſtinorum magna portio, inverſa atque everſa interiore tunica extrorſum, viciſſimque exteriore introrſum: Et quidem dupliciter, mirando quodam modo, fermeq; indicibili extra ulcus (quod rotundum ad aurei Renenſis latitudinem patebat, labris in orbem cicatrice obduratis) propendebat, ad dextrum quidem lõgitudine ſpithamæa, ad ſiniſtrum verò dimidiata eiuſdem: Et quidē ita, ut per ſiniſtram partem excrementa effluerent (quæ dextrā prius impleverant) eaque non craſſa fæcum ſpecie, ſicut per alvum ſubter ſolent; Sed liquidiora. Per anum enim nihil abhinc ne XII. quidem hebdomadum intervallo reddiderat. Notabile autem inteſtini exulcerati labra, una cum labris ulceris in abdomine & cute ipſa poſiti, incuria chirurgi prioris, fuiſſe agglutinata. Propendebant inteſtina (quæ tenuia eſſe certis indiciis conjeci) per ſeptimanas jam circiter duodecim. Ulcus verò continuaverat per hebdomadas decem & octo. C D

Poſt propendentis inteſtini accommodatam repoſitionem, impletione

pletione jam ac conglutinatione rotundi ulceris in vanum tentata: Excogitavit Matthias Zeltenrichius Noſocomii Electoralis chirurgus (vir induſtrius ac gnavus, interque eiusdem artis cultores in oppido Heidelbergenſi primarius) obturationis modum: tubulum videlicet brevem ex argento fabrefactum, utrinque quidem clauſum, attamen foraminibus aliquot ad piſi amplitudinem, tam in dextra quam in ſiniſtra parte factis, præditum, & quidem rotundum, tantumque, ut vulneris foramen expleret; Lamellæ argenteæ rotũdæ ad thaleri latitudinem affixum; Lamellæ autem annulus planus
A adhærebat, per quem cingulum lineum tranſmitti, corporique circumligari poſſet, ne (quod ante ligneo tubulo annulum non habenti evenerat) in ſpiras inteſtinorum abſorbtus, per anum excerneretur. Atque hoc artificio, nihil deinceps per ulceris foramen, ſed debito conſuetoque naturæ modo per anum ventris recrementa vacuavit, atque ad domeſtica alıaque ruralia opera reverſa, incolumis degere perhibetur. Fama quidem fuerat bis interea eam peperiſſe, ſed falſa, ſicut ex ipſo mulieris ore anno 1595 conſtitit.

Admiratione interim dignum eſt, inteſtina, dum per XII. hebdomadas extra peritonæum nudata propenderent, nihil corruptio-
B nis per frigus incurriſſe, ſicut omento per vulnus peritonæi prominenti facilè accidit.

Item quomodo eadem illa inteſtina, à ſuis meſſeraicis tam arteriarum quàm venularum ſurculis, dum foris propendent, orbata, vivere atque nutriri potuerint? niſi excuſet illud Hippocratis, corpus noſtrum eſſe συῤῥουν καὶ σύμπνουν.

Item qua ratione vaſcula illa meſenterii à tanta inteſtinorum parte trium circiter ſpithamarum (duplicata enim erat inverſio, everſioque eorundem) avulſa, non exſtillarint ſanguinem ſuum (quo ſubſtantiam inteſtinorum alere ſolebant) in peritonæi cavitatem &
C hydropi occaſionem non dederint? niſi eadem illa vaſcula in ſe retracta fuiſſe dicamus.

27. Eiuſdem, Ego palpitationem aut tremorem cordis, hodie rurſus, & quidem magnis, celerrimis, frequentiſſimisque aliquot ictibus, absque moleſtia tamen notabili percepi, quod & ante hac aliquoties, & quidem ab anno 1579. ætatis verò 42. primum obſervare cœpi. Imò in annum 1609. ætatis autem 72. ſubinde tam noctu quam interdiu, ſine incommodo animadverti, nec remedia adhibui. Miſſione tamen ſanguinis diminui percepi.

D 20. Julii, Adoleſcens agricola Heppenheimenſis, utroque oculo cæcus, ſiniſtro quidem ex craſſa & ſubfuſca hypochyſi, dextro autẽ ex nervi optici obſtructione.

11. Sept. Ego oſſis ſacri dolore ſiniſtroſum, (quẽ antea ſæpiuſculè, & quidem hoc anno 17. Martii, & 6. Auguſti, imò & 18. eiusdem,

haud jucundè ſenſeram) nunc verò per aërem pluvioſum, auctiore facto, ita vexabar, ut per femur & crus in pedem usque ſiniſtrum deſcenderet. Metuens itaque, ne in iſchiadicum degeneraret (licet 21. Auguſti ea de cauſa ex cubito ſiniſtro ſanguinem ad uncias vj. revulſionis gratia detraxeram. 23. autem ejusdem, duobusque ſequentib. diebus, vino purgatorio ternis doſibus hauſto excretiones flavas XVIII. habueram) tamen inſtantibus Catharinæ filiæ nuptiis (cum viduus adhuc eſſem) utriusque pedis venam, ſub minoribus digitis ſitam, ſecari juſſi, prius quidem in dextro, derivationis gratia, mox inde in ſiniſtro evacuationis cauſa, pedibus in calidam demerſis, educto ex ſingulis ad vj. aut vij. uncias cruore, ſeſſionem continuando, abs ulla virium jactura; Statimque ceſſavit cruciatus ille à coxendice in pedem usque protenſus. A

Verum ob nimis aſtrictam cruris ad initium ſuræ obligationem, & diutius æquo durantem, ut eo plus cruoris ex anguſtioribus illis pedum venulis eliceretur, ſtupor quidam à genu per exteriorem cruris ſiniſtri cutem, usque ad pedis digitos obortus eſt, eiusdem cruris imbecillitas ſecuta, ut incommode ipſi inniti, & absque levis claudicationis ſpecie ingredi non poſſem, malo ad XI. Octobris usque prorogato. B

3. Novembr. Ancilla noſtra, breviuſculæ ſtaturæ, muſculoſa, obeſula, alacris, ob menſes obſtructos, herpetemque miliarem, in femoris dextri aliquot locis apparentem, ſumptis poſtridie El. Eleſcopii drag ſex, excretiones octo & viginti habuit. Sequenti die theriacæ ferè exoletæ drag. duabus ex modico vino albo oligophoro, ut menſes provocarentur, mane hauſtis (cum eadem illa nocte ex multa aquæ ingurgitatione in dolores ventris (utriusque certe me ignaro) prolapſa eſſet) ad vomitiones frequentes incitata fuit. Obortisq; horroribus multis, & ad horas aliquot perſeverantibus, paroxysmũ febrilem vehementem perpeſſa eſt, eo die, adeò, ut omnibus cerebri facultatibus deliraret, neque locum in quo erat, neque aſtantes noſſet. Nocte ſecuta vomuit deiecitque ſæpius, cruorem naribus emiſit, febrisque remittebat. Poſtridie quidem febri caruit, adhuc tamen delirabat, ſed mitius, omniumque, quæ acciderant, immemor, dolebat adhuc capite, naresque ſubinde ſanguine fluebant. Septimo ejusdem, iterum naſo ſanguinem per diem noctemque exſtillante, Dei clementia convaluit. C

15. Eiusdem, Lanionis coniux obeſula, annos fortè 26 nata, quæ quater pepererat. A primo autem partu, hæmorrhoidum fluxũ, per anum putà, percipere cœperat, tamen interceſſantem. Tandem nuper, (partu X. ſeptimanas præterito) hæmorrhoides ſubinde, admodum abunde manarunt, inprimis verò, quoties ſicciore alvo, ad excretionem fortius anniti cogeretur. Alioquin non malè habens, infantem benè habitum lactabat. D

1591. 17. Febr. Uxori Dn. Franciſci Junii Theol. Doctoris (quæ 29. Jan. pepererat,

pepererat, & 1. Febr. diarrhæa affici cœperat, & 5. eiuſdem noctu, dolore ventris, vomituque vehemente & crebro, alvique profluvio frequenti, ſimul cum febri, ex cibi ingeſti copia, ob appetentiam intenſiorem, aſſumptorum corruptela in modum choleræ ſubſequente) Tandem 17. Febr. cœpit ipſi intumeſcere abdomen; ac ſub utroque hypochondrio durities percipi, ſicut & poſt 4. aut 5. dies ſimiliter inter umbilicum & pubem per tranſverſum, tumor animadverti, & hydropis ſpeciem præ ſe ferre, hepatiſque ex ædematoſa ſcirrhoſaq; phlegmone abſceſſum ſimulare, qui lentè matureſcens XXX. Martii
A poſt meridiem ſponte ſua per umbilicum (meatu naturæ prorſus inuſitato) via ſibi ex ſimis jecoris partibus per venam umbilicarem (quæ fœtui ex chorio, ſanguinem matris alimentarium in jecoris biſulcam fibram ſuggerere ſolebat, ſed à nato infante, præciſiſque umbilicalibus ab obſtetrice vaſis inutilis & exoleta exaruit) quæſita erupit: Omni puris genere, tam in ſubſtantia, quam in colore differẽtis, maiori tamen ex parte albiſſimi, ad menſuram trium aut 4. librarum, ſine multa virium vitalium inter exeundum jactura. Verum ante aliquot dies, matureſcente tumore, flaveſcere tota cute, ictero q; affici cœperat. Poſtea exhauſta viribus VI. Aprilis piam animam Deo
B reddidit.

8. Martii, Caroli Bombergi vidua matrona nobilis in villa ſua weilerana prope oppidum Otterbergum præfecturæ Cæſaro-Lautrenſis delirio absque febri, ſubitaneo, unà cum tota familia obruebatur, ex occaſione radicum quarundam, quas ex hortis agriſque viciniscrutas, in opſonium coxerant, & opinati ſalubres bonasque eſſe, comederant.

Hiſtoriolam matrona ipſa menti reſtituta, ſua manu conſcriptam ad me miſit in hunc modum: Menſe Martio priusque radices germinare occipiant, ideoque haud facile dignoſci poſſint: radices
C quasdam effoſſas ancillæ, extrinſecus à ſordibus & cuticula radendo purgatas, in turundas oblongas tenueſque minutatim conſciderunt, quo more, rapa, aut paſtinacæ hortenſes apparari ſolent. De elixo hoc percoctoque edulio, comederunt convivæ octo. Inter quos tres erant mulieres, vir unus, adoleſcentes duo, totidemque puellæ. Ad me (inquit) quod attinet, permagnam mihi obortam ſenſi oppreſſionem anguſtiamque, adeò ut intra XXIV. horarum intervallum, aut nihilum aut perparum mei compos fuerim, nec quid agerem, ſciverim. Fui ſiticuloſa admodum, in ventriculo, gulaque fervorem immodicum percepi. Quum verò jam ad me redire inciperem: tunc omne
D avicularum & cuniculorum genus mihi obverſari videbatur, & quoscunque circum me videbam homines, omnes vel mortui, vel ægroti apparebant, quorum ſingulis opitulari & medicari allaborabam, aut ſaltem, qua poſſem ſolari. Interea immemor ipſa mei, propriique ignara pericli, ſatagebam, & anxiè defatigabar, in ſublevandis ac trãſportandis, tàm viris quam mulierib. qui opinione mea ægrotabant.

Nn v.

Alii verò imaginabantur ſe videre lacertas ſerpentesque. Alii arreptabant in ignem. Alii ſaltabant,& per dumos ſepesque vagabātur. Diſpar quoq; erat ægrotationis tempus,his longius, illis brevius. Quo quis plus de illis ederat, eo diutius & vehementius; quo parcius aſſumſerat, eo moderatius delirabat. Mihi ſanè mens per quatuor dies errabat. Hactenus illa.

Cicutæ radices fuiſſe,inde conjicio, quod albedine & glabritie paſtinacæ radices imitentur. Deinde quod Matthiolus comment. in lib.4.c.74. Dioſc.de cicuta. Nec non lib.6.c. 11. non abſimilem hiſtoriam recenſet. Sicut & Tragus lib.1.cap,1.9.de cicuta Schirling/ exemplum matronæ delirantis adducit. A

1592. 16. Aprilis,Danielis Coddæi uxor,quarto geſtationis menſe abortivit fœtum maſculum longitudine XII. pollicum, omnib. membris abſolutum,unguiculis,licet quoque valdè exilib.inſtructum.

9. Maii,Theodorus Abſemius Hamburgius, maculam fuſcam ampliſſimam gerebat, quæ à coſtis nothis abdomen univerſum integens,ad femora ſe extendebat,& 4. annos perſeverans, poſt comeſſationes augebatur.

20. Sept. in ædib. Dn. Joannis Opſopæi, Joannes Jacobus Reutlinger Oppenhemius ſtud. furca fœnaria percuſſus in ſincipite, paulò ſupra frontem, & ad initium muſculi temporalis dextri vulneratus,ubi vivendi finem fecerat,aperto cranio inſpicitur. In quo deprehendi fracturam trigonam, in cranii lamina interiore, ſub ſiniſtro vulneris initio, nulla in ſuperficie exteriore fractura, imò ne fiſſura quidem apparente. Præterea in dura meninge,frontem verſus,multa erat rubedo,ad palmi latitudinem,phlegmones ſignum. Sub dura verò membrana,tumor latitabat,multumq; puris liquidi. Tenuis autē meninx, erat & ipſa rubicundula, ac ſub ipſa pus craſſiuſculum & ſubrufum. Nequaquam tamen æger deliravit,neque convulſiones paſſus eſt. Solummodò febricitavit continuè idque à quarto vulneris die,usque ad finem,qui fuit nonus,quo expirabat. B C

1593. 5. Aprilis,Joanna filia mea Jani Gruteri J. U. D. conjux, mane circa auroram,dolebat ventre,circa pubem atrociter absque vomitu aut febri. Cruciatus ante meridiem ceſſabat. Mox enim apparebant fluores ex utero, albi, rubri, mixti. Menſes per hebdomadas xvj. ſubſtiterant,cum indiciis conceptionis. 10. Aprilis abortivit, ejectis ſecundis ad ovi anatini molem absque fœtu,qui exiguus valdè fuiſſe & excidiſſe videtur,quoniam membrana ſecundarum utraque diffiſſa erat.

9. Eiusdem,Æmiliæ noſtræ,quæ XXX. Martii frigus cum calore ſubſecuto in typum tertianæ duplicis ſenſerat, iſto die febris ex tertiana duplici levi,in continuam per dies v. converſa eſt. Deinde rurſum ex continua in duplicem intermittentem tertianam permutata. Revaluit. D

22. Eiusdem, Me ſub veſperam frigus invaſit calore ſequente,

& dolor

& dolor in latere dextro, qui non quidem tuſſiendo, aut in malè affectum latus decumbendo; ſed ſuſpirando tantummodò moleſtus erat. Poſtridie per thoracis anteriora diſpergebatur. 4 Noctu aut potius circa ſequentis lucis auroram, dolor qui pectoris anteriora occuparat, in ſiniſtra inclinavit, acriterque afflixit, ſed fomentis ſiccis lenitus eſt.

27. Circa quintam veſpertinam, novus me dolor in latere ſiniſtro, ſubito cum frigore leviculo adoritur, qui ad horæ ſpatium ſuſpirando leniri quidem: Sed paulò pòſt rurſus ſuſpirando, tuſſiendo,
A imò & inſpirando exacerbari potius videbatur: Verum & idem ille fomentis ſiccis calidiſſimis mitigatus plurimum, & diſcuſſus quodammodo, disparuit. 29, priori illo diſcuſſo, alius in latere dextro, axillam verſus ad ſuſpirationem ſolam pungenti ſimilis, prioribus tamen mitior ſucceſſit, qui fotui calido ſiccò, & ipſe locum dedit.

24. Maii, fœtum abortivum VI. menſium, unà cum Domino Joanne Opſopæo Collega Profeſſore aperui. Cujus motum mater paulò poſt ſextam hebdomadam animadvertit. At à quarto geſtationis menſe, non amplius. Longus erat pollices ſeptem. Maſcu-
B lus, an fæmella, aut utrumque fuerit, diſcerni commodè nequivit. Lineamenta utriusque ſexus apparebant. Scrotum tamen deerat. Incluſus ſecundiva nondum rupta, in quantitate ovi olorini naſcitur, ſed mortuus. Aperta ſecundina olidus erat, & à plantis pedum cuticula abſceſſerat. Situ ſupino, in dextri lateris abdomine, è regione umbilici, tumor inæqualis ad phaſeoli molem, tractu aſper, viſuque manifeſtus, per cutem ſpectabatur. Abdomine ſecto, jecur magnum, ſed exterior gibbaque ejus ſuperficies tota, colore flava. Interior & ſima haud malè colorata. At infimus eius lobus, tumorem inæqualem, aſperum, tophorum particulis, tanquam
C confractis ceraſorum nuculis, abſque pure tamen, plenum continens, viſu tractuque durus repertus eſt. Exſecto jecore, nullus cruor effluebat. Quin nec vena umbilicaris quicquam ſanguinis continebat. Totusque fœtus gracilis erat & macilentus. Cætera viſcera nihil vitii habebant.

17. Julii, Mulier ruſtica juvencula vix ſeſquiannum nupta, à marito, cauſante quod eam inire non poſſet, repudiata: à Collegio facultatis Med examinata, depræhenditur in oſculi genitalis parte inferiore, habere perinæi membranam nimis latam, adeò ut dimidiam genitalis oſculi partem, velut phymoſi quadam obſtrueret, membri-
D que virilis immiſſionem recta faciendam præpediret. Nihilominus nec mariti genitale culpa omni carebat, quippe quod mediocritatem excedere cenſebatur.

22. Eiusdem, catarrhus meus & coryza (imbecillo meo capiti, vel ob levem aëris frigiditatem, jam per multos annos familiaris & frequentiſſima) nunc iterum in mediis canicula-

ribus

ribus reverſa & moleſta, poſt tertiam capitis calefactionem, & quidem diverſis diebus, non continuatis factam, Dei benedictione, rurſus, ut & alias, ſubſtitit.

Nota, quod ab eo tempore, in tali affectu, nullis revulſionibus, averſionibus, derivationibus uſus ſim, ſola intemperiei frigidæ correctione (per calidiſſima linteorum ſedecies complicatorum fomēta arctiſſimè capiti appreſſa decies aut duodecies continuò iterata) acquieſcens, etiam in annum usque 1609.

8. Octobris Magiſter Cyriacus Haliæus, in Collegio Caſimirano, hydrocele utriusque teſtis, dextri quidem ad magnitudinem pugnorum duorum, ſiniſtri verò, ad molem pugni unius, detinebatur. Cœperat ante anni intervallum, ſenſimque accreſcendo, eò quantitatis pervenerat. Quamobrem cum in diſcutiendo nulla ſpes eſſet, ad παρακέντησιν refugiendum fuit. Hoc igitur die induſtria Matthiæ Zeltenrichii Chirurgi, dextri teſtis tumor, ſcalpello longo latoque (Lancettam vocant) pertuſus, aquæ limpidæ copiam ad uncias xx. effudit, præter ichores eos, qui poſt vulneris obligationem exſtillarunt, & ſubjecta lintea commadefecerunt ad uncias 4. aut 5. ut minimum, absque ullo virium detrimento. A

14. Eiusdem, ſiniſtri teſtis ramex, ſcalpello ſimiliter perfoſſus, humoris aquoſi uncias ferè quinque una vice emiſit, præter liquores illos, qui inde exſtillarunt in ſuppoſitos pannos, poſt obligationem adminiſtratam. B

15. Eiusdem, Jeremias Belliſarius annos XII. natus, hernia ſupra ad teſtem dextrum aquoſa, tumore molli, à teſtis ſitu ſeparato, ideoque non in Erythroide tunica, ſed extra hanc conſiſtere viſa.

5. Novemb. Catharina filia mea Winandi Zonſii coniux puerpera, mane circa octavam, febrem cum frigore prægreſſo paſſa, quæ poſtridie circa viij. matutinam, cum ſudore modico ſoluta, à calore tamen febrili ægrotantem non liberabat, ſed fervorem continuans, imò ſub noctem ingraveſcens, ſiti, cephalalgia, pervigilio, inquietudine, corporis jactatione, levique delirio, tertio inde die, poſt 48. horas, mane rurſus octava, revertente frigore quodam, deinde largo cum ſudore aliquot horas durante deſiit. Adeò ut duplex febris, & quaſi diaria in continentem verſa, ex vigiliis, putà poſt partum (qui 3. Novemb. veſperi facilis & proſper, Chriſti clementia acciderat) atq; ob dolores uteri poſt partum, qui 5. Novemb. acceſſerant, altera febris originem ſumſiſſe videri poſſet. C

595. 15. Jan. Eiusdem filiolus nuperrimè natus, teſticulo ſiniſtro carere viſus, vaſis tamen ſeminalibus ibidem præditus, dexter autem major quam pro ætate, ſimulque ramice aquoſo, in Elythroide tunica, affectus eſſe. D

21. Septemb. Ego juxta mamillam dextram, inter ſuſpirandum ac tuſſiendum dolorem ſecantem, qualis ab acuto cultello aut novacula fieri poſſet, perſentiſcere cepi, qui absque tuſſi tamen, aut ſpi-

rationis

rationis offenſa, aut calore 3. aut 4. dies permanſit. Talis me exercuerat ſupra 3. Januar. anno 1580. Sicut & 9. Febr. nec non 26. Martii anni hunc ſequentis 96. me reviſit.

20 Januar. Ego in dextræ manus parte externa, nempe ab articulo medio, digiti medii, ferè uſque ad carpum, quoties manum totam retrorſum flectendo curvarem, dolorem quoque acutum, qui ſecantis cultri ſpeciem ſimulabat, notare cœpi. Citra autem manus contractionem, nihil incommodi percipiebam. Affligebat per multos dies. 1596.

A 7. Martii Grenoniæ viduæ filiolus, aliquoties ſanguinem mingebat, abſque notis calculi.

26. Aprilis, Sara privigna mea, quæ ob ſubſiſtentes diu menſes, poſt ſanguinem à malleolis emiſſum, poſt quoque præparatoria & purgantia debito tempore & modo adminiſtrata, tandem inter decocti Guajacini uſum, quo per aliquot dies ad proliciendos menſes exhibito mane ſudarat: Hoc, inquam, die in diarrhæam bilioſam & ſubfuſcam incidit. Deinde 5. Maij diarrhæa Saræ, hactenus quantumvis dilutioris coloris perſiſtente, & pulticularum uſu lenita, tandem hoc die exhibitis ſyrupi Pantaleonis unciis duabus, cum El. Eleſco-
B pii drag. duabus, ſeſſionibus vij. aut octo, excrevit liquidiſſima, ſed nigricantia multa, poſtridie verò diarrhæa ceſſavit, atque ſequente nocte ſudor profluxit. Sequitur deſcriptio Syr. Pantal.

Syrupus D. Pantaleonis purgans & ſimul fluxum aſtringens.

℞ cort. mirobal. chapulorum	℥ ij. ſ.
paſſul. enucleat	℥ v.
decoquantur in aquæ font. claræ	lib. viij.
C donec dimidium abſumatur.	
poſtea colentur cum forti expreſſione.	
& in colatura diſſolve.	
Sacchari ℥ xx. deinde clarifica cum albuminibus ovorum, aromatizan cum cinamomi	℥ xij.
Fiatque Syrupus.	

10. Septemb. Jeremiæ Belliſario, ob febrem tertianam duplicem, quæ tranſire in continuam minabatur, poſtquam duobus dieb. mane ſingulis hauſtulum purgatorium haud ignavum natura, ni-
D mirum ex El Eleſcopii drag. iij. ſ cum ſyrup. roſ. multæ infuſ. Uncia j. abſque effectu ullo ſumpſiſſet: hoc die mutata pharmaci forma, ex liquida in ſiccam & ſolidam, nempe pilul. aggregat: & aurea: ana drag. dimi. deglutitis, permota alvo ſecutæ ſunt excretiones aliquot.

Simile vide ſupra anno 1574. in virguncula nobili Mariſchalli Gifforcii nepte.

21. Nov.

21. Novemb. Ancilla noſtra ex peponum coctorum eſu nimio, vomitione & febri corripiebatur, non ſine peſtis publicè jam aliquandiu ſævientis contagio. Qua de cauſa Sidrotica propinata ſunt ex quibus duobus rejectis, tertium modò retinuit. At ſudorem vix per horulam ſuſtinuit. Quartum itaque exhibitum poſtridie, ſed veſperi revomuit, poſtea dolere cepit ſub aure ſiniſtra, omnes cibos faſtidiebat, neque ſi quos ſumſiſſet, retinuit. Ex retentis vel pauciſſimis gravitatem querebatur. Tertio die tumor, ſeu parotis augebatur deorſum; Et maculæ in cruribus apparebant. Principio quarti à morbo, ſub noctem octava, mentis compos, A Deumque invocans, piam animulam, filio Dei precibus commendatam exhalavit.

Eodem menſe, Nicolaus Faber Egranus in typographio Smeſmanniano peſte infectus, inter ſcapulas anthracem fovit, qui xv. digitorum longitudinem, & ix. latitudinem obtinens, ad oſſa usque deſcenderat convaluit tamen ex hoc contagio. Sed poſt paucas à recuperata valetudine hebdomadas, Francofurti ad Menum, alio morbo periit.

17. Decemb. Ego dolores iliacos, in tenui inteſtino, ſubſiſtentes, & circa umbilicum me torquentes, agitatione muſculorum abdominis, potiſſimum verò rectorum deorſum facta, quinquies nempe aut ſexies volvendo, diſſipavi, cauſamque dolorificam mutare locum coëgi. Quæ actio poſtea mihi ſæpe remedio fuit. B

1597. 5. Julii, Catharina filia, de pectoris anguſtia circa diaphragma querebatur, non quidem continua, ſed per intervalla, tam vehementi, ut interdum noctu erecta ſedere cogeretur, cubans ſupina deterius habebat, prona jacens, lenius, absque tuſſi ſingulari.

10. Novemb. Quum me catarrhus, qui 29. Octobris acceſſerat, C nondum deſeruiſſet; Ego per hunc annum Rectoratu Academiæ adhuc fungens, ex multa lõgaque locutione, in examinandis xi. teſtibus, per horas ternas continuata, defatigatus, moleſtiam circum diaphragmatis extrema, quaſi lancinantem veſperi ſenſi, ut difficulter ſpirarem. Imò circa octavam, in precatione veſpertina, ad terna aut quaterna quæque verba, ſubſiſtere cogerer. Qui tamen dolor calidorum fotu, penè totus diſparuit.

12 Eiusdem, ad mamillam ſiniſtram, ſcindentis ſpecie, tranſiit, & per biduum hæſit.

15. Idem ille in dextrum latus, mamillam verſus, ſe contulit. D

Frontis quoque cruciatus per biduum me afflixit, qui ad ſingulas arteriarum pulſationes, pedumque inter eundum motus, intendebatur. Sed epithemate ex oxycrato, adjuvante Domino, remiſit.

1598. 29. Januarii, D. Jani Gruteri conjux ſecunda, quæ 22. eiusdem, filiolam

filiolam pepererat, hæmorrhoidas cæcas exſtantes foris, ut ſedere nequiret, ſimulque dolorem juxta inguen ſiniſtrum, & paulò poſt febriculam, patiebatur.

18. Febr. Eadem matrona, durante adhuc puerperii ſui tempore, ſub veſperam ſtranguria tentari cepit, qua humor ex flavo nigricans modicus exibat poſtea in rufum mutatus.

26. Martii, ob auram frigidam antemeridianam, me noctu febris adorta eſt, cum ſubſequente coryza, & dolore, qui ſiniſtram thoracis partem, à mamilla ad gutturis ſummum, inter ſuſpi-
A randum ea parte moleſtabat, ſicut & lumbos usque ad os ſacrum, inter curvandum. Tuſſis non erat vehemens, nec multa exſcreatio. Urinæ erant rubentes, aut igneæ ex eadem Ephemera, & quidem mox poſtridie, adeoque tales per biduum manſerunt. Nam 30. eiusdem menſis ad colorem priſtinum ſunt reverſæ.

Ita quoque ex ſimili cauſa 18. Aprilis urina per 2. dies ignea, & 21. eiusdem, colori naturali reſtituta.

3. Iunii, Daniel Codde, & 8. eiusdem, Iacobus Grandhomme uterque tertiana intermittente correpti, poſt quartam aut quintam acceſſionem, præparantibus, obſtructiones ſolventibus uſi,
B à febri ſunt liberati.

21. Eiusdem, Brettam profectus ſum, ad filiam meam Catharinam Winandi Zonſii conjugem, quæ poſtquam 15 Iunii filiolam formoſulam, benè habitam, juſtæque magnitudi is ſatis feliciter peperiſſet. Duas tamen molas, ut duo carnis fruſta, cuticula obducta, magni pugni inſtar, diverſis nixibus excluſit, cum hæmorrhagia multa, quam animi deliquium ingens ſequebatur. Quo factum, ut in lectum collocata, ſecundas retinuerit, & ſubſidente ac corrugato utero eas expellere nequiverit. Unde febribus variis, bis, ter, quater uno die repetentibus, ſyncopis, cephalal-
C giis, inquietudine, corporis jactatione, vigiliis, fracta: Quamvis varia remedia, ſed fruſtra adhiberentur, digitisque obſtetricis, aliquot chorii fruſta educta fuerint, ac forcipe chirurgico correpta eximere annixi ſimus: præ dolore tamen puerperæ intolerabili, abſiſtere coactis omnibus, tandem quinto Julii, mane poſt quartam, animam piam Deo Salvatori (quem toto pectore & vita reverenter coluerat) cum invocatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, reſtituens, exſpirabat.

25. Eiusdem, ibidem ego propter ventoſi imbris occurſum, tum inter proficiſcendum Brettam, tum inter ambulan-
D dum poſtea per auram turbulentam, dolorem lateris dextri circa ſeptimam coſtam absque febri incurri. Sed quatriduo poſt febris cum horrore ſupervenit, quæ tertio die ſudore ſolvebatur. Paroxyſmus tamen ille ſputum mihi ex rubro fuſcum expreſſit, & craſſiuſculum, per 3. aut 4. dies, etiam poſt ſolutam febrem.

febrem. Poſtea me languor, deiecta appetentia, vini ac cereviſiæ omnis faſtidium, per XXIII. dies detinuit. Verum animi affectiones, triſtitia, curæ, vigiliæ, ob filiæ decubitum periculoſum, non parum momenti ad morbum meum contulerunt.

7 Julii, à morte filiæ, Bretta domum adhuc languidus reverſus, ob vehiculi ſuccuſſationem, in febriculam & doloris lateralis recidivam relabor, quæ ad 22. Julii usque occupavit.

23. Ante biduum me pruritus maximè per truncum corporis cœpit divexare, à cuius exortu, appetentia melior facta.

31. Auguſti, Æmiliæ filiæ 22. annos natæ, ex catarrho difficulter ſpiranti, & ſuffocationis periculum metuenti (quamvis fluerent mēſes) nihilominus ex brachio ſiniſtro ſanguinem ad uncias ſex detraxi. A meridie eiusdem diei mox cucurbitas effixi. Poſtridie propter diſcrimen adhuc urgens, pilul. aureas ad ℈ ij. mane exhibui, unde ſedes ſeptenæ. 2. die Septemb. meliuſculè habuit, & tertio die commodè ſpiravit. Convaluit. A

Nota quod inter tot & tantas evacuationes etiam in contrariū factas, menſium fluxus non ſubſtiterit, & quò minùs illud fieret, pedum fotu in aqua calida utebatur.

1. Novemb. Iacobi Belierii uxor, de hypochondriis, & ventre, & lumbis, utrisque cruribus, imò & calcaneis, usque ad pedum digitos dolentibus, præcipuè verò de utroque genu querebatur, ob ſuſpicionem calculi renalis. B

20. Eiusdem, D. Gruteri filiola, neptis mea, dubiæ valetudinis, annum ætatis quintum ingreſſa, urinas obſcuras, fuſcas, cum ſedimento craſſo fuſcoque emittebat. Die menſis 27. lotium cum hypoſtaſi multa nigricante, paulatim clareſcere cœpit. 28. Eidem parotis ſub aure dextra apparuit. 2. Decembris hypoſtaſis non amplius craſſa & nigra, de more, ſubſidebat, ſed attolli & faſtigiari cœpit, obſcura tamen adhuc & fuſca exiſtens. C

1599. 7 Ianuar. cum mihi, ex frigidioris aëris afflatu, dolor oſſis ſacri, ut nec incurvare me, nec erigere commodè poſſem, accidiſſet, & biduo poſt, ex ſiniſtra in dextram tranſiret: quarto morbi die, ex pede dextro ſanguinem ad uncias ferè viij. eduxi, anno ætatis LXij. absque incommodo & benè, per Dei gratiam, ceſſit.

29. Eiusdem, febricula mihi absque ſudore, ex humoribus ob leve frigus motis ſuſcitata: Poſtridie urina rubuit velut ignea, cum tuſſicula, & taliter colorata manſit per 8. aut 10. dies, absque ulla tamen febricitatione, quod eſt præter Ephemerarum naturam, mihiq; ſæpius accidit. D

5. Aprilis, Me noctu in lecto Ephemera cum frigore modico adorta, in ſequentis diei noctem perdurans, cum pauco ſudore finiebatur. Sexto eiusdem, dolor lateris ſiniſtri ad coſtam ſeptimam ſub mamilla ſecutus, & quidem vel ſuſpirando ſolum, aut corpus vertendo magis lancinans, absque tuſſi, aut dyſpnæa, aut ſiti. Urinæ prima

prima nocte, inchoante febri copioſiſſimæ, frequentiſſimæ, crudæ, albæ, inſtar aquæ profluebant. Verum à ſedata febri, in igneas converſæ parciores ibant, & uſq; ad xv. menſis diem, talem colorem obtinebant, ſicut paulò quoque antè dictum eſt.

19. Eiuſdem, D. Jani. Gruteri vxor altera, ex menſibus retentis, uteri diſtortionem, febrem, tormina, diarrhæam bilioſam, vomitumq, & vigilias tandem paſſa, v. die morbi obiit.

9. Auguſti, in mediis ferè canicularibus, ſed non ferventibus, Amelia filia (ut ſe à graſſante dyſenteria præſervaret) pil. ag-
A gregat drag. una aſſumpta, ſedes v. habuit.

11. Eiuſdem, eadem filia circa meridiem, poſt horrorem levem, febrem nacta, qua adhuc durante, poſtridie fluxum alvi ſpontaneum ſenſit, qui 4. aut 5. excretiones denuo produxit, non obſtante pilularum operatione, ante biduum facta.

10 Novemb. eidem filiæ, menſes morantes, decocto Guaiacino iterum feliciter, Chriſti favore, refluxerunt.

18. Aprilis, Ego præcautionis de cauſa, ex brachio dextro ſangui- 1600.
nis uncias iiij. eduxi, qui floridus totus erat an. ætatis 63.

26. Julii, Danielis Coddæi filiolus nuper natus per tres dies Epi-
B lepſiis frequentiſſimis conflictabatur, quem ſyrup. roſ. ſolut. purgabam, aquam Epilept D. Langii naribus & carpis adhibui, Mithrid. ℈j. cum aqua Lavandulæ cochleari in duas partes diviſim inſtillavi, unde poſt triduum, Deo dante, convaluit.

25. Septemb. Mihi circa tertiam matutinam (ob pridianam am- 1601.
bulationem humidulo cœlo, & per pratum pluvia adhuc madens fa-
ctam) frigus leve, cum febri ſequente arrepit, comitante mox fre- *Vide 5. A-*
quenti lotio, quod ad libras ſex (quum tamen ex more vix vncias *pril. anno.*
xvi. liquoris bibiſſẽ) ante meridiẽ colligi poterat abſq; ſiti. Accede- *99.*
bat ad lateris dextri circa 4. & 5. coſtam dolor, ſed qui ſternutando,
C ſuſpirando, vehementius tuſſiendo, aut in latus alterutrum convertendo exacerbaretur, abſq; alio ſymptomate graviore. Cibi tamen potuſq; uſitati appetentia valdè proſtrata. Vires quoq; motrices dejectæ. Febris dies duos non totos complebat, ſudoris expers, ſymptomatica nimirum, fluxionis factæ, dolore laterali leniter miteſcente per fomenta ſicca calidiſſima ſubinde applicata, ut ſexto morbi die paucillum modo perciperetur.

3. Novemb. Georgius Frey, Lanionis famulus, à percuſſione in cervicem 18. Octob. pugno facta, propter luxationem vertebræ tertię & quartæ rectam, caput nec retrorſum, nec in alterutrum humerum
D ſponte movere, nec palpebras attollere poterat; abſq; alio ſingulari ſymptomate adhuc reſtante. Nam febris, delirium, aſſumtorum vomitus, iam dudum ceſſarant. Luxationis a. repoſitionẽ conſulere iã poſt tot dierũ puta xvi. lapſum nõ ſumus auſi, metuentes interea intercreviſſe aliquid, anginamq; cũ phlegmone ob dolorẽ ſuboriturã.

Notandũ interim, quod quamvis conſenſu magiſtratus, partiũ, &

ægroti facta ſit repoſitio: non tamen capitis motu pro arbitrio frui, neq; palpebras attollere potuit.

14. Decemb Mihi in oculo dextro, verſus angulum exteriorem, ſuffuſionis principium ſubortum eſt, ut nubecula nigricans rotunda obverſari videretur, quæ tamen viſionem non totam, nec ex directo, ſed obliquo, & quidem ſurſum verſus ſubinde impediebat, non fixa, ſed mobilis, pro motione oculi exiſtit.

Nota quod uſq; in finem anni 1610. nihilo deterior evaſerit.

1602. 2 Ianuar. D. Petro Heimanno Legum Profeſſori Heidelbergæ, in ſeſquiannum variis morbis detento, qui ex obeſa proceri corporis mole, in extremam maciem devenerat abſq; tamen febri hectica: Nam cutem habebat mollem laxam & rugoſam, pulſumq; minimè durum, ſine phthyſi, quam tamen quidam Medici etiam primarii ſuſpicabantur, pulmoneſq; accuſabant, cò quod aliquoties ſanguinem tuſſi at copioſè reieciſſet, ſed nullo ſequente puris ſputo. Quia tamen plethora ad vires, auriſq; ſiniſtræ fluxu fœtido novo laborabat, quo & ante hebdomadas aliquot affectus fuerat, adeoque ob vertiginem ex cubito ſiniſtro ſanguinis uncias paulò ſupra tres emiſimus, abſq; ulla virium jactura. A

4. Februar. Oblatus eſt infans bimulus, filiolus Ioannis Schonman fabri lignarii ex pago Newkirchen præfecturæ Lautereck / affectus deformi capitis mole hydrocephalo dicta, iam per ſeſquiannum ſenſim accreſcente, cuius circumferentia capiebat ulnam Heidelbergenſem unam cum quadrante, aut pedes duos geometricos cum palmo. Longitudo à fronte ad occiput erat pollicum IX. Latitudo ſincipitis à timpore dextro ad ſiniſtrum pollicum VIIj. cum dimidio. Occipitis latitudo, pollicum ſolummodo IIIj. Humor flatuſq; intra meningem duram conſiſtens, ſuturas coronalem & ſagittalem latiſſimè diſtenderat, & oſſa ſincipitis verticiſq; à ſe mutuo ſpatioſè divulſerat. Frons erat valdè lata & alta, cutis oſſibus cranii adhærebat, abſq; humore aut flatu ullo intermedio. Sutura Lambdoides oſſa verticis aut timporalia, cum occipitis oſſe firmiter conglutinarat. B C

1. Martii, Ancilla noſtra à cephalalgia, quam cum odontalgia & febricula 24. Februar. paſſa fuerat, in timporis ſiniſtri moleſtiam cum dolore colli præcipitatur, inde de dorſo lumbiſq; deiectaq; appetentia queri cepit. Paulò pòſt in dyſenteriam per triduum devoluta, qua ſanguinem multum ſatiſq; purum abſq; ulcerati inteſtini notis exercuit. Deinde ſubſtitit alvus per vij. aut viij. dies, ſine excretione ulla. D

13. Eiuſdem, Caroli Cornicii ſtudioſi caput aperuimus, qui punctim enſe tenuiſſimo, in dextra frontis parte, qua capillitiũ attingit, ante xvj. dies noctu ictus fuerat: vulnus anguſtum erat admodum, ut communis piſi quantitatem non admitteret. Calvaria cum utraque meninge perforata, in cerebrum altè penetrarat, abſceſſumq;

fecorat,

fecerat, in quo puris albi vnciæ ferè tres latebant. Abſceſſus labra rubeſcebant, venæ in tenui membrana, ſanguinis ruborem nigricantem præ ſe ferebant. In neutra cerebri meninge, color erat mutatus. Vndecimo vulneris die, cum Epilepſia febricitabat: inde per duos dies naturales totos, cum quadrante, mediocriter habebat. Tandem XIIII. morbi die, paroxyſmo febrili (mitiori tamen quàm prior) reverſo, moritur.

14. Eiuſdem, filiolum Dn. Joannis Bourgeoiſi Eccleſiaſtæ Gallici trieneum diſſecuimus, qui XXV. dies decubuerat, ac ex Lumbricis ægrotaſſe putabatur. Adaperto peritonæo, hepar (ſicut ex tactu ante ſectionem prædixeram) ſcirrhoſum, maiuſque quam pro ætate, & ſanguine nigricante plenum. Lien verò exilis, ac quodammodo contractus. Inteſtina cuncta flatu turgida & lucida. Unam tenuis inteſtini partem, intra ſe contractam ac involutam, quaſi in ſe infarctam, ut duritiem quandam, tanquam tumoris ſpeciem, repræſentaret, vidiſſet. Nam quod ſeſquipollicem longitudine æquabat, dum involutum eſſet, id leniter evolutum, duos ferè palmos implebat. Extra inteſtina aqua peritonæi cavitate continebatur. Omentum penè abſumtum erat. Ventriculus exiguus & veluti contractus, Veſicula fellea albeſcebat, Lumbrici nulli.

Vide ſimile quid 3. Iunii an. 90.

9. Julii, Mulier ruſtica ex pago Doſſenheim præfecturæ Heidelbergenſis, Lepræ ſuſpecta, caput habebat tuberoſum, inæqualibus tumoribus oppletum, qui ſpiras inteſtinorum, aut cerebri circum volutiones referebant, abque dolore ullo cum furfuribus, & quidem utroq; malo per univerſam capitis cutem diffuſo. Cutis autem reliqui corporis ſcabie ſicca, & furfuribus obſita. Ex febri continua ingentiq; capitis dolore, originem ducebant, idque ab initio Aprilis ſolum. Ante nihil mali ſenſerat.

29. Decem. Gertrudilla privignæ meæ filiola, trimula tuſſi, raucedine, reſpiratione ſonora, & ſtrepente correpta, & febri ex catarrho ſuffocante. Obiit poſtridie.

1. Februar. M. Hermannus Wittechindus Matheſeos Profeſſor, in Academia Heidelb. Poſtquã ꝑ duos annos cum dimidio, ex Hemiplegia, in ſiniſtri lateris reſolutionem perveniſſet, & ab eadem, naturæ beneficio, nullo remediorum (à quibus abhorrebat) uſu, utcunque convaluiſſet, tandem heſterno die, Lethargo captus, & obrutus manens, eodem 7. febru. extinguitur felix ſenex, qui nec morbum, nec mortem anno ætatis 79 ſenſerit. 1603.

27. Aprilis. Georgius Fridericus Marchio Brãdeburgicus Onolſbachii in Noricis vivendi finem fecit, obeſitatis inuſitatæ Princeps. Cuius corpore poſtridie ad pollincturam, de principum more, exenterato, viſcera ad miraculum magna reperta ſunt. Puta.

Hepar librarum quinq; communium, XVI. uncias pendentium.
Lien libræ unius, cum quadrante,

Cor librarum duarum,
Pulmo librarum quatuor,
Ventriculus in latitudine per tranſverſum, Spithamarum duarũ,
Craſſities eiuſdem, pollicum trium,
Ventriculi extenſi amplitudo menſuras Germanicas (quas vulgo ein maaß vocant, quarum ſingulæ uncias LXiiij. pendent) ſeptem & decem facile capiebat hoc eſt, libras medicas ſeu Romanos xc. cum unciis octonis.
Omenti craſſities ſeſquiſpithamam habebat, plurimarumque erat librarum. Quippe ventris aqualiculum late longeque protenſum, lata faſcia à cerviee appenſa, geſtare & conſtringere cogebatur. A
Proceritas vaſti corporis erat pedum ſeptenum
Vniverſi autem pondus cccc atq; xxvij. libras mercales pẽdebat.

Ingentem tamen hanc corporis molem haud incommodè ferebat, adeo ut equitare & choreas ducere poſſet, ut pote ſenſim accreſcenti ponderi aſſuefactus.

1605. 8. Aprilis, Mihi ex pridiana intempeſtate nimboſa cum turbine dolor ad ſiniſtram colli partem naſcitur, ſub veſperam adaucto malo iuxta mamillam ſiniſtram non ſolum intus, ſed etiam extrorſum ſubter cutem ad tactum dolebat. Quin & noctu tam ſurſum ad iugulum, quam deorſum ad nothas coſtas, moleſtia ſe extendebat, ſuſpiriis tamen, & tuſſi vehementiori ſolummodo exacerbata. Reſpiratio interim erat frequens, atq; celerior ſolito. In neutrum latus decumbere licebat, febri tamen tuſſiq; carebam. B

Poſtridie ex Lienari cruoris uncias iiij. eduxi, cuius priores patellæ duæ, ſanguinem fluidum, fibris deſtitutum ſub ſuperficie lenta tenaci, poſtrema verò cruorem floridum fibroſum moxq; coagulaſcentem capiebat.

Vrinæ per triduum rubicundæ, perſpicuæ, quarto flaveſcebant: Nam poſtero à phlebotomia die dolores miteſcebant. C

19. Eiuſdem menſis Joannes Gingk Bipontinus, piſtor Pædagogii Heidelb. vir annos ſupra 50. natus: Crure dextro, paulum infra genu ante circiter xxx. annos reſecto, mutilus, ꝙ tibicine ligneo in cruris pediſq; formam affabrè, & quidem cum flexura leni ad genu, & malleolos effigiato ſuffulciebatur. Homo εὔσαρκος & robuſtus. Circa horam decimam, allatis in prandium panibus, vinoque de more hauſto, menſæ miniſtrarat. & quidem adhuc ieiunus, præterquam quod vini modicum in cella bibiſſet, dum officium faceret. Percepit obrepentem ſibi ſubitò (citra tamen tuſſim vomitum nauſeam, aut lipothymiam ullam præcedentem) reſpirationem difficilem cum anhelatione, ut denſiſſimè, nec niſi ſtãdo ſpiritum ducere quiret, & ſuffocationis præſens periculum ſibi ingruere videret. mente integra. Itaque Pædagogii medicum D. Michaelem Schenckium, oportune tum illic prandentem, advocat, morbo indicato auxilium D

petens

petens. Medicus monſtro attonitus, pectoris anguſtiam magis magisque augeſcere, thoracem collumque intumeſcere, adeoque mamillarum loca in altitudinem panis domeſtici turgeſcentia conſpicatus: Ideoque veneni aſſumpti ſuſpicionem habens: Theriaces drag. unam ex cardui benedicti liquore propinat, & ſimul mortem prævidens, de medico animæ, verbi divini miniſtro accerſendo hortatur. Æger interim, & quidem paulò poſt circa horam primam à meridie, animo conſtans loquensque, ſuffocati in modum exſpirat. Poſtridie ob caſum tam inſolentem ac ſubitaneum, venenique ſuſpicionem, Principis mandatu, cadaver diſcindi, mortisque cauſa inveſti-
A gari jubetur. Ante abdominis apertionem (quæ inter tertiam quartamque horam ante veſperam fiebat) utraque palpebra, in altitudinem ovi gallinacei indurati per medium in longum diſſecti, tumebat, colore dilutè flavo. Tumebat & tota facies, malæ, frons capillitium, cervix, collum, humeri, pectus, ſcapulæ, brachia, dorſum, venter, nates, femora usque ad genua, in quibus turgiditas deſinebat. Tumor pulſando, concavum tympani ſonum referebat, in velleris ovilli, à Lanio, ad deglubitionem faciliorem, inflati modum. Timpora, cervix, ſcapulæ, humeri, dorſum, non ſolum liveſcebant, ſed nigre-
B ſcebant potius. Lividum hunc nigrumque colorem, ante horam IX. mane eius diei, jam animadverterat Medicus. Diſſecto peritonæo, ventriculus, inteſtina, hepar, lien, culpa vacare videbantur, præterquā quod ventriculus cum inteſtinis pauco flatu turgebant. Lien nihil livoris naturalis habebat, verum rubicundior, quàm pro natura exiſtebat. Venæ, ventriculo, colo aut hepati inſitæ, nigreſcebant. Fellis folliculus multa bile, at palleſcente plenus, eoque colore inteſtinū jejunum tingebatur. Pectore recluſo: anteriores pulmonum lobi, dexter atque ſiniſter, ſatis ſani apparebant: Verū poſteriores ad dorſum poſiti, dexter quidem, atro totus ſucco, atramento ſimili, turgi-
C dus ac ſubdurus erat. Siniſter a. ſimiliter, ſed paulò minus nigreſcebat. Pericardium nihil humoris continebat. At dexter cordis ſinus, atro craſſoque & fuſili ſanguine ſcatebat. Siniſter verò, nigricantem paulo minus habebat. Cauſam dyſpnææ, orthopnææ, & ſuffocationis, ad utriusque poſterioris lobi infarctum: Subitaneæ autem mortis culpam in craſſum nigrumque ſuccum conjiciendam puto (quo uterq; cordis ſinus oppletus fuit) qui ſpiritum vitalem opprimebat, quem fibris deſtitutum & putridum venenatumq;, facultas expultrix, theriaca pauxillum quidem adjuta, cutem verſus amoliri conabatur: Sed craſſitie ejusdem, & pororum cutis denſitate, calorisq; vitalis imbe-
D cillitate, exterminare prorſus nequibat; at in flatus convertit. Talia moliri videmus naturam per anaſtomoſin reſeratis vaſorum oſculis, in hypoſphagmate: Utroque ictero, in œdemate, hypoſarca, & in ſcirrhis aliisque cutis vitiis. Niger & atrabilarius erat: propter lienis imbecillitatem non ſatis validi ad expurgandum attrahendumq; fæculentas ex hepate ſordes, limumq; melancholicū, qui in maſſa ſan-

guinis relictus, illum inficiebat, refrigerabat, calidumque nativum extinguebat: Exemplo famuli principum Bullionæorum in æſtate an. 1579. Neoſtadii: Nec non Illuſtriſs. Principis Friderici III. Electoris in Octobri an. 1576. quorum uterque atrabiliarium in ventriculis cordis vereque nigrum & craſſum ſuccum gerebat.

1605. 25. Auguſti, diarrhæa bilioſa tribus, pituitoſa aquoſa quinque ſeſſionibus ante meridiem me corripuit, deinde à 4. aut 5. cochlearibus ſorbitiunculæ ex vino, ovis & ſaccharis modico, vomitus bilioſus cum deliquio ſecutus.

16. Novemb. maior viduæ Grenoniæ natu filia, de dentium dextræque capitis partis dolore, & copioſa in os affluente aqua (quod jam aliquoties, per menſtrua quaſi intervalla, ante menſium inſtantem refluxum contigerat) querebatur. A

28. Dolor mihi ſupra mamillam ſiniſtram exortus ſternuendo, ſuſpirando, tuſſiendove ſolummodo affligebat absque febri, aut graviore malo: fomentis calidis ſiccis per multiplicata lintea admotis, Deo favente, ceſſit.

27. Decemb. Ego ab hora 9. veſpertina, usque ad prandii ſequẽtis tempus, urinæ uncias XXXVI. emiſi, quum vix libram liquoris unicam, meo more, hauſiſſem. B

1606. 30. Jan. Danielis Coddæi conjux dolorem ſyncipitis punctoriũ, ac ſi aciculæ multæ impactæ eſſent, noctu ſolum vexantem, verſusq; aurem ſiniſtram tendentem, qui tamen premendo aut ſternuẽdo nihilo plus affligebat, tandem dentes, non gingivas utrinque afficere, percipiebat.

9. April. Ego circa mediam noctem anno ætatis 69. expergiſcẽs Lumbricum linguæ cõtractum & in ſe convolutum incumbere ſenſi, qui absque nauſea, aliave moleſtia per ſomnum eo perrepſerat. Adhuc autem durabat tuſſis, quæ 2. Aprilis vehemens multa ſpuitione & coryza invaſerat. Mane vermem ſubrubentem vidi longum pollices IX. C

25. Decemb. ob refrigerationem, mihi pectus ad mamillam dextram, & cervicis ſiniſtra pars doluit cum febricula, & urina copioſa ad uncias XXVIII. poſt parcum tamen potum. Sum enim βραχύποτος natura, & macilentus.

1607. 29. Julii, ex eſu pyri crudi inter prandendum, tenuis inteſtini dolor me torquebat, qui pipere ex calefacto vino aſſumpto, rectisq; abdominis muſculis ſurſum deorſum agitatis, (quæ agitatio vel ſola ſubinde in tali dolore profuit) Deo favente, poſt 5. horas ceſſavit.

25. Auguſti, Daniel Coddeus, poſt diarrhæam 4. dierum cepit quinto dyſenteriæ notas obſervare. Quocirca ſequenti die pharmaco ex mirobal flavis drag. duabus nigris ℈ iiij. nucis moſchat. ℈ ij. macis ℈ j. in aquæ plantag unciis v. per noctem calido loco maceratis expreſſo colato cũ ſacch. drag. iiij. mane ebibito, ab hora ſexta ad decimam usque alvus ſubſtitit. Sed inde usque ad nonam veſpertinã D

fluxe-

fluxerunt excretiones liquidæ, xv. nigricantes. Deinde interpoſito die unico, ſudorifero hauſto ſudavit. Sic quoque die uno aut altero intermiſſo, iterum ſudavit. Interim, magisque poſtea, ſiccantibus, moderateque aſtringentibus utendo revaleſcens, quinto die Septemb. Francofurtum ad nundinas profectus eſt.

5 Novemb. Vidua Joannis Mariſchalli annos 74 nata, propter dolorem dextræ ſcapulæ, itemque ſiniſtræ, ſed incipi cutem modo, venam dextri pedis ſecuit, largiter fluentem absque incommodo ullo. Poſt triduum & in ſiniſtro pede, ſed male icta vena, parũ effluxit.

A 13. Jan. Quum inter prandendum arenulam cibis fortuitò immiſtam, tertio molari mandibulæ ſiniſtræ inferiori inſcius impreſſiſſem, ingentem cruciatum concitavi, qui dies ſeptem perſeveravit. 1608.

16. Eiusdem, Nocte prægreſſa (quam ob molaris offenſionem, inſomnem totam duxeram) urinam copioſam flavam ad libras Med. fermè quatuor, absque ſiti collegi, quum & in cœna parcè bibiſſem ex conſuetudine, & fere tunc cereviſiam modò, eamque craſſiuſculam, utrunque recentem, ſapidam tamen.

Similis urinæ copia mihi, 25. Septemb. 1601. Sicut & 5. Aprilis 1599. promanaverat.

B 13. Martii, D. Stœckelii conjux dyſuria laborans, ab initio ferme Febr. urinam quidem per totam noctem continere poterat, per diem autem frequenter & cum dolore reddebat, cum ſuſpicione inceptæ excoriationis ad initium meatus urinarii.

15. Maij, Uxor mea propter ophthalmiam, jam aliquoties minitantem, ex brachio dextro ſanguinem ad uncias fere decem, me tamen ignaro, ſibi detrahi curavit absque incommodo, an. æt. 72.

3. Junii ego in ſiniſtra oſſis ſacri parte cruciatum ſenſi, præ quo nec inclinare me, nec in latera vertere, nec eniti nec ſternuere commode potui. Ideoque ex lienari ſanguinem ad uncias vj. extraxi, annos natus pene 71. poſtridie cucurbitas cum ſcarificatu adhibui &
C emplaſtrum, ex oxycroceo, meliloto, & diachylon.

28 Septemb. Uxor mea, poſtquam per totam æſtatem, genarum inferiorum ſcabritiem prurientem cum levi exulceratione perpeſſa eſſet, & vario topicorum genere ex mulierecularum conſilio uſa, nullo tamen profectu: tandem purgantia admiſit, vino purgatorio per xij. ferè dies continuos uſurpato, Dei beneficio, à pruritu & genarum ſcabritie humida convaluit, unguento diapompholygos aliquoties illito.

9. Decemb. Ego ante biduum dolorem in ſuperiore parte thoracis, nec non in ſuperiore brachii dextri, ſicut femoris dextri inte-
D riore parte ad manus preſſionem percepi, cum cibi potusque conſueti faſtidio x i. aut xii. dies durante.

29. Jan. Ego poſt quintam veſpertinam, ex incommoda ſeſſione, ſuſpenſo nimirum clune ſiniſtro, Ezechiam Fettichium decumbentem viſendo facta, domum reverſus, in cruciamentum ſubita- 1609.

neum lumbi ſiniſtri inter coſtam imam & os ilium lapſus ſum adeo acerbum, ut ſermonem abrumpere cogerer, & dum in Muſæum per ſcalas aſcenderem & paulo poſt deſcenderem, in deliquium frigidosque ſudores bis aut ter prolaberer. Deinde ſternuendo, tuſſiendo, ſuſpirando, corpusque aut crus ſiniſtrum quocunque modo, vel tantillum dimovendo exaſperaretur malum. Calebam, ſudabam toto corpore immotus & inſomnis ob afflictionem tota nocte. Sequente luce, quia morbus ingraveſcebat, verſus inguen vergens, & ad tactum prementis manus in profundo aſperior fiebat, metuens phlegmonem inter transverſum & obliquum aſcendentem abdominis muſculos exorituram, cruorem ex lienari detraxi ad uncias vij. quāvis medicus cum chirurgo, propter ætatem jam in anno 72. verſantem, & phlebotomiam in ſimili caſu ad ſelibram ſexta Junii nuper factam, nec non partem anni hibernam, diſſuaderent. A

31. Jan. Levato quidem paululum cruciatu, veritus tamen ne introrſum vergeret, & peritonæi membranam penetraret humor, ut extrorſum traheretur & diſſiparetur, emplaſtrum ex oxycroceo meliloto, & diachylon inter ſe miſtis, affecto loco ſuperpoſui. 2. Febr. habitis pro ſalute mea publicis in Eccleſia precibus, adeo manifeſtam benedicente Domino mitigationem percepi, ut crus ſiniſtrum modicè dimovere absque dolore poſſem. 5. Febr. diſſipato poſt emplaſtri geſtationem humore, cepi commodius de lecto deſcendere, & pauliſper in cubili ſcipione nixus ambulare. 10. ad ſtudia redire, ac epiſtolium exarare tentabam. B

16. Martii, Me ab epulo Academico, in quo incommode quoque aſſederam, circa horam tertiam domum revertentem corripit cruciatus ſubitaneus, totaque nocte inſomnem detinet, ſimilis omnino, eademque corporis regione, qua 29. Jan. me deprehenderat, attamen paulo mitior quem frequentiſſima lotii miſſio (nam ſupra quam vicies per noctem illam in multam usque diem, quamvis parce, prodiiſſe opinor) ſingulari benignitate Jeſu Chriſti, ferè totū removit. C

12. April. Ex duriuſculæ fibroſæque carnis maducatione & pertinace inter duos molares infarctu, dolor ſuſcitatus, tumorem in gingiva dextræ malæ ſuperiore generavit cū febricula, ob quos affectus eam noctem inſomnem transegi, multamq; urinā & crebram emiſi.

13. Eiusdem ſumpto hidrotico ex Mithridatii ℈ iiij. aceto, & aqua card. benedicti mixtis, affatim quidem tota cute ſudavi, verum vires valde ſunt proſtratæ, ſicut & appetentia, alvusque ante ſextum inde diem ſpōte nihil, niſi ſuppoſitorio cōmuni, provocata reddidit. D

1610. 2. Jan. Sub veſperam horrui cum multo calore ſubſequēte, capitisque aliquot punctionibus, & nauſeis quibusdam, absque vomitione t men. Totam noctem diemque perdurante febri, ſequebantur dolores verſus coſtas nothas utrimque, & coxam ſiniſtram tendentes, ſternuendo, ſuſpirando, oſcitando, exaſperantes. Succedebat nocte

nocte ſecunda, paucus ad pectora mador. 4. Jan. meliuſcule habebã, urinæ igneæ per dies aliquot.

Igneum urinarum mearum colorem, vel ex leviſſima ephemera ſpontanea, vel etiam ſymptomatica, ſæpiſſime adeoq; aliquot dies continuare obſervavi. 5. Januarii dolor in ſiniſtra thoracis parte usque ad jugulum protenſus, & ſimul in dextra dorſum verſus, magisque in ſcapula moleſtus, vel per reſpirationem ſolam.

19. Feb. Dolor me internus, paulum ſupra mamillam dextram invaſit, qui ſternuendo, & ſuſpirando invaleſcebat, & in latus dextrũ

A decumbendo non minus.

13. Martii, Noctu usque ad meridiem, urinam pluſculam usq; ad lib. duas & uncias viij. propuli.

Sic quoq; & tantundem nocte illa, quæ xvi. diem eiuſdem menſis ſequitur usq; ad meridiem, quum vix ſupra dimidium eius bibiſſem.

12. Sept. Per odontalgiam in mandibula dextra inferiore, nullo tamen illic cavato aut eroſo dente, ſubortã, inſomnis tota nocte jacẽs, ab hora veſpertina IX. usq; ad undecimã diei ſequentis, lotium frequentiſſime emittendo, collegi ad lib. Rom. aut medicas (quæ unciarum ſunt duodecim ſingulæ) ad libras inquã ſex & ℥ viij. hoc eſt, ad ℥

B LXXX quũ tamẽ in cœna vix aſſumpſiſſem liquoris uncias xvj. Sed ſecutus eſt per aliquot dies virium languor, cum diminuta appetentia.

14. Sept. Danielis Coddæi filiorum maximus, adoleſcens annorũ XVI. circa medium Auguſti cepit febricitare Francodalii, huc ad parẽtes delatus, aliquandiu febricitabat inordinate, tandem formatur febris in tertianam intermittentem duplicem quarum una poſt meridiem altera poſt mediam noctem, accedebat, cum horrore potius, quam vigore, eoq; non magno absq; ſiti, vomitu, & ſudore, cũ multo tamen capitis dolore, & ſubinde delirio, qui aliquando extra calorem detinebat. Notandum autem per totum morbi decurſum appetitum

C adeo viguiſſe, ut etiam ſingulis horis edulii aliquid poſtularet. Tandem poſt aliquot ante præparato corpore purgationes theriaca ex oxycrato bis terve exhibita & modicam ſanguinis miſſionem vena brachii ſecta (nam ex narib. paulo ante, & cruor ſponte manarat) acetiq; unciis duab. cum uno ovi vitello permiſtis, tepideq; binis ante febrilem paroxyſmum veſpertinũ horis quater aut quinquies per intervalla exhibitis, ſenſim febris absque criſi ulla, in decima morbi hebdomade, paulo poſt medium Octobrem ſoluta, favente Chriſto Domino, deſiit.

6 April. per noctem usq; ad meridiem lotium mihi prodiit ad un-

D cias XXXVI. ex parco potu.

7. Apr. per noctẽ usq; ad prandiũ urinã collegi ad uncias XXXVII.

19. Eiusdem menſis, ob dolorem dentis molaris in mandibula inferiore ſiniſtra, per totam noctẽ in ſomnis cubans, urinã miſi ad unc. 68 ½ collectam usque ad meridiem.

Quæ frequẽs & copioſior ſeroſi liquoris per renes facta emiſſio,

ſenile corpus in annum ætatis LXXIV. die 29. Junii finiturum, in ſanitate divino beneficio, mediocri, à gravioribus morbis, putà podagra, hydrope, pedum crurumque œdematoſis tumoribus magnis immune conſervat, in gracili corporis habitu naturali, absque multa virium, præter rationem ætatis, diminutione. Sit Domino Jeſu Christo honor & gloria.

LIBER UNDECIMUS, A

QUÆSTIO.

AB HENRICO SMETIO explicata.

Quandoquidem omnibus hominibus, etiam monarchis in hoc orbe potentiſſimis, tandem eſt moriendum, illudq; ſeverum omnipotentis Dei, de præfinita ſingulis noſtrum morte, decretum, nulla arte, nullo conſilio humano, everti aut impediri poteſt, dubitari quæriq; poſſit: An Medicinæ ſtudia reipublicæ neceſſaria exiſtant? B

PRæclara equidem multumque laudanda de morte cogitatio, quæ utinam ſingulorum animis infixa, & ob oculos poſita verſaretur: profectò minus querimoniarum, minus calamitatum, & cladium in mundo eſſet. Commonefaceret enim nos de inculpatæ vitæ ſtudio, illa finis nobis imminentis præmeditatio; juxta illud Eccleſ. c. 7. v. ult. In omnibus operibus tuis memorato ô homo, noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Item Paulus ad Rom. 5. v. 12. Per culpam unius hominis peccatum in hunc mundum pervenit, adeoque per peccatum mors. Mors deinde & ipſa, in omnes homines quaſi hæreditario pertranſiit, quandoquidem omnes in uno illo peccaverunt. Hinc, teſte Apoſt. in Epiſt. ad Heb. 9. verſ 27. Omnibus à magno illo judice & monarcharum Domino Iehova, ſtatutum eſt ſemel mori, deinde judicium generale & ſupremum exſpectandum; piis quidem ad ſempiterna cœleſtis paradyſi gaudia: Impiis verò ad infinitos gehennæ infernalis cruciatus. Quod ipſum ne Ethnici quidem ignoraverunt, teſte Horatio, C D

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres. item alibi.

Omnes

Omnes eodem cogimur, omnium
Verſatur urna; ſerius, ocyus
Sors exitura; & nos in æternum
Exilium, impoſitura Cymbæ.

Quum autem mors, nihil aliud ſit, quam vivendi terminus per animæ & corporis diſſolutionem factus: Videndum eſt, quot modis anima à corpore diſſolvi poſſit.

Inhæret verò anima corpori, connexa vinculo quodam, quod calorem naturalem vocant, teſte Ariſt. c. 7. de reſpirat. calor autem in
A ſubiecto ſuo, humore putà primigenio, aliàs radicali dicto, firmatur. Diſſolvi verò anima à corpore poteſt, per cauſam, vel externam, vel internam. Externam appello, quæ foris accedit, & violenter confertimque irruit: qualis eſt ſubmerſio, defoſſio, præcipitatio, exuſtio, dilaceratio à feris, ſtrangulatio à laqueo, ſuffocatio alia vi facta, torměta immodica in eculeo, ſanguinis profuſio abundantior per capitis, brachii, femoris diſſectionem, aut aliud immane vulvus. Item ictus à fulmine, morſus à vipera aut aliis virulentis animalibus; ſicut & venena aſſumpta, aut alii denique quicunque violenti, aut fortuiti caſus.

B Internam cauſam nuncupo, quæ intra corpus noſtrum generatur. Eſtque illa vel naturalis, vel contra naturam. Naturalis quidem: quæ pro naturæ ductu, ætatisque progreſſu, calore nativo, per humidi radicalis penuriam, ſenſim elangueſcente irrepit, ſicut in decrepita ſenectute, aliiſque longævis, abſque dolore ullo, aut mortis quodammodo ſenſu exſpirantibus, accidere ſolet: in modum lampadis, poſt olei conſumptionem defetiſcentis. Contra naturam verò, cauſam internam intelligo, quæ intus quidem nata, ſed calori naturali apertam vim facit. Quo in genere ſunt morbi, tam ſimilares, quam inſtrumentales, & utriſque communes. Similares quidem,
C quales intemperies in activis qualitatibus vehementiores, puta calidæ & frigidæ; Sive qualitate nuda peccent, ſive cum humoris alicujus affluxu conſiſtant. Inter quæ ſunt, febrium & tumorum ſpecies. Febres quidem inprimis hecticæ maraſmodes, aut tabeſcentes, ſicut & putridæ, tam continentes, quàm continuæ, aut etiam intermittentes, duplicatæ, aut triplices, aut ex pluribus ſpeciebus compoſitæ, hæmitridæi, hepialæ, & lipyriæ appellatæ. Inter tumores verò, inflammationes, eryſipelata, potiſſimum nobilium partium, cerebri, faucium, pulmonum, pleuræ, jecoris, diaphragmatis, ventriculi, inteſtinorum & ſimilium. Item hydropes, lepræ, Elephantiaſis, cancri, gan-
D grenæ, ſphacoli. Aut morbi inſtrumentales, in figura vitiata, ut gibbi, regibbi, ſicut & morbi cavitatis læſæ, quales obſtructiones pertinaciores venarum, arteriarum, nervorum, in ventriculis cerebri, pulmonibus, hepate, liene, renibus, ureteribus, veſica, utero, inteſtinis, aut ſimilibus membris. Aut morbi ſimilaribus & inſtrumentalibus communes, qui in ſolutione unitatis conſiſtunt, quales avulſio, fra-

ĉturæ,vulnera,ulcera,rupturæ,convulſiones. Quin & morbis hiſce ſymptomata quædã non inſcitè accenſeri poſſent, quæ & ipſa internæ mortis cauſæ . non rarò fieri ſolent, nimirum Apoplexiæ,Epilepſiæ,catarrhi ſuffocantes,aſthmata,orthopnææ,dyſpnææ,magnæ vētriculi cruditates, lienteriæ, dyſenteriæ, atrophiæ, calculus, hæmorrhagiæ quacunque ex parte profuſæ, ſicut & dolores intenſi,& ſimilia. Et hactenus quidem de cauſis contra naturam.

At verò quid de iis rebus dicam, quas Gal. l. artis par. c. 84.85. Conſervatrices vitæ noſtræ appellat quod abſque illis neque ſanitas humana,nec vita ipſa conſiſtere queat. De quibus etiam lib. 1. ſanit. tuendæ c. 15. idem pertractat, vulgo Medic.hodie res non naturales diſtinctionis gratia vocantur,quales ſunt,aër nos ambiens,eſculenta poculenta, ſomnus vigilia,motus quies,excretiones, & animi affectiones. Quorum tria priora uſurpare, nobis omninò eſt neceſſe, putà,aërem continuò haurire,eumque nos ambientem perpetuò attingere,ſicut & comedere & bibere,nec non vigilare atque dormire. Et quandoquidem propter fluxilem corpuſculi hujus ſubſtantiam alimenta nobis ſunt neceſſaria,neque omnia aſſumpta in ſubſtantiam nutriti convertuntur: Idcircò ſupervacanea ſuo tempore expelli opus eſt; quod ut commodius fiat, ſingulis partibus ſua facultas propulſoria,debitique meatus attributi ſunt,cuiusmodi exiſtūt, aures,oculi,nares os,veſica,genitalia,uterus,alvus,& univerſa cutis. Veruntamen cum ad actiones quoque civiles aliquas adminiſtrandas, membra efformata, habeamus: Idcirco & moveri nos, atque exercitari oportet,neque tamen illud indeſinenter, quoniam defatigamur facilè. Quapropter & interquieſcere quoque, & ociari aliquando convenit. Præterea, quoniam ratione donati ſumus: Hinc fit,ut triſtari gaudere,iraſci placari,ſperare deſperare, favere invidere, amare odiſſe, formidine . audacia, verecundia, pudore affici ſoleamus. Quibus omnibus dum moderatè utimur,rectè valemus. Sin autem modum excedant: non ſolum valetudini noſtræ incommodare,verum etiam niſi oportunè prudenterque occurratur, vitæ periculum attrahere poſſunt; juxta illud;

Balnea,vina,venus conſervant corpora noſtra.
Corrumpunt eadem,balnea,vina,venus.

Quum itaque tot tamque diverſæ ſint cauſæ,per quas anima à corpore ſuo diſſolvi, vitæque terminus aut mors ſuccedere poſſit: Proximum eſt,ut de vitæ termino conſideremus. Accipitur autem ille bifariam, aliàs pro naturali, aliàs pro eo, qui eſt ſupra naturam. Naturalem dico illum vitæ terminum, qui omnibus & ſingulis, ex naturæ cuiusque beneficio,pro caloris innati,& humidi primigenii conditione,& temperamenti diverſitate,nec non membrorum conſtructione,eſt aſſignatus. Ab illis enim vitæ noſtræ integritas,languor & occaſus dependent. Prout itaque corpus noſtrum, ſecundum calidi

calidi nativi robur, & cum ſuo humido proportionem, & 4. Elemẽtorum commiſtionem, nec non partium organicarum ſtructuram, atque unionem, rectè aut pravè ſe habet: Ita quoque vitæ noſtræ naturalis terminus, in longitudine aut brevitate reſpondebit. Quippe ambo illa vitæ huius primordia, calidum putà innatum, atque humor radic. exemplo lucernæ, quod ſupra attigi, non inconvenienter aſſimulantur. Sicut enim lucernæ flamma, ſi oleo ſibi in qualitate & copia dextrè accommodato foveatur; clarè atque diu lucere ſolet: Sin nimis abundanti fomento obruatur, facilè ſuffocatur. E

A contrario, ſi pingue alimentum deficiat: ſenſim flamma marceſcit. Non aliter calor inſitus, in humoris ſui primigenii (qui etjam oleoſæ ſubſtantiæ exiſtit, & in partibus ſolidis, aut ſimilaribus eſt fundatus) qualitate atque copia ſibi conveniente optimè & diutiſſimè vivit; abundantiore autem opprimitur. Sicut rurſus pabulo ſuo deſtitutus, neceſſariò intermoritur. Talis eſt gubernatio naturæ noſtræ, adverſum quam, nemo vitam hanc naturaliter longius producere valet, quam iſta vitæ principia concedant. Facultates autem huiusmodi naturales, ad vitæ huius ſuſtentationem neceſſariæ, quamvis pro diſpenſatione naturæ, definitæ exiſtãt:

B non tamen ita anguſtis finibus includuntur, quin in latitudinis ſpatio verſentur ampliſſimo.

Alter vitæ terminus, quem ſupernaturalem dicebamus, ille eſt, qui ex providentia omnipotentis Dei, naturam humanam, ut reliqua omnia à ſe condita regentis, ſingulis hominibus, (cuiuscunque ætatis aut conditionis ſint, excepto nemine) pro immutabili majeſtatis ſuæ decreto eſt præſcriptus, ſupra quem finem, aut terminum, nemo mortalium (non diffitentibus iſtud medicis) vitæ ſuæ moram (quacunque tandem ratione primordia ejus ſint comparata) ullo ingenio, ulla ſcientia prorogare unquam

C potuit. Quod ut ſacræ literæ multis locis atteſtantur, ita paucula certitudinis gratia adducere viſum fuit. Sic enim vir ſanctiſſimus Jobus cap. 14. verſ. 6. Præciſi ſunt, inquit, dies hominis, numerusque menſium eius penes te eſt ô Deus. Determinationes ejus feciſti, quas non transgredietur. Item Eccleſiaſtici cap. 17. ver 1. 2. Dominus creavit de terra hominem, & rurſus in terram convertit ipſum Dies numeratos & præfinitum tempus dedit ipſis, quũ daret ipſis poteſtatem in ea, quæ ſunt ſuper terram. Idem c. 18. v. 8. Vnicuiq; homini præfinitum obdormiendi tempus, omniũ ratiocinio nõ poteſt cõputari. Plura quidẽ paſſim exſtant: Sed iſta ſufficient, ne audi-

D tori moleſtiam addam. Sub hoc ſupernaturali vitæ termino, locari poterunt, externi illi, atq; violenti caſus, qui præter exſpectationem, omni tẽpore, & loco, hominibus contingere, vitaq; ſpoliare poſſunt, quales ſunt lethalia vulnera, cædes, lapſus ex alto, naufragia, incẽdia, venena, de quib etiã ante meminimus, quæ etiamſi infortunia, aut eventus fortuiti nominari conſueverint, nequaquã tamen fortunæ

ludibrio

ludibrio illa; multò minùs hominum vita,ſubiecta eſſe,credi debet: Quoniam ne paſſerculus quidem, teſte Domino, Matth.10.c. v.29. præter voluntatem Dei in terram decidat,à quo etiam capilli noſtri ſunt numero comprehenſi, ut ne unicus quidem ignorante, aut nolente Domino evelli poſſit.

His ita diſtinctis atque explicatis, ad propoſitæ obiectionis examinationem progrediamur, quæ talis erat; unicuique certus vitæ finis,certusque moriendi dies à Deo eſt præſcriptus, quem nulla ars prolongare poteſt; proinde artis medicæ ſtudio non eſt opus. Speciosum verò argumentum,perinde valens, ac ſi quis dicat; unicuiq; A
monarchiæ, regno, reipublicæ, urbi, ſua periodus à Deo eſt præſcripta,ſicut teſtatur manus divina ſcribens in pariete Palatii Babylonici Dan.5.v 5.& 26.his verbis: Numeravit,numeravit,inquam,Deus regnum tuum,& perfectiſſimè numeravit illud.Item Pſal.126.v.1. Niſi Dominus cuſtodiat civitatem,fruſtra vigilat cuſtos ejus. Si itaque Deus ſervare velit urbem,aut arcem; aut contrà,quo tempore, quo die, illam bello, terræmotu, incendio, diluvio evertere ipſi placeat, proculdubio prænovit: Idcircò nec magiſtratu,nec præſidio, nec vigilibus, nec mœnibus, aut propugnaculis eſt opus. Item, ſi quem opulentum depauperare ſtatuerit: Quid labore aut diligentia, quid B
parſimonia œconomica eſt opus? Dat enim Dominus cui vult; & viciſſim, cui & quando vult, eripit. Sed quis tu es,qui in arcanum ſummi numinis conclave aſcendiſti? Interim verò, dum divini de te decreti ignarus exiſtis; Deus te vocationi præſenti acquieſcere, & gnaviter officium facere mandavit. Sed ad rem revertamur.

Certum vitæ terminum definitum affirmant. Neque nos illud diffitemur, Verum tamen duplicem illum eſſe diximus. Quæro itaque naturalem ne,an potius ſupra naturalem intelligant? Si naturalem protendi non poſſe dixerint: omninò ſanè illud abnegatum volo. Conſtat enim ille, ut ſupra audiſtis, latitudine ampliſſima,ad cu- C
jus extremitatem,ſi quis illum producere poſſit,an non idem,vitam alioquin periclitantem prorogaſſe meritò dicetur? plurimas enim cauſas,tum in natura poſitas,tum contra naturam corpori inhærentes,nec non alias foris accedentes,ante recenſuimus, per quas, niſi avertantur, anima à corpore diſſolvi queat, ideoque vitæ terminus, aut finis,diutius alioqui moraturus,accelerari poſſit. Si quis apoplexia, angina, pleuritide, peripneumonia, dyſenteria, febri continua, gangræna,ſphacelo,peſte correptum ſanitati reſtituat: an non ille ægrum, quodammodo ab Orco revocaſſe putetur? Si quis rurſus hominem in atrophiam, hydropem, calculum, pleuritidem, febres pu- D
tridas,viſcerum obſtructiones proclivem,oportunè præmonendo,& ſalubri conſilio præſervet, & inſidiantes morbos mortemque minitantes avertat: an ille hominem longiore vita donaſſe malè cenſebitur?

Sin autem vitæ terminum, pro ſupernaturali accipiendum dicant:

cant: Minimè repugnabimus. Agnoſcimus enim & nos terminum illum, nulla induſtria, nulla arte, aut conſilio humani ingenii excedi poſſe. Veruntamen non inde ſequitur, medicinam eſſe inutilem cõmuni vitæ, aut non neceſſariam: non magis quam ſi quis dixerit, quia nullus ſutor, ſartor, textor, aut faber, opus perpetuò duraturum parare poſſit: Idcircò ſutoriam, textoriam, aut fabrilem artem reipublicæ eſſe inutiles. Quis hominum vivit, qui ſibi vel craſtinum diem, ne dicam menſis, aut anni ſpatium auſit promittere. Teſte Seneca trag. Nemo tam divos habuit faventes, craſtinum ut poſſet ſibi polA liceri, ſicut Horat. 1. Carm oda 9. Quid ſit futurum cras, fuge quære. Item Statio. 3. Theb. *Quid craſtina volveret ætas*

Scire nefas homini.

Nimirum de futuris certitudinem ſibi ſoli reſervante omnipotente Domino, ut in timore eius, vitæque innocentia & orationibus hîc peregrinantes, aſſiduò vigilemus; juxta illud Salvatoris noſtri, Marci 13. ſub finem: Vigilate & orate, quia neſcitis, quando ſit tempus. Et paulò pòſt: Vigilate ergo; neſcitis enim quando Dominusfamilias veniet, ſero, an media nocte, in galli cantu ne, an verò mane.
B Quum itaque, neque quo tempore, neque qua mortis ſpecie ſimus morituri, nos præſcire nequeamus: Officii noſtri ratio poſtulat, ut vitam hanc quantulamcunque, Domini indulgentia nobis conceſſam, quanto licet ſtudio, à morbis tueamur, ad quos vel præcavendos, vel pellendos non minus artis medicæ ſubſidio, & medicamentis; quam ad ſani corporis nutritionem, alimentis indigemus. Nam, ut inquit Dominus, Matth. 9. v. 12. & Marci 2. v. 17. Non qui valetudine ſunt integra, ſed qui ægrotant, medicina opus habent. Ideoque monet Eccleſiaſticus c. 38. v 12. Locum dandum eſſe medico, cauſam addens, quia illum creavit Dominus: Neque abſiſtito, inquit, ab eo, et
C enim opus eſt illo. Eſt enim, inquit, interdum tempus, cum manibus eorum proſper ſucceſſus advenit. Quicunque igitur ſecus faxit, nonne ille ordinem à Deo inſtitutum contemnit, & Titanum more cum Deo pugnare, ſuiq; immaturi interitus, & præcipitatæ mortis, per ſui neglectum, architectus eſſe videtur?

Verum enimverò urſerit fortè quiſpiam, medicæ artis calumniator pertinax: Non paucos eſſe, qui neglecta omni victus ratione, contemtisque medicinæ legibus intemperanter viventes, in longam usque ætatem vitam extenderint. Quibus reſponſum volumus, ſi iidem hi (optima profectò natura præditi) heluones & aſoti,
D aliquam ſaltem temperantiæ normam ab arte medica addiſcere, ſibique accommodare, aut ſaltem ex naturæ ſuæ præſcripto vivere voluiſſent, nullamque illi vim facere: multò herclè diutius vitam extenſuri fuiſſent. Rurſus ex adverſo, atque non diſſimili modo, multi in medium produci poſſent, natura imbecilles exiſtentes, qui non moroſis medicinæ legibus uſi, ſeniles annos attigerunt, pluresque tales,

tales,(ſi de numero ſit contentio) invenientur, & etiam num in vita ſunt. Longæviores facti temperantia; quam qui naturâ quidem firmiſſimâ donati, tamen vitam in luxu & crapula transegerunt. De Herodico Philoſopho Plato atque Ariſtot. meminerunt, cuius quoque Gal. lib de maraſ. cap. 14. qui cum corpuſculum longè omnium debiliſſimum nactus eſſet, conveniente tamen victus lege, ad centũ annos vivendo pervenit. At verò & Plutarchus teſtatur, multos imbecillem corporis conſtitutionem à puero adeptos, diligenti confirmandæ ſanitatis cura, ad multam ſenectutem aſcendiſſe.

Inſtant rurſus nova objectione, argumento à pollinctoribus, A
veſpillonibus libitinariis, & ſimilibus ducto, qui graſſante peſtilentia, non ſolum ex peſte adhuc decumbentibus, ſed etiam iis, qui eadẽ lue extincti ſunt, efferendis & inhumandis ſerviunt: tales neglecta medicina, & ſumptuoſis medicorum alexiteriis aut præſervativis poſthabitis, à peſtilenti contagio immunes permanere. E contrario autem multos interire, qui ex Medicorum conſilio, antidotis aliisq; remediis obſequenter ſint uſi. Reſpondeo; In huiuſcemodi caſibus, naturæ humanæ ductum, patriſque noſtri cœleſtis benevolentiam erga nos conſiderandam eſſe. Naturæ ductus eſt, ut lue peſtifera præ
cæteris facilius inficiantur illi, quorum corpora ſucculentiora, tene- B
riora, temperamento calido & humido, humorum pravitate & copia diſtenta, obſtructionibus obnoxia, in otio, crapula, comeſſatione degunt, non benè purgantur, non commodè per cutis meatus tranſpirant, quique minore ſunt ætate, aut pravis malignisque vaporibus non aſſueverunt, quique delicatuli, puſillanimes, & meticuloſiores exiſtunt. Talium enim ſpiritus terrore perturbati, & verſus cor refugiendo compreſſi, citius læduntur, & (quoniam humores ſimul commovent, & quodammodo deſtituunt) malignitati recipiendæ promptiores eos reddunt. Dei autem benevolentia erga nos, eoſque quos caſtigare decrevit tam paterna exiſtit, ut in ira ſua, memi- C
nerit miſericordiæ ſuæ, adeoque in mediis afflictionibus noſtris, nos nequaquam deſerat: ſed dum decumbimus, per amicos, & per fidos Eccleſiæ paſtores, conſolationes nobis: per medicos, chirurgos remedia, per ægrotorum aſſiſtentes, neceſſaria officia procurat. Poſtquam verò defuncti ſumus, per pollinctores, veſpillones, libitinarios ad ſepulturam usque, nihil nobis deſieri permittit. Ad hos itaque funerum curatores, & decumbentium ex peſte aſſiſtentes quod attinet, quod ipſi rarius corripiantur, diverſæ ſunt cauſæ, 1. quod cordati audaces & imperterriti, non citò percellantur, aut alienis malis commoveantur. 2. quod putridis venenatisque exhalationibus ſenſim D
aſſueſiant. Conſueta autem, licet prava, minus tamen lædere aſſolẽt (quamvis interim & nonnulli ex illo hominum genere moriantur) 3. quod & illi, familiaria ſibi, & per manus tradita, ſed parabilia alexipharmaca habeant, quibus ſe adverſus luis diſcrimen armare norunt. Unde ſit manifeſtum, vel peſte deſæviente medicinæ uſum eſſe neceſſarium;

ceſſarium, quum non ſolum iſti de fœce plæbis deſumti homunciones, verum etiam verbi divini præcones, ut conſolando; medici & chirurgi, ut ſalutaria remedia porrigendo, ægrotis operam auxiliarem præſtent, furente contagio, antidotis in timore Domini utêres, à patre noſtro cæleſti, ad reipublicæ, & proximi commodum præſervantur: ut interim de ægrotis nihil dicam, quorum non pauci, per Dei gratiam, medicæ artis præſcripto obſequentes, aut ne corripiantur, præmuniuntur, aut ſi correpti iam ſunt, curantur & convaleſcunt.

A

ORATIO HENR. SMETII MED. D.

DE DUOBUS INTESTINIS NObiſcum Natis, vitæ noſtræ hoſtibus.

ADMIRANDA quidem eſt humani corporis fabrica, ſi vel externam ſolum ſpeciem intuearis. In illa enim maieſtas quædam, quam cætera animalia venerentur, elucet. Sed longè maiorem admirationem meretur, interna illa membrorum, ſub
B cutis velamine latitantium, conformatio, eorumque inter ſe mutuò conſentiens, ad actiones edendas œconomia & conformis (per quam ſanitate fruimur) adminiſtratio: haud aliter quam in republica benè conſtituta fieri ſolet, in qua cives, ſub magiſtratus ſui ſapienter omnia moderantis gubernatione, acquieſcentes, tam noctu quam interdiu, ſecuram pacificè beateq; vitam degunt. Similem in modum, in corpore humano vivo, atq; valente ſub animæ rationalis imperio, univerſæ ſingulæque eiuſdem particulæ, ſuis quæque officiis, tam voluntariis (de die vigilando) quam
C naturalibus (etiam per noctem dormiendo) tempore debito, atque ordine perfunguntur. Verum ſicut in civitate vel optime habente, rectio adeò felix eſſe non poteſt, quim à clanculariis, & proſperitati publicæ invidentibus inimicis, inſidiæ ex occulto ſtrui ſoleant. Pari modo intra corpuſculi noſtri pomeria, in ſinu noſtro habemus, circumgeſtamus, ignarique fovemus, vigilando, dormiendoq; hoſtes inteſtinos, & quidem duos, qui ſub nenecesſitudinis larva (neq; n. eorum præſentia, operaq; carere poſſumus) incolumitati noſtræ, immo vitæ ipſi, ſupra quam externa omnia pericula, aſſiduò inſidiantur, morborum neciſq; machinatores exiſtunt quàm maximè. At qui nam illi ſint, ſi cognoſcere laboratis, dicam: alter enim illorum, calor nativus, alter ſanguis, vulgò notiſſimi, appellantur. Paradoxum videbor, aut ænigma fortaſſis proponere. Veruntamen Auditores, ſi, quas ex hoc loco dicturis aures cum benevolentia coniunctas ſoletis, eaſdem & mihi hoc tépore accommodare dignemini, id quod modo protuli, planum vobis faciam ac demonſtrabo.

In confeſſo eſt omnium conſenſu, vitam noſtram ex animæ con-
junctione cum corpore facta, conſtare, quæ duo, cum res naturâ
diverſiſſimæ exiſtant, hæc nimirum terreſtris, illa autem æthe-
rea: hinc fit, ut abſque vinculo utriſque communi, coniungi
non poſſint: Eſt vero vinculum illud, calor quidam internus nobiſ-
cum genitus. Quare nemini mirum videri debeat: ſi Democritus,
aliq; ex philoſophis nonnulli animam ipſam, ignem, aut calorem
eſſe exiſtimarint. Conſtat enim vitam non ſubſiſtere diutius, quam
calor ſupereſſe, ſeq; tueri poſſit. Calore quippe extincto, mox ſimul
& vita extinguitur. Eſt autem calor iſte duplex, alius cœleſtis, ali- A
us Elementarius. Definiturque cœleſtis ille, eſſe ſubſtantia ſpirituo-
ſa prætenuis, caliditate, & quidem cœleſti, perfuſa, quæ humido
partium primigenio, ab ipſo ſemine inſita, & inhærens, præcipu-
us actionum in illis auctor exiſtit. Et quidem rurſus in gemina
differentia, quum hic proprius, ille communis dicatur, propri-
us nempe, qui alias fixus appellatur, eò quod ſolidæ particularum
ſubſtantiæ, vel minimæ vnicuiq; ſuus inhæreſcat. Communis ve-
rò ille, qui ex corde velut caloris nativi cœleſtis ſcaturigine, per
arteriarum tubulos, in ſingulas corporis partes etiam remotiſſi-
mas dimanans, influit: unde & influentis nomen obtinuit, ut ni- B
mirum proprium partis cuiuſq; calorem ingenitum foveat, ſuoque
afflatu reparet. Vterque autem, ut dictum eſt, originem ſuam
cœlo acceptam debet. At Elementarius innatus calor eſt, qui ex
conueniente quatuor Elementorum permiſtione contemperatur.

Ariſt. 1. de anima c. 2. Hippo. l. de carnibus ſub initiũ. Gal. lib. de tremore c. 13. Gal. 8. de placit. c. 7.

Quemadmodum verò cœleſtis ille functionum omnium prima-
rius eſt opifex: Ita Elementarius, illius eſt adiutor, propterea quod
Elementorum apta temperies, cœleſtem illum foveat atq; excitet.
Cæleſtis ille exuperare non poteſt, nec illius copia vitio unquam
dari: verum quo fuerit uberior, ut in pueris, eò naturales vitæ a-
ctiones feliciores evadunt. Neq; febris ulla in iſto ſubſiſtere valet. C
Quin neq Elementarius calor naturalis damnum ullum dabit, aut
febrem ſuſcitabit, quamdiu naturæ convenienter commoderatus
manebit aut intra ſanitatis latitudinem continebitur. Verum ubi
modum exceſſerit, intemperiemq; ſuſcitarit: iam animanti gravis
fit eiusq; operationes naturales primò; mox & animales, tandem
vitales quoq; oblædere incipit, unde varia febrium genera, quæ &
calori cœleſti, & vitæ quoq; noſtræ inſidiantur, mortemq; ſæpenu-
mero accerſunt, oriuntur.

Gal. com. 14. aphoriſ. lib. 1.

Ad cœleſtem verò calorem quod attinet, quemadmodum lampa-
dis, candelæ, facis, aut cuiuſcunque tandem rei ardentis flammam, D
nutrimento quopiam pingui paſci videmus. Ita quoque & calor iſte
cæleſtis, humoris primigenii pinguis, radicalis vocati, alimento
(quod ſolidarum ſeu ſpermaticarum partium ſubſtantiæ inhære-
ſcit) fovetur ac ſuſtentatur. Qui calor tametſi nec copia, nec
qualitate, ut ſupradictum, peccare poteſt: Nihilominus lon-
go tem-

go temporis progreſſu, in morem lampadis, ex olei penuria deficientis, & ipſe tandem, præ pabuli ſui (vi propria abſumpti) defectu, marceſcit atque evaneſcit. Eoq; accidit, ut eſculentis & poculentis quotidie indigeamus, neq; abſq; ſanitatis viriumq incommodo, diem totum illis deſtituti, carere poſſimus. Poſtquam n. cibaria aſſumpta, in prima coctione, ventriculi virtute, in chylum ſunt converſa: Chylus deinde per inteſtina venaſq; meſenterii deductus, ab hepatis potentia, in ſecunda coctione, in ſanguinem eſt commutatus: Sanguis verò iam factus, inde ſingularum partium ſolidarū, (quæ ſpermaticæ & ſimilares dictæ, corporis noſtri habitum conſtituunt) facultate attrahitur, attractusque retinetur, uſquè dum concoctio tertia ſit abſoluta, atque ex ſucco rubicundo in candidum, partiumque ſubſtantiæ colore ſimilem, ſit alteratus: Mox à particulis ſingulis in ſui ſubſtantiam appoſitus, convertitur, atque tali ratione, humor ille radicalis, innati caloris fomes (qui continuato, licet inviſibili, per cutis poros effluvio exhalans fatiſcit) aliquo modo, (quamvis non vere aut ſufficienter) reparatus reviviſcit, quod evidenter quotidie, à paſtu quocunque, perſentiſcimus. Poſt cibum enim aſſumptū (imo inter aſſumendum) recaleſcimus, licet ante, vel tepidi tantum, vel frigidi etiam eſſemus, toto corpore viribus refectis, per novam Spirituum regenerationem, alacriores magiſque validi evadimus, qui paulò antè ſubtriſtes & languiduli fueramus, id quod caloris novo nutrimento quidem recreati, non tamen omninò reſtituti, indicium exiſtit: Semper enim pauxillum quid deſit. Alioquin immortales fieremus. Videmus autem, ne ilices quidem nec quercus arborum duriſſimas, nec oleas, aut palmas vivaciſſimas, perpetuas eſſe: neque poſt multam ætatem, à carie immunes manere, idque propter ſucci primigenii penuriam tandem accedentem. Quid igitur de animantibus, quid de corpuſculis hominum molliſſimis (quæ vitalis caloris copia atque efficacia omnes plantas infinitis numeris ſuperant) mirabimur, ſi longo ævi decurſu, per calorem ipſum, oleoſo ſuo nutrimento exhauſto, maraſmo aut ſiccitate, humana vita tandem deficiat? in quam, æſtus, gelu, fames, ſitis, vigiliæ, labores, laſſitudo, ira, metus triſtitia, ſolicitudo, febres, tam facile, tamque potenter, ut in molliſſimum ſubiectum, agunt; ſpiritus vel exhauriunt, vel opprimunt, vires proſternunt, corpus exſuccum reddunt & necant.

Ariſt. de brevitate vitæ c. 2.

A B C D

Atquemadmodum lampadis ardentis flammulam, olei penuria marceſcere ſupra dictum eſt: Ita quoq; è contrario nimia pinguis alimenti abundantia ſuperfuſa, eandem obrutam extingui & ab externa quaſi violentia ſuffocari conſtat. In quo interitu cùm flamma nihil agat, ſed ſolummodo patiatur; idcircò iſtud ut ad rem noſtram hoc loco non faciens, relinquemus.

Atq; hactenus de primario vitæ noſtræ inimico, calore ſcilicet innato ſatis multa. Deinceps de altero hoſte nobis æquè inſidias ſtruente, nimirum de ſanguine dicamus.

Sanguinis appellatione intelligendi veniunt omnes ſucci aut humores, quicunque intra venarum arteriarumque tubulos continentur, & maſſa aut miſtura ſanguinis alias dici ſolet. Vnde autem ſanguis iſte, & in qua corporis parte generetur, ac quantopere nobis ad vitam ſit neceſſarius, ſupra indicatum eſt: quin imò eodem deficiente, ſpiritus collabi, eodemque exhauſto vitam finiri, videmus. Quamvis autem ſanguis unus tantum, ſimplexque liquor appareat: tamen quadruplicis eſſe ſubſtantiæ, paulò poſt oſtendetur, quod quò commodius clariuſque fiat, primum de humoribus altius nonnihil inquirendum. Vocatur autem humor, omnis ſubſtantia corporis noſtri liquida, vel fluida. Quo in genere ſunt, chylus, ſanguis, pituita, utraque bilis, vrina, ſudor, ſemen, mucus, lac, ſputum &c. Humorum alii ſunt ſupervacanei alii alimentarii. A

Supervacanei, excrementa dici poſſunt, Horum quædam ſunt utilia, quædam inutilia. Inutilia excrementa ſunt aurium, oculorũ, nariũ, cutiſq; ſordes, mucus, ſputum, ſudor, menſes, lotium, &c. Excrementa utilia ſunt duplicia: quædam n. corpori ſuo commodant, quædam alieno. Corpori ſuo commodant, felleus humor in veſicula χοληδοχῇ jecinori ſubſtrata, collectus. Sic & melancholicus ſuccus in ſplenem congeſtus, de quorum vtilitate infra ſuo loco tradetur. Alieno verò corpori ſerviunt, lac & ſemen. Hoc quidem generationi fœtus: illud verò eiuſdẽ, poſtquã in lucẽ prodiit nutritioni deſtinatũ. B

Alimentarii vocantur, quia alendo corpori faciunt.

Horum alius chylus, alius Chymus medicis dicitur. Chylus quidem, eſt humor ille, qui ex cibi potuſq; ingeſti concoctione, vẽtriculi potentia generatur, Latinè cremor dici poſſet. Chymus verò eſt, qui ex chylo, iecoris beneficio, in liquoris rubicundi formã cõverſo, gignitur, ſanguis vulgo, ſuccus generaliori voce, quibuſdã appellatur. C

Succorum alii ſunt primarii, alii ſecundarii.

Primarii ſunt 4. ſanguis, bilis, melancholia & pituita.

Sanguis bifariam accipi videtur, modò propriè, modò impropriè.

Impropriè quidem, quum potentiâ quatuor in ſuccos continet.

Quãvis tamẽ, qui ſecta vena effluxit, ubi refrixerit, vel fibris privatus fuerit, non obſcurè, ſuccos 4. diſtinctos, diligentius conſideranti, repræſentare ſoleat. Alia enim emiſſi ſanguinis pars, tenuior ſubſtantia, ſplendidè rubens, vel ex rubro flaveſcens, in ſummo apparet, quæ bilis eſt alimentaria. Alia verò pars craſſior & ex rubro nigricans, in fundum ſidit, quæ melancholia nuncupatur. Sicut rurſus, quæ lenta & albicans eſt portio, & ſuperficiem quoque non raro occupat, quamvis plerunque ſanguinis ſubſtantiæ permiſcetur, illique lentorem conciliat, pituitæ nomen obti- D

net,

Quæcunque autem, ſubſtantia mediocri, & colore ex obſcuro rubẽte, aut rubori hepatico aſſimilis ſpectatur, mediamque emiſſi ex vena humoris regionem, inter ſummum & imum tenet, ſanguis dici meretur. Si cui fortè mirum videatur, in ſanguine impropriè dicto, tam diverſas contineri partes; is mirari deſinet, ubi muſti naturam examinârit. In quo, ſicut partes quaſdam tenues, calidas, acres, aërias reperiet, quæ dum illud fervet, nares odorantis feriant, ſurſum exhalent, bullaſque excitent: Ita vice verſa, aliæ craſſæ, frigidæ, auſteræ, terreſtres ſeſe offerunt, quæ in fundum deſcendunt. Has fæcem; illas
A florem vini vocant: præter has ambas eſt ipſa vini ſubſtantia. Cui etjam defœcato immiſtæ diu inhærent partes aliæ liquidæ, inſipidæ, humidæ, aqueæ, velut adhuc crudæ, quæ temporis ſucceſſu, vini virtute calida percoquuntur, atque in ipſum transmutãtur, quibus cõcoctis, vina meraciora, potentiora, adeoque mitiora evadere judicamus. Interea tamen iſta, tot tamque diverſarum partium miſtura, vinum muſtum appellatur. Similem rationem in olivo recenter expreſſo, adeoque in cereviſia recenti obſervare licet.

Sanguis autem propriè dictus, eſt ſuccorum, quos hepar elaboravit, optimus, temperamento calidus atque humidus; aut ſi mavis,
B temperatus ad aëris naturam vergens, ſubſtantia inter tenue & craſſum mediocris; colore rubicundus, ad hepaticum accedens, ſapore dulcis: Cordi, jecinori, renibus, muſculis univerſi corporis, totique carnoſæ ſubſtantiæ, alendis aptiſſimus, atque neceſſarius. Qui humidum radicale continuato nutrimento inſtaurat, calorem nativum fovet, vim partium coctricem adauget, homines muſculoſos, robuſtos, benè habitos, ſubpingues, venuſtos colore florido præditos, exhibet. Sed corpora excrementis fœtidis abundantia, & putredini obnoxia facit.

Bilis duplex eſt, una alimentaria, altera ſupervacanea.

C Alimentaria bilis, ſuccus eſt tenuiſſimus colore rutilus, vel cũ ſplendore rubens, temperamento calidus atque ſiccus, elemento ignis affinis. Sapore ſubacris, & ſubamareſcens, pulmonibus alendis utilis. Sanguini arteriali, ſpiritibusque gignendis neceſſarius. Reliquis autem ſuccis, qui intra venas ſunt craſſiuſculi, quo facilius per exiguos ductus in habitum corporis provehantur, commodus: Facultatem partium attractricem juvat. Expulſoriam roborat: Homines efficit graciles, agiles, ex rubro pallentes, perſpirabili, ſicco ſanoque corpore præditos.

Bilis ſupervacanea duplicis eſt differentiæ: Una quidem, natu-
D ralis, altera præter naturam. Naturalis eſt, excrementitius ille humor, amarus & acris, qui in veſiculam jecori ſubſtratam, ut ante dictum, deponitur: Unde proprio meatu, ad inteſtini jejuni initium illapſa, exonerandæ alvo ſtimulum addit, lentam inteſtinorum pituitam, magni ſubinde mali cauſam, deterget, alvique fæces tingit.

Eſtque iſta naturalis, vel flava, vel pallida. Flava, ſubſtantia atq;

colore mediocris exiſtit. Pallida verò magis eſt, quam illa, tenuis, & propter ſeroſi humoris admiſtionem colore dilutior: utraque tamē naturæ imperio obtemperans.

Quæ autem præter naturam, excrementitia bilis gignitur, ea genere quintuplex obſervata eſt. Prima λεκιθώδης dicta, quod vitelli crudi ſubſtantiam craſſiuſculam, & colorem igneum repræſentet. Altera πρασοειδὴς, à porri virore nominata. Tertia ἰώδης, quod æruginem referat. Quarta ἰσατώδης, glaucum glaſti colorem ſimulās, qui quam braſſica magis fuſcus exiſtit. Quinta κυανὴ, cœrulea La-Latinis dicta. Quæ omnes ex bile flava naturali, caloris vehementia A
in vitellinam primum, inde in porraceam, cæterasque ſpecies, prout magis minusque aſſatur, transmutata originem ducunt, & in jecore plerumque atque venis genitæ, idque per morbos graves, puta febres ardentes, aut exercitia vehementiſſima, iracundiam, famem ſitim, æſtumque, quæ immoderato calore, bilem flavam aduſſerunt, & in hæc pernitioſa genera perverterunt. Solent nihilominus & harum plæræque, nempe porracea, æruginoſa, glaſtea, cærulea, non raro ab eſculentis pravis (qualia porrum, cœpa, allium, raphanus, naſturtium, ſinapi, eruca, aliaq; his ſimilia, acria concoctu difficilia, maximè verò eorundem folia) & quidem in ventriculo procreari. Dum enim à B
ventriculo in chylum verti nequeunt, colorem ſuum ſervantia, primum porraceam, ex qua diutius hærente, æruginoſam caloris vi producunt. Ex hac deinde in glaſteam, porroque in cæruleam vertuntur, quæ licet quam priores minus virides, eo tamen deteriores exiſtunt, quo nigredini fiunt viciniores.

Quin etiam melancholia duplicis eſt differentiæ: Alimentaria nimirum & ſupervacanea, hanc modò melancholicum ſuccum, modò ſanguinem melancholicum, modò humorem atrum (non autem atram bilem) medicorum plerique dicere videntur.

Eſt autem alimentaria melancholia, craſſior ille, fæculentior, C
& ſubnigricans ſuccus, temperamento frigidus & ſiccus. Elemento terræ affinis, qui ſaporem imitatur ſubacerbum. Pilis, unguibus, oſſibus cæterisq; craſſioris duræ terrenæq; ſubſtantiæ partibus ipſiqui ſpleni, nutriendis ſervit. Calidioribus ſuccis, adeoque illis, qui conſiſtentiæ tenuioris ſunt, & plus ſatis fluidæ, fræno eſt & ſtabilimento: vim membrorum retentricem roborat. Homines gignit macilentos, ſubfuſcos, habitu duriuſculo, ſiccoque præditos.

Supervacanea melancholia, bifariam quoque diſtribuitur in naturalem, & illam quæ præter naturam dicitur. Naturalis eſt excrementitius ille humor, acerbus & ſubacidus, quem ſplen, ut ſanguinem defæcet, ex hepate per multiplices venarum ramulos proleetat, ac in ſe recondit, ut ſibi alimento fiat, atque ventriculo haud D
invitilis, quem qualitate ſua acerba, circa ſtomachū infuſus, adſtringit, actionemque ejus retentricem ad coctionem, firmiorem reddit, imò ut quidam volunt, ciborum appetentiam exacuit.

Excre-

Excrementitia præter naturam melancholia, quam atram bilem peculiari vocabulo, & plerumque nominaſſe medici videntur, ſecundum Græcos gemina eſt: Una ex ſucco melancholico, vel per putredinem, vel per caloris exuperantiam in cinerem converſo, generatur. Hæc calida, acris, mordaxque propter aduſtionem exiſtit, tantumque ab excrementitia naturali diſſidet, quantum fæx uſta, ab illa, quæ nondum uſtionem eſt paſſa. Quod autem de cinere dicitur, nequaquam eſt illi, qui ex ligno aduſto relinquitur, conferendus: Humores enim ſuo liquore, quam diu in corpore ſub-
A ſiſtunt, privari nequeunt; ſed ea voce, ſumma humorum ſiccitas ſignificatur, quantam ardoris violentia in homine conſequi poſſunt.

Altera præter naturam ſpecies, ex ea fit bile, quam vitellinam vocari diximus. Uſtione enim hæc primum in porraceam, deinde in æruginoſam, poſtea in glaſteam vel cæruleam, poſtremò verò in atram bilem propriè dictam, omnium pernitioſiſſimam degenerat: Hæc priori tanto eſt deterior, quanto bilis eſt, quam melancholia acrior. Hæc illa eſt, quæ in terram lapſa, fermenti in morem, & quaſi æſtu quodam efferveſcens, illam attollit, bullasque, quales ferventibus juſculis exoriuntur, excitat, quæ craſſitie ſua acri, partem cui
B inhæreſcit, erodit, quæque in pernitiem ſemper excernitur. Quanquã & prior, eorundem malorum, quodammodo particeps exiſtat.

Addunt Arabes tertiam quandam atræ bilis ſpeciem, quam ex pituita ſalſa, eò, quod caloris vehementioris non parum habeat, procedere volunt, quæ ſi multum torreatur, acrem atramque bilem progignere poſſit.

Recenſitis hactenus trib. ſuccis ſuperiorib. ſupereſt quartus, quem pituitam nuncupant. Eſtq; velut crudior totius miſturæ pars: Unde & ſanguis ex dimidio elaboratus appellari ſolet. Differentiæ quoque eſt bipartitæ; Alimentaria hæc, illa excrementitia.

C Alimentaria pituita, eſt ſuccus alendo corpori idoneus, ſubſtãtia liquidus, lentus, colore albicans, temperamento frigidus atq; humidus: Elemento aquæ reſpondens; Guſtu inſipida, vel ſubdulceſcẽs. In hepate, ſicut alii ſanguineæ maſſæ ſucci, generata: rudimentum, prius in ventriculo nacta, unde in venas unà cum reliquis defertur, ut frigidas humidasque corporis partes, quales adeps, ſævum, oſſiumque, & ſpinæ medulla, cerebrum & ſimiles nutriat. Neque abſurda illorum opinio videtur, qui cutem, membranas, fibras, nervos, venarum, arteriarum, viſcerumque tunicas, tendines, ligamenta, cartilagines, item ventriculum, inteſtina, uterum, veſicam utramque, pe-
D ricraneũ, perioſtea, cerebri, & medullæ ſpinalis involucra, pleuram, peritonæon, & ſimiles extenſiles partes, ab iſto frigido, humido, lentoque ſucco, ſed pro neceſſitate uniuscuiusque magis minusq; excocto, alimentum ſibi depoſcere arbitrantur. Utilis etiam eſt pituita, ut lentore atque humiditate ſua, linguæ articulorumq; omniũ motus expeditiores exhibeat, & ne labore ſicceſcant, atterantur, aut cir-

defatigentur, præcaveat. Deinde ſi ſanguinis aliqua fiat penuria: ut in illum concoctione convertatur, & hoc modo, aliis quoque membris in alimentum cedat. Ut autem planè in ſanguinis formam transeat: non eſt neceſſe, in jecur redire. Verum ad iſtam transmutationem, vel venæ ipſæ caloris, viriumque ſatis obtinent. His omnibus accedit alia pituitæ utilitas, quod fervorem bilis, eiusque ſiccitatem temperet, ſitimque ſoletur. Quinetiam ut inediam diutius tolerare poſſimus, præſtat. Corpora efficit alba, ſucculenta, mollia, obeſula, ante annos caneſcentia.

Excrementitia autem pituita, in duo genera dividitur, in naturalem & eam quæ præter naturam vocatur. A

Naturalis excrementitiæ, ſpecies ſunt duæ: Quarum una eſt tenuis & aquea, qualem plerunque ore exſpuimus & frequenter aquæ in modum naribus deſtillare videmus, aut à capite in ſubjectas partes, per cæca foramina defluere, cum ſummo ſæpiſſimè incommodo percipimus. Cujus multum per ſudores, plurimum per urinas, velut ſanguinis ſerum, aut colatura, jam modica bile infectum, poſtquã alimenti per omnes venas vehiculum fuit, excernitur. Quanquam non omninò hallucinati fortaſſis videri poſſint illi, qui id, quod urinam appellamus, primæ, quæ in ventriculo fit concoctionis potius, B quam poſteriorum, quæ in jecore, vel in habitu corporis fiunt, excrementum eſſe judicant. Abripi tamen in hepar, inque venas, ut craſſiuſculæ ſuccorum miſturæ vehiculo exiſtat: quo munere perfunctum, à vaſis emulgentibus in renes, inde per ureterum tubulos, in veſicam ablegatur. Abſurdum enim videri, coctionis primæ unicũ modò excrementum, idque craſſum in alvum deponendum: Alterius verò tria fore, unum craſſiuſculum melancholicum videlicet, quod in ſplenem trahatur, & duo tenuia, hoc felleum, illud urinarium.

Altera eſt muco affinis, quæ caloris beneficio, ex tenui illa, & C aquea, in conſiſtentiam muccoſam (quia aliquid lentoris habebat) craſſeſcit. Tali videmus in diſſectionibus ventriculum, atque inteſtina intus oblita. Quidam tamen pituitam ventriculo & inteſtinis obhærentem, ipſorum excrementum eſſe exiſtimant. Has ambas natura, legibus ſuis ſubjectas continet. Aqueam enim coquere & incraſſare, ſi opus ſit, poteſt, aliiſque uſibus, quos diximus, commodam habet. Muccoſa gulam, ventriculum, atque inteſtina intus oblinens, tanquam tectorio quodam munit, quò rerum acrium ſumptione minus lædantur.

Excrementitia verò præter naturam pituita, quatripartita eſt, D acida nempe, ſalſa, vitrea & gypſea: omnes enim nulli uſui eſſe poſſunt, naturæ imperium contemnunt, & plærunque diutius detentæ morbos pariunt.

Acida, à ſaporis qualitate dicta, ex alimentaria naſcitur, ob caloris debilitatem aceſcens, ſummamque cruditatem retinet, ut quæ

præterquam

præterquam à ventriculo, nullam alioquin, nec à jecore, nec à venis alterationem eſt conſecuta. Hæc ructus acidos, in ventriculo exiſtẽs, in venis verò, & habitu corporis, rigores abſque febri, ſæpe etiam flatus vagos ſuſcitat.

Salſa ex dulci gignitur, vel per putredinem, vel ſeroſæ humiditatis admixtionem: vel rurſus propter terreſtres partes aduſtas, amaraſque pituitæ naturali admiſtas, hæc eſt pruritus, ſcabiei, impetiginis & pſoræ mater. At hac Arabes tertiam atræ bilis ſpeciem, de qua paulò antè dictum, conſtituunt.

A Vitrea, quod vitro liquato & colore & ſubſtantia ſimilis exiſtat, à Praxagora humor vitreus vocabatur. Ex acida viſcoſa pue naſcitur, cum calore partis, in qua continetur, tantam craſſitiem adepta eſt, ut illi facile adhæreſcere poſſit. Hæc valdè frigida eſt, locisque incluſa acerbiſſimorum dolorum, quales ſæpè in colo accidere videmus, origo.

Gypſea à ſimilitudine, quam propter colorem albicantem, & ſubſtantiæ denſitatem cum gypſo habet, nomen acquiſivit. Hæc ex muccoſa aut vitrea genus ducens, vi caloris ſenſim ſicceſcit, adeoque ſæpè indureſcit, ut à ſoliditate gypſi parum diſtet. Hanc multorum
B dentibus, ex elutionis negligentia, fœdam ſcabritiem adferre, & agglutinatam cœmenti in modum lapideſcere, obſervamus. Ex hac tophacei tumores, quibus arthriticorum nodoſi digiti ſæpe rigeſcunt. Ex hac arenulæ & calculi in renibus. Ex hac lapides magni, duriſſimique, in veſica concreſcunt. Hinc lapides ſubinde, & in colo inteſtino naſcuntur, tophacei lapilli bronchiis pulmonum aliquando increſcunt. Imò in cyſti fellis ternos lupinis majores, virideſque in una anatome Bononiæ an. 1560. vidi. Dicam amplius quid; gypſeæ pituitæ fruſtum, tubuli forma, intus cavum, durum, firmum, pedis longitudine, à Legato quodam Caroli Quinti, colicis cruciatibus
C multos annos divexato, clyſterum beneficio excretum, Fernel. lib. 6. Pathol. cap. 9. atteſtatur.

Primariis ſuccis hactenus per genera & ſpecies examinatis, ratio poſtulaſſet, ut de ſuccis quoque ſecundaris, aliquid diceremus. Verum cum hi ad inſtitutum noſtrum parum faciant, miſſos quoq; illos idcircò faciemus.

Quid igitur (ut ad rem redeamus) quid mali à ſuccis alimentariis metuendum? Quid damni ſanguis ipſe defœcatus & ſincerus vitæ noſtræ inferre poteſt, utpote cum naturæ noſtræ conveniens ſit & neceſſarius? Sanè quam plurimum. Sit enim vel optimus, tamen co-
D pia abundet: mox ſi firma ſint vaſa; aut caloris nativi oppreſſionem (ſicut flammulæ ab oleo nimio accidit) aut apoplexiam; aut febres continentes ἐπακμαστικὰς, παρακμαστικὰς ὁμοτόνους intentat. Sin vaſa ſint infirma: hæmorrhagiam, id eſt ſanguinis profuſionem vena ſeu rupta, ſeu oſculum aperiente minatur, qualis ſæpè extrorſum à ventriculo, per vomitum; à pulmonibus per tuſſim; à jecore per

alvum; ab utero per menſes & puerperia; à capite per nares erumpit. Nonnunquam introrſum, vaſe diſrupto, intra capitis, pectoris, aut peritonæi cavitatem, cum magno vitæ diſcrimine elapſus, concluditur, & putreſcit: Subinde in particulam aliquam excidens, tumores calidos periculoſos ſuſcitat, qualis carbunculus, gangræna, ſphacelus, qualis & inflammatio in cerebri meningibus, in ſepto transverſo, unde phrenitides: In faucibus, unde anginæ: in oculis, unde ophthalmiæ: Ad aures, unde parotides: Ad dentes, unde odontalgiæ: in latere, unde pleuritides: in pulmonis ſubſtantia, unde peripneumoniæ: in jecore, unde hepatides: in renibus, unde nephritides naſcuntur. A

Quod ſi bilis alimentaria, id eſt, ſanguinis flos abundantior evaſerit, quam oportet; pro continentibus febribus, continuæ & quidem tertianæ: pro inflammationibus, eryſipelata efferveſcent, & multò vehementiora, quam à ſanguine puro, in corpore noſtro, mala ſuccedent.

Sin bilis flava excrementitia copioſior juſto fuerit: Eaque per obſtructiones jecoris, in venas: porroque in habitu corporis ſanguini permiſta abſque putredine rapta ſit: auruginem gignet: Sin intra vaſa majora putredinem contraxerit, tunc ſanè deteriora omnia, atque lethalia evadunt, putà febres æſtuoſæ καύσοι Græcis vocatæ, unà cum delirio continuo furente, cum ſiti inexplebili, vigiliis perpetuis, nigræ linguæ, ariditate exſurgunt. Quod ſi extra vaſa computruerit, febrem tertianam intermittentem procreabit. Si vel per alvum effluxerit, dyſenterias periculoſas, maximè æruginoſa, cærulea & atra, imò lethales invehunt. Sin eadem illa excrementitia in cutem ejecta fuerit: tunc herpetes; aut ulcera pro ſerpentia, ecthymata, aut papulæ fœdæ per univerſam corporis circumferentiam propullulant. B

Melancholia verò excrementitia naturalis, ſi abundaverit, & per lienis infarctiones in vaſis relicta, ſeu per totum corpus diffuſa, ſeu in cerebri ſubſtantia tracta ſit; ſive circa præcordia, aut in hypochondriis hærens peccet; tum vaporibus in caput ſublatis, delirium abſque febri, cum triſtitia & metu, odioque hominum adducit, & variis abſurdiſque & portentoſis imaginationibus mentem perturbat, imò & lycanthropiam aliquando, ac apoplexiam generat. Si verò putreſcat intra vaſa; quartanas continuas: Sin extra vaſa: quartanas intermittentes creabit. Sin in cutem expellatur, icterum nigrum: ſi in partem aliquam, ſcirrhum, aut alphum nigrum producet. C D

Illa autem melancholia præter naturam, quæ ex flava bile per multos aduſtionis gradus in atram degeneravit, ſi in caput aſcenderit, profectò maniacos, ſeu furioſos facit, quâ correpti, ita efferantur, ut obvios quoſque invadant, & malitioſè tractent. Quæ ſi non ita multa, & extra vaſa in partem aliquam exciderit, carcinomata

cancroſque

cancroſque parturit. Sin abundantior facta, in totum corporis habitum propulſa feratur; Elephantiaſin velut cancrum univerſalem, totique communem procreat.

Pituita ſupervacanea naturalis, licet mitis humor, ſi totum corpus occupavit καχεξίαν, & aquam intercutem, quam anaſarcam, aut ſarciten vocant, parit. Si in partem aliquam ſubcutaneam ſubrepſit, œdemata, & vitiliginem albam creat. Si per venas ſparſa puputruerit; Febrem quotidianam continuam & hepialam. Sin extra poſita: febrem quotidianam intermittentem. Sin in cavitatem peA ritonæi ſe ingeſſit: Hydropem ἀσκίτην Medicis dictum, gignit. Si articulorum nodos aggreſſa eſt: arthritidem, iſchiadem, chiragram, gonagram, podagram invehit: Et in digitis calore incraſſata, tumores duros tophaceos generat, ut rigidi & inflexiles fiant, & ſubinde pervertantur. Si renes, ſi veſicam obſedit: calculos & lapides coagmentat. Si inteſtinis amplioribus præſertim acida, aut vitrea Praxagoræ vocata, inhæreſcit, colicos ſanè dolores, & tormina ſæviſſima progignit. Si in cerebro accumulata eſt, eique inhæret; graviſſimos affectus, caros, lethargos, comata, catalepſes, oblivionem, amentiam, Epilepſias, apoplexias progenerat: Sin excutiatur à cerebro: paraB lyſin, interdum omnium ſubjectorum membrorum, interdum alterutrius lateris, interdum hujus, aut illius modò partis reſolutionem: Aliquando catarrhos ſuffocantes, ſæpè tuſſim pertinacem, aſthma, orthopnæam pulmonibus adfert.

Quod ſi ſalſa eſt pituita: pruritus, impetigines, ſcabiem, pſoram, lepramque, & ulcera fœdiſſima cancroſis affinia, non ſummæ ſolum cuti, verum etiam ſubjectæ carni ingenerat.

Ex his itaque (ne longior ſim) quæ de humoribus & calore nativo ſupra diſſeruimus, planum fit, calidum innatum, ſanguinemque duos illos inteſtinos eſſe hoſtes, qui ſaluti noſtræ, qui vitæ aſſiduò inC ſidiantur, à nobis interim inſidias eorum ignorantibus, aut negligentibus, imò ne mali quicquam ſuſpicantibus, in ſinu circumgeſtantur & foventur tanto ſtudio, ut ne vel minimam patiantur injuriam, præcavere ſoleamus. Et ſanè, cum ita altè nobis inſederint, imò à vitæ primordiis nos poſſederint, ſingulari nobis prudentia & ſagacitate, ſi quid ſapimus, allaborandum eſt, modò, ut evacuatione tempeſtiva & commoderata coërceantur: modò, ut laudabili victus ratione, noſtroque uſu conveniente demulceantur, ne vel protervè, vel præmaturè nobis nocere poſſint. DIXI.

D

EXPLI-

EXPLICATIO CONSILII, QVOD Divus Paulus Timotheo diſcipulo ſuo dedit, 1. ad Timotheum cap. 5. v. 23. Μηκέτι ὑδροπότει, ἀλλ' οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ διὰ τὸν ςόμαχόν σου, καὶ τὰς πυκνάς σου ἀσθενείας, *hoc eſt, Ne amplius aquam bibito: Sed vino pauculo utitor, propter ſtomachum tuum crebrasq; tuas infirmitates.* A

HUjus argumenti occaſionem, nuper in cœna quadam ſuggerebat, abſtemii cujusdam viri honorati, mihique aſſidentis præſentia, qui reliquis convivis de more hujus loci, mero nequaquam abſtinentibus, ipſe ſolus ſolo aquæ potu acquieſcebat, neque illis, qui vino ſe hilariter demulcebant, invidebat. Cæterum hoc Apoſtoli conſilium per multi hoc tempore, paulò liberalius, quam par ſit, accipiunt, inprimis verò ad ſtudia literarum etiam ſacrarum miſſi adoleſcentes, & quaſi hoc dicto præmoniti, verentur, ne, quemadmodũ vaſtos interdum fluminum aggeres, ab aquarum violentia perrumpi, murosque ſubinde ſubrui audiunt; Ita & ipſorum ventres ab aqua, ſi illam biberent, diſrumpantur: Ideoque præclarè ſibi ab aquæ potu cavere didicerunt. Quin imò ne in ventriculi aliquam difficultatem incidant, à vino potius Neuſtadiano, vel etiam Baccharacenſi, ſi haberi poſſit, remedium, & quo felicius concoquant, auxilium inde requirunt. B

Lev. 10. 19 Conſtat tamen ſacroſanctæ ſcripturæ teſtimonio, Aaroni filiisque ejus, adeoque omnibus ſacerdotibus in tabernaculum Domini *Ezec. 43. v. 21.* ingreſſuris, vino omnique potu inebriante fuiſſe interdictum. Ne- *Num. 6. 3.* que minus Nazaræis, aliisque per votum Deo nuncupatis, lege divina mandatum fuiſſe, ut vino omnique eo, quod inebriandi vim haberet, abſtinerent. C *Ier. 35. 14.* Laudantur & Rechabitæ, (qui licet Kinæi, & ex poſteris Jethronis oriundi eſſent, non ex populo Dei ideoque nullam poſſeſſionem ſibi attributam lege obtinebant, ſed victum ex publicis miniſteriis comparabant, cum tribu tamen Judæ habitantes) Laudantur inquam, à Jeremia Propheta, quod inſtituto patris Jona- *Prov. 31. v. 4. 5.* dabi obtemperantes, ſe à vini potu in æternum continerent. Quin & Salomon inculcat: Abſit regibus, ô Lamuël, abſit, inquit, regibus vinum bibere, & dominatoribus deſiderium potus inebriantis: ut non cum biberint, obliviſcantur ſtatuti, & mutent jus illius, ex illis qui affliguntur. D

Galen. l. quod animi mores c. 10. Hisce conforme eſt, quod Plato 2. de legibus, qua ratione ſe milites, magiſtratus, judicesque in potu gerere deberent, in hæc verba ſcribit: Multò magis Carthaginenſium legem, quam Cretenſium, aut Lacedemoniorum uſum probarem: ut nusquam in caſtris, quisquam

quam guſtare vinum audeat. Sed toto illo tempore aqua bibatur. Id
quod ſanè Chriſtiani nominis hoſtes perpetui & immaniſſimi Tur-
cæ, ſtudioſiſſimè obſervant. Chriſtiani verò ne proponere quidem
militibus auſint.

Pergit Plato, ſed nec in civitate magiſtratibus eo anno, quo
magiſtratu funguntur, vini uſum concederem. Gubernatores eti-
jam, ac Judices munus ſuum obituros, à vino penitus prohiberem;
Deliberaturos quoque de rebus non omninò negligendis. At nulli
penitus interdiu, vinum permitterem, niſi exercitationis corporeæ,
A morborumque cauſa, hoc potu opus foret. Idem Philoſophus lege
cavendum judicat, ne pueri ad annum usque ætatis decimum octa-
vum, vinum prorſus deguſtent, monendo nempe, haudquaquam i-
gnem igni ſuperaddere in corpus atque animum oportere, priusquã
labores ſubire incipiant: Utique cum inſanum juventutis habitum
caveamus. Ab hoc verò ad annum usque trigeſimum vino modera-
tè utendum. Cæterum ab ebrietate & temulentia juvenes prorſus
abſtineant. Poſtquam verò ad quadrageſimum pervenerint, tunc in
conviviis oblectati cum Deos alios, tum etiam Bacchum invocent, in
ſeniorum ſacrificia ſimul & ludos: qui nempe vinum contra ſenii
B auſteritatem, ſalutarem hominibus medicinam donavit; quò ſcili-
cet rejuveneſcerent illi; animi verò moleſtias deleret oblivio, mol-
liſque è duro factus animi habitus, ut ferrum igni impoſitum, tra-
ctabilior fieret. Hæc Plato.

Cæterum ut iſtud Apoſtoli dictum rectius intelligatur, con-
ſiderandum, quæ commoda, quæve incommoda, ex aquæ potu: quæ
item ex vini uſu proveniant; in quibus & qualibus ventriculi affe-
ctibus illa evenire poſſint. Ut autem ab aqua initium faciamus: ſcire
oportet, permagnas eſſe aquarum differentias, nimirum pro mate-
riæ, miſtionis, regionis, loci, ventorumque varietate. Aliam enim ex
C cœlo, aliam ex terra oriri, aliam ſuper terram colligi; Ex cœlo aut a-
ëre, prodit nivalis & pluvialis. Ex terra, fontana, putealis, lacuſtris: Ex
utrisque communicat, fluvialis & marina. In terræ ſuperficie colli-
gitur, ſtagnalis & paluſtris. Præter has eſt & aqua glacialis, quæ (ex
qualicunque & undecunque orta) frigore prius condenſata, tandem
in aquam reſolvitur.

Dicemus itaque primò de aqua nivali & glaciali, ex magni il-
lius Hipp. decretis lib. de aëre, aquis & locis, cap. 4 ubi ſic inquit: A-
quæ ex nive & glacie factæ, omnes malæ ſunt. Quum enim ſemel
concretæ fuerint, non amplius in priſtinam naturam reſtituunt? Sed
D quod quidem in ipſa clarum, leve ac dulce eſt: Excernitur ac diſper-
ditur. Quod verò turbidiſſimum eſt, ac ponderoſiſſimum relinqui-
tur: Iſtud verò cognoſces hoc modo: Si enim volueris hyemis tem-
pore vaſculum certa aquæ menſura infuſa, ſub dio exponere, ut ma-
ximè congeletur: Deinde poſtridie in locum calidum deportatum
ſinere, quo maximè glacies liqueſcat, & ubi ſoluta fuerit, aquam me-
tiri:

tiri: reperies aquam multò pauciorem. Hoc itaque ſignum eſt, quod à congelatione, id quod leviſſimum ac tenuiſſimum eſt, disperditur, non quod graviſſimum ac craſſiſs. exiſtit: Nequaquam enim hoc disperdi poterit Hanc igitur ob cauſam, aquas has, quæ à nive ac glacie eliquantur, peſſimas eſſe puto ad res univerſas. Eidem ſubſcribit Paulus Ægineta lib. 1. c. 50. in hæc verba: Ex glacie & nivibus aqua, inſaluberrima eſt. Nam ea congelaſcente tota pars tenuior exprimitur. Ita quoque Arabum Princeps Avicennas lib. primo canonis Feu. 2. doct. 2. cap. 16. his verbis: Nivoſæ verò aquæ & glaciales ſunt craſſæ. A

His ut affine quiddam addamus, quòd de potus cujuscunque refrigeratione per nivis aut glaciei accommodationem facta, Gal. lib. de cibis boni malique ſucci cap. ultimo ſcribit: Qui minime exercentur ſumma æſtate, cum vehementi calore urgentur, fontis aquam bibant, nivisque uſum vitent. Hæc enim quamvis nullam protinus juvenum corporibus, ſenſibilem læſionem inferat, ſenſim tamen occulteque creſcente vitio, cum jam ætas progreſſu temporis inclinarit: articulos nervosq; & viſcera, iis morbis vexat, qui vel difficulter admodum, vel omninò tolli nequaquam poſſunt. Neque id quidem temerè. Namque ea pars corporis, quæ natura imbecillima eſt, à lædente quolibet patitur. Hactenus quidem de nivoſis & glacialibus aquis. B

De marinis & ſalſis dicamus. Iſtis nemo hominum in potu quotidiano utetur, eò quod ſitim non exſtinguant, ſed magis augeant. Calefaciendi n. & ſiccandi, adſtringendi quoque & abſtergendi facultatem habent, teſte Gal. l. 4. ſimpl. c. 19. & 20. De his Hipp. lib. de aëre, aqua & locis c. 3. Quæcunque, inquit, aquæ ſalſæ, crudæ ac duræ exiſtunt, ad hoc quidem, ut ab omnib. bibantur, bonæ nequaquam ſunt. Sunt tamen naturæ quædam, & morbi, quib. tales aquæ in potu commodæ exiſtant: Quorum enim ventres molles, humidi ac pituitoſi, his duriſſimæ & crudiſſimæ ac ſubſalſę aquę conferunt, ſic enim maximè reſiccari poterunt. De marina Dioſcorid. lib. 5. cap. 19. Aqua, inquit, marina, calida eſt & acris, ſtomacho adverſatur: alvum enim conturbat, pituitam expellit. C

De paluſtribus, ſtagnantibus & lacuſtribus dicamus, de quibus Hippoc. lib. citato cap. 3. ſic ſentit, Quæcunque paluſtres, ſtagnantes ac lacuſtres ſunt, easdem æſtate calidas, & craſſas, & olentes eſſe, neceſſe eſt; Cum enim non defluant: ſed aqua pluvia ſemper nova inferatur, & Sol urat, neceſſe eſt, decolores ipſas, & graves & bilioſas reddi: Hyeme vero conglaciatas, & frigidas ac turbidas, præ nive ac glacie fieri, ut pituitoſiſſimæ ac raucoſiſſimæ exiſtant. Bibentibus autem ſplenes ſemper ſint magni & pleni; Et ventres duri tenues ac calidi. Humeri vero & claviculæ & fauces attenuata. In ſplenem enim carnes colliquantur, quapropter graciles exiſtunt. Edaces autem eſſe tales & ſiticuloſos par eſt, ventresque tum ſupernos, tum D

infernos

infernos calidiſſimos habere, ut etiam fortioribus medicamentis indigeant. Atque hic morbus ipſis & æſtate, & hieme familiaris eſt. Ad hæc etiam hydropes plurimi, & lethaliſſimi fiunt. Æſtate n. dyſenteriæ multæ, atque alvi profluvia incidunt & febres quartanæ diuturnæ. Hi autem prolongati, tales naturas ad hydropes deducunt, & occidunt. Et hi quidem morbi ipſis æſtate fiunt. Hieme verò junioribus quidem, peripneumoniæ & inſaniæ morbi. Senioribus verò febres ardentes, propter ventris duritiem. Mulieribus autem tumores oboriuntur, & pituitâ alba, & vix in ventre concipiunt, ac difficulter

A pariunt, fœtusque magnos ac tumidos: Deinde ex alimentis tabeſcentes, ac depravati fiunt. Et poſt partum mulieribus purgatio commoda non contingit Pueris verò herniæ accedunt, & viris varices, & ulcera in tibiis. Quare fieri non poteſt, ut tales naturæ longævæ fiant, ſed ante temporis adventum ſeneſcant. Præterea fœminæ ſe in utero habere putant, & ubi partus tempus advenerit, ventris moles illa, ac plenitudo evaneſcit. Hoc autem contingit ex aqua, cum uteri ex aqua concepta laborant. Atque has quidem aquas ad omnem rem improbas eſſe cenſeo.

His, quæ Hipp de paluſtribus, ſtagnantibus & lacuſtribus aquis

B ſcripta reliquit, conſentit Avicennas lib. 1. canonis fen. 2. doct. 2. cap. 16. cujus verba, quia longior eſt ejus oratio, hic adducere auditori tædioſum foret.

Aëtius quoque tetrab. 1. ſer. 3. c. 165. non diſcrepat, qui ſic ſcribit: ſtagnans aqua propter cœnoſam circumferentiam, limoſa & gravis eſt, & propter ſtationẽ & immobilitatẽ, velut mortua & putrefacta. Quare aliâ præſente aquâ, exhibenda hæc nunquam eſt debilibus.

Deinceps de fluviali, puteana pluviali & fontana diſſeramus. Fluvialem aquam Aetius tetra. 1. ſerm. 3. c. 165. nulla commendatione dignam judicat; nam pari loco illam cũ ſtagnante habet, ſic ſcri-

C bens: Fluviales & ſtagnantes omnes malæ ſunt, Nihil aquâ exceptâ. Hæc enim omnibus virtutibus exornata eſt. At aliorum fluminum aqua ægrè concoquitur; ſiccat, & ſiticuloſa eſt, & præſertim, ſi vitioſas aliquas regiones pertranſit. Meliores a. ſunt fluvii, qui à fontibus perpetuis fluunt, aliiſque fluviis non miſcentur. Sic enim ſcribit & Hipp. loco ſuprà dicto: Quicunque aquas omnigenas bibunt, & de magnis fluviis, in quos alii deferuntur, & de ſtagno, in quod fluxiones multæ, & omnis generis deveniunt, potant; ii calculo maximè laborant, & renum affectibus, urinæque ſtillicidio, & coxendicum morbo corripiuntur, atque hernioſi fiunt.

D De puteali, quæ cum fontanâ & ſtagnante aliquid commune habet, & quodammodo inter has media exiſtit: Hipp. loco citato paucis verbis; Si flumina, inquit, deſint, aquaſque puteorum ſtagnantes & olentes bibant, neceſſe eſt inde bibentibus ventrem lædi & ſplenem.

Aëtius loco paulò antè adducto: putanea, inquit, frigida, eſt terrea,

terrea, difficulter excernitur, ægrè digeritur, & præterea æſtuoſo ſtomacho, aut ventri commodior eſt, quam fontana.

Avicennas capite commemorato, de puteali ſic diſſerit: Puteorum, inquit, aquæ, & aquæ ductuum ſunt malę, ſi cum fontanis comparentur. Sunt enim aquæ conſtrictæ, partibus terreſtribus diu permiſtæ: Ideoque fieri nequit, quin eis aliqua inſit putrefactio. Extrahuntur enim & moventur vi externâ cogente, nō autem motu proprio. His tamen deteriores ſunt illæ, quæ per canales plumbeos ducuntur, à quibus aliquid medicatæ qualitatis abradunt, & frequenter ad dyſenteriam deducunt. Putealis tamen minus mala eſt, quam Paluſtris. Corrigitur enim puteana motu, qui per extractionem contingit, nec non motu ſcaturiginis ſuæ. Non enim diu manet cōſtricta, neque in meatibus diu moratur, ex quibus, & per quos emanat. Hactenus de aquis, quæ ad potum hominum vel damnatæ prorſus vel minus utiles exiſtunt. A

Superſunt pluvialis & fontana, magis quam illæ laudatæ, idque tum propter motum, tum puritatem. De pluviali autem in hæc verba Hippocrates cap. 4. libri de aëre aquis & locis. Aquæ pluviales leviſſimæ, dulciſſimæ & tenuiſſimæ ſunt, ſimul ac ſplendiſſimæ. Primū enim Sol, quod tenuiſſimum & leviſſimum eſt, in aqua qualibet, educit ac ſurſum rapit. Declarat autem iſtud mare. Quod enim ſalſum eſt, propter craſſitiem, & gravitatem illic relinquitur, & fit mare. Quod verò tenuiſſimum exiſtit, ſol ſurſum rapit propter levitatem. Rapit autem tale non ſolum ex aquis ſtagnantibus, ſed etiam ex ipſo mari, atque ex omnibus iis, quibus aliquid humoris ineſt. Ineſt autem in rebus univerſis: nec non ex ipſis hominibus tenuiſſimum atque leviſſimum humorem educit. Cuius rei argumentum inde ſumere licet. Cum homo veſtibus indutus, per Solem iter fecerit, aut ſederit: Quaſcunque enim corporis partes Sol non aſpexerit; hæ nequaquam exſudant. Sol enim quicquid ſudoris comparet, ſurſum rapit. Quæ vero ſub veſte contectæ ſunt, aut ſub alia aliqua re, hæ exſudant. Educitur enim & domatur à Sole ſudor. Servatur autem tegmentis, ut ne diſperdatur à Sole. Cum verò in umbram devenerit; totum corpus ſimiliter ſudore profluit. Non enim Sol amplius affulget. Quapropter etiam ex omnibus aquis, hæ citiſſimè putreſcūt, & odorem malum pluvialis aqua continet, eo qud ex plurimis congregata ſit, ac permixta, ut citiſſimè putreſcat. Ad hæc verò ubi rapta eſt, & in ſublime elevata, dum circumfertur, & ad aërem permiſcetur, quod turbidum in ipſa eſt, ac noctem refert, id excernitur ac decedit, evaditque aër & nebula. Quod vero tenuiſſimum ac leviſſimū eſt in ipſa, hoc relinquitur ac dulceſcit, dum à Sole uritur ac coquitur. Fiunt enim & alia omnia, quæ coquuntur ſemper dulcia. Quam diu igitur diſperſa fuerit, & nondum congregata, fertur ſublimis. Ubi verò coacervata fuerit, ac derepente à ventis inter ſe adverſariis ſimul congregata, tunc deorſum prorumpit, quâ parte plurima collecta fuerit.

cta fuerit. Tunc eim magis hoc fieri veriſimile eſt, cum nebulas,
à vento ſtabilitatem non habente, concitatas ac procedentes, dere-
pentè ventus contrarius ac nebulæ aliæ reliſerint; atque tunc qui-
dem prima ipſius pars congregatur, quæ verò à poſteriore parte
ſunt, inſuper accedunt, & ſic craſſeſcunt, & nigreſcunt, atque ſimul
congregantur, & præ gravitate deorſum prorumpunt, pluviæque
evadunt. Atque hæ quidem aquæ optimæ ſecundum hanc rationem
exiſtunt. Verum opus habent, ut decoquantur & excolentur. Sin mi-
A nus: odorem pravum ſervant, & raucedinem vociſq; gravitatem bi-
bentibus inde accedere convenit.

Huic Hippocraticæ de pluvialibus aquis ſententiæ conſentit Ori-
baſius Sardianus lib. 5. cap. 1. collectorum: Pluviales, inquit, leviſſi-
mæ ſunt: Sol enim quod leviſſimum in aqua tenuiſſimumq; eſt, at-
tollit, ſurſumq; rapit id quod non ex aliis ſolum aquis, ſed etiam ex
mari, ipſiſq; itidem humanis corporibus facit, idcirco fit, ut celer-
rimè omnium putreſcant. Maximè enim corpora, quæ unicam in
ſe qualitatem habent, cum nulla aliunde cauſa ſubſit, ob quam dif-
ficulter aut facilè putreſcant: Ea difficilius, quam quæ multas ha-
bent qualitates computreſcunt. Sed animadvertendum eſt, ne quis
B putet aquam, quæ celerrimè putreſcit, eſſe peſſimam. Poteſt enim
eadem eſſe præſtantiſſima, cum aliæ omnes optimarum aquarum
notæ, quas antè diximus, ei adſint. Nam facilitas immutationis in
qualitate, bonitati potius aquæ, quam vitio attribuenda eſt. Aquam
verò pluviam bonitate præſtare, argumento eſt, quod etiam à ſolis
calore coquitur. Nam & cætera quæ elixantur, dulciora ſe ipſis fiunt
omnia. Cumque cepit putreſcere, omninò eſt inepta potui ſiqui-
dem qui aquam adhuc putreſcentem bibunt: Hos raucedines, tuſſes,
vociſque gravitates exrripiunt. Ex pluviis autem aquis æſtiva, quam
C Horæam Hipp. vocat, quæque ex tonitru fit præſtantior eſt, quam
quæ nimbis eſt demiſſa.

Aëtius quoque loco ſupra allegato, ex Rufi Epheſii ſententia ſic
ſcribit. Ex aquis potabilibus aqua pluvialis apparet leviſſima, & fa-
cilè mutabilis, & in aliis affectibus potu optima, ſi ſtatim excipia-
tur, & coletur. Verum febribus, & his qui bilem ſupernè ac infernè
reddunt regioq; morbo incommoda eſt. Mutatur enim facilè & in
bilem tranſit. Idonea verò eſt ocularijs medicamentis, ad fluxus aut
ulcera deſtinatis. At his quæ viſum acutiorem reddunt eſt inepta. Itē-
que ad metallicorum pharmacorum loturam. Adſtringit enim am-
D plius, quam fontana. Quare neq; exſterget, neq; concoquit neq;
madefacit, & excretiones impedit. Quæ a. vetuſtior eſt, acerbior fit,
& difficilius tranſit, ægriuſq; ſecernitur, tardius item concoquitur,
ac digeritur. Generat a. deſtillationes, præſertim ſi frigida bibatur.

Avicennas de pluviali cap. ante adducto, hunc in modum loqui-
tur: Inter aquas laudabiles ſunt pluviales quoque aquæ & præ-
cipuè illæ, quæ in æſtate eveniunt, & ex nubibus ortæ, cum quibus

accidunt tonitrua. Turbiditas autem vaporis, unde generantur venti maximi, cum nubibus venientes, turbidas reddit nubes, ex quibus prodit pluvia, ideoq; eius ſubſtantia eſt impura. Attamen aquæ pluviali citò accedit putredo: quamvis ſit aqua melior, propterea nempe, quod valdè ſit ſubtilis, eoque quod terreum aëreumque corrumpens in ipſa citò operetur. Fitq; putredo eius cauſa, ut corporis humores computreſcant, impeditq; pectus & vocem. Sunt autem qui dixerint, cauſam huius eſſe, quod pluviales aquæ generentur ex vapore, qui diverſis ex humiditatibus ſublimatus vel elevatus fuit. Verum ſi iſtud in cauſa foret, aqua pluvia non laude A ſed vituperio digna eſſet. At non ita ſe res habet, quin potius propter multam ſubſtantiæ ſuæ ſubtilitatem: omnis enim ſubtilis ſubſtantia citius paſſionem recipit. Quod ſi pluvialis feſtinanter ebullierit, receptio illa putrefactionis minuetur. Quod ſi acidæ res comedantur, quo tempore pluviali utendum erit, putrefactioni eius opponuntur, atque ab impedimento eius ſecuritatem præſtant. Hactenus de pluvialibus. De fontanis dicendum reſtat.

Fontanarum multiplex eſt differentia. Alia enim eſt dulcis, aut verius inſipida. Alia medicato aliquo ſapore infecta exiſtit. Medicato ſapore inficitur, vel à lapide, vel metallo, vel ſucco, vel terra B inſigni, vel mixto, vel igne ſubterraneo, vel halitu. Lapidis nomine intelligitur vel ſaxum durum, quale marmor, ſilex, gemma, vel ſaxum molle, quale arenarium, vel calcarium, gypſum. Metalli voce continentur, aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum, ſtannum. Succi appellationem obtinent, concreti quidem, ut alumen, bitumen, ſal, nitrum, ſulfur, chalcanthum, chalcytis, miſy, ſorii, melanteria. Succi liquidi ſunt, alumen liquidum, bitumen liquidum, natphtha: & quæ ex horum cum metallis adiunctione naſcuntur, qualis chryſocolla, ærugo, lapis cœruleus, ferrugo. Mixti vocabulo audiuntur, æs, pyrites marcaſita vulgò voca- C tus & ſimilia. Terræ inſigniores ſunt, ochra, rubrica, creta, bolus. Ex horum permiſtione, vel attactu, aqua quæ inſipida fuerat, variis modis infecta erumpit, diverſaſq; qualitates adipiſcitur, quemadmodum in varia magnaq; calidorum, acidorumq; fontium paſſim per Germaniam ſcaturientium copia apparet. Qui omnes tamen ad potum quotidianum inepti exiſtunt, teſte Hipp. l ſæpius citato, in quo cap. 3. ſic ſcriptum reliquit: Has equidem aquas ad omnem rem improbas eſſe, cenſeo. Secundo verò loco illas, quarum fontes ex petris ſcaturiunt. Duras enim eſſe neceſſe eſt, aut iſtic ubi calidæ aquæ exiſtunt, aut ferrum naſcitur, aut æs, aut argentum, D aut aurum, aut, ſulfur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum. Hæc enim omnia præ violentia caloris naſcuntur. Non itaque ex huiuſmodi terrâ aquæ bonæ prodeunt, ſed duræ & æſtuoſæ, quæ & difficulter eminguntur, & ad alvi egeſtionem contrariæ exiſtunt. His conſentit Aetius lib. & cap. prius aſſignato: Quæcunq;, inquit,

aquæ,

aquæ, aſtrictionem aut ſalſedinem, aut nitroſitatem, aut craſſitiem, aut aliud quid in guſtu detegunt, pravæ ſunt. | Item quæ graviter olent, & quæ cõcretionem ſuperſtantem habent, fœtidamq; ſubſidentiam ac ſolidam, quæq; inſtar lapillorum æreis vaſis adhæreſcunt, aut quæ hirudines nutriunt, aut ſimilia parva animalcula, ſtantesq; & paluſtres, aut quæ ſunt in metallis auri, argenti, aluminis, aut ſulfuris, aut ſimilibus, & quibus radices inſitæ ſunt, & quibus aquæ calidæ ſponte erumpentes vicinæ exiſtunt, omnes tales, ad populum nempe, malæ, atque incommodæ ſunt. Ga-
A lenus vitioſarum aquarum paucis meminit, lib. 1. ſanit. tuend. cap. 11. Cavendæ verò, inquit, ſunt aquæ, quęcunque ex ſtagnis hauriuntur, & quæ turbidæ, aut malè olentes, & quæ ſalſæ. Denique iu quibus qualitas aliqua guſtu deprehenditur: Hæc Gal. Ob tantam verò bonarum aquarum raritatem atque penuriam, populi non procul à mari habitantes, aut alioquin loca paluſtria incolentes, ne pravam aquam bibendo, morbos frequentes incurrerent: aquæ elixationem, & ut ſapidior, ſimulque durabilior fieret, frugibus herbisque amariuſculis additis incoctiſque, cereviſiæ uſum excogitarunt, quibus vi-
B nearum culturam, vinique fælicitatem ſoli cælique aſperitas negavit. Quo ex frugibus facto potus genere, multæ gentes ſeptentrionales ſalubriter fruuntur, atque in annoſam ſenectutem, incolumes vitam producentes, populis vino beatulis nequaquam invident.

De Cereviſia.

Quia verò hic cereviſiæ meminimus, haud iniucundum Lectori fore nec inutile cenſuimus, ſi de huius potus tam celebris & uſitati parandi modo, pauca adiungeremus.
C Cereviſia non eſt nuperum inuentum. Nam veteres eius meminerunt. Plinius ſanè natur. hiſtor. lib. 22. cap. ſub finem: ex frugibus, inquit, fiunt & potus Zythus in Ægipto: Cælia & ceria in Hiſpania: Cereviſia & plura genera in Gallia, aliiſque provinciis. Quin & multo ante Plinium Dioſcorides de Zytho & Curmi potib. ex fruge cocta paratis mentionem fecit, & quidem l. 2. c. 80. Ex hordeo inquit, potus fit, cui Zitho nomen eſt. Is urinam ciet &c. Item ſequenti c 81. fit ex hordeo etiam potus, quem curmi nominant ec qu ſæpe potu, pro vino utuntur, & paulo poſt: Conſimilia potus ge[illegible]
D ra ex tritico fieri ſolent in Iberia, quę occidentē ſpectat, & Britannia.
Cereviſiarum multæ ſunt differentiæ.
Conſiſtunt autem ferè omnes in tribus: materia nempe, præparatione, & coctura.
Materia communis eſt triplex: Aqua, hordeum & Lupulus, quæ omnia bona eſſe oportet.
Aqua vel multa eſt vel paucior, vel benè, vel malè cocta.

Hordeum non crudum ſumitur, ſed in bynen, macerando & germinando prius redactum, de quo paulo poſt dicetur.

Byne iſta hordei, eſt vel multa, vel paucior: vel ſola, vel aliis ex avena, aut Zea, aut tritico commiſta.

Lupulus (potiſſimum eius culti flores) additur vel multus quoque vel paucior, idque vel ſolus, vel aliis ut abſinthio, parthenio, carduo benedicto, centaurio, aloe, baccis lauri, quin & ſale, ut in urbe Minda, aut ſimilibus admiſtis.

In præparatione, conſideranda venit bynes legitima confectio: quæ conſiſtit in frugis bonitate, ſufficiente maceratione & germinatione, deinde arefactione & molitura, tandem ſubactione atq; colatura. A

Huc ſpectat Lupuli decoctio, eiuſdemq; conveniens proportio, cum bynes colatura.

In aquæ coctione ſpectandum, ut ſaltem ſit ſufficiens. Nimis coqui non poteſt. Coctio iſta ſuffucit, quæ ad octavæ aut ſextæ abſumptionem decrevit.

Succedit fermentatio, quæ tum ad præparationem referri poſſe videtur. Perſpicuitatem vel puritatem ſaltem, unà cum acore ſuaui, liquori cocto concilians. B

Ex ſurpa dictis, materia nempe, præparatione, & coctione, ſequuntur ſubſtantiæ in cereviſia, coloris, odoriſq; & ſaporis diſcrepantiæ.

In ſubſtantia quidem, quum alia eſt tenuis, alia craſſa: hæc limpida, illa turbida.

Colore, alia albicans, pallens, rubicundula, alia fuſca aut ſubnigricans exiſtit.

Odore, quædam ſuauiter, quædam inſuaviter redolet.

Sapore alia dulcis, aut ſubamara, acidula, ſubauſtera, alia ſubſalſa, ſubacris, aut ſaporis miſti evadit. C

Bynes præparandæ ratio.

Eſt autem byne Aëtio, prout exponit Janus Corvarius, hordeum madefactum, quod germinavit, deinde cum ligulis enatis torretur. Coctores cereviſiarii in Germania Maltʒ / in Belgio Malbt vocant.

Accipitur itaq; hordeum optimum, & per triduum maceratur aqua, mutata quotidie frigida. Quarto die colatur, donec liquor omnis, perforato ſubter vaſe, effluxerit. Quinto, vaſi exemptum, in pauimento aſſeribus ſtrato, in aceruos altiuſculos componitur: D ſiniturque dum incaluerit, & germinare cæperit, adeoque radiculas protruſerit latitudine culmi maiores, idque qua fieri poteſt, æqualiter: toto acervo ſubinde inuerſo: ut quæ in ſuperficie & per ambitum præ aëris frigiditate, minus germinarunt, medio locata, caleſcant, & progerminent, ſicut reliqua.

Adbiben-

Adhibenda tamen cura eſt diligens, inſertaque in acervum ſubinde manu explorandum, ne nimiopere incaleſcant, & nimis lōga germina protrudant. Ita enim hordei medullæ nimium deperit.

Ubi jam æqualiter germinarunt coactæ fruges: diſſolvitur acervus, ac in pavimentum purum extenditur, donec in umbra ab aëre inaruerit, converſo interim aliquoties humente adhuc grano, ut æquabiliter ſiccentur univerſa.

Alii quibus bynen conficiendi induſtria lucro eſt (ſunt enim in Belgio qui ſolo illo artificio familiam alunt, opesque non vulgares A conquirunt) illi fornace, velut hypocauſto, lignis ἀκάπνοις ſubter accenſis, expaſſam ſupra in cilicio bynen, vapore ſicco torrent.

Probatur, quæ tertia parte menſuram adauxit, ut medimni ſeni, novenos reddant. Quin neque vulgus illam improbat, quæ menſuram ſuam duplicavit, ut medimni ſex ad duodecim excreverint.

Cerevisiæ coctura.

Exarefactam bynen inde ſuſpenſa mola frangunt ſolum, inq; farinam craſſiorem redigunt. hanc aqua decoquunt, in conſiſtentiā pultis liquidiores: quam poſtea colatorio amplo planoque vaſi in-B fundunt, cujus tamen fundo ſtramen ante, paleamque multam inſtraverunt, ut byne elixata, levitateque ſubſtratæ paleæ quaſi ſublevata, tanto purius percoletur.

Hæc prima colatura, inſtar diluti mellis, dulcis & ſuavis exiſtit.

Succum hunc dulciculum, ut durabiliorem, ſtomachoq; gratiorem reddant: decocto florum lupuli permiſcent, pro ut diverſo homini palato vel amariuſcula, vel dulciuſcula magis minusve arrident, aut partium anni æſtiva aut hiberna diverſitas poſtulabit.

Sunt qui farinam non elixent, ſed amplo vaſi inditam aqua ferv idiſſima perfundunt, macerantque, aſſiduò permoventes: eliqua-C tum vero cremorem, inſertis longis corbibus excolant. Colaturam recoquunt, ad octavæ aut ſextæ partis decrementum.

Proportio bynes & aquæ certa non obſervatur. Nam prout quisq; vel meraciorem vel dilutiorem potum deſiderat, ita vel plus vel minus aquæ coctæ affundit.

Præſtans eſt cereviſia, quæ tantum bynes recepit quantum cereviſiæ factæ vas capere poteſt, ut oma bynes, tantundem cereviſiæ reddat.

Aqua qua prima colatura diluitur, plærunque dum octava aut ſexta parte decreſcat, bulliri ſolet.

D Sunt quidam qui ut præſtantiorem potum habeant, ex zea aut tritico paratam bynen, hordeaceæ addant.

Poſtquam jam cereviſia hunc in modum percocta eſt, mox amplo vaſi dum refrigeſcat infunditur, & ubi ad teporem devenerit: aliquid fecis cereviſiariæ, aut fermenti parum permiſcetur, ut ſpumeſcere & fermentari poſſit. Quod cum fecerit: doliis reconditur. Nec

in potus uſum convertitur prius, quam affatim deferbuerit, ac reſederit, ad ſpatium ſcilicet trium ſeptimanarum aut circiter. Nam turbida aut recentior ſi bibatur, inflationes ventris aut ſtranguriam fere ſuſcitare aſſolet, neque ſitim ſedat.

Cerevisiæ autem facultates ex materia, præparatione, coctura, nec non ſubſtantia, colore, odore, ſapore, atque experientia explorantur.

Et hactenus quidem de cerevisia.

Sed ad rem. Ex his quæ paulò antè dicta ſunt, perſpicuum eſt, quanta ſit aquarum pravarum paſſim copia: quanta ex adverſo earum, quæ uſui humano ad potum commodæ eſſe poſſint, paucitas exiſtat: præſertim cum ne inter fontanas quidem, potui noſtro quotidiano ullæ ſint ſalubres, niſi quæcunque ſapore dulciculæ, aut potius inſipidæ prorſus exiſtunt, teſte Gal. lib. 1. ſanit. Conſer. cap. 11. ubi ſic ſcribit: A frigidæ aquæ potione pueros omninò prohibendos non cenſeo, quod tamen aliqui faciunt. Verum à cibo plerunque, & per calores (cum ipſis cordi erit) uti non diſplicet, potiſſimum fontanæ (ſi copia ejus ſit) recentis, cui nulla qualitas vitioſa aliunde ſit contracta. Ea ſi non eſt, reliquarum. Idem paulò pòſt: Quandoquidem, inquit, quæ optima eſt, ea penitus non guſtui modo horum, verum etiam olfactui omnis qualitatis expers videbitur: Eadem quoque tum potui jucunda erit, tum planè pura. Quod ſi præcordia quoque celeriter tranſit, nihil eſt, quod magis idoneam requiras. Quando ſi qua pura limpidaque eſt, nec potui inſuavis: nihilo-ſecius tamen circa præcordia hæret; hæc vitio non caret: atque ab illâ abſtinendum cenſeo, utique cum prorſus eſt frigida. Cæterum à calefacta non deterreo. Idem probæ aquæ notas lib. de ptiſana cap. 2. deſcribit in hunc modum: Porrò probatiſſima aqua tum ſubſtantia, tum guſtu, tum colore diſcernitur. Ex guſtu quidem & odoratu, ut nullam exoticam referat qualitatem, hoc eſt, non exiſtat nec dulcis, nec ſalſa, nec acida, nec acris, neque graviter olens, aut putris, neque penitus ullius acquiſitæ qualitatis particeps: Sed prorſus ſimplex, ac citra omnem alienam qualitatem aut immiſtionem, quæ vel guſtu, vel olfactu deprehendatur. Oportet prætereà pellucida ſit & pura, minimeque cœnoſa: ſed veluti exquiſitè colata, fruſtillorumque innatantium expers. Siquidem hujuſmodi aqua uſui accommodata eſt: Natura verò nequaquam ſic ſincera exiſtit, perindeac ne ullum quidem aliud ſenſilium Elementorum. Cæterum ſi cujuſmodi dixi, aqua fuerit, ilicò tenuium eſt partium, facilis & concoctu, & diſtributu, atque præcordia ſubitò tranſit: nec ſolum non difficilis eſt alteratu, appropinquans caliditati naturali; ſed & igni externo admota, brevi calefit. Teſtis quoque inquit, hujus orationis eſt Hipp. quippe qui aquam, quæ celeriter caleſcat, rurſuſque è veſtigio refrigeretur, hanc leviſſimam eſſe judicat. Porrò non pondere levem dijudicat: verum

quæ

quæ tenuium ſit partium, nec gravatim, contrariam admittat qualitatem. Hujuſmodi ſanè aqua, tum frigida, tum humida, proprieque aqua nominatur. Quæ verò vel ſubſtantia, vel qualitate ab hac degenerant; ut ſunt bituminoſæ, ſulfureæ, aluminoſæ: tanto ab hujus diſcedunt natura; quanto alienatæ exiſtunt. Hæc Galenus.

Porrò quum etiam inter fontanas eaſque dulces aut inſipidas differentia ſit (una enim commendabilior, quàm altera eſt) propter vel materiem, vel locum, vel ventum. Idcircò quænam optima ſit

A conſideremus. Hipp. lib. de aëre, aq. locis cap. 3. Optimas aquas eſſe dicit: quæ ex ſublimibus locis, ac terreis collibus fluunt. Hæ enim dulces & albæ ſunt, vinumque modicum ferre poſſunt. quin & hieme calidæ ſunt, æſtate verò frigidæ; Tales enim fuerint ex profundis fontibus. Maximè verò eas laudare oportet, quarum fluxus ad Solis exortum erumpunt, præſertim autem æſtivum. Neceſſe eſt enim odoratas illas eſſe ac leves. Idem paulò pòſt. Quæ quidem aquæ fontes ſuos ad orientem habent, hæ præ omnibus optimæ ſunt. Secundum ab his locum obtinent, quæ inter æſtivos Solis exortus atque occaſus emergunt, magiſque illæ, quæ ad orientem. Tertio

B loco ſunt, quæ inter occaſus æſtivos & hibernos ſcaturiunt. Peſſimæ verò, quæ ad auſtrum, & quæ inter hibernum ortum & occaſum tendunt. (Sic enim corrigendum videtur, ut pro æſtivo, hibernum ponatur) Et hæ quidem ad auſtrales partes valde pravæ ſunt aquæ: ad Boreales verò meliores. Idem Hippocrates de oppidis ad ortum poſitis loquens, eiuſdem lib. cap. 3. ſic loquitur. Deinde aquas, quæ ad Solis ortus ſunt, omnes ſplendidas eſſe, odorataſque & molles ac amabiles oriri in hac civitate neceſſe eſt. Sol enim emergens ac illuſtrans, ipſas caſtigat. Matutinum enim tempus, ipſe aër ut plurimum occupat.

C Similiter Galenus loquitur libro primo ſanit. ſerv. capite undecimo: Quod ſi quis eſt, inquit, qui ex notis potius vim aquæ pernoſſe malit: Cujus fons ex petra ſcatens, contra Septentirones fluit, ſolemque averſum habet; hanc ægrè concoctum iri, tardiq; tranſitus eſſe, putandum eſt: Eadem nimirum calefiet, & frigefiet tardè. Contrà, cujus ad orientem Solem fons erumpit, quæque per meatū aliquem mundum, aut puram terram colatur: Eademque calefit ac refrigeratur ocyſſimè: Hanc omni ætati utiliſſimam eſſe exiſtimandum eſt. Non enim quemadmodum vino, cibis, exercitatione, vigiliis, ſomno ac venere, aliis alios pro ratione ætatis uti expedit:

D Ita de aqua quoque ſtatuendum eſt: Sed quam nunc optimam judicavimus: eadem puero, juveni, ſeni uti conducet.

Similis & Aëtius ſententiæ eſt loco ante aſſignato, ſic dicens. Fontanæ aquæ, quarum fontes ad ſeptentrionem emanant, ex petris ſtillantes, ſolemque averſum habent, incoctiles ſunt, tardiq; trāſitus, quin & tarde caleſcūt, tardeq; frigeſcūt. Quarū verò fontes ad orientē

erumpunt,& per meatum quendam, aut terram puram excolantur, & calefiunt,frigeſcuntque citiſſimè: hæ optimæ ſunt, niſi ex cloacis quibusdam ipſis vitium accedat. Idem paulò pòſt verum,ut in ſumma dicam: aqua quæ guſtui congrua eſt, & cui habitatorum experientia teſtimonium præbet: eam optimam eſſe cenſendum eſt. Nam quæ citò calefit & frigeſcit,facileque carnes ac alia omnia percoquit: eadem etiam cibos in ventriculo concoquet.

Paulus Ægineta lib.1 cap 50 à prioribus minimè diſſentit: Ea inquiens optima cenſenda eſt aqua: quæ nullam,aut guſtu,aut odore qualitatem repræſentat, ſed protinus bibenti ſuavis eſt, viſuque A pura & limpida, cum eadem quoque ſtatim à præcordiis deſcendit, melior alia quærenda non eſt. Nam quæ in præcordiis reſidet diutius: Ventriculum ferit, inflat, gravatque; ea vitioſa cenſetur. Hujusmodi aqua,neque citò calefit,neque citò refrigeratur: ſed quæ in ipſa elixantur tardiſſimè, pejusque decoquuntur. Præſtat itaque talem aquam experimento diſcernere. Qui verò notis quoque eam volet agnoſcere: iis quæ dicentur, attendat: Quæ enim ad ſeptentrionem ſpectat,à ſole averſa: tardè permeat, & indomita lentè caleſcit,& refrigeratur. Quæ autem ad orientem,per venas terræ quasdam perrumpens,citiſſimè calefit,iterumque refrigeratur protinus: B Hanc optimam eſſe,ſperandum eſt. Probatur item,quæ æſtate frigidior,hieme calidior exiſtit. Nonnulli & pondere aquam examinant, levem præſtare credentes. Hoc igitur ſi aliis à me commemoratis acceſſerit,commendatur.

His quæ dicta ſunt, aſtipulatur & Oribaſius Sardianus lib.5.c.1. ſicut & Avicennas lib.1. Canonis Fen.2.doct. 2.cap.16. Aquarum,inquit,quæ cæteris meliores ſunt: ſunt aquæ fontium,neque tamen omnium,ſed fontium terræ puræ,in qua nempe nulla qualitas extranea ſuperat, aut aquæ petroſæ, vel eo putà nomine digniores, quod putredinis terreſtris ſint immunes. Illa tamen quæ ex terra pura prodit,melior eſt,quam quæ ex petra. Neque ex omni terra pura; ſed C illa tantum,quæ præter hoc etiam fluida eſt. Neque omnis fluens: niſi fluxu ſuo ſoli & ventis ſit expoſita. Tali enim curſu nobilitatem acquirit. Sciendum quoque aquam terræ ſuperfluentem,eſſe præſtantiorem, quam quæ per petroſa fluit. Lutum enim aut terra,modo pura ſit, non fœtida: depurat aquam, repurgatque ab omni re extranea, & quodammodo transcolat, id quod ſubjectum petroſum præſtare non poſſit. Tantoque præſtabilior talis erit aqua, quanto copioſior fuerit,& vehementius fluxerit,idque verſus ſolis exortum, & quidem æſtivum, & quo remotior ab origine ſua fluxus fiat. Poſt D hanc autem,quæ ad ſeptentrionem movetur. Illæ enim quæ in occaſum & meridiem tendunt,deteriores exiſtunt, præſertim cum venti auſtrini ſpiraverint. Quod ſi præterea à locis excelſis emanet; tanto erit laudabilior. Talibus conditionibus prædita aqua eſt quodammodo dulcis, neque multam vini miſtionem requirit. Eſt quoque

pondere

pondere levis,citoque refrigeſcit,viciſſimque recaleſcet citò. Eſt enim ſubſtantiæ rarioris,nec in illa ſapor ſuperat aliquis, ſicut nec odor ullus.Celeriter autem deſcendit ab hypochondriis. Præterea ſi quid in illa coquatur, percoquitur citò,citoque diſſolvitur. Scripſit quoque de aquis ſalubribus, atque inſalubribus Plinius Secundus lib.natur.hiſtoriæ 31. cap.3.quem qui volet,conſulere poterit.

Quum itaque jam ſatis ſuperque conſtet, ex antiquiſſimorum ſimul & laudatiſſimorum Medicorum unanimi conſenſu,accedente illis & Dioſcoridis Anazarbei adſtipulatione lib. 5 c. 18. quod videli-
A cet illa demum laudatiſſima ſit aqua, quæ dulcis aut inſipida eſt, & ſincera,nullius omninò qualitatis particeps, & quæ minimo temporis ſpatio in præcordiis moratur, quæque inoffensè facilique via fertur: nec inflationes bibita creat, minimeque putreſcit: Proximum eſt,ut optimæ aquæ vires declaremus. Ea,teſte Hipp.lib.de diæta, frigefacit Gal.potabilem aquam non ſolum refrigerandi,ſed & humectandi facultatem habere lib.1.ſimpl.c.4.5.6.7. copiosè demonſtravit. Aëtius tetrabib.1.ſerm.1.cap.1. Aqua,inquit,ſupra id,quod refrigerat, humidiſſima quoque omnium exiſtit. Nihil enim aqua humidius.

B Nec diverſum ſentit Paulus Ægineta lib.7.cap.3. ubi ſic loquitur. Aqua præſtantiſſima, & quæ alterius ſubſtantiæ eſt expers, refrigerat, humectatque ex ſua ſubſtantia. Neque diſſentit Avicennas lib.1.Canone Fen.1.doct.2.c.1.his verbis. Aqua eſt frigida & humida ſecundum naturam ſuam, nempe ſi talis dimittatur, ſicut eſt, neque ulla cauſa externa ei contraria adfuerit; apparebit ex ea frigiditas ſenſibilis,& diſpoſitio ejus,quæ eſt humiditas. Hæc Avicennas.

Poſtquam quænam aqua ad potum ſit ſaluberrima,& quali tẽperamento, quibusque viribus ſit prædita, declaratum eſt: Inquirendum reſtat,omnibus ne hominum ventriculis in genere, an qui-
C busdam ſolum; & qualibus demum aqua potabilis incommodare poſſit.Quod autem omnibus nequaquam noceat,docet experientia: Cùm non ſolum omnia bruta animantia ab omni ævo,verum etiam humanum genus in prima illa ætate ante diluvium, aquæ potu uſos eſſe,vel hinc colligitur,quod Noach cepit (velut primus) plantare & colere vineam.Sanè populus Dei Iſraëliticus per annos 40. in deſerto nihil præter aquam bibebat. Adde quod & hominum plurimi,ruſtici præſertim,& pauperiores quique, paſſim inter omnes gentes, apud quas vineæ quoque coluntur,præcipuè pueri,puellæ, adoleſcentes & mulieres,aquam bibant,absque omni corporis detrimento. I-
D mò permulti reliqua potuum genera exoſi,ſolam aquam expetunt, eaque ſola delectantur ac reficiuntur.

Quin Gal.lib.de cib.boni malique ſucci cap.11. His,inquit,qui natura,aut ætate,calido ſunt admodum temperamento: aquæ potus longè accommodatior,quam vini exiſtit. Relinquitur ergo,quibusdam ſolum incommodare aquæ potionem. Qualibus igitur? Primũ

inter eos quidem, qui valetudine fruuntur integra: inconſuetis nocere poſſit. Nam quæ ex longo tempore conſueta ſunt, quantumvis ſint deteriora, minus quam inſueta, moleſtare ſolent. Oportet igitur ad inſueta permutari, monente Hippocr. lib. 2. Aph. 50. aph. Quamobrem Gal. lib. 1. ſanit. tuend. cap. 11. Puerulos, inquit, ab aquæ frigidæ potione (nempe ut adſueſcant teneris) non omninò prohibendos cenſeo, quod tamen aliqui faciunt. Verum à cibo plerumq;, & per calores (cum ipſis cordi erit) uti non diſplicet, potiſſimum fontanæ (ſi ejus copia ſit) recentis, cui nulla, ut ſupra dictum, qualitas vitioſa aliunde ſit contracta, ea ſi non adeſt, etiam reliquarum, &c. A

Incommodabit deinde aquæ potus illis, qui ventriculo ſunt debiliore. Quum autem variæ ventriculi debilis cauſæ eſſe poſſint; Idcircò diſtinguendæ illæ veniunt. Alias enim per ſe, alias per accidens debilis evadit. Per ſe quidem, cum intemperie aliqua, calida, frigida, humida & ſicca: ſimplici, aut compoſita; vel cum tumore aliquo præter naturam, phlegmone, eryſipelate, œdemate, ſcirrho, abſceſſu, ventriculus laborat. Per accidens autem afficitur, cum culpa aliena malè habet. Culpam verò alienam voco, quæ provenit, vel ab excrementitiis humoribus, aliunde, ut à cerebro, à jecore, à ſplene illuc infuſis; vel etiam ab alimento pravo, eoque male concocto, ventriculi cavitati inhærentibus. Culpa quoque aliena eſt, cum vicina ventriculo viſcera, jecur, venæ meſeraïcæ, ſplen, diaphragma, pulmo, aut cor etiam affectu graviori occupantur. Nam & animi affectiones, curæ, mœſtitia, metus, ventriculi concoctionem deteriorem reddunt. Culpa præterea eſt aliena, cum eſculenta vel poculenta per ſe bona quidem, verum ob apparationem malam, vel ob quantitatem nimiam, vel aſſumptionis ordinem pravum, peccantia, in ſtomacho corrumpuntur. B

Qualis igitur fuerit debilitas ſtomachi in Timotheo; & quanam ex cauſa prognata; in qua Apoſtolus Paulus diſcipulo ſuo, & fideli Jeſu Chriſti, in Eccleſia Epheſina ſervo (quamvis adhuc intra adoleſcentiæ annos, qui plus nativi caloris habent, conſtituto) aquæ potu interdixit. Non eſt veriſimile in culpa fuiſſe calidam aut ſiccam intemperiem, neque etiam tumorem aliquem ſimilem, quales phlegmone, eryſipelas, nec in ventriculo, nec vicinis illi viſceribus. Illa enim quia cum febri vehementi conjunguntur, adoleſcentem lecto, cum ſummo vitæ periculo, affixiſſent, brevemque illi decubitum attuliſſent. Neque etiam ex bile flava in cavum ventriculi infuſa: Ad talem enim humorem eluendum vel contemperandum utilior eſt aqua, quam vinum. Neque eſt credibile eſculentorum aut poculentorum pravam ſubſtantiam, aut bonorum neglectam coctūram; aut nimiam qualitatem aut ordinem in aſſumendis illis pravum, culpanda eſſe. Horum enim duo priora, præter Eccleſiæ dignitatem, adeoque in urbe opulenta fuiſſent, publicum Evangelii C D

præconem

præconem tam contemtim haberi; in iis quæ ad victum ſunt neceſſaria. Poſteriora ambo, lurconem, heluonem, vocacem denotarent, quod in pium optimeque à puero educatum adoleſcentem, verbique divini miniſtrum, cadere non poteſt. Quin ſi horum vel unum ſemel accidiſſet: facile inpoſterum, ne ſæpius in eo delinqueretur, caveri potuiſſet. Paulus enim crebras infirmitates fuiſſe aſſerit. Rationi itaque magis conſentaneum eſt, ſtomachum in Timotheo malè affectum fuiſſe; vel ob intemperiem frigidam cum humiditate conjunctam, eamque ſtomacho propriam; vel ob ſimilem conſtitutio-
A nem alicujus viſceris vicini, putà jecoris, ſplenis, meſenterii; vel propter obſtructiones eorundem, vel ob humores frigidos pituitoſos, à cerebro catarrhi forma: vel melancholicos à ſplene infuſos: aut propter ſolicitudinem curamque aſſiduam functionis Eccleſiaſticæ ſibi juveni impoſitæ, nec non vigilias in ſtudiis, labores varios, & quaſi perpetuos, quibus non ſolum docendo rudes: ſed & conſolando afflictos, erigendo lapſos, admonendo tardiores, caſtigando peccantes, reducendo aberrantes, confirmando infirmiores onerabatur. Cum enim per tales cauſas calor innatus multum affligatur, non eſt mirandum, ſi & ventriculi concoctiones debiliores reddantur,
B ſtomachusque, id eſt, os ventriculi propter flatus à debili calore suſcitatos & frequentes; idque vel propter multam melancholici humoris à ſplene; vel pituitæ, à capite vigiliis afflictato infuſionem, creberrimè malè habuerit, & velut leviora animi deliquia ſuſcitarit. Quibus omnibus morbis aqua quantumvis laudatiſſima, cum frigida ſit atque humida, adaugendis commoda eſt; tollendis verò, aut corrigendis ineptiſſima omninò, imò damnoſa exiſtit. Saluberrimum itaque Apoſtoli conſilium, & velut à viro medicæ artis peritiſſimo profectum apparet, quo Timotheo aquæ potu inpoſterum interdixit.

C

ALTERUM CONSILII PAULini membrum 1. Ad Timotheum cap. 5. ver. 19. Μηκέτι ὑδροπότει: ἀλλ᾽ οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ, διὰ τὸν ϛόμαχόν σου, καὶ τὰς πυκνάς σου ἀσθενείας, hoc eſt, Ne amplius aquam bibito, ſed vini pauxillo utitor, propter ſtomachum tuũ,
D *& crebras tuas infirmitates.*

PRIOREM Conſilii huius Paulini partem de aquæ potu ante explicuimus: Nunc alterum ejus membrum aggrediamur:

mur: In quo Timotheo adoleſcenti adhuc,vini ſed pauci uſum ſuadet, cauſam addens, propter ſtomachum tuum crebrasque infirmites tuas. Perquirendum autem, omnis ne vini promiſcuè,an cujusdam tantum,qualisque vini uſum ſuaſiſſe videatur. Sunt enim plurima vinorum genera, quæ non ſolum nativitatis loco; verum etjam colore,ſapore,ſubſtantia,potentia,maturitate,ætate,inter ſe permultum differunt, vos me auditores humaniſſimi, de amœni hujus potus,vobisque omnibus deſideratiſſimi differentiis, vini putà, ejusque viribus utilitate atque noxa dicturum, ſolitâ benevolentiâ ſublevate. A

Diſtinguuntur itaque vina nativitatis loco,colore,ſapore,odore,ſubſtantia,potentia,maturitate,ætate. Nativitatis loco,regiones, urbes, pagi, imò vinearum ſitus intelligendus venit. A regionibus vocantur,differuntque inter ſe Aſiatica, Græca, Italica, Hungarica, Gallica,Hiſpanienſia,Canarienſia,Maderana. Ab urbibus aut pagis, Baccharacenſia, Neuſtadiana,Rothenſia, Haimbachiana. A vinearum ſitu,quod aliæ in plano,aliæ in acclivi ſint poſitæ; aliæ ſpectant orientem Solem,aliæ occidentem,aliæ meridiem, nonnullæ in ortũ æſtivum,aut hibernum,quædam in occaſum,æſtivum aut hibernum vergunt. Quoniam verò Timotheus Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopum B agebat, urbi minoris Aſiæ, parte illa,quam Joniam dicebant,ad ſinũ Maris Ægæi,infra Cayſtri fluminis oſtia,inter colophonem, Tralles & Prienem oppida, in longitudine 67. grad. 40. minuta,Latitudine 37. grad. 40. minuta habente: Idcircò de vinis potius illo in tractu naſcentibus, quam de aliis inquirendum videtur. Inter quæ ſunt Epheſium, Clazomenium, Lesbium, Tmolites,Chium,Coum,Cretenſe,Thaſium,Mendæum,Apamenum. Neque enim fit veriſimile Apoſtolum,abſtemio valdeque ſobrio Eccleſiaſtæ Timotheo, ſuaſurum fuiſſe vina exotica, majorisque impenſæ, procul Epheſo nata, multò minus,quæ factitia aut medicata exiſtunt,quorum multa de- C ſcribit Dioſcor.lib 5.à cap.26 usque ad 83.

Eſt autem in Aſianis iſtis Græcisque vinis, ſicut etiam in aliis, quocunque locorum generatis, ſecundum colorem, odorem, ſaporem,ſubſtantiam.potentiam,maturitatis.ætatisque gradum, permagna diverſitas; ideoque de illis non nihil dicendum. Colores nativi in vinis præcipui ſunt nigricantes, rubri, albi, flavi, gilui, & inter hos quidam medii.Odoris differentiæ; odoratum, inodorum, graveolẽs, fœtidum. Saporum, acerbus,auſterus,acidus,dulcis,acris.amarus, ſalſus.Subſtantiæ:alia tenuis,alia craſſa,alia mediocris. Secundũ potentiam; qua aut multum,aut parum aquæ,in mixtura ferre poſſit, D πολυφόρον nempe vinoſum, aut ὀλιγοφόρον, hoc eſt, aquoſum vel imbecillum appellatur. Maturitatis gradus,ſunt crudum, ſemicoctũ, maturum. Ætatis differentia,à vindemia ſpectatur; ut quoddam ſit muſtum,quoddam defœcatum,ſed tamen novellum,annique unius, duorum,trium,aut plurium.

Ad co-

Ad colorem quod attinet, ut ex eo ſolo, de viribus aut temperamento rei nullius: ita nec de virtute vini, ex colore ſolo ſtatui quicquam certi poteſt, teſte Gal. lib ſimpl. 4 c.22 ſic ſcribente: Multò, inquit, minus ex coloribus, de medicamentorum virtutibus colligere quicquam valeas. Quippe cum in ſingulis coloribus, calida, frigida, humida, ſiccaque reperias. Idem in lib. 3. Hipp. de vict. acut. Comm. in aph. 2. Color, inquit, vinorum ſua ratione, nullo pacto vel juvare, vel lædere poteſt Gal. tamen lib. 4. ſimpl. cap. 22. nonnihil dictionem ſuam priorem caſtigat, ſic dicens: In quoque tamen ſingulatim genere, aut ſeminis, aut radicis, aut ſucci ex colore indicationē
A quandam ſumere licet: Utpotè ſcilla, cæpa, vinum, quando fuerint albidiora; tanto & minus calida ſunt: Quæ verò ſubflava, fulvaque: Calidiora, & paulò pòſt. In quoque enim genere in univerſum fulva, flava, rubraque: omnia albis ſunt calidiora. Idem in lib. 3. de vict. acut. Comm. in aph. 6. Ex vinis, inquit, albis nullum valenter calfacere poteſt. Quod enim ſummè calidum eſt: id continuo & flavum exiſtit, velut & quod ab ipſo eſt fulvum, mox ab his rubrum, deinde dulce. Album autem minus quidem his omnibus calefacit. Idem lib. de boni malique ſucci cibis cap. 1. Gilvum (κιῤῥὸν) dulceque vinum, quale Tmolites, Arviſium, Lesbium;; Cuncta hujusmodi vina, calida exiſtunt. Ideoque utiliter iis dantur, qui calefaciendi ſunt; putà pituitoſis, frigidisque temperamentis, crudique humoris copiâ refertis: Tum iis qui frigidis in locis ocioſius vivunt. Dantur quoque hieme, frigidaque, & humida tempeſtate. His igitur omnibus gilvum dulceque vinum accommodatum eſt, Gal. lib. 3. de aliment. facult. cap 40. de rubris & nigris vinis, ſic ſcribit: Vina, inquit, rubra, ſimul & craſſa, ſanguini generando ſunt aptiſſima, poſt ipſa ſunt nigra craſſaque & dulcia: tumque calore quidem ſunt rubra, & nigra, conſiſtentia autem craſſa, unà cum aſtringendi qualitate. Hæc de
B
Gilvum vel belvū Falb / bleichrot.
C vinorum coloribus.

Ad odorem transeamus. Sicut de colore dictum eſt, ita quoque de odore dicendum, ex ſolo odore de medicamentorum viribus judicari non poſſe, atteſtante nobis & Gal. lib. 4. ſimpl. c. 22. his verbis: Quare certum, inquit, tutumque non eſt, de tota medicamentorum facultate ex odore conjicere. Nám ea ſola agnoſci poſſunt, quæ modo diximus, nempè vaporoſæ ſubſtantiæ ſignificatio. Quippe cap. 21. dixerat, odorabilium ſubſtantiam eſſe vaporoſam. Ea enim quæ à corporibus defluunt, ambienti permiſta, ac deinde per narium inſpirationem in cerebrum delata, ſenſum movent. Rectâ ergò ratione,
D quæcunque vaporoſa, omnia & eadem calida exiſtunt, quippe cum vaporum copia à calore proveniat. Non diſſimile his loquitur Hipp. lib. 2. de diæta pag. 112. f Nova vina, inquit, alvum magis movent, quia propiora ſunt muſto, itemque alunt & odorata magis, quam inodora ejusdem ætatis, quia magis concocta exiſtunt. Ex quibus tam Hipp. quam Galeni dictis, colligere licet, odoratis contraria, nempè vina

vina odore carentia eſſe minus concocta, craſſarum partium, & frigida, teſte quoque Galen. lib. 4. ſimpl. cap. 21. ſub finem, his verbis; Videtur à corporibus non odoratis, aut omninò paucum defluere, aut quod pro mole ſua non ſit moderatum, ſicut in iis, quæ exactè tum ſalſa, tum acerba ſunt: Siquidem craſſa utriſque eſſentia eſt, & ad hoc acerborum etiam frigida: Quare veriſimile eſt, quod ab iis defluit, paucum eſſe & craſſum, & mole ſua terreum; ac proinde per inſpirationem in cerebrum non incidere. De graveolentibus aut fœtidis, aut ſitum redolentibus, non eſt quod dicamus, cum illa naturæ noſtræ ſint inimica, nauſeamque moveant. A

Sequitur ſapor, cuius ſpecies ſunt, acerbus, auſterus, acidus, dulcis, ſalſus, amarus, acris. Quamvis acerbum vinum, propter nimiam cruditatem uvarum, vix colligi aut exprimi ſoleat. Merum enim eſt omphacium aut agreſta: De illis tamen Galenus mentionem facit Comm. in aph. 21. ſect. 2. Hipp. Acerba, inquit, vina caninam famē nequaquam ſanant, quia non calefaciunt.

De auſteris Hipp. lib. 2. de diæta pag. 112. f. Vina, inquit, auſtera, & nigra, ſicciora ſunt, alvumque non movent, neque urinam cient, neque ſputum promovent: Siccant autem & calfaciunt, humiditatem ex corpore conſumendo. At verò auſtera & alba calfaciunt, magiſque urinam cient, quam ut alvum moveant. De vinis auſteris Galen. lib 4. compoſ. medic. ſecund. gener. cap. 6. ſect. 6. Vinum, inquit, auſterum idem eſt, ac mediocriter aſtringens, ſicut auſtera omnia, quia ſunt aſtringentia ſed mediocriter. Acerba enim valdè & vehementer illud faciunt. Omnia autem aſtringentia teſte Gal. lib 4. ſimpl. c. 6. terrena ſunt, & craſſa corporis ſubſtantia: qualitate verò frigida, quò fit ut contrahant; & denſent meatus, adhæc vinciunt ac continent partium ſibi invicem cohærentium ſubſtantiam, idq; minus magiſve faciunt, pro adſtrictionis quantitate. Cæterum conſtringendo ac denſando ſumma corporis (quod aſtringitur) virtus illorum excluditur, & in altum ire prohibetur. Idem lib. de bono maloque ſucco cap. 8. Vina, inquit, auſtera laxum ſtomachum ac ventrē firmant, præcipuè calida intemperie affectum. Quare & ad alvi fluxiones ſiſtendas, auſteris vinis utuntur; ad nullos præterea uſus alios, ea accommodare ſolent. B C

De acidis vinis Hipp. lib. 2. de diæta pag 113. a. Vina acida frigefaciunt, attenuant, & humectant, & frigefaciunt quidem & attenuant, humiditatis evacuationem à corpore faciendo. Humectant autem per aquam unà cum vino ingredientem. Galenus enim lib. 4 ſimpl cap 6. de acidis in genere loquens. Acida, inquit, ſubſtantiæ tenuitate pollent, ſed perinde ut aſtringentia refrigerant. Idem lib. 5. ſimpl. c. 25. Acidum ſubtile eſt, & frigidum, incidit, extenuat, dividit, infarctu liberat, perpurgat, citra calfactionem. D

De dulcibus Hippocrates libro de victu acut. ſect. 3. Vinum

dulce minus vinoſo caput gravat, minusque mentem ferit, & facilius quovis alio, per inteſtina deſcendit. Lienem tamen jecurque tumefacit, nec picrocholis ullo pacto eſt idoneum: Nempe his ſitim facit, ſuperiusque inteſtinum inflat: non tamen inferiori, pro flatus ratione, eſt inimicum, & ſi non admodum penetret, qui à dulci vino eſt flatus: ſed diutius circa hypochondria moratur: urinas ſiquidem hoc minus, quam vinoſum album omninò movet. Sputum autem quod dulce eſt, alio efficacius educit. Et ſanè quibus propinatum ſitim facit, his minus, quam vinum aliud, ſputum, educit. Quibus verò
A ſitim non facit: vino alio magis educit.

Idem lib. 2. de diæta pag. 112. f. Dulcia nigra, humidiora ſunt. Calefaciunt autem & inflant, humiditatem inducentia. Idem paulò pòſt: Verum dulcia tenuia magis urinam cient, & alvum movent, humectant corpus, ſanguinemguinemque debilem faciunt, & adverſarium corporis ſanguinem in corpore adaugent. Gal. lib. 5. ſimpl. c. 25. de dulcibus in genere. Dulce, inquit, calidum eſt, ſed nondum urens. Idem verò concoquit, laxat, rarefacit.

De vino autem dulci idem Comm. in Aph. 2. ſect. 3. lib. de vict. acuto. Vinum dulce, inquit, mediocriter calefacit, ſitimque creat,
B propter tum caliditatem, tum craſſitiem, ita ſanè & muſtum, quò diutius in igne verſetur, eò tum craſſius, tum nigrius, tum dulcius evadit, quanquam ſupra modum coctum, amaritudinem contrahat, quomodo & mel ipſum, quod quamvis omnium dulciſſimum ſit, longa tamen coctione amarum redditur. Ergo vinum huiusmodi pro ſubſtantiæ craſſitie, tardè permeat. Quapropter tantum abeſt, ut ex obſtructis partibus aliquid adimat, ut etiam obſtructiones adaugeat. Atque ob id hepati affecto, maximum offert detrimentum, præſertim ubi vel phlegmone, vel ſcirrhus occupaverit, ſed moderatius lædit, ubi vel ab humorum craſſitie viſcus
C oppilatur, vel propter imbecillitatem afficitur, ut in affectionibus, quæ propriè hepaticæ vocantur. Poſt hepar, lien à vinis craſſis læditur: Non tamen pulmo, cum bronchia craſſum habent humorem. Paulò pòſt rurſus, verum ut uno verbo, inquit, abſolvam: Vinum dulce in acutis morbis (poſt humoris nempè concoctionem) ad exſpuitionem, tum propter dictas operationes, tum propter communem vinorum omnium rationem (qua vires roborant) idoneum exiſtit, & maximè iis, qui quævis humida, quæ tum in thorace, tum in pulmone continentur, exſpuunt. Nullum ſanè aliud bonum, huiusmodi vinum febricitantibus pro-
D pinatum confert. Minus tamen vinoſo (quod vehementer calefacit) lædere poterit. Quin etiam vinum dulce, minus quam fortia, pontentiaque mentem ferit, hoc eſt, minus deliria ſuſcitant. Fortia ſiquidem vina, cum vehementer calefaciant, humidioribus vaporibus, & caliditate caput replent. Dulcia autem, quò magis à caliditate abſunt; eò minus caput gravant, mentemq; lædunt,

lædunt,ſed facilius per inteſtina deſcendunt, & viſcera tumefaciunt, hoc eſt,tumores viſcerum adaugent. Sed picrocholis, qui nempe præ caliditate & ſiccitate temperamenti,amaram,id eſt,flavam bilem ſibi coacervant, dulcia, vina nocent. Cum ſicut omnes ſucci dulces,imò mel ipſum in talibus naturis bileſcat maxime. Non ſolum autem quod caliditas multa tales ſuccos,qui dulces ſunt, amaros reddat, idcircò vinum dulce febrientibus idoneum non eſt; verum etiam eò, quod craſſa ſint hujusmodi vina dulcia, neque per urinas velociter deſcendant,neque citò difflentur,aut tranſpirent. Inde fit,ut bilioſos humores,nec ſecum agant,neque excernant. Solis ergo hoc ineſt A bonum,quod ventrem emolliunt; quod ſi non fecerint,omni pacto nocent,propterea & ſiticuloſa ſunt,qua re,quod facilè bileſcant, cōmonſtrant. Flatuoſa quoque dulcia vina exiſtunt, nempe quod incaleſcentes craſſi humores ſpiritum ſibi ſimilem, puta tum vaporoſum,tum craſſum generent, qui autem talis eſt, inflationes parit. Idem de dulcibus lib. 3. de aliment. facult cap. 40. Vina dulcia conficiuntur à ventriculo,& diſtribuuntur facilius, quàm auſtera, ut quæ facultate ſint calidiora. Sed iſta de dulcibus ſufficiant. Ad amara pergamus.

De amaris Gal. lib. 5. ſimpl cap 25. Amarum, inquit,terreſtre B eſt,& ſubtile, meatus perpurgat, abſtergit, extenuat, incidit humorū craſſitiem absque manifeſta excalfactione. De vinis autem amaris, idem lib. 7. Meth. medend. c. 7. Vetera quidem ſunto omnia. Cæterū non adeò, ut amara jam evaſerint: Siccant enim, quæ amara ſunt immodicè. Sequitur de ſalſis.

De ſalſis vinis Dioſcorid. duobus locis meminit cap nempe 27. lib. 5. ſub nomine marinorum, item cap. 76. ejusdem, ſub nomine haloſanthini. De marinis hunc in modum: Marina variè factitantur. Aliqui enim ſtatim cum decerptæ ſunt uvæ, aquam maris admiſcēt. Alii in area uvas Sole ſiccant,quibus calcatis,marinam adjiciunt. Alii paſſas prius uvas in doliis marina aqua macerant, mox calcatas exprimunt,id magis paſſi generibus adſcribitur. Quæ tamen auſteriore guſtu temperantur, contra febrium adventantium indicia valent,ſi modò meliora non adſint. Alvum ſubducunt,proſunt purulenta exſpuentibus,aut ſi alvus dura exerceat. Quæ ex Aminæis uvis fiunt: Caput tentant,ſtomacho adverſantur,flatus creant. Poſtea idem cap. 76. de Haloſanthino vino, hoc eſt, ex ſalis flore facto, his verbis: Fit & ex ſalis flore vinum, multò ad purgandum efficacius, quàm vinum aqua marina temperatum,fauces,veſicam,renes,& ſtomachum infeſtat. Quare neque in ſecunda,neque adverſa valetudine prodeſt. Supereſt de acri ſapore dicendum. C D

De acribus Gal lib. 5. ſimpl. cap. 25. Acre,inquit,igneum eſſe oſtendimus,& ſimiliter ut acidum agere,quod ad extenuationem perpurgationemque attinet. Cæterum hoc differt, quod acidum refrigeret; acre verò excalefaciat: Ad hæc, quod illud re percutiat, hoc

attrahat

attrahat & digerat. Acria autem vina quædam fieri vetuſtate, teſtatur Gal. lib. 4. compoſ. medic. ſecund. gnra. cap. 6. ſect. 6. vinum prorſus auſterum, inquit, ſed neq; recens eſſe oportet neq; vetuſtum adeò, ut iam acre exiſtat, etenim penitiora corporis auſterum recens non permeat, vetus a. acre & mordax eſt. Ergò ætate medium potius eſt quod plurimum intra quinq; & decem annos conſiſtit.

Abſolutis ſaporum, qui vinis accidere poſſunt differentiis, proximum eſt, ut de ſubſtantia loquamur.

Subſtantia vinorum eſt, vel craſſa, vel tenuis, vel mediocris. Craſſiora vina ſunt, teſte Gal. comm. in Aph. 21. ſect. 4. Ea, quæ ubi conA ſtiterint, limum quendam, quem fœcem vocant, infra deponere ſolent. Idem l. de bono maloq; ſucco ca. 11. Nulla vina invenies, craſſa pariter & dulcia, quæ nigra non ſint. Idem l. 3. de aliment. facult. c. 4. Vinorum omnium rubra ſimul & craſſa, ſanguini generando ſunt aptiſſima, ut quæ minimâ egeant mutatione, ut ſanguis fiant. Quod autem vina craſſa magis, quam tenuia alant: declarat ipſorum natura, præterea experientia id ipſum comprobat. Idem paulò pòſt. Quæ autem admodum ſunt craſſa: tardius quidem perficiuntur ac diſtribuuntur. Si tamen in ventriculum adeò robuſtum incidant, ut confici ab eo rectè poſſint, alimentum copioſius corpori B exhibent. Conſtat præterea, quod quemadmodum hæc corpori alendo præſtantiora ſunt tenuioribus: ita ad urinam ciendam ſunt deteriora. Idem Comm. in aph. 2. ſect. 3. lib. Hipp. divict. acut. Ergo vinum, inquit, huiuſmodi pro craſſitie ſubſtantiæ ſuæ tardè permeat. Quapropter tantum abeſt, ut ex obſtructis partibus aliquid adimat, ut etiam adaugeat. Atq; ob id hepati affecto maximum affert damnum, præſertim ubi vel phlegmone, vel ſcirrhus occupaverit: ſed moderatius lædit ubi vel ab humorum craſſitie viſcus oppilatur, vel propter imbecillitatem afficitur, ut in affectionibus, quæ C propriè hepaticę dicuntur. Poſt hepar: lien à vinis craſſis læditur, non tamen pulmo, cum bronchia craſſum humorem continent. Idē lib. de bono maloq; ſucco cap. 11. Quod craſſa inquit, dulciaque vina alvum deiiciant, nemini ferè ignotum eſſe arbitror.

De tenuibus vinis Hipp. lib. de affectionibus pag. 202. b Vrinam, inquit, cient etiam auſtera vetuſta vina, quæ alba & tenuia exiſtunt. Gal. quoq; de tenuibus vinis l. de bono maloq; ſucco c. 11. ſic ſcribit. Vina quæ aquoſa, tenuique ſubſtantia conſtant, vrinam movent, & pauciſſimi ſunt nutrimenti. Et iſta quidem de craſſis tenuibuſq; vinis. Iam de potentia diſſeramus.

D Potentia vinorum ſpectatur ex eo, quod vel plus vel minus aquę ferre poſſunt. Quæ parum aquæ ferunt ὀλιγοφόρα, aquoſa, imbecilla, debilia dicuntur. Quæ verò multam aquam ſibi miſceri non metuunt, ea πολυφόρα, vinoſa, potentia fortia vocantur.

De aquoſis & debilibus ſic Hipp. lib. de affectionibus: pag. 202. d vinum diffuſum ac perfrigeratum & excolatum, tenuius fit ac de-

bilius. Idem lib de vict. acut. pag. 385. d Si vinum aquoſum fuerit, ſupernas partes omnes, eaſq; quæ circa veſicam ſunt, minus lædet. Verum partibus circa inteſtinum magis proderit, ſi meracius fuerit. Gal. Comm. in aph. 2. ſect. 3. de vict. acut. Aquoſum, inquit, vinum appellant homines, quod aquæ tum colore, tum ſubſtantia eſt ſimile. Perſpicuum ſiquidem ut aqua, ſplendidum & purum, ſubſtantiaque tenue videtur. Protinus autem & facultate aquæ ſimile exiſtit neque imbecillum caput feriens, neque infirmos nervos, quando ne quidem manifeſte calefacit. Idem Comm. in aph. 18. lib. 2. Ex vinis, inquit, aquoſa, exiguum corpori præbent alimentum. Sunt autem hæc colore quidem alba, ſubſtantia verò tenuia. Idem lib. de bono maloque ſucco cap. 11. Huius, inquit, generis vina facilè dignoſcuntur, primum tenuitate, deinde candore, quibus cum aqua quandam ſimilitudinem potiſſimum habent. Guſtu enim aquoſum quippiam ſapiunt, multasq; adſtringendi valentiores vires obtinent. Neq; dilui patiuntur, unde à priſcis Medicis, quod parum aquæ ferant, ὀλιγοφόρα, dicta ſunt. Iſta non modo capiti penitus innoxia ſunt: ſed etiam leves eos dolores, nonnunquam tollunt, qui ab humoribus in ventriculo collectis, provenire ſolent. Neque enim caput tantummodo tunc dolet, cum propriis quibuſdam affectionibus vexatur: verum quoque, cum halitus vaporque ex depravatis ventriculi humoribus, eò aſcendit. Huic dolori lene, & parum aquæ vinum ferens, quodque exiguam adſtringendi vim habet, epotum ſuccurrit. A B

De vinoſis & potentibus vinis Hipp. lib. de vict. acut. ſect. 3. aph. 6. pag. 385. c. Vinum, inquit, album vinoſum, ad veſicam magis, quam aliud vinum penetrat, urinaſque provocat, & perpetuò perrumpit, multumque ad opem his morbis ferendam facit. Nempe etſi ad cætera vino alio inhabilius exiſtat: verum tamen, quæ in veſica ab eo fit, purgatio liberat, ſi quale oportet, propellatur. Item Hipp. lib. 3. de vict. acut. aph 2. vinoſo vino caput tentari, mentemq; lædi, indicat, cum ſic loquitur: vinum dulce, minus quàm vinoſum caput gravat, minusque mentum ferit. C

Gal. lib. 7. Methodi med. cap 6. vinum, inquit, quod plurimum aquæ in miſtura ſuſtinet, id tum vehementiſſimum, tum validiſſimum eſt. Eiuſmodi vinum Hipp. οἰνώδεις aut vinoſum vocavit. Item comm. in aph. 3. lib. 3. de vict. acut. Quodnam dixit vinoſum album, conſiderabimus. Nam anteà vinoſum vinum, tum eſſe, tum appellari diximus, quod iure optimo, aquoſo opponitur, valenter enim id ipſum calefacere, & caput replere, deſipientias creare, caloremque in ægrotis febrilem augere oportet; ſed vinum huiuſmodi album non eſt, neque tum novum neque tum vetus exiſtit Quando ne quidem aliud quippiam vinorum antiquorum, manet album, etſi quam maximè circa initia tale fuerit, imò ſemper fulvius redditur, & tandem flavum. D

Idem

Idem in comm. in aph. 6. eiuſdem de vict. acut. Diximus, inquit, non parvam eſſe quæſtionem: an album ſimul & auſterum vinum, album vinoſum Hipp. dixit, vel quod vehementer inter vina alba calefacit. Quoniam ex vinis albis, multum vehementer calefacere poteſt. Quod enim ſummè calidum eſt, id continuò & flavum exiſtit, veluti & quod ab ipſo eſt fulvum, mox ab his rubrum & deinde dulce. Album autem minus his omnibus quidem calefacit.

De fulvo vino Gal. cõm. in aph 7. libri eiuſdem, Fulvum, inquit, vinum, caput mentemque magis ferit, quod & calidius nigro exA iſtat, & febres eadem ratione in ægris augeat, quibus idonea ſolum ſunt ea, quæ aquoſa exiſtunt. Hactenus de vinorum potentia. Hinc ad maturitatem tranſeamus.

Ad maturitatem quod attinet, experientia conſtat, mala, pyra, vuas, vina quò maturiora, eò dulciora & ſuaviora effici, uſuique hominum commodiora. Quo autem longius à maturitate abſunt, eò acidiora, auſteriora, acerbiora, & inſuavia manere: ut potè crudiora, minuſque quam oportebat, concocta. Eſt enim maturitas, teſte Ariſt. lib. 4. meteor. cap. 3. concoctio quædam. Alimenti enim eius, quod in arborum fructibus ineſt, concoctio, maB turitas vocatur. Eſt autem concoctio perfectio quædam, teſte eodem capite præcedenti, à calore naturali proprioq; manans, ex contrariis qualitatibus iis quæ patiendi vim habent; hæ autem ſunt ſua cuique materia Cum enim concocta eſt materia, tum res ipſa abſoluta eſſe, & generata dicitur; principiumque abſolutionis à calore nativo provenit. Qualia autem vina dulcia, qualia auſtera, acerba & acida ſint: quibuſque viribus prædita, ſatis ſuperque declaravimus.

Cæterum ætatem quoq; in vinis expendendam eſſe, dictum eſt, C ſecundum quam à facta vindemia, vel muſtum, turbidumq;, vel defæcatum iam, novellum tamen adhuc; deinde annorum numero; trium, quatuor aut plurium annorum eſſe, dicantur Galeno teſte; li. 4. ſimpl c. 2. Vinum novum 4. in ſe diverſas partes continet. Una eſt recrementum craſſarum partium, unde (dum temporis ſpatio ſecernitur ferturq; deorſum) fæx cõſiſtit. Alia eſt quam vini florem nuncupant, qui dum vinum fervet, ſupernatat, ſed poſtea ad fæces ſubſidit Tertia eſt aquea, quæ toti vino permiſta eſt, quæ primario potiſſimumque fervet. Quarta, præter illas, eſt ipſum revera vinum. Hæ partes igitur omnes muſto turbidoque vino adhuc permiſtæ inD hærent.

De muſto Hipp lib 2. de diæta his verbis pag. 113. a: Muſtum inquit inflat & ſubducit, ac conturbat, fervens in ventre, & alvo ſecedit. Inflat quidem, quia calefacit, ſubducit autem, quia fervet in ventre, atq; ita alvo ſecedit Gal. l. 2. de aliment facult cap. 8. Laxatur, inquit, impenſius alvus, cum ſolus ipſe ſuccus uvis expreſſus (muſtum vulgò vocant) fuerit tranſglutitus, qui ventrem, niſi

velociter pertranſeat, flatibus nonnihil implet. Idem lib. de bono maloq; ſucco cap. 11. Quod craſſa, inquit, vina, dulciaque alvum deiiciant, nulli ferè ignotum eſt, ſicuti muſtum tametſi ægrè concoquatur craſſumq; ſuccum & inflationes faciat, alvum tamen movet, idque boni duntaxat in ſe habet, quod ſi interdum efficere non poteſt, mirum in modum nocet.

De novellis vinis Hipp. lib. 2. de diæta pag 112. f Nova inquit vina, alvum magis movent, quia propiora ſunt muſto. Itemque alunt ut odorata magis quam inodora eiuſdem ætatis, quia magis concocta ſunt, & craſſa magis quam tenuia. Verum tenuia dulcia magis urinam cient, alvumque movent, & corpus humectant, ſangvinem debilem faciunt, & adverſarium corporis ſanguinem in corpore adaugent. A

De novellis vinis Gal. lib. 5. ſanit. tuend. cap. 5. Vina, inquit, novella, nec nutrimenti in corpus deductionem adiuvant, nec vrinas promovent. ſed diu in uentre fluctuantia permanent. Idem comm in aph. 36 l. 1. de natura humana: Vinum etiam novum, pleriq. hyeme bibunt, quod etiam facilè pituitam generat. Idem lib. de malo bonoq; ſucco c. 11. Vina recentia nulla tenus calefaciunt, quæ tantum abeſt, ut cibis concoquendis, uſum afferant, ut ipſamet etiã difficilis ſint concoctionis: præterea nec commodè per alvum tranſeunt, nec digeruntur, nec urinã movent nec ſanguinis confectioni nutritioniq; idonea ſunt, ſæpè etiã ut aqua in ventre ſuſpenſa remanent, ut ſi paulò amplius ex iis hauſeris, facilimè coaceſcant Sed ex recentibus vinis, tutò illud genus duntaxat bibitur, ꝙ tenuis ſubſtantiæ eſt. Idem l. 7. Methodi Med. c. 6. Atꝙ aquoſum, inquit, natura, vinum eſt, cæterum auſterum, id percommodum exiſtit, ꝙ nempe & ab aquæ imbecillitate receſſit, & vini noxam nondum habet. Ad hæc itaque reſpiciens, tum ætatem eius, tum temperamentum invenias: Quippe quod novellum eſt, id tum aquoſius, tum imbecillius quodammodo eſt, quam ut vino conveniat. Adde etiam quod ægrius concoquitur, ac magis excrementoſum eſt. B C

Gal. verò lib. 4. ſimpl. cap. 10. præclarè oſtendit, qua ratione vina nova ætate in melius proficiant, ubi in hæc verba ſcripſit: Muſtum inquit, non modo ſuo, ſed & acquiſititio calore, dulce eſſe videtur. Multum etiam Empyreumatis, ut Ariſt. & Theophraſtus cenſuêre, ex calore ſolari, tum in acinis, tum aliis ineſt fructibus, à quo id quod illis aqueum, ac velut etiamnum ſemicoctum reliquum eſt: ad concoctionem ducitur, conficitur, ac tranſmutanti ſimile redditur. Nam ex quibuſcunque fructibus, ſi ſuccum exprimas: eum protinus non ſecus atque muſtum, fervere deprehendes: Tantò tamen fervoris diſcrimine, quanta erit vnius fructus ab alio in calore diverſitas. Sed ubi iam quod aquoſum, ac ſemicoctum erat, tranſmutatum fuerit, atque confectum, & is, qui fervorem concitabit, calor evanuerit: iam tum deniq;, quæ propriè D

ſunt

ſunt ſuccorum proprietates, ſinceræ conſpiciuntur. Itaque tum quæ propria ſit vinorum natura, agnoſcimus. Qua in re animum diligenter adverte, ut auſtera ſenſim auſteritatem deponant. Semper enim quæ inveterantur, acredinem quandam & dulcedinem adſciſcunt. Quæ verò prius inerat illis adſtrictio, eam tempore abjiciunt. Eſt autem in quibusdam poſtquam efferbuerint, dulcedo quædam ſincera, ſuavis & propria ipſius ſucci naturæ, non qualis erat ante, miſta ſcilicet ex proprio, atque eo, qui circa ſemicoctum aquoſumque excrementum erat, fervore. Confeſſum igitur eſt, vina omnia, vetu-
A ſtate fieri calidiora.

De vetuſtis vinis Hipp. lib de affectionibus pag. 201. a. Vina, inquit, dulcia & auſtera, melleique caloris vetuſta, ventrem ſubducunt, maximeque urinam cient, ac nutriunt, & neque flatum exhibent, neque tormen, neque repletionem. Idem eodem lib. paulò poſt: pag. 202. c. Auſtera verò ad robur & ſiccitatem commoda ſunt; Urinam autem cient, etiam auſtera vetuſta, quæ alba & tenuia exiſtunt. De antiquis quoque vinis Gal. lib. 2. de locis affectis cap. ultimo Vinum, inquit, meracum ſuapte natura calidum, aut valdè antiquum; vigilias inducit id quod pueri Grammatici exemplo oſtendit, qui cum
B vehementi ſiti cruciaretur, nec eſſet domi aquæ copia: vinum antiquum liberaliter potavit, atque reliquo tempore vigil omninò permanſit: poſtea febre correptus, unà cum vigiliis, delirio oborto, periit. Idem lib. de bono maloque ſucco cap. 11. Vina vetuſta præter modum calefaciunt.

Sed de vinorum ætate Dioſcoridem quoque audiamus lib. 5. c. 7. hunc in modum differentem. Vino, inquit, vetere, nervi læduntur, & reliqui ſenſus: quod tamen guſtu ſuavius eſt. Quare cavendum iis eſt, qui internæ alicuius partis imbecillitatem ſentiunt. Attamen in ſecunda valetudine paucum aqua dilutum innoxiè ſumitur. No-
C vum inflat, ægrè concoquitur, inſomnia parit gravia, nervosque minus tentat, & urinam ciet. Ætate medium utraque vitia fugit. Quare ad victum ſanorum ægrorumque uſurpatur. Idem de vinorum colore & ſubſtantia cap. 8. eiusdem libri. Album tenue ſtomacho utile, & facile in membris diſtribuitur. Nigrum verò craſſum, coctuque difficile, carnem alit, & ebrietatem creat. Gilvum, utpote quod medium eſt, medias inter utrumque vires habet. In ſecunda tamen & ſiniſtra valetudine, cum primis laudatur album. Idem de ſaporibus vinorum cap. 9. Vinum dulce craſſis partibus conſtat, & difficilius à corpore tranſpirat, ſtomachum inflat, alvum & interanea, ut
D muſtum, turbat, ſed minus inebriat, renibus, veſicæque aptiſſimum. Auſterum per urinam celerius tranſit, ſed caput dolore tentat, & temulentiam gignit. Acerbum ad ciborum per membra digeſtionem accommodatiſſimum, alvum, cæterasque fluxiones cohibet, minusque urinam pellit. Paſſum, quod uvis Sole ſiccatis in area, aut in ſarmento torrefactis exprimitur: Et ſapa, quæ fit muſto igni decocto,

(Græci Siræon aut hepſema appellant) nigra quidem craſſa ſunt, & corpora multum alunt. Candidum tenuius, & heluola inter hæc media, medias vires ſortiuntur, omnia tamen adſtringunt, pulſuſque revocant, & faciunt adverſus venena, quæ exulcerando necant, ex oleo, potu, vomituque reddita. Inflant tamen, & ſtomacho adverſantur.

Aetius tum tetrabi 1.ſerm.1.litera O.tum tetrab 3.ſerm.2. cap. 267.ſummatim de vinis agens: Vinum, inquit, dulce, moderatè calidum eſt, & propterea ſitim inducit. Fulvum verò calidius eſt nigro. Flavum calidiſſimum eſt extremè, deinde fulvum, hinc ruſum, poſtea dulce, poſtremò album, omnium minimè calefacit. Vinum vetuſtiſſimum, multum calidum exiſtit. Idem conſequenti capite: Vinum aquoſum non manifeſtè calefacit, ideoque febrientibus citra periculum datur. Vinum album atque auſterum, minimè ut vinum calfacit. Vinum verò album ſimulque auſterum, & craſſum, ac novum, ſenſibiliter frigefacit Idem cap.271. Vinum fulvum capitis dolorem adducit; mentemque magis tentat, quam nigrum. Auſterum etiam & odoratum caput tentat, aquoſum verò neque capitis dolorem creat, neque nervos lædit. Vinum autem, modicam aquæ miſturam ferens, capitis dolorem ex humoribus in ventre ortum, ſedat. A B

His quæ de vinorum differentiis & viribus, ex Hipp. Gal. Dioſcoride, Aetioque adducta ſunt: aſtipulantur & Paulus Ægineta lib. 1.c 115. Et Oribaſius Sardianus lib.5 c.6.& 7. Nec minus Avicennas diverſis in locis putà, pag.126.6.p.539.a p.571.a.p.950.e..p.1097.b.c. & ſequenti p.d.e.atque alibi.

Cæterum de vini utilitate paucula dicamus, Gal. lib. quod animi mores, temper.corp. ſequantur cap.3. Vini potus, inquit, triſtitiam omnem, tædiumque levat. Dicere quoque Zeno ſolebat, Quemadmodum amari lupini, aqua macerati, dulces evadunt; Ita etiam ſe à vino affici. Nam reverâ, ſi vino commodè utaris: Concoctioni, digeſtioni, ſanguinis generationi atque nutritioni abundè confert. Adde quod animus noſter eo & mitior ſimul & fidentior redditur, corporis nimirum temperaturæ beneficio, quam rurſus humoribus adminiculantibus molitur. Idem Gal.lib.4.valet.tuend.c. 4. Vinum, inquit, concoquit ſemicrudos humores, quantum aliud quidvis. tum ſudorem, urinamque promovet, ac ſomnum conciliat. Idem lib.3.de natur.facult.cap. 5 circa finem. Nihil miri, inquit, eſt, quod vinum citius, quam aqua propter qualitatis convenientiam ſurſum aſſumatur. Ipſorum autem vinorum quod album eſt, & purum, tenuitatis gratiâ promptè in corpus diſtribuatur, ſicut è contrario, nigrum turbidumq; craſſitudinis vitio, per vias hæreat ac tardet. Idem comment in aphoriſ.18.lib.2. Celerrimè omnium, ac acervatim, maximè vinum alit. Idem lib.3.de temper.cap.2. Vinum ut corpori aſſimiletur, mutationem deſiderat minimam, à quo fit, ut tum C D

nutriat,

nutriat tum roboret citiſſimè. Idem paulò pòſt: Vino præter cætera, inquit, proprium ac ſuum eſt, mutationis celeritas. Dioſcorid. lib. 5. cap 11. Vinum omne, inquit, merum ac ſincerum, ſuaque natura auſterum, excalfacit, facile in membra diſtribuitur, ſtomachum juvat, appetentiam ciborum invitat, vires alit, roburque adauget, ſomnum conciliat, & colorem commendat.

Poſtquam jam ex ſuperioribus veterum maximeque celebrium medicorum ſcriptis, vinorum ſecundum natale ſolum, colorem, ſaporem, odorem, ſubſtantiam, potentiam, maturitatis, ætatiſque gradum, differentias viresque abundè perceperimus: proximum èſt, ut ad rem nobis propoſitam reverſi, videamus, an omnia vina cujuscunque generis quocunque loco nata, quocunque ſapore, ſubſtantia, potentia, maturitatis, ætatiſque gradu prædita, absque ullo diſcrimine: an verò quædam ſolum, & qualia illa, pio ſanctoque juveni Timotheo Valetudinario crebrisque imbecillitatibus ex ſtomacho ſuſcitatis, afflicto, de conſilio Apoſtoli uſurpanda fuerint.

Diximus autem antè; cum de aquæ uſu prohibito diſputaremus, rationi omninò conſentaneum eſſe, Timotheo ſtomachũ malè affectum fuiſſe, vel ob frigidam humidamque intemperiem propriam vel ob ſimilem affectionem viſceris alicujus vicini, jecoris, ſplenis, meſenterii, vel propter obſtructiones eorundem, vel ob humores frigidos pituitoſos à cerebro, catharri forma, aut etiam melãcholicos à ſplene infuſos, vel propter animi affectus, ſolicitudinem, curasque functionis Eccleſiaſticæ ſibi demandatæ aſſiduas nec nõ vigilias in ſtudiis, laboresque varios, & quaſi perpetuos, quib. non ſolum docendo rudes, ſed & conſolando afflictos, erigendo lapſos, admonẽdo ſegniores, caſtigando peccantes, reducendo aberrantes, confirmãdo infirmiores in fide, onerabatur. Cum enim per tales cauſas, calor innatus magnopere affligatur, non eſt mirandum, ſi & ventriculi concoctiones imbecilliores fiant: Stomachus, aut os ventriculi, propter flatus à debili calore concitatos, eosq; frequentes, idque vel propter melancholici humoris à ſplene, vel pituitæ à cerebro, vigiliis afflictato, infuſionem, creberrimè malè habeat, & velut leviora animi deliquia, generet. Talibus malis curandis, cum aquam nullam, ne quidem fontanam vel exquiſitiſſimam (quia temperamento frigida ſimul & humida eſt) convenire certum ſit: Vini potu, (eò quod Hippocratis adeoque omnium medicorum conſenſu, calidum atque ſiccum exiſtat) Timotheo deinceps utendum fuit.

Quale autem illud fuiſſe oportuit? Sapore quidem non acerbum, non vehementer auſterum, non acidum, quia talia refrigerãt, Non dulce, quia inflat & viſcera obſtructionibus impedita tumefacit. Non amariuſculum, non ſalſum, quia ſitim non ſedant. Non acre, quia caput nervosque tentat. Subſtantia non craſſa, quia in venas non permeat. Potentia non ὀλιγόφορον, aquoſum aut im-

becillum; quia facultate aquæ affine,non calefacit. Maturitatis gradu,non crudum aut ſemicoctum, quia cruditates adauget,flatusque difficiles ſuſcitat, (quæ mala, proh dolor, hiſce in locis,per aliquot annos cum miſerando valetudinis humanæ detrimento per dolores colicos & iliacos artuumque paralyſin frequentiſſimam, experti ſumus) Non muſtum, non turbidum, non ætate recens admodum aut novellum: quia inflant,quia aquoſa,& imbecillia ſunt, tardeque tranſeunt. Non colore nigrum quia tardi quoque eſt tranſitus. Non album,quia parvam calefaciendi vim habet. Non odore deſtitutum, quia vel crudum vel vappa eſt. Quale nam igitur hiſce ventriculi af- A fectibus idoneum exiſtet? Sanè non aliud, quàm ſapore ſubauſterũ, quia laxum ſtomachum firmat; vel etiam ſubacre, quia potentius: ſubſtantia ſit mediocri, perſpicua vel tenui, quia facile penetrat, urinasque movet. Potentiâ ſit vinoſum, πολυφόρον forteque, quod multam aquæ mixturam ferre poſſit. Maturitatisque gradu completo. Ætate mediocri,aut potius ad vetuſtatem accedens; Colore vel flaveſcens, vel gilvum, vel rubeſcens. Odore quoque eſto ſuavi & amœno. Hæc enim omnia vini præſtantis generoſitatem indicant. Et ne differentias à ſolo natali petitas negligamus: Inter illa, quæ in vicinis Epheſo locis naſcebantur, quamvis unicuique regioni ſuæ B dotes eſſent: Præferuntur tamen cæteris Tmolites, Chium, Lesbiũ & Arviſium, teſte Gal. lib. de bono maloque ſucco cap. 1. ubi ſic loquitur: Gilvum quod κιῤῥὸν vocat,& dulce vinum Tmolites, Arviſium, Lesbium, cuncta hujusmodi vina calida ſunt, putà pituitoſis frigidisque temperamentis, crudique ſucci copia refertis, tum iis, qui frigidis in locis ocioſius vivunt. Dantur quoque hyeme,frigidaque & humida tempeſtate. His igitur omnibus gilvum dulceque vinum aptum eſt. Nec diſſentit ab iſtis Dioſcor. lib. 5. cap. 10. Chium, inquit, antedictis mollius, & potui accommodum eſt, bene alit, minusque inebriat,& fluxiones cohibet. Lesbium, facilè membra ſu- C bit, Chio levius, alvoque idoneum. Epheſium eandem vim habet, quod phygelites vocatur. Verum Aſianum è Tmolo monte, Meſogites appellatum, capitis dolores ciet, nervosque lædit. Coum verò & Clazomenium, quoniam multam ſibi maris aquam vendicant, facilè corrumpuntur, flatus movent, alvum turbant, nervisque officiunt. Hæc Dioſcorid. Quare non Coo,non Clazomenio: ſed Chio potius, aut Lesbio,aut Epheſio, aut etiam Tmolite, ſed modico, idque ex Apoſtoli præſcripto, uſum fuiſſe adverſus ventriculi imbecillitates,Timotheum,omninò veriſimile exiſtit. D

HENR.

HENR. SMETII MED. D. RECTORIS ELECTI

PRÆFATIO

DE SCHOLIS ET LEGIBUS.

A *In promulgationem ſtatutorum Academiæ Heidelbergenſis die 19. Ianuarii Anno Domini 1589.*

QUemadmodum in omni Republica benè conſtituta, ſecũdum legum politicarum præſcripta, omnes tam præfectorum quam ſubditorum actiones adminiſtrari decet: Ita quoque in ſcholis certas conſtitutiones exſtare oportet: ad quarum præcepta, omnis ſcholaſtica gubernatio exigi debet. Cum autem ſtatutorum ignorantia, delinquentium errori facillimè prætendi ſoleat: Proinde rectè in
B more poſitum, quotannis illa in publico convocatorum civium cœtu promulgari. Quandoquidem verò literariæ huius noſtræ reipublicæ cum lex, tum conſuetudo ita ferat, ut hoc muneris cuilibet novo magiſtratui vel intra primum, ex quo creatus eſt, menſem incumbat: Ego ſanè ut hac in parte officium meum deſiderari nolui: Ita vos viri graviſſimi, lectiſſimique juvenes huius meæ actionis teſtes adeſſe volui. Prius autem quàm antiquiſſimæ atque illuſtriſſimæ huius Academiæ ſacratiſſimas leges, à prudentiſſimis principibus Romani Imperii Electoribus Palatinis ſancitas proponam, quo majori cum fructu ſolennitas iſta abeat: Haud præter rem fore exiſti-
C mavi, ſi de ſcholis pauca præmitterem. Dicam itaque primò quidem, quibus illæ initiis exortæ, quas ob cauſas inſtitutæ, quos progreſſus habuerint. Secundò verò, qua ratione eaſdem conſervari oporteat. Agam autem quam potero breviſſimè, prout loci huius atque hyberni temporis conditio, jam ferre videntur. Vos ea, qua aliàs uti ſoletis, juvenes ſtudioſiſſimi, quæque hunc locum, hanc actionẽ, adeoque vos ipſos decet modeſtia, benevolas aures pauliſper, animũque attentum dicturo advertite.

Quæcunque tota hac rerum univerſitate continentur, quin omnia à ſapientiſſimo ac omnipotente conditore Deo, ad perpetuam
D nominis ſui gloriam, aſſiduamque eius celebrationem ſint fabricata, neminem dubitare arbitror. Oſtendit profectò illud luculenter regius Propheta Pſalmo 148. quo non ſolum ſpiritus angelicos, ſtellas errantes fixaſque & omnes cœlorum orbes: verum etiam bruta, adeoque volatilia, reptilia, & in ipſis aquis degentia animalcula, adde & plantas, adde elementa ipſa, imò quæcunque vel ex vaporibus ſolis

in aëre generantur,nives,grandinem,pluvias,ventos,fulmina, toni-
trua,& quæcunque præterea ſunt inanimata corpora vel contemtiſ-
ſima,ad celebrandam divinam communis creatoris majeſtatem con-
vocat atque exhortatur. Quale officium ſi à rebus non ratione mo-
do, ſed vita ipſa deſtitutis exigatur ; quid quæſo ab homine requiri
putabimus ? quem Deus Opt. Max. condiderat ad imaginem ſui:
hoc eſt,cognitione ſui conditoris,dilectione, reverentia, obedientia,
fide, rectæ voluntatis libertate,juſtitia & ſanctitate ornârat. Diſer-
tiſſimis ſane verbis mandatur Deut.6. v. 15. & Matth.4. v.10.Domi-
num Deum tuum adorabis,& illi ſoli ſervies.Item Pſalmo 50.ver.14. A
Sacrifica Deo laudem, & reddde altiſſimo vota tua. Et paulò pòſt:
verſ 1-. Invoca me in die tribulationis, & eripiam te,ut tu glorifices
me. Quin & David gratitudinem erga Deum,à ſe ipſo exigens, his
verbis utitur Pſal.11c.v.12. Quid retribuam Domino pro omnibus
beneficiis,quæ contulit in me? Calicem ſalutis accipiam, & nomen
Domini invocabo.

Quum itaque divini nominis invocatiò præcipuus eſſet cultus,
quem ſibi Deus, velut ſubjectionis & gratitudinis argumentum, cũ
à creaturis ſuis omnib.tum verò inprimis ab homine (quem augu-
ſtiſſimo in omnia hæc inferiora imperio,reliquis animantib.univer- B
ſis venerabilem reddiderat) præſtari poſtularet (quanquam ipſum
principio unicum ſuæ ſpeciei formaſſet) diu tamen ſolitarium eſſe
noluit, præſertim cum nec ad cultum Dei, nec ad ipſius hominis ne-
ceſſitates,ſolitudo perpetua ſatisfacere poſſet. Mavult quippe Jehova
à plurib.ſimul collectis,quam ab unico tantum invocari;juxta illud
Matt.18 v.20. Ubicunque duo aut tres congregati fuerint in nomine
me: illic adero in medio illorum. Proinde exemptam ſopito homini
coſtam,in fœminam exſtruxit, quam illi ut etiam ſolitudinis tædiũ
levaret,conjugem vitæque ſociam dicavit.Ex quo amborũ conjugio,
procreatis per Dei mandatum liberis,familiæ prodierunt.Ex familiis C
verò,hominum,ad Deum rectè invocandum,congregatorum cœtus
coaluerunt,quos quia vel per Spiritum S. corda aperientem, vel per
miniſtrum Evangelizantem evocentur: uſitato jam inde ab Apoſto-
lorum temporibus vocabulo ἐκκλησίας appellarunt.

Verum rectè à piis cœtib.invocari Deus non poteſt, niſi de reb.
illis,quæ ad hoc cultus genus requiruntur prius erudiantur, quales
ſunt fides,obedientia, timor, dilectio & agnitio numinis: Ante o-
mnia verò notitia ſui ipſorum. Quomodo namq; invocabunt Deũ,
cui non fidunt,non obediunt,quẽ non reverentur,non diligunt, quẽ
denique non norunt? Quomodo a. Deum,qui lux eſt inacceſſa, quẽ D
nemo vidit unquam,norint illi, qui ſuam ipſorũ conditionem & na-
turam,quam circumferunt fragillimam,corruptiſſimam,miſerrimã
ignorant? Quomodo cognoſcentur iſta,quæ naturæ noſtræ abſcon-
dita ſunt,niſi ex auditu verbi divini manifeſta fiant? Quare doctrinã
legis & Evangelii,quib.illa traduntur,in Eccleſia Dei, ante doctrinã
invoca-

invocationis explicari atq; urgeri omnino neceſſe eſt. Quod quum
ſine opera docẽtium & diſcentiũ reciproca præſtari nequeat: Nemo
non videt Eccleſiam Dei, ſcholarum beneficio, carere nequaq̃ poſſe.

Certè ante legem à Deo per Moſem promulgatam: non modo Ja-
cobum Iſaacum & Abrahamum: verum etiam Semum, Noachum,
Henochum, Enoſum, Sethum, imò ipſum humani generis protopla-
ſten Adamum, Eccleſias collegiſſe, & viva voce fideliſſimè inſtruiſſe,
ex quàm plurimis libri Geneſeos locis evidenter apparet. Quid enim *Gen. 4.5.*
quæſo ſibi volunt & ſunt aliud, tot altarium exſtructiones, q̃ repeti- *8.12.13 21*
A tio doctrinæ cœleſtis, ejuſdemq; confirmatio, de lapſu hominis, de *22.26.33.*
cauſa peccati, de reconciliatione hominis cum Deo, per promiſſum *35.*
Meſſiam futura: Cujus ſimulachra & ſacramenta in ſacrificiorũ ob-
lationibus præfigurabantur. Sub lege quoque, Iſraëlitæ (licet nõ niſi
uno loco, quo videlicet tabernaculum erat, ſacrificare permitteren-
tur) in ſingulis tamen oppidis reliquis, ex mandato Dei, ſynagogas,
ad exercitia doctrinæ & preces publicas inſtituerant. Quippe Do-
minus vocem legis ſuæ (cujus præſtationem à ſingulis repoſcebat)
ubique ſonare voluit: ne quis ignorantia excuſari poſſet. Ideoque *Num. 35.*
Levitis, quib. docendi munus commiſſum fuit: nullam hæreditatis *Ioſua 21.*
B terrenæ juſtam portionem, unitamque eſt impertitus, ſed per omnes
tribus, oppida, vicos, paſſim diſperſos, habitare juſſit: ut ſynagogas
ubique regerent, populumque erudirent.

Habuerunt & ſcholas ſuas Prophetæ, Heli quidem in Silonte:
Samuel in Rama, Helias, Helizæus in Gilgale, Bethele & Hierichon-
te, quod ex filiis Prophetarum, qui diſcipuli ipſorum erant, fit mani-
feſtum. Habuerunt & ſuas Nazaræi. Habuerunt Phariſæi, Saducæi,
Eſſæi. Collegit ipſius Meſſiæ πρόδρομος Joannes Baptiſta diſcipu-
los; Collegit ipſe Meſſias & Salvator noſter, filius Dei, Chriſtus Je-
ſus. Collegerunt ejuſdem Apoſtoli, quos docerent auditores.

C Fuerunt quoque Ægyptiis, fuerunt Babiloniis, Perſis, Medis,
fuerunt & Indis ſcholæ, ex quibus ſapientes, Magi, & Gymnoſophi-
ſtæ dicti prodibant. Græciam nobilitarunt (triplici Gymnaſio, Stoa,
Academia, Lycæo) Athenæ omnium totius orbis urbium clariſſimæ.
In extrema Italiæ ora, quæ magna Græcia dicebatur, Crotone & Me-
taponti ad ſinum Tarentinum Pythagoras docebat. Romæ Augu-
res, Aruſpices, Pontifices collegia ſua fovebant. Neapoli literas flo-
ruiſſe, teſtatur Maro in fine Georg. his verſibus:

Illo Virgilium me, tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti.

D Quin & barbara Gallorum gens, ſuos habuit ſapientes & ſacer-
dotes, quos quia in ſylvis, & arborum lucis victitarent, Druidas quaſi
δρυΐδας appellatos arbitrantur eruditi. Ad hos, inquit Cæſar lib. 6.
belli Gallici, magnus adoleſcentum numerus, diſciplinæ cauſa con-
currebat.

Jam

Jam verò poſt exhibitum Meſſiam, ſi quis forte de ſcholarum uſu in primitiva Eccleſia ſubdubitare poſſet: Illum vel unicum Juliani apoſtatæ Imperatoris edictum confirmaverit, quo verſutiſſimus ille piorum fidelium inſidiator, Chriſtianorum liberos, literarum ſtudiis vacare, interdicto impiiſſimo prohibebat, teſte Sozomeno. *Hiſt. Eccl lib. 5. c. 18.* Colebantur autem tum temporis in Oriente ſcholæ celeberrimæ, Alexandrina, Antiochena, Conſtantinopolitana. In occidente autem, quid Cœnobitarum, ſacerdotum, canonicorum Collegia, quid, inquam, jam inde à prima conſtitutione aliud ſunt, quam docentiũ diſcentiumq; conventus? Argumento eſt Scholarchæ inter illos adhuc ſuperſtes dignitas, quem depravatè Scholaſtrum vocare ſolent. A Moris enim erat in his collegiis adoleſcentiam Chriſtianam literis bonisque moribus informare. Quod inſtitutum quum Reipub. atque Eccleſiæ utiliſſimum videretur: Pietas majores noſtros, ut illa locupletarent, exſtimulavit, ne ſumptus neceſſarii unquam diſcentibus deeſſent. Poſteaquam autem pietati ſuperſtitio ſucceſſit: Et pro Evangelii doctrina, Pontificum illius temporis leges receptæ ſunt: Collegia, quæ ſtudioſorum cœtus eſſe ſolebant, paulatim ad ſacrificos tranſierunt. Collegiorum verò opes, in Romanæ curiæ luxũ, hominumque ocioſorum voluptates, ſcholis abolitis, ſunt profuſæ. B Docendi autem provincia delegata eſt familiis monachorum, non qui Chriſti, ſed Benedicti, Bernardi, vel alterius hominis nomen profitebantur; Verum & hi tandem Collegiorum exempla ſecuti, cum ſuperſtitionem docendi laboribus, quæſtuoſiorem experirentur: Literas unà cum docendi munere deſeruerunt, novam vivendi formã commenti. Scholaſticæ ergo operæ, ſtudiis jam ad interitum tendentibus: in novos regni pontificii fœtus ſunt rejectæ, in mẽdicantium videlicet monachorum greges, jam deſinente Suevorum Cæſarum imperio enatos. His doctrinæ cuſtodibus occiderunt literæ, religioque Chriſtiana ſimul obſcurata eſt, & antiquata Evangelii doctrina, C ſuperſtitiones in Eccleſiis cumulatim ſuccreverũt: Barbarie in ſcholis rerum potiente.

His pietatis detrimentis permoti principes viri, de remedio cogitare ceperunt. Nec aliud iſti malo efficacius, magisque ſalutare cõſilium invenerunt, quam ſcholarum inſtaurationem. Quarum beneficio, recuperata linguarum artiumque liberalium cognitione, ſophiſtices, ſordidæque orationis autoritas, paulatim collapſa eſt, atq; immenſa Dei benignitate, Evangelicæ veritati ſplendor reſtitutus. Profuerat quidem ſuperioribus temporibus in Occidentis imperio ad literarum ſtudia non parum, antiquiſſimum gymnaſium Bononienſe, cuius meritò ſe urbs illa ſtudiorum matrem inſcribit, putà D quod pientiſſimus Imperator Theodoſius anno à nativitate Chriſti 423. inſtituerat. Carolus Magnus autem collapſum circa annum 806. inſtauravit. Nec exiguum emolumentum acceſſit, ex duabus aliis Academiis, Lutetiana quidem in Gallia, Ticinenſi verò quæ vulgo Papia,

Papia, in illa Italiæ parte, quam Longobardiam vocant, ſapientia & liberalitate Caroli Magni, ex Alcoïni Angli præceptoris ſui conſilio, 367. annis, poſt Bononienſem, ambabus ſimul inchoatis. Horum Imperatorum illuſtriſſimum exemplum imitatus Alfredus Anglorum rex, ne quid Inſulanis ſuis, ſicut ad rei militaris laudem, ita etiam ſcientiarum gloriam deeſſet: Viros in omni diſciplinarum genere exercitatos, centeſimo & decimo nono poſt Pariſienſem anno, liberalibus ſtipendiis undique Oxonium invitavit, circa annum nimirum ab exhibito Meſſia 909. His quatuor Gymnaſiis mediocriter jã tum
A Italiæ, Galliæ, atque Angliæ proſpectum videbatur.

Interea Germania provinciarum Occidentis ferè ſola, politioris literaturæ ornamentis deſtituta: Collegiis Eccleſiarum, quæ Carolus Magnus, eiusque ſucceſſores reges paſſim fundarant, diu acquieſcere cogebatur; & devoluta tandem ad eam imperii mole, Germani Imperatores, usque adeò bellis, cum externis, tum domeſticis, fraudulenta Pontificum quorundam tyrannide ſuſcitatis, diſtricti fuerunt: ut de rebus ad Eccleſiam ſpectantibus, nihil ſerio deliberare poſſent. Tandem tamen cum nullum Licentiæ præſulis Romani modum poni viderent: Epiſcopos autem Germaniæ politicis
B magis, quam Eccleſiaſticis negotiis occupari: Canonicorum & monachorum ſodalitia, bonis ſcholaſticis ad voluptates & ignaviam abuti: Pertæſos craſſiſſimæ ſui ſeculi ignorantiæ, principes, oppreſſæ Eccleſiæ, ſcholarumque pereuntium miſerere cepit, quarum curam ſibi à Deo commendatam non ignorabant, memores illius Prophetici: Et erunt Reges nutritii tui, & fœminæ principes nutrices tuæ. *Eſ. 49. 23.*
Imitati itaque laudatiſſima exempla fortiſſimorum, piorumque principum, Joſuæ, Davidis, Joſaphati, Joaſi, Ezechiæ, Joſiæ; diſciplinas, artes, linguas, aliaque liberalia ſtudia, ad doctrinam de Deo, neceſſaria, revocarunt: & munificentiſſimè certis ſtipendiis conſtitutis,
C paſſim in Germania per annos plus minus jam ducentos quinquaginta, magis magisque foverunt.

Apud Bohemos equidem Germanorum principum primus Carolus Quartus Cæſar, Pragæ literarum ſtudia ad Idæam Pariſienſem accommodata anno 1361. regalibus impenſis ſtabilivit. Cujus exemplo provocatus Albertus Auſtriæ dux, quadriennio pòſt, Viennæ Muſis hoſpitia indulſit. Nec cunctandum ſibi in negotio literario juvando judicarunt (qui primum inter ſacri Imperii Electores locum, ſe videbant tueri) Comites Palatini ad Rhenum, qui Heidelbergam ſuam (licet urbem ditionis ſuæ primariam) quin aulam, quin
D archivum, tali honeſtamento decorandam cenſerent. Quamobrem Illuſtriſs. Princeps Rupertus Senior, Comes Palatinus Elector, ad exemplar quoque Academiæ Lutetianæ, evocato inde Marſilio ab Ingen homine Belga, eodemque primo rectore conſtituto, anno poſt Pragenſem 26. hujus noſtræ Heidelbergenſis ſcholæ fundamẽta 18. Octobris, fœliciſſimo auſpicio poſuit, annno Domini 1387.

Heidel-

Heidelbergenſem Colonienſis proximo anno ſubſecuta eſt, ex Friderici ejus loci archiepiſcopi, docti prudentiſque Principis conſilio, Senatus verò ampliſſimi liberalitate inſtituta. Colonienſi proxima fuit Erphordiana in Thuringis anno 92. ſupra milleſimum trecenteſimum exorta. Hanc Lipſenſis excepit, quam ex diſſipatione Pragenſis gymnaſii, ob contentiones religionis, enata, ſtudioſi Teutones, ſupra duo millia uno die diſcedentes, tridui itinere Lipſiam profecti, anno 1408. inchoaſſe feruntur. Lipſenſi Ingloſtadiana unico anno minor putatur, ab Henrico Bavariæ duce, quem divitem vocant, fundata. Sequitur illam Roſtochienſis, autoritate Joannis Suerinenſium Epiſcopi, ab Alberto & Joanne Mechelburgenſium principibus anno 1419. inchoata. Roſtochiana & Lovanienſis ſeptennio recentior eſt, ſumptibus Ducis Joannis Brabantini erecta. Brabanticam ſcholam Gripſwaldenſis in Pomerania uno & triginta annis vetuſtiorem agnoſcit: Sicut Baſilienſem biennio juniorem, quam urbis ſenatus Æneæ Sylvii (qui ex Baſilenſis concilii ſcriba in papalem cathedram evectus, Pii ſecundi nomen adeptus eſt,) perſuaſu, anno 1459. introduxit. Baſilienſi ſubjungitur Friburgenſis Briſgoïæ unico anno minor; Huic Tubingenſis, ab Eherhardo Wirtebergenſium comite, ex matre ſtudiorum Bononia anno 76. propagata. Cui ordine vicina putatur, Moguntina, impenſis Dietheri Iſenburgici Archiepiſcopi anno 82. incepta. Hanc Wittebergenſis 20. annorum ſpacio antiquiorem fatetur, à Friderico Saxoniæ Electore ad leges Scholæ Tubingenſis anno 1502. inſtituta. Quibus ſi quaternarium addas, Francofurtum ad Oderam, ex Lipſenſi gymnaſio eruditorum coloniam, ab Joachimo Brandenburgenſium Marchione Electore, deductam eſſe agnoſces, anno ſexto ſupra milleſimum quingenteſimum. Francofurtenſis Marpurgenſem uno & viginti annis ſuperat, à Philippo Haſſorum Landgravio inchoatam. Ab hac Argentinenſis ab ampliſſimo ejus loci ſenatu decreta, undecim annorum intervallo diſtat. Biennio poſt Argentinenſem, Chriſtianus tertius Daniæ & Norvegiæ Rex ſubditos ſuos ad literas excitavit, Hafnia urbe regia, recentis Gymnaſii κειμηλίῳ decorata. Danorum Regis præclarum inſtitutum æmulatus, Boruſſorum primus dux, Albertus Brandenburgicus, Georgio Sabino, magni illius Melanchthonis genero, Poëta cultiſſimo, aliiſque viris doctiſſimis liberaliter invitatis, in urbem ditionis ſuæ præcipuam Kunigsbergam, in qua ipſe Princeps ἀκρόπολιν, ſedem ſuam habet, Muſarum ſtudia anno 44. introduxit. Scholam hanc Regiomontanam à doctis appellatam, quinquennio poſt Dillingana in Bavaria ſuperiori ſubſecuta eſt, maximis impenſis ab Othone Truceſio Epiſcopo & Cardinale Auguſtano procurata. Dillinganæ ſucceſſit Jenenſis, in Turingia, decreto Joannis Friderici Secundi, & Joannis Wilhelmi fratrum Saxoniæ Principum anno 58. ſolenni ritu die converſionis Pauli auſpicata. Eodem anno inſtauratur Trevirenſis per Jeſuitas juſſu Archiepiſcopi

piſcopi Johannis quinti à Leyen, quæ multis ſeculis jacuerat, initium olim vetuſtiſſimum adepta anno Chriſti 345. ab Agritio Archiepiſcopo, homine Græco, qui Patriarcham Antiochiæ prius egerat. Quo fit ut Trevirenſem Bononia annis ſaltem 78. in literarum cognitione priorem (velit nolit) agnoſcat. Quartò exinde anno putà 1562. 6. Octobr. Duacenſi Academiæ in Atrebatibus Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis, Belgorumque Principis munificentia auſpicium dedit. Exactis pòſt Duacenſis ſcholæ incunabula, annis duodecim, Hollandi quamvis in mediis implacabilis belli furoribus, A (quod jam tum per ſpacium annorum ſedecim, cum potentiſſimo totius orbis Monarcha, Hiſpaniarum Rege geſſerant & adhuc gerunt) verſarentur, nequaquam tamen literarum curam armis poſthabuerunt, quin Wilhelmo Naſſovio Arauſionum Principe ſapientiſſimo fortiſſimoque autore, conſentientibus provinciæ (mirum & anguſtæ & afflictæ) ordinibus Leidæ (quam Lugdunum Batavorum eſſe volunt) Academiam omni ſcientiarum apparatu, & ſtipendiorum ſplendore magnificam, inſtitui allaborarent. Biennium vix interlabitur, quin Julius Brunſvicenſium Princeps, Helmſtadii, omnigenæ Literaturæ receptacula, præmiaque anno 76. liberalitate B planè heroica poneret. Tantundem temporis dilata eſt cordatiſſimi herois Joannis Caſimiri Domini & Patroni noſtri clementiſſimi munificentia; ad ſuaviſſima diverſoria purioris religionis profeſſoribus, à ripa Necrina iniquiſſimè profligatis, Neuſtadii ad Hartæ montis fauces excipiendis, adornanda. Biennii alterius diſtantia à Neuſtadienſis Gymnaſii primordiis, Altorffianam Academiam ſeparat, quam magnificentiſſima Norimbergenſium Reſpubl. ambitioſa ferè in doctos homines largitate nuper anno nimirum 80. condidit. Non multò pòſt, anno nempe 1585. Joachimus Erneſtus Anhaltinus gymnaſium Serveſtanum abſolvit. Non deſunt aliæ quæ- C dam diatribæ, qualis Bipontinorum Principum Hornbachiana; Naſſoviorum Comitum Hernbornana: Helvetiorum Bernenſis, atque Tigurina, Lauſannana, & Genevenſis: quas quia diſciplinarum univerſitate, plenè inſtructæ non ſunt, prudens brevitatis gratia prætermitto.

Hactenus ſcholarum origines, cauſas, progreſſus, breviter perſtrinximus. De altero deinceps, qua ſcilicet ratione gubernari & cōſervari debeant, dicendum.

Omnem verò ſocietatem alicujus utilitatis gratia coaleſcere, nemini dubium eſſe arbitror. Conjuges ſanè liberorum procrean- D dorum cauſa: Commilitones victoriæ ſpoliorumque nomine: Cives ad benè beateq; vivendum: Quiq; longū iter unà ſuſcipiunt, mutuæ defenſionis fiducia, ut ſocietatē ineant, invitantur. Quare ſcholaſticos quoq; cœtus, cujusdā boni ergò haberi, mirandum non eſt. Quippe ad uberiorem ingenii cultum conſequendum, in ſcholas ſtudioſi adoleſcentes cōvenire ſolent. Communis autem commodi fructum

nulla

nulla ſocietas, percipere poteſt, niſi benevolentiam quoque communem colat. Quicunque enim ſimultates aut odia inter ſe fovent, ſocietatis ad vitam utilis, conſortes nequaquam manere poſſunt. Mutuo ſiquidem odio exacerbati, etiam mutuo aſpectu offenduntur. Quamobrem animorum quoque conſenſus, idem velle, idemq; nolle ad ſocietatem requiritur. Neque enim conjuges liberorum procreationem, Commilitones victoriam, cives beatam vitam, aut qui ſimul proficiſcuntur, defenſionem mutuam, ſibi polliceri auſint; ſi voluntatibus in ſocietate diſſideant: Quandoquidem ex voluntatum diſparitate, divortium, defectio, transfugium, ſeditio, deſertio, A pugna denique pullulaſcit. Quocirca nec à ſcholaſtica ſocietate, benevolentia mutua abeſſe debet. Enimverò, quemadmodum filii parentes ſuos, perinde & diſcipuli ſuos præceptores, tanquam nutritios optimè de ipſis meritos, imò velut alteros parentes, amare, revereri, & admirari obligantur, faterique debent, ſe illis perpetuò beneficiis devinctos eſſe. Nam ſicut nec diis nec parentibus; ita neque præceptoribus, aut diſciplinarum profeſſoribus, teſte Ariſt. lib. 9. Ethic. cap. 1. remuneratio juſta unquam aut dignum præmium referri poteſt. Hi etenim diſcipulos ſibi commiſſos, doctrina, pietate, omnique virtutum genere reformant animis, adeoque quodammodo regenerāt, B ut ex feris manſueti, ex petulantibus modeſti, ex malis boni, ex rudibus eruditi, ex ſtolidis ſapientes, ex impiis pietate præditi evadant. Viciſſim autem præceptorum fides ſtudiumque erga juventutem ſuæ diſciplinæ concreditam, requiritur non minus, quam parentum στοργὴ erga liberos ex ſe prognatos.

Quin etiam diſcipuli inter ſe propter conditionis æqualitatem communem, convictumque quotidianum, haud aliter atque fratres reciproco amore, alter alterum proſequi tenentur. Neque ſunt dandæ offenſiones, neque fovendæ ſimultates inter illos, imò nec ferendæ quidem illæ à præceptoribus: utpote per quas animi à literarum C ſtudiis ſeriisque cogitationibus avocantur: adeoque rixæ, pugnæ, vulnera, imò ſubinde homicidia enaſcuntur. Nec obſtare debet benevolentiæ in ſchola fovendæ, fortunæ inter diſcipulos inæqualitas, qua hic claris vel antiquis, aut opulentis ſe ortum parentibus jactare poſſit: Ille ignobilis prorſus & calamitoſæ familiæ ſibi conſcius, velut terræ filius, vix ſe humo tollere audeat. Nec impedimento rurſus ad ſcholaſticam tranquillitatem futura putabitur, officiorum, quæ inter diſcipulos atque præceptores eſt diſcrepantia: non magis, quam quæ inter liberos & parentes; inter uxorem & maritum; inter famulum & herum; inter ſubditos & magiſtratum; adeoque inter D caput & reliqua humani corporis membra eſt differentia.

Siquidem in noſtri corporis œconomia ita comparatum eſt, ut pedes & manus duriſſima, fœdiſſimaque obire munia cogantur. Pedes quidem univerſam omnium membrorum molem portando, & de loco uno aliorſum transferendo: quod ut faciant, nullas ſordes,

aſperita-

aſperitates, difficultates, nulla denique locorum pericula reformidant. Manus verò artem aliquam aut opus, quod victui comparando ſatisfaciat exercendo: præterea & victum iam comparatum artis obſonatricis beneficio, ita præparando, ut eſui eſſe poſſit. Imò ne hoc quidem ſatis eſſe putant, niſi edulia ipſa ori, ut nutrix infantulo alumno ingerant. Adde etiam, quod omnibus membris miniſterio, imò defenſioni exiſtant: ut ſi qua in parte periculum, aut dolor oriatur: Confeſtim eodem manus auxiliares advolent, & vel tegendo defendant, vel demulcendo conſolentur.

A Cerebrum autem licet inſtar monarchæ cuiusdam in ſublimi arce ſua, quietum deſidere videri poſſit, attamen velut prudens quidam auriga, per nervos quaſi habenas quaſdam, bina pedum manuumq; iuga moderatur, & illa ad obeundas actiones ſerviles excitat. Idem per oculos, aures, nares, linguam, tactumq; haud ſecus, atq; per quoſdam pro conſervatione totius reipublicæ excubantes vigiles, honeſta, turpia, amœna, triſtia, utilia, damnoſa, ſalutaria, periculoſa explorat, diſcernit, prævidet, omniaq; imperii ſui membra ſibi ſubiecta, prudentia gubernat, & ab iniuria tuetur.

Quid autem venter? totius corporis inertiſſimus frugiperda, abliguritor, rerum labore acquiſitarum vorago, iniquiſſimus operum exactor, dominus imperioſiſſimus, qui pedes, qui manus, qui dorſum, pectus, collum, linguam, caput, denique mentem ipſam universi μικρoκόσμου noſtri reginam, ſibi tamen famulari cogit, atque ad labores extrudit, nimirum ut mollis aqualiculus delicietur, ſaginetur, omniumque rerum affluentia perfruatur. Vix enim aliò inſani mortalium labores, curæ, vigiliæ, & inſatiabile illud diteſcendi ſtudium ſpectat, quam ut moliter victitent, ventrique indulgeant.

Quid tamen ex tam diſpari organorum ad actiones inæqualitate? an non vel ſimultas exoritur aliqua? Enimverò ne minima quidem. Imò ſummus omnium inter ſe partium conſenſus conſtat. Quandoquidem pedes non aliis membris ſolummodo, ſed & ſibi quoque iter faciunt. Neque manus, humeri, dorſum, pectus, cervix, reliquis partibus tantum: verum etiam commodo ſuo laborant. Quin-imo nec cerebrum ipſum, ſuo ſolius uſui, ſentiendi, movendique facultatem, cunctis inſtrumentis impertit, & ad actiones exſtimulat, verum etiam totius reipublicæ emolumento. Neque ſibi ſoli ſapit mens. Imò ne quidem omnium ignaviſſimus venter, ſibi ſoli delicias poſtulat: ſed quò & particulis ſingulis, etiam minimis, atque remotiſſimis, inde ſiet quam optimè. Siquidem quam in os eſcam ingeſſerunt digiti, quam commoluerunt dentes, quam conglobatam ad ſtomachum depreſſit gula: Eandem excipit ventriculus: non ut perpetuò, ſed paulisper tantum inter concoquendum illa ſe oblectet. Quam ubi perfectè concoxerit: mox à ſe velut onus quoddam, aperto pyloro ad

inteſtina expellit. Hæc chylum cavis ſuis ſpiris exceptum, per
longa ſua volumina provehendum: omnibus venis meſaraicis
offerunt, ut utilem ex illo ſuccum, quantum cuique lubet
exſugant, & futurum ſanguinem ad portas hepatis deferant;
quem iecur in ſuo parenchymate perficit. Perfectum in venam
cavam ablegat, diſtribuendum porrò in minutiores, immò
minutiſſimas, adeoque capillares venulas, ut attractus à par-
ticulis ſingulis, etiam vnguibus & pilis, faceſſat in alimen-
tum: Vſque adeò univerſa corporis humani organa, quam-
vis diverſiſſimis inæqualibusque obligata miniſteriis, in com- A
munem tamen mutuamque conſervationem ſumma concordia
conſpirant.

Cum igitur & ſchola veluti corpus quoddam ſit, ex plurimis
non ſolum, ſed etiam diverſiſſimis coagmentatum membris: me-
rito quoque & membra eius univerſa, & ſingula ad mutuam be-
nevolentiam, unionem, quietemque publicam fovendam, con-
ſentire convenit. Quod quò commodius certiuſq; fieri poſſit: præ-
ſertim in tanta ingeniorum, educationis, morum ac gentium, quę
ſæpè una in ſchola eſt, diſſimilitudine: Certos conſtitui cancellos
neceſſe eſt, intra quos ſibi manendum eſſe, unuſquiſque perſuaſum B
habeat. Huiuſmodi autem cancellos Latini leges à legendo, vel
deligendo. Græcè verò νόμȣς ἀπὸ τȣ̃ νέμειν, quod eſt, unicuique
ſuum tribuendo appellarunt. Quandoquidem, ut hi æquitatis: Sic
illi delectus vim in legibus ponebant. Definiuntur autem ab Ari-
ſtotele in rhetor ad Alexand. leges his verbis: εἰσὶ δὲ νόμοι ὁμολο-
γήματα κοινὰ πόλεως, ἃ διὰ γραμμάτων ὁρίζει ἢ προςτάττει,
πῶς χρὴ ἕκαστα πράττειν, perinde ac ſi dicat. Leges ſunt publici
civitatis conſenſus, qui ſcriptis terminant atque imperant, quomo-
do ſingula agere oporteat. Cum verò eorum quæ ab hominibus a-
guntur, quædam benè, quædam malè, quædam honeſtè, quædam C
inhoneſtè agantur: Idcircò Ciceroni Philip. 2. Lex nihil aliud
eſt, niſi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans hone-
ſta, prohibens contraria. Vel ut alibi & breviter & plenè idem
dixit: lib. 2. de natur. Deorum. Lex eſt recti præceptio, pravique
depulſio. Habet enim vim ad rectè facta vocandi, & à peccatis
avocandi. Dum his quidem pœnas, illis verò præmia decernit.
Unde lib. 2. de legibus: Iuſtorum iniuſtorumque diſtinctio, lex
eſſe ab eodem perhibetur. Cuius diſtinctionis beneficio, velut
medio quodam ad finem ſuum progreditur: videlicet ut vitia emen- D
det, virtutes autem commendet. Qua ſi civitas ulla careat, pro nihi-
lo prorſus habenda illa fuerit Diſſolvitur namq; omnis ſocietas le-
ge deſtituta, ſine qua ſocii in officio contineri non poſſint.

Quamobrem cum & ſchola ſocietas quædam ſit, docen-
tium ſimul & diſcentium: manifeſtum fit, & cætui tali leges
neceſſarias eſſe: niſi diſſolvi illum omninò, dilabique malli-
mus.

mus. Nam quemadmodum leges civiles, ad civitatum incolumitatem, incolarum ſalutem, vitamque omnium quietam & beatam, conditas eſſe conſtat: Ita quoque, ut ſtudioſa iuventus, honeſto beatoque otio frui, & in literis ſimul; omniq; virtutum genere quieti, quam plurimum proficere queant: Scholaſticas quoq; leges condi oportuit.

Dividuntur autem leges bifariam, in proprias & communes, teſte Ariſtotele lib. 1. rhetor. Propria quidem lex, quæ & politica, civilis & ſcripta dicitur, eſt ſecundum quam in ſingulis locis vivitur. Communis autem, quæ & lex naturæ; & non ſcripta
A lex appellatur, eſt quæ hominum mentibus à natura eſt inſita, & licet ſcripta non ſit, tamen ab omnibus probari confirmarique videtur. Eſt quippe iuſti quoddam atque iniuſti, honeſti atque turpis diſcrimen, omnibus naturâ commune & notum principium, quamvis nulla hominum conſenſio interceſſerit. Qualè eſt, Deo obediendum eſſe. Pacta honeſta eſſe ſervanda: Proximum non eſſe lædendum: Ideoque nec homicidium, nec adulterium, nec raptum, nec furtum, nec latrocinium committendum, ſecundum nimirum iuſtitiæ regulam: Quod tibi fieri nolis, idem tu alteri ne feceris.

B At cum noticiæ tales intellectui humano ſint innatæ: Supervacaneum videri poterat, ſi leges ullæ præſcriberentur. Rectè quidem: Verum tanta rurſus eſt mentis noſtræ caligo: tanta naturæ imbecillitas: Errore quidem primorum parentum contracta primum: inde verò ſucceſſione quadam hæreditaria in omnes poſteros propagata, ut nonnunquam ignorantia, ſubinde negligentia, non rarò quoq; malitia, per cupiditatum fluctus, à rectæ rationis imperio, facillimè abripiamur.

Proinde in tabulis quoque, communis vitæ præcepta conſer-
C vanda fuerunt: ad temporum, locorum, hominumque conditionem accommodata: quæ pro concione publicè proponi aliquoties ſoleant: ut in illis tanquam in ſpeculo quodam, ſeſe ſinguli intueri, actiones ſuas examinare, mores corrigere, ſociisque inculpatæ vitæ exemplo, prælucere poſſint. Sunt autem præcepta illa, publicæ tranquillitatis vinculum, teſte Tullio offic. 2. qui ſic inquit: Hoc ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe civium coniunctionem: quod fit, dum communi omnium commoditati conſulunt.

At quænam fuerit legum utilitas; ſi illis non obtemperetur?
D Quomodo autem illis obtemperabitur, ſi autoritate careant? Vnde verò autoritas accedet legibus, niſi illi, qui eas condiderunt, ſive princeps aliquis ille fuerit, ſive optimates, ſive populus ipſe ex communi omnium conſenſu, eaſdē ipſimet obſervēt, in precio habeant atq; tueantur οὐκ γὰρ ἐστι εὐνομία, τὸ δὲ κεῖσθαι τοὺς νόμους μὴ πείθεσθαι δὲ, ut loquitur Ariſto. 4. polit. quaſi dicat. Nō tā ex eo, quòd be-

nè latæ ſint, quam quod, ut illis mos geratur, efficaces exiſtant: Leges bonas eſſe iudicamus.

Quamobrem ſeveritatem legibus ineſſe oportet: neq; impunes relinquendi earundem transgreſſores, ita tamen, ut cum prudentia id fiat. Etenim queamadmodum Cicero 1. offic. tradit: Leges ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur. Quapropter gradatim quoq; ad delictorũ pœnas aſcendendũ videtur, à lenitate initio ſumpto. Primum quidem caſtigando verbis, deinde pœnarum minas addendo: tandem quoq; pœnas ipſas infligendo. In pœnis rurſus magna eſt differentia, quando videlicet pro qualitate peccati, ſi ſaltẽ qui peccarunt, ſanabiles ſint, modò pecunia, modò carcere, modò vinculis, modò exilio modici tẽporis: ſin nullã emendationis ſpem polliceantur tũc vel nota infamię, vel exilio perpetuo, vel carcere æterno, vel diro etiam aliquo mortis ſupplicio, mulctandi veniunt. Quales ſi è medio tollantur, bifariam proſunt: partim quod talium exemplo, cæteri quoque à peccando deterreantur: partim etiam quod hac ratione ab improborum hominum colluvie, ſocietas repurgetur. Eiuſdem ſententiæ eſt divinus Plato. de legibus Dialog 9. qui hunc in modum loco quodam ſcribit: Quicunque magnam aut parvam iniuriam intulit: eundem lex doceat, & omninò cogat, ut talem iterum, aut nunquam volens facere audeat, aut egregiè multò minus, prætereà ut damnum illatum rependat. Iſta autem ſeu factis aut verbis, ſeu cum voluptate aut dolore, ſeu cum honore aut ignominia, ſeu mulcta pecuniaria, aut muneribus, ſeu quocunque modo, omninò quis fecerit, ut oderint iniuſtitiam, ament autem, aut ſaltem non oderint iuſtitiæ naturam: Hoc ipſum me hercle optimarum legum opus eſt. Si quos autem inter illos, ita ſe habere legislator cognoverit, ut ſanari nõ poſſint: His pœnam atque legem quandam conſtituet, in omnes tales ita decernens, ut melius ipſis eſſe conſtet, non amplius ſupervivere. Duplex enim inde aliis etiam utilitas accedit, ſi huiuſmodi è vita tollantur, tum quod exemplo ſuo aliis, ut ne & ipſi iniuſti fiant, deterrendo proſint, tum etiam quod hac ratione à ſceleratis hominibus civitas repurgetur. Hactenus Plato. Quandoquidem leges ſalutem omnium, unius aut pauculorũ ſaluti meritò anteponunt. Quarum exemplo edoctus, quiſquis vir eſt bonus, ſapiens, iuſtus, & civilis officii non ignarus; is ſanè publicæ utilitati potius, quam privatæ alicuius, aut ſuæ etiam ipſius, conſulere ſtudebit. Nam, prout præclare ſcribit Tullius 3. de finibus: Non magis vituperandus eſt patriæ proditor, quam utilitatis communis, aut publicæ ſalutis deſertor, ſi propter utilitatem aut ſalutem ſuam peccârit. Deſerit a. ſalutem utilitatemq; publicã, quicunq; reipublicæ leges violat: quas ſartas, tectas, inviolatas conſervari, & omnium & ſingulorum ꝗ maximè intereſt: Haud equidem minus, quàm omnium corporis noſtri partium refert, totius valetudinem tueri. Quam diu enim

bene

benè habuerit totum; tam diu quoque partibus benè erit ſingulis: Ut autem ipſis benè ſit: cupiditas quædam cunctis ſingulisq; membris natura inſita eſt. Quamobrem & legum incolumitatem (quæ ipſarum eſt autoritas) ſtudioſiſſimè ſpectare cives omnes decet, ſi modo ſe ipſos ſalvos eſſe velint. Autoritati autem obſervantia debetur atque obedientia Ἔστι γὰρ νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων. ἄγει γὰρ βιαίως τὸ δικαιότατον ὑπερτάτᾳ χειρί, ut canit Pindarus: *Plato in Gorgia.*

A *Lex etenim regina hominum, divumq; ſuperba,*
Iuſtitiam dextra excelſa, violenta tuetur.

Quare non ſolum plebeculam, ſed & optimates & principes ipſos, legibus parere convenit. Hos namque Plato 4. de legibus, legum miniſtros, non dominos appellat. Talique ex miniſterio, ſalutem civitati maximam exorituram judicat. Sicut contra reipublicæ interitum præſagit: in qua non lex principibus; ſed principes legi imperant; Sic enim loquitur: Ἐν ᾗ μὲν γὰρ πόλει ἀρχόμενος ᾖ, καὶ ἄκυρος νόμος: φθορὰν ὁρῶ τῇ τοιαύτῃ ἑτοίμην οὖσαν. Ἐν ᾗ δ' ἂν δεσπότης τῶν ἀρχόντων: οἱ δ' ἄρχοντες δοῦλοι τοῦ νόμου, σωτηρίαν: καὶ πάνθ' ὅσα
B Θεοὶ πόλεσιν ἔδωσαν ἀγαθὰ γιγνόμενα καθορῶ, hoc eſt; In quacunque civitate Lex principibus ſubjecta, & autoritate deſtituta eſt; eidem vaſtationem impendere video. In qua verò lex principibus dominatur, principes autem legi obſequuntur; eidem ſalutem, omniaque bona, quæ Dii immortales civitatibus contribuere ſolent, contingere proſpicio. Hactenus Plato.

Quamobrem in civitate bene conſtituta, nemo hominum exlex haberi, aut legibus ſolutus eſſe debet; ne quidem ſi multa illi virtus, id privilegii polliceri, aut debere videatur. Multò minus ob potentiæ, generis, aut nominis claritatem, quiſpiam ſibi vivendi licen-
C tiam arrogabit. Oſtendit hoc apertiſſimè ſuo ipſius exemplo, Zaleucus Locrenſium legiſlator, qui cum adulterii crimen, utriusque oculi excæcatione plectendum ſtatuiſſet: Filium autem ſuum ejusdem libidinis factique reum comperiſſet: quamvis univerſa civitas intercedens, virtuti meritisque parentis flagitium filii condonaret: Noluit tamen legis, à filio violatæ, vim enervari. Quare ut legi ſua conſtaret autoritas, civium quoque deprecatio, ſtorgis paternis conjuncta, locum haberet: Suo ipſius corpori nequaquam parcendum duxit. Quamobrem uno ſibi oculo prius, altero deinde filio ſuo erui juſſo, utrique quidem videndi uſum conſervavit: Legi tamen inte- *Val. Max lib. 6. c. 5.*
D rim nihil decedere permiſit.

Leges quippe tam in probos, quam in improbos dominari æquiſſimum eſt. In improbos quidem ſeverè increpando, pœnasque tum intentando, tum irrogando: qui quò audaciores ſiunt, eò legib. obnoxii magis, ſuppliciiſque maturiores evadunt. In probos verò imperium exercent, dum ſua illis officia præſcribunt: Exempli gra-

tia: Viro forti non eſſe deſerendam ſtationem: quod dum faciunt, ad conſtantiam eum hortantur. Viro temperato, quum nec adulterium, nec raptum, nec ſtuprum committendum eſſe dictant: Simul illi ad continentiam calcar adhibent. Clementi quoque, cum nec vim, nec plagas, nec convicia cuiquam inferenda præcipiunt: ad tolerantiam partim, partim quoque ad juſtitiam, ſtimulum illi admovent, adeoque defenſionem proximi tacitè commendãt. Juſto autem, cum dicunt: Nec Deum, nec patriam, nec parentes, nec viventium quenquam, neque defunctorum aliquem, multò minus leges, conſuetudines, aut pacta eſſe violanda: Unicuique quod A
ſuum eſt, reddendum, clam ſubmonent. Prudenti, cum leges ſuadent, nihil eſſe agendum temerè, cujus poſtea pœnitere poſſit: innuunt non obſcurè, ante actiones eſſe deliberandum; juxta illud Saluſtii: priusquam incipias, conſulta: Ubi conſulueris maturè facto opus eſt.

Dum itaque bonos amicè paterneque commonefaciunt leges: magis illos ad perſeverantiam, incrementumque virtutis exhortantur: quam quod à vitiis dehortentur. Probis enim ſua ipſorum ratio & mens, pro lege eſt; ut non temerè lex apud Græcos νόμος
ſit appellata, & menti (quæ νόος & νοῦς dicitur) proximum no- B
men, teſte Platone 12. de legibus, obtinuerit. Id ſiquidem ſibi unicum leges propoſitum habent: ut ad dictata mentis proborum hominum, videlicet ad ea quæ honeſta ſunt, omnes cives exſtimulent. Quod ſi apud omnes obtinere non poſſint: ſaltem vel id conantur: ut à turpibus eos abſterreant. Proinde de prudentia, fortitudine, juſtitia, temperantia, cæteriſque ſociis virtutibus: quantam laudem mereantur: Et de vitiis, quanto ſint digna odio: graviſſimè concionantur. Qualia ſi Philoſophorum præcepta à civibus, imò ab ipſis gubernatoribus, & quidem Ethnicis exigebant: Quanto
magis eadem, majoraque à nobis, qui præſtantiore longè ſapientia C
imbuti, Deum Deique filium Chriſtum Jeſum novimus, & Chriſtiani appellamur, à nobis inquam poſtulabunt divinæ legis mandata; Et cum divinis congruentes civitatis noſtræ, hoc eſt, Academiæ hujus conſtitutiones; inprimis verò à ſtudioſa juventute, quæ bonarum artium, linguarum, doctrinæ, virtutum, pietatis & repurgatæ religionis ſtudiis, piorum parentum voto conſecrata; In hoc illuſtri Gymnaſio educatur: ut in magnam aut Eccleſiæ, aut reipublicæ ſpem adoleſcat.

Hactenus itaque ad ſcholæ incolumitatem conſervandam, o-
mnino legibus opus eſſe, ſatis ſuperque oſtendimus. Eaſque non D
ignavas, ſed fortes atque efficaces eſſe debere; ut quæ non ab inferioribus tantum, verum etiam à ſuperioribus obedientiam extorquere poſſint. Manifeſtum quoque fecimus, in literaria republica neminem exlegem ferendum eſſe; ut ſecurus legum, & ſanctionum contem-

contemtor, licenter vivere, & pro arbitratu ſuo quidvis agere permittatur.

Priusquam autem ſacroſanctas legum noſtrarum tabulas proferamus: quò commodius intelligantur illæ, de ipſarum diſtributione ac argumento tribus verbis dicemus. Digeſſit autem prudentiſſimus noſter Legiſlator ſtatuta illuſtris hujus Academiæ communia, in leges quindecim; quæ quamvis plures paragraphos habeant, in tria tamen capita contrahi poſſunt: ut primum (quod duas leges
A continet) ſit, quomodo quilibet noſtræ Reipublicæ civis ſub ingreſſum ſeſe gerere debeat. Alterum docet, qua ratione, dum apud nos eſt, vitam inſtituere conveniat, quod legibus duodecim explicatur. Tertium verò oſtendit, quid ab uno quoque hinc migraturo, ante diſceſſum fieri oporteat, quod unica, eaque poſtrema lege definitur. Vt igitur ſingulas ſummatim perſtringam.

Prima lex mandat, ut quicunque hujus noſtræ civitatis, quæ Muſis ac pietati dicata eſt, privilegiis frui cupiat, ſtatim ab adventu ſuo, apud ejusdem magiſtratum, nempe Rectorem, nomen ſuum profiteatur. Deinde quandoquidem civitas hæc noſtra in quatuor tribus, quas facultates appellamus, diſtributa eſt.

B Secunda lex vult, ut mox prout ſtudia cujuslibet ferunt, etiam coram tribuno ſuo, quem facultatis Decanum vocamus eadem nominis profeſſio fiat. Decernit quoque quibus in locis Tyrones habitare, & quomodo ſub diſciplina ſe gerere debeant.

Tertia de officio diſcipulorum in lectionibus audiendis.

Quarta de veſtitu agit.

Quinta gladiorum pugionumque geſtationem, injurias, provocationes, vagationes nocturnas, violentiam, & ſimul omne libidinum genus ſeveriſſimè interdicit.

Sexta, omnis vitæ diſſolutio ac improborum hominum con-
C ſuetudo vetatur.

Septima, quo pacto erga illuſtriſſimum Principem, & quæcunque Principis exiſtunt, unusquisque ſe habere debeat, cavetur.

Octava, oppidi jura non violanda.

Nona, oppidanos nulla injuria afficiendos prohibetur.

Decima, modeſtia, tranquillitas, atque æquitas in vita communi, ſtudioſæ juventuti commendatur.

Undecima, Rectoris autoritas ſtabilitur.

Duodecima, de religione & pietate colenda imperatur.

Decima tertia, decurionum reverentia confirmatur.

D Decima quarta, à famoſis libellis temperandum graviſſimè mandatur.

Poſtrema, de ſolutione æris alieni, ſi quod fecerint, ante diſceſſum ſuum, omnes & ſinguli ſeriò commonentur.

HÆC SANCTIONUM COMmunium partitio atque ſumma eſt. Sed ſacratiſſimarum legum voces ipſas audiamus, ſtatuta ac Leges Univerſitatis communes, quas quotannis publicè recitari, & pro concione convocatorum Academiæ hujus civium univerſa, hoc loco promulgari moris eſt. Lex prima, &c. A

AUdiſtis florentiſſimi juvenes, audiſtis, inquam, (ad vos etenim potiſſimum ſpectant.) Laudatiſſimæ hujus Academiæ ſtatuta, eaque quam juſta & honeſta, quàm utilia & neceſſaria, imò quàm pia adeoque obſervatu facilia exiſtant, ipſimet videtis. Quæ cum ita ſint; Nihil equidem ego video, quid adoleſcentum animos, niſi barbari prorſus ac agreſtes ſint, abſterrere debeat, quò minus obtemperare, moremque illis gerere dignarentur. Sin verò quis reperiri poſſet, qui legibus hiſce noſtris clam fraudem facere non vereretur, illũ hoc perſuaſiſſimum habere moneo; Omnium actionum ſuarum, B imò cogitationum occultiſſimarum, magnum illum ac potentem Jehovam (ipſi etiam invito) & inſpectorem, & teſtem, & vindicem aſſiſtere. Nam ut Sophocles in Electra, ἐςὶ μέγας ἐν οὐρανῷ θεὸς, ὃς ἐφορᾷ πάντα, καὶ κρατύνει, quaſi dicat: Eſt magnus in cœlo Deus, qui cuncta ſpectat & regit. Imò ſicut Homerus canit: Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, id eſt, omnipotens oculo vindice cuncta videt. Nolite igitur, nolite inquam dubitare, ſeverum illum juſtumque Judicem, Chriſtum Jeſum, quum pro tremendo illo tribunali ſedebit, vivos ſimul & mortuos judicaturus, omnium eorum, non modo quæ patraverimus, verum etiam quæ nugando effutierimus; imò quæ vel animo C ſolum conceperimus, rationes à ſingulis mortalium aliquando exacturum. Et quanquam homines quidem fallamus ſubinde, Jehovam tamen nunquam fallere poterimus, quippe qui hominum corda & renes, quos ipſemet fabricavit, penitiſſimè perſcrutatur & pernovit.

In batrachomyo.

Pſal. 26.
Ierem. 17.

DIXI.

LIBER

LIBER DVODECIMVS.

VELITATIONES DE MEDICINA THEOPHRASTI PARACELSI, INTER HENRICUM SMETIUM, tunc temporis illuſtrium A Comitum LIPPIÆ Medicum, & LEVINUM BATTUM Medicum & Profeſſorem in Academia Roſtochienſi, PARACELSO addictiſsimum.

EPISTOLA I.

Clariſſimo viro D. LEVINO BATTO *Philoſoph. &*
B *Med. Doctori, eiusdemq; Profeſſori ordinario in Acad. Roſtochiana*

HENRICUS SMETIUS MED. D.

EST hic, vir Clariſſime, vulgaris quædam de incantamentis ſuſpicio, omnibus ferè in morbis. Neque id equidem temerè. Video enim quosdam eſſe affectus, qui cauſis naturalibus adſcribi non poſſint omninò: propter ſymptomata & mores, tum ipſam curandi, qua utuntur, eosque profligant, rationem. Tu quid hac de re ſentias,
C perſcribe: Nec non, quid de Perſicaria illa immaculata, quam tanquam, μῶλυ quoddam Homericum adverſus carmina Magica prædicat Paracelſus. Cujus uſus ſuperſtitioſum quid olere videtur. Vale. Lemgovio Cal. Febr. 1569.

EPISTOLA II.

Clariſſ. viro HENRICO SMETIO *Med. Doctori, illuſtrium Lippiæ & Speigelbergi Comitum, nec non*
D *Lemgovienſis Reipubl. Medico,*

LEVINUS BATTUS MED. D.

IN Perſicaria, Clariſs. Conſobrine, mirabile habeo ſecretum, ad ſanandos omnes morbos ab incantamentis originem ducentes. Et

Sſ v.

quidem Theoph. Paracelſus ſingularem de Perſicaria libellum edidit. Multos incurabiles morbos hac herba ad miraculum ſuſtuli, cujus rei teſtes habeo plurimos. Capienda autem eſt maculata, non ea, quæ ſub piperitidis nomine circumfertur. Secretum te celare nolo. Herbam ipſam recentem contra fluminis ductum lavo; Lotam aliis herbis, ne agnoſcatur, miſceo, ac in ſacculo, ad locum affectum impono, vel in lavacro calido, affectam partem eo foveri jubeo. Hinc herbam defodio in terram ut putreſcat. Ubi enim putruerit, morbus ſublatus eſt, cauſam actionis annotat Theophraſtus. Longum eſſet eam epiſtola comprehendere. Feliciter cum conjuge & liberis vale. A
Roſtochio 14. Maij, 1569.

EPISTOLA III.

LEVINUS BATTUS MED. Roſtochienſis,

HENRICO SMETIO MEDICO LEMgovienſi Doctiſs. S. B

Doleo chariſs. cognate, me gravioribus negotiis diſtentum, non plenè jam poſſe tibi de Theophraſto ſatisfacere. Opus de Perſicaria additum eſt, interpretationi aphoriſmorum Hipp. à Theophraſto ſcriptæ, lectu digniſſimum. Multa ſunt in rerum natura, quorum cauſæ ad primas qualitates referri non poſſunt. Sententia Theophr. eſt, quaſdam eſſe herbas conſtellatas, ut ipſe vocat, quæ præ cæteris ſingulari facultate à Deo ſunt donatæ. Inter has eſt Perſicaria. Hanc dicit eſſe vi magnetica præditam, ſic ut magnetis inſtar, ex corpore C
extrahat. Defoditur in terram, ne ſpiritum aut malignitatem attractam, dum areſcit, perdat. Lavatur, quia correctionem habet ab aqua frigida. Sed hæc prolixè à Theophraſto explicantur.

Falleris, quod in morbis ferè tantum inveteratis & frigidis uſum eſſe putas medicamentorum, arte Chymica præparatorum. In peſte, pleureſi, interniſque inflammationib. Theophraſtus exhibet ſulfur ſublimatum, vel ſulfur ex metallis extractum. His morbis quid poteſt eſſe magis acutum? Crocum Martis magno ſucceſſu exhibemus in dyſenteria, & omnibus immodicis ſanguinis fluxionib. D
Feliciſſimè utor centaureæ & card. benedicti decocto, in febrib. tertianis & quotidianis, nec unquam me fefellit ſucceſſus. In quartanis, an idem præſtet, nec dum ſatis comperi. Talia ſunt ſexcenta, quæ ſi quis explorata haberet, magna laude, & ægrotantium commodo medicinam faceret. Sed gaudeo te admirari Theophraſti ſcripta. Benè vale Roſtochii 3. Julii 69.

EPISTOLA

EPISTOLA IV.

HENRICUS SMETIUS MED. Lemgovianus,

LEVINO BATTO MED. PROFESSORI apud Roſtochios digniſſimo.

A LIteras tuas 3 Julii emiſſas, 29. ejusdem accepi Conſobrine honorande, quibus auctoritatem Paracelſi adductis in medium aliquot argumentis defendis. Ego quidem excellens viri ingenium ſuſpicio, indefatigatum inveſtigandi res abſtruſiſſimas ſtudium admiror, incredibilem artis peritiam veneror, verum incivilem illam, ne dicam cyclopicam, taxandi veteres temeritatem, qua tantorum virorum ſcripta, artisque vetuſtiſſimæ firmiſſima fundamenta convellere laborat, atque arroganter nova quædam inaudita monſtroſaque dogmata ponit; laudare nequeo. Multa enim dicit, pauca probat. Libellum de Perſicaria, mihi nec dum videre contigit, neque Hipp. aphoriſmos ab ipſo explicatos. Frivolum eſt, quod Perſicariam defodiendam dicas, ne malignitatem attractam, dum areſcit, perdat Quorſum enim hoc? Præſertim poſtquam à parte affecta remota eſt, egitque quod agere debuerat. Sic enim mihi antè ſcripſeras: Herbam contra fluminis curſum lotam, parti imponendam, depoſitam defodiendam, ut putreſcat; ubi putruerit, morbum ſublatum eſſe. Nec minus ſuperſtitioſum & hoc apparet, quod correctionem ab aqua frigida lavando conſequi cenſeatur. Hoc ſi ita eſt, videbitur ipſius actio à primis qualitatibus dependere, quod Theophraſto non placet: quum dicat, herbas quasdam eſſe conſtellatas, & facultate ſingulari præ cæteris à Deo donatas, inter quas eſt Perſicaria, quam vi Magnetica præditam eſſe aſſerit. At Magnes occulta vi ferrum trahit, non quia frigidus aut calidus. Quomodo hæc cohærent?

Quod de ſulfure ſublimato in peſte, pleuritide, internisque inflammationibus à Paracelſo exhibito adducis: non probat, calidis acutisque morbis convenire chymica inventa. Neque enim dicis, quo gradu morbi dederit. Quid enim miri, ſi in declinatione morbi offeratur? Quin & Practici Theriacen in peſte præſcribunt. At nec peſtis cauſa, eſt qualitas calida, imò ne febri quidem ſemper conjuncta. Addo, quod febris in peſte ſæpè eſt ſymptomatica, ob conatum virtutis expultricis adverſus malignitatem vitæ inſidiantem, inſurgentis; ideoque totam corporis œconomiam perturbantis. Sicut etiam in generatione Eryſipelatum fieri videmus, & febres adeſſe propter климатic biliosi humoris mo

ris motum. Neque pleuritis poſt ſtatum frigidis, ſed diſcutientibus moderatè calidis & extergentibus curanda. Sic quoque omnes internæ inflammationes à ſtatu, calida λεπτομερῆ incidentia & tergentia poſtulant.

At neque ſulfur uſque adeò calefacit, putà quod ſecundum gradum non excedit, nihil acrimoniæ habens, licet Gal de gradu caloris nihil definierit, tantum dicens trahendi vim habere, calidum eſſe, & tenuis eſſentiæ. Rurſus nativa ejus λεπτομέρεια, quæ in profundum penetrat, facileque diſcutitur, multò verò magis ſubtilitas illa per ſublimationem illi conciliata, prohibent, quominus vehementer calor ſulfuris in corpus agat, utpote non durabilis. De croco Martis in dyſenteria & ſanguinis profluvio conferente, non magnoperè miror, putà quod ex frigido ſicco aſtringenteque metallo extractum ſit. A

De cardui benedicti & centaurii decocto in quotidianis & tertianis febribus feliciter ſuccedente, nihil eſt miraculi. Attenuant enim, cum amara ſint, humores craſſos, lentos incidunt, viſcidos abſtergunt, qui frigidi ſunt & pituitoſi, & obſtructionum cauſæ exiſtũt, etiam in tertiana febri, ſive ea ſit pura, ſive impura. Non enim bilis adeò craſſa eſt per ſe, ut obſtruere poſſit, quamvis putredini ſit obnoxia. Aliud enim eſt humor putridus obſtructus; aliud humor obſtruens Quare alia medicamenta obſtructioni, alia putredini conveniunt. Tali medicamento centaurii & cardui benedicti, non ego ſolum, ſed & alii Practici ex methodo Galenica, in febribus interpolatis utuntur. Neque eſt, quod Theophraſto id attribuas, aut admireris. B

Quod dubitas, utrum quartanæ conducere queat: Ego quidem omninò profuturum cenſeo, nempe quo ad obſtruentes humores & putredinem. At imbecillitati affectæ partis, in qua putredo generatur, non uſque adeò. Habitus enim ille intemperatus, eſt qui paroxyſmum talem quartanarium continuò regenerat, quæ intemperies, quia frigida & ſicca eſt, potius calida & humida requirit. C

Hæc ſunt, colende Conſobrine, quæ ad argumenta à te producta reſcribenti occurrebant. Si quid habes adverſus iſta, rogo, ut non feſtinanter, quod nuper & pro more, ſed maturè & deliberatò facias; ut vim argumentorum cognoſcam. Si opera Paracelſi exquiſite excuſa, unà cum indicibus ſuis Latinè reddita proſtent, & ſi omnia, medica inquam; velim id indicatum mihi; ut illa comparari curem. Habeo fragmenta quædam Germanicè edita de phyſiognomia morborum, de terebinthina, utroque elleboro, de caduco matricis ſecũdum librum, commentariolum de peſte, de ligno Guajaco, explicationem aliquot aphoriſmorum Hipp. cui tamen libellus de Perſicaria non eſt annexus. Feliciter vale. 27. Auguſti. 69. D

EPI-

EPISTOLA V.

LEVINUS BATTUS MED. Roſtochienſis,

HENR. SMETIO LEMGOVIENSIUM Medico.

A CLariſs. vir,& chariſſime Conſobrine, gratæ multis nominibus mihi tuæ fuerunt literæ,non eo ſolum quod quæ à conſobrino mei amantiſſimo proficiſcuntur omnia,debeant eſſe gratiſſima: ſed etiam quod multis utilibus ſtipatæ argumentis docerent te veritatis eſſe ſtudioſiſſimum,& me viciſſim hortarentur, ne velut aſſuetus eſſem,tenuiter & feſtinanter de tantis rebus diſputarem. Ego certè non negligentia, ſed potius vel temporis inopia, & negotiorum multitudine,vel quod laterem me lavare arbitrarer, in ſcribendo fui parcior. Verum quoniam nunc crebris literis, & quidem diligenter, B perſcriptis,perſpicio quam ſis non tam præjudicatæ opinioni, quam veritati addictus: aperiam quod ſentio.

Summa doctrinæ Paracelſicæ in eo verſatur, an detur morbus ſubſtantiæ: Et ſi detur, quod medicamentis cedat, non quæ qualitatibus,ſed tota ſubſtantia contraria exiſtunt.

Paracelſus cum multis recentioribus,non modò ſui ſectatoribus, verum etiam Galenicæ doctrinæ ſtudioſis, Fernelio Ambiano, Gabriele Fallopio Patavino & aliis aſſeverant morbum dari ſubſtantiæ vel formæ, contra Galenum. Galenus enim rationalem ſe profeſſus, quod ratione quadam, medicamenta omnia morbos C propulſura inveniri arbitraretur, nimis anguſtis limitibus morborum genera concluſit: dum morbum omnem triplicem,ſimilarem, organicum,& communem ſtatueret. Similarem verò eſſe intemperiem,quæ tam ſimplex, quàm conjuncta, vel cum humoris affluxu,vel absque eo eſſe poſſit. E contrario Theophraſtus,Fernelius, & alii triplex quidem morbi genus fatentur: Sed primum illud, ſimilare videlicet, latius longè faciunt. Morbum enim ſimilarem ſubdividunt in Galeni intemperiem,materiæ immoderationem, & formæ corruptelam. Ad materiæ immoderationem quidem, omnem partis ſimilaris laxitatem,duritiem,mollitiem, aſtrictionem, D raritatem, denſitatem, tenuitatem, craſſitiem,referentes. Ad formæ corruptelam omnes morbos peſtilentes contagioſos & venenatos. Hujus diſtinctionis ratio hæc eſt: quod tria ſint in parte ſimilari, ad quæ ſequatur actio, quorum trium aliquo læſo,vel pereunte,actiones impediantur; ea ſunt, temperamentum, materia & forma.

Tempe-

Temperamentum ad actionem conferre, manifeſtum eſt ex auctoritate Galeni, qui multis in locis tuetur, omnem imbecillitatem intemperiei ſobolem, & temperamentum omnis actionis principium & cauſam eſſe.

Materia vitiata, robur & valetudinem infringi; hinc docere eſt, quod aliquibus ventriculus, nec acetum, nec ſinapi, nec piper, nec quicquam acre, aut mordax toleret: Aliis, omnia facillimè. Odoribus alii oblectentur; alii citrà offenſionem illos ferre nequeant. Cauſa enim eſt, quod ventriculus & cerebri meninges, aliis raræ & laxæ ſint; aliis denſæ & firmæ. Si quis hic ex Galeno cauſam afferat, putà quod illis ventriculus ſit exquiſitoris ſenſus: At unde iſta ſenſus exquiſitio? An ab intemperie? At multi intemperati ejusmodi nihil ſentiunt. Quidam optimo temperamento, nec calorem, nec frigus, nec laborem ferunt, quia molli & laxa ſunt carne; quidam intemperati, contrà. Præterea cum Galenus vult ſervari vim & robur partis, quæ uſum habet toti corpori communem, jubet abſtineri à relaxantibus, quia partis ſubſtantiam diſſolvunt. A

Formam vel eſſentiam partis conferre ad actionem, illa pereunte aboleri actionem, vel hinc patet; quod quæcunque in nobis partes ſunt, totius ſubſtantiæ vi, concoctionem, nutritionem, harumque adminiſtras functiones obeant; quinetiam motum & ſenſum. Partis enim ſubſtantia, facultas eſt, quam Galenus nono Methodi, divinam appellat; eamque à materia & temperamento disjungit. Exemplo fiet res illuſtrior: Ventriculus, ut pars ſimilaris, tanta aliquando imbecillitate corripitur, ut nihil concoquat, & cruditas, ac lienteria ſequatur. Hanc noxam contrahit, vel refrigeratus nimium, ut lactucarum eſu; vel frigidæ potu; vel relaxatus immodico olei tepentis hauſtu; vel extraneis venenatisque qualitatibus laceſſitus, ut Epoto veneno, in Exanthematis, &c. B

Quid, quod Galenus vel invitus, hoc concedere cogatur, & figmenti ſui oblitus, veritatem diſſimulare non poſſit. Lib. 2. ad Glauconem cap. 2. Virtutum læſarum tres recenſet cauſas; relaxantia, quæ materiæ ſunt, refrigerantia, quæ temperamenti, & alienas qualitates formæ ſcilicet corruptelam, his verbis; quæ immoderatè laxant, ſolvunt robur, quare & partis virtutem. Quæ ſupra modum refrigerant, nativum calorem exſtinguunt, qui vel eſt ſubſtantia virtutum, vel primum & immediatum inſtrumentum. Jam verò & qualitates quædam extraneæ virtutem diſſolvere poſſunt. Item Galen. lib. 6 Meth. inquit cap. 13. ſi illud quod dolorem infert, à tota ſubſtantia hoc facit, medicamentum invenire debemus à tota ſubſtantia ſanans. C D

Item lib. 3. de temperamentis cap. 1. Nullum medicamentum calfaciens aut ſiccans, refrigerans aut humectans agit à propria ſubſtantia. Ex quibus locis diduci poteſt, actiones & paſſiones à tota ſubſtantia, notas veteribus & Galeno fuiſſe.

Medica-

Medicamentis quoque inſunt vires, aliâs à temperamentis, quæ ſunt primæ qualitates: alâs à materiâ, quæ ſecundæ: aliâs à formâ, quæ tertiæ exiſtunt. Hæ autem eſſent ſupervacuæ: ſi nullus eſſet, nec materiæ, nec formæ morbus.

Curatio etiam manifeſtum facit, dari morbos ſubſtantiæ; cum ea morbos tollant, quæ totâ ſubſtantiâ, non qualitate tantum, morbo adverſantur.

Proponatur hydrops, quartana, Epilepſia, peſtis, morbus Gallicus, phthiſis, aut quicunque alius ſubſtantiæ morbus: videre velim
A illum medicum, qui ſolis qualitatibus tales tollat.

Invexit Galenus commentum humano generi pernicioſiſſimum, cum ferè omnes morbos in intemperie conſtituit, eosque contrariis qualitatibus curandos docet. Si procederet Galeni ratio: ars Medica eſſet artium omnium facillima, ſaltem quo ad curationem. Nam morbo cognito, haberem remedia in promptu: At ſi rem fateamur; quàm ſæpè fruſtratur nos ipſe ſucceſſus, ſæpè ab anicula ſuperamur; multoties ab Empiricis vincimur; qui aliqua tantum antidota habent, quæ à tota ſubſtantia agentia, morbum citiſſimè propellunt. Videas ſæpè optimos theriacos, peſſimos eſſe pra-
B cticos. Quam multi in ſcholis doctrina Medica eruditi, in patriam reverſi, vel ad praxin ſe conferentes, devoraturos ſe putant ilicò morbos omnes. At in ipſo artis opere, ſentiunt demum, quantum ſibi deſit. Hæc cum indocti conſiderant; artem medicam contemnunt, doctiores Fortunam cauſantur; ac dicunt, hominem quidem eſſe artis periti ſſimum, ſed infelicem in ipſo artis opere. Non hæc infelicitas: Sed artis ignorantia eſt.

Quid, quod nos multos morbos incurabiles dictitamus, lepram, podagram, hydropem, & id generis ſexcentos, omnes videlicet ſubſtantiæ morbos, quodque interdum docta plus queat arte ma-
C lum. Extrema hæc eſt anchora; in qua ſalutem quærimus, quamquam imperfectioni artis & ignorantiæ noſtræ obtendimus. At ſi ars Medica nobis plenè cognita eſſet: omnes ſine diſcrimine morbos curabiles redderemus.

Ei qui ſanus eſt (dixit Chriſtus) non eſt opus Medico. Ergò omni ægro neceſſarius. Si neceſſarius eſt. Ergò id præſtare debet, pro quo imploratur.

Ut igitur paucis rem contraham; Aut Galenus rectè morbos omnes ſimilares ad intemperiem retulit; aut rectè recentiores ad ſubſtantiam & intemperiem. Quod ſi eſt, velut rationes à me
D propoſitæ convincunt: Laudandus eſt Theophraſtus, quod errorẽ tot annis à nemine deprehenſum, ipſe manifeſtârit. Propoſitum enim Theophraſti non eſt aliud quam remedia proponere, quæ à tota ſubſtantia, morbos formæ propulſent.

Nec reprehendendus ideò venit, quod Galenum & veteres taxet,

Tam

tam craſſus enim & perniterioſus humano generi error, aliter detegi non poterat. Nunquam pontificios errores evertere potuiſſet Lutherus, niſi reprehenſione uſus eſſet acriore. Nec Galenus Eraſiſtratum, Theſſalum, & alios è ſcholis eiicere potuiſſet, niſi & ipſe acerbius eoſdem eſſet inſectatus Sed ecce dum animo indulgeo, excedo epiſtolæ modum. Finem igitur facio, & de his aliâs. Benè vale. Carolus pro licentiæ gradu diſputavit melius, quam opinabamur, & cum admiratione audientium. Iterum vale, uxorem cum liberis ſaluta. Roſtochii die 13. ſeptemb. 69.

Occupatior eram, quàm ut relegere poſſem. Ignoſces igitur. A

EPISTOLA. VI.

HENRICUS SMETIUS MEDIC. Lemgovienſium.

LEVINO BATTO PHILOSOPHO DOCTISSIMO ET Medico Experientiſſimo.

QUOD me poſtremis literis, honorande Conſobrine, ut penultimis tuis reſpondeam, diligenter mones: Rectè equidem atque iure tuo id facis. Debitum agnoſco. Quod ſi ſtatuto die nuper non exſolverim, confido negotia mea, quibus per intervalla acervatim obruor, excuſationi aput te locum habuiſſe. Indulgentiam hanc tuam, cum fœnore in poſterum compenſabo, ſi quando meus eſſe potero. Aſſiduè enim (ut medicantium fert conditio) aliis vacare nos neceſſe eſt. B

Literæ ſanè illæ tuæ præ cæteris omnibus gratiores mihi fuère, quod ſtudio maiori, quàm ſolent, conſcriptæ eſſent, validiſq argumentis fultæ, quibus Theophraſti auctoritatem extollere, Galeni verò deprimere conaris Verum ad epiſtolam meam nihil reſpondes, qua rationes tuas pro Theophraſti doctrinâ prius adductas, attenuavi. Quo fit, ut te illic cauſæ diffidere exiſtimem, ideoque pro conceſſis accipiam, quæ in priore illa tractavi. Attamen nihilominus, quid his poſterioribus fundamentis ſuperædificare labores, & quam firma illa ſint, pauliſper conſideremus. C

Theophraſtus, inquis, cum fernelio, Fallópio aliiſque recentioribus aſſerunt, morbum ſubſtantiæ, vel formæ dari. Galenus verò negat. Hanc eſſe cauſam, quod Theophraſtus Galeni caſtra deſeruerit, adeoque infeſtus eius manibus bellum indixerit. D

Aſſertionis Theophraſticæ aliquot rationes adducis.

Morbum ſimilarem ſubdividendum in tria; intemperiem videlicet, materiæ immoderationem, & formæ corruptelam.

Adma-

Ad materiæ immoderationem quidem, omnem laxitatem, adſtrictionem, mollitiem, duritiem, raritatem, denſitatem, tenuitatem, craſſitiem referendam.

Ad formæ corruptelam, omnes morbos peſtilentes, contagioſos, & venenatos pertinere.

Confirmas eadem aliquot ex ipſo Galeno locis.

Lib. 2. ad Glauconem c. 2. ubi ſic ſcribit: Quæ immoderatè laxant, ſolvunt robur, quare & partis virtutem. Quæ ſupra modum refrigerant, nativum calorem extinguunt, qui eſt vel ſubſtantia virtutum,

A vel primum & immediatum inſtrumentum. Iam verò & qualitates extraneæ virtutem diſſolvere poſſunt.

Item lib. 6. meth. med. cap. 13. Si illud quod facit dolorem à tota ſubſtantia facit, invenire debemus remedium, à tota ſubſtantia ſanans.

Item lib. 3. de tempera. capit 1. Nullum medicamentum calfaciens aut ſiccans, refrigerans aut humectans, agere à tota ſubſtantia.

Medicamentis etiam ineſſe vires, aliâs à temperamentis, quę ſunt primæ qualitates, aliâs à materia, quæ ſunt ſecundæ, aliâs à formâ,

B quæ tertiæ exiſtunt. Hæ autem eſſent ſupervacuæ, ſi nullus eſſet materiæ nec formæ morbus.

Præterea curatione manifeſtum fieri, morbum ſubſtantiæ dari, cum ea morbos tollant, quæ tota ſubſtantia, non qualitate ſolum, morbo adverſantur. Exemplo ſunt hydrops, quartana, Epilepſia, lepra, podagra, peſtis, morbus Gallicus, phthiſis & quicunq; alius ſubſtantiæ morbus, quos nullus Medicus qualitatibus ſolis curat.

Has cauſas adeò graves eſſe cenſes, ut a Galeni caſtris meritò deſciverit Paracelſus, eiusq; doctrinam de intemperie, ut commentum humano generi pernicioſiſſimum toto orbe proclamet.

C Verum has parumper quæſo examinemus, an tantis propterea contumeliis digna ſint Galeni ſcripta.

De primo itaq; argumento. miror, cur ſimilarem morbum ſubdiviſerint trifariam, in intemperiem, materiæ immoderationem, & formæ corruptelam.

Item de ſecundo non minus, quare ad materię immoderationem, laxitatem, adſtrictionem, mollitiem, duritiem, raritatem denſitatē, tenuitatem craſſitiemq; partis ſimilaris peculiariter referant. Quorſum enim hoc? An non laxitas & mollities humiditatis ſunt ſoboles. Adſtrictio & durities ſiccitati accepta feruntur? An non raritas

D & tenuitas à caliditate dependent?

Denſitas verò & craſſities ex frigiditate quadam humida conſequuntur, adeoq; ſic ad intemperiem reducenda? An temperamenti aliud ſubiectum eſt in parte ſimilari, quàm ipſa eiuſdem materia? At quæ nam eſt ſimilarium materia alia, quam ſemen ipſum? à quo ſpermaticæ appellari ſolent? Nonne ſemen in villos, fibras, aut fi-

lamenta quædam primò commutatur? quæ alimenti acceſſu, pro creaturæ neceſſitate, in nervos, arterias, venas, oſſa, cartilagines, ligamenta membranas, tendines, cutemq. adoleſcunt? Quid in his ſimilarib. materiam vocas? ſubſtantiam ne ſpermaticam, an id ꝙ ab alimento accrevit? ſanè ſpermaticam ſubſtantiam dices. At hęc temperamenti eſt fundamentum: cui ſi primas qualitates tribuimus, quare ſecundis illam privabimus? Si quud calidum, frigidum, ſiccum, humidum, quare non idem durum molle, rarum denſum, laxum ſtrictum, craſſum tenue, aſperum læve, grave & leve, aliaque tactilis, viſilis, guſtatilis, odorabilis &c. qualitatis appellatione dici poſſit? modò corpus fuerit. A

Quod ventriculi & cerebri exemplo probare conaris, materia viciata valetudinem infringi, nihil agis. Non enim ventriculus aut cerebrum individui alicuius, hoc odoribus, ille acrium eſu offenditur aut oblectatur, ideò, quod laxa firma, rara aut denſa ſunt, neque rurſus quia ſimpliciter temperata, aut intemperata exiſtunt: ſed propter ἰδιοσυγκρασίαν, quia nempe certo quodam, proprioq; temperamento conſtant. Neque hunc hominem, omnes odores delectant, aut lædunt, neque rurſus illi omnia acria moleſta ſunt, aut grata: Sed quædam tantum. Sunt qui moſcho, ſunt qui ambra, ſunt qui ſibeto, ſunt qui roſis offendantur. Erat Lovanii Lanio, B qui oleti nidore, præ cæteris odoramentis, etiam ſuaviſſimis, recrearetur. Aurigæ famulus in lipothymiam inciderat, cui mulierculæ aquam roſarum, acetumque roſaceum adhibebant, quibus herus ægroti ſuperveniens, odoramentis omnibus amoveri iuſſis, ipſe ſcybalo equi recentiſſimo naribus orique infricto, ſubitò animam revocabat. Socrus mea ad aniſi, glycyrrhizæ melliſque dulcedinem nauſeat, imò ſi cui potioni ſimplicia illa clam ipſa incocta eſſent, ventriculus tamen inimicam ſibi rem perſentiſcens, vomitu mox reiicit, alia tamen dulcia admittit. Nobilis matrona Donopæana, C vino abſinthite delectabatur, abſinithium ipſum oderat. Sunt qui aromate hoc offenduntur, illud ſine moleſtia ferunt.

Rurſus neque probatio procedit, quia cum de ſimilaribus & materiæ earundem immoderatione agere debebas, tui oblitus, ab inſtrumentalibus probas. Non enim ventriculus aut cerebrum, quatenus actiones ſuas obeunt, ſimilares, ſed organicæ partes exiſtunt.

Adducis aliud, nempe quoſdam optimi temperamenti, nec calorem, nec frigus, nec laborem tolerare, eò quod molli laxaq; ſint carne Quoſdam intemperatos contra ſe habere. Eadem chorda oberras. Neq; n. frigus, æſtus, labor, ſimilaribus tantũ, neq; organicis quibuſdam ſolum, ſed toti corpori occurrunt. Quæ ſi immoderata ſint, D ne bruta quidem diu pati poſſint. Sin virib. individui accommoda, etiam imbecillimi pro proportione ſui tolerabunt. Adde, ꝙ carnis appellatio, hic non ut ſimilaris, ſed ut inſtrumentaria accipienda venit. Muſculos n. ſignificat, qui nervis, tendinibus, venis, arteriis, membranis, fibris, & carne ſimplici conſtant. Præte-

Præterea calor, frigus ſunt tactiles qualitates; quæ cutis non carnis ſimplicis ſunt objecta; Nam cutis, tactus primum & proximum inſtrumentum eſt, non caro. Laborem rurſus obit, non ſola caro, neque muſculi ſoli ſed requiruntur eodē & oſſa, & ligamenta, imprimis verò nervi, ac multò magis tendines, quibus laborantes partes moventur. Quinetiam aſſuetudo, nec non proportio agentis & patientis. Unde liquet, quàm parum roboris inſit & iſti argumento.

Probas tertiò Galeni auctoritate, qui ad conſervandum tonum partis, uſum habentis toti corpori communem jubet à relaxantibus
A (quod partis ſubſtantiam diſſolvant) abſtinere. Hallucinaris mi cognate & hic, ut prius. Qui enim de materia ſimilaris partis tractare cæperas, ab organica iterum ſubſidium petis. Nō enim uſquam Gal. ſimilarem partem aſtringendam docet, ſed organicam, quæ uſum habeat toti corpori communem, quales ventriculus, jecur, lien, cerebrum, &c. Hactenus quæ pro materiei immoderationē partis ſimilaris aſſerenda in medium produxiſti, excuſſimus.

Deinceps ad tertium ſubdiviſionis membrum formæ videlicet corruptelam, progrediamur, quam vocas partis eſſentiam & facultatem divinam, cujus vi concoctio, nutritio, cæteræq; miniſtræ fun-
B ctiones, nec non & motus & ſenſus fiunt. Quæ ſi vera ſunt; quorſum principes partes, & quidem tres ſtatuuntur regionibus procul à ſe mutuo ſeparatæ, cerebrum in capite, cor in pectore, jecur in abdomine, quæ cæteris particulis ſingulis vel remotiſſimis virtutes ſuas, ſpirituum vehiculo, ad edendas actiones, per nervos, arterias & venas, ut tubulos idoneos, continuò tranſmittunt. Quo beneficio particulæ ſimplices nequaquam egebunt, ſi ſubſtantię formæq; proprię vi ſola, actiones ſuas obeunt. Quin & ſic eaſdem functiones exequentur, etiam à corpore reſectæ, ſicut magnetis particula ferrum, ſuccini portio paleas trahit. At ſtatim, ſimulatq; corpori deciderint,
C vitæ, ſenſui, motui excidunt: Sic quoq; toti adhuc adhærentes, ſi facultatū itinera impedita ſint, operationibus ſuis deſtituuntur, quod in apoplexia, epilepſiâ, paralyſi, gangræna, ſphacelo, atrophia uſu venire videmus, obſtructis ſcilicet, vel præſectis, intemperie magna affectis, aut alio modo impeditis nervis, arteriis, aut venis. Quare formæ aut ſubſtantiæ figmentum in ſimilari parte, quemadmodum & materiei, inutile eſſe vides.

Ad ſtabiliendum tamen hoc commentum, ventriculi exemplo uteris, quem ἀπεψίᾳ ac ſequenti lienteria laborare ſtatuis, idque vel
D refrigeratum nimio lactucarum eſu, vel multo frigidæ potu vel relaxatum immodico olei tepentis hauſtu, vel extraneis venenatisque qualitatibus laceſſitum, ut veneno aſſumpto, & in exanthematibus.

Ad hujus argumenti primam partem non eſt, ut reſpondeam. A- I.
gnoſcis enim ipſemet temperamentum. Attamen, hoc addo, me per illud, quod ſupra dixi, ἰδιοσυγκρασίαν quandā intelligere, qualis nēpe

ad uniuſcuiusq; partis actiones edendas propriè requiritur : eam non parum ad functiones conferre fatearis oportet , modò debita inter agens & patiens proportio ſervetur, ut cibi quantitate, qualitate, tempore, ordine &c. ventriculo congruant.

2. Quod relaxatum ventrem immodico oleo, cruditate & lienteria affici dicis: quid aliud eſt, quam humectatas nimio oleo, ventriculi fibras tam diu oleum, donec illud concoxiſſent, continere non potuiſſe. ſed copia & humiditate lubrica tepidaque moleſtum, deorſum expuliſſe, humida interim quadam in ventriculo intemperie relicta, cruditatis ſubſequentis cauſa. Neq; patrocinatur iſtud materiei immoderationi. A

3. Si verò venenata qualitas, cruditatem cum lienteria provocarit, hæc frigida vel humida ſit, ac iners valdè, neceſſe eſt, nequaquam autem deleteria. Si enim deleteria eſſet, prius animal interemiſſet, quam ventriculo hanc imbecillitatem impreſſiſſet. Sin verò calidum eſſet venenum, iam non lienteriam, ſed dyſenteriam potius corroſione ſua excitaret. Exanthemata quoq; nunquã, ut tu opinaris, inteſtinorum lævitatem, induxerint, ut quæ biliosos putresque humores, non pituitoſos, idque ad cutem non ad alvum proturbent. Nihilominus ut ut ſit: Si epoto veneno B cruditas cum lienteria ſequatur; non eſt quod aliò, quam ad veneni intemperiem confugiamus, ut ſymptomatum horum naturam quæramus. Immò vix veneni nomine dignum fuerit, ſi alia non inferat incommoda. Nec aliud de exanthematibus dicendum, ut quæ non ſemper, ut exiſtimas, venenoſæ qualitati iunctæ ſint. Sed nec obſervatum arbitror, exanthematibus cruditatem cum lienteria superveniſſe. Multos & quidem ſupra lxx. exanthematibus affectos habui, nec in ullo eorum tale quid vidi. Vides igitur, mi cognate, quod ne hoc quidem argumentum conſiſtere poſſit, pro tertio ſubdiviſionis huius membro, formæ ſcilicet ſimilaris partis morbo aſſerendo. Trimembri itaque iam ſubdiviſione C iſta examinata, qua materiei formæq; portentis partes ſimilares liberavimus : facilior erit deinceps ad alios epiſtolæ tuæ cuneos perſtringendos progreſſus.

Everſo itaq; iam & formæ fundamento, haud tutò peſtilentes, contagioſi, & venenati morbi ſuperſtrui poterunt. Quamobrem longiore inquiſitione ſuperſedebo, ut ad rationes ex Galeno allatas excutiendas me conferam.

Allegas locum ex libro ſecundo capite 2. ad Glauconem : Quæ D immoderatè laxant &c. quem trimembri tuæ ſubdiviſioni ſuffragari confidis. Huius loci primæ parti de laxantibus ſufficiunt ea, quæ ſupra ad materiæ deſtructionem adduxi. Deinde quod immodicè refrigerantia nativum calorem extinguant, eſt extra controverſiam. Qualitates verò extraneæ virtutem partis diſſolventes, ne momentum quoq; tuam formam fulciunt. Extraneas n. non venenatas

natas dicit. Martinus quoque Acakia, qui libros ad Glauconem cōmentariis illuſtravit, alienas vertit, qua voce & tu ſupra ſemel uſus es. Græcus enim textus (cujus tu es intelligentiſſimus) habet ἄτοποι quaſi dicas qualitates, quæ loco affecto non applicantur, diſtinguendo ab iis, quæ antè calidis tumoribus, ut topica, imponenda docuerat; tum pro repulſione affluentis humoris quod frigidis & aſtringentibus; tum pro dolore mitigando, quod laxantibus & mollientibus; rurſus pro diſſipando eo, quod parti influxerat, atque adhuc inhærebat, cui diſcutientia & ſiccantia conveniunt. Monet autem Gal.
A ſedulò, ne dū prodeſſe volumus parti, interim toti, quàm maximè, noceamus. Docetque quibus modis nocere imprudenter poſſimus. Neque enim ſolum iis, quæ applicantur, robur corporis ſolvi poteſt: Verum & aliis ἀτόποις, id eſt, non applicatis parti; Exempli gratia, intemperantia fervidi aut gelidi aëris, fœtore, triſtitia, metu, &c.

Citas aliud ex lib. 6. cap 13 Meth. Med. Si illud, quod dolorem infert, à tota ſubſtantia id facit: medicamentum invenire oportet à tota ſubſtantia ſanans. Ego verò hanc periodum in mei Galeni lib. 6. cap. 13. non reperio. Non enim XIII. ſed ſex tantum capita, lib. 6. continet. Ideoque ad ſequentia tranſibo.

B Deſumpſiſti ex cap. 1. lib. 3. de temperam. & hoc ſtabilimentum opinionis Paracelſicæ: Nullum ſcilicet medicamentum calfaciens, refrigerans, humectans, ſiccans agere à propria ſubſtantia. Sanè nec iſta verba illo cap. agnoſcit Gal. Perlegi enim diligenter, ſed diverſum à tua opinione dicit, nempè totam ſubſtantiam in quovis corpore conſtare ex calido, frigido, humido, ſicco inter ſe miſtis, agitque de corpore humano, non de medicamentis. Ita enim habet textus ſub finem capitis: Quatuor dicimus totius corporis proprias eſſe facul- “
tates, unam idoneorum tractricem, alteram eorundem omnium “
retentricem, tertiam alteratricem, quartam alieni ſegregatricem: “
C Eaſdemque facultates effectus eſſe totius in quovis corpore ſubſtā- “
tiæ; quam etiam conſtare ex calido, frigido, humido & ſicco inter ſe “
miſtis dicimus. Ex quibus omnibus patet, quam parum cauſæ tuæ “
faventem Galenum repereris.

Fuſis prioribus copiis, omnis tibi ſpes in triariis ſupereſt. Hos enim ut robur militiæ, prudentis ducis exemplo, ad poſtremum reſervaſti: Per hos certam tibi victoriam promittere tibi videris. Sed quid & hi poſſint periculum faciamus. Medicamentis, inquis, inſunt vires, aliâs à temperamento, quæ ſunt qualitates primæ; aliâs à materia, quæ ſecundæ; aliâs à forma, quæ ſunt tertiæ. Hæ autem eſſent
D ſupervacuæ, ſi nullus eſſet, nec materiæ, nec formæ morbus. Atqui quo auctore, quave ratione triplices has medicamentorum vires ita diſtinguas, ut primas qualitates temperamento ſolas; ſecundas materiæ; tertias formæ adſcribas, ego quidem ignoro, neque tu declaraſti. Sanè Gal. lib. 6. cap. ſect. 4. de Compoſ. Medic. ſec. genera, ſic ſcribit: Primæ qualitates effectivæ medicamentis ſunt à calido, frigido, “

humido,ſicco.Secundæ, mollientes,digerentes,repercuſſoriæ,attra-ctrices,coctrices.deterſoriæ,exedentes. Tertiæ dicuntur quæ glutinant vulnera,cicatricem inducunt, & carnem generant. De primis inter nos nulla eſt controverſia,utpote temperamento attributis.De ſecundis ac tertiis diſſidemus. At mollire videmus ea medicamenta, quæ calfaciunt modicè, craſſitiem attenuant, denſitatem fundunt, humiditatemque in parte contentam nonnihil exſiccant. Digerẽtia vocantur quæcunque cum caliditate humiditateque moderata rarefaciunt.Repellere dicuntur,quæ frigida ſunt,craſſarum partium,& aſtringentia. Attrahendi vim habent quæ non ignaviter calfaciunt, & tenuium ſunt partium. Concoquunt,ac pus movent,quæcunque calida humidaq; moderatè,poros cutis obſtruunt. Deterſoria vi prædita eſſe conſtat, quæ amara aut nitroſa aut dulcia ſunt, videl. calida & ſicca,cum quadam tenuitate. Exedere deprehenduntur ea, quæ acria ſunt,craſſæque ſubſtantiæ. In quarum virium inveſtiganda ratione,nihil reperio; quapropter ſecundas has qualitates materiæ acceptas ferre debeamus. Neque enim,quia denſum, rarum; grave, leve; durum, molle; craſſum, tenue; laxum, ſtrictum ſolummodo quid eſt; ſecundis id qualitatibus præditum dicitur; ſed quia ita temperatum. Quin & ſupra oſtendi tractiles qualitates, quas tu materiei appellas, à temperamento primarum qualitatum dependere. A B

Agamus porrò de tertiis.Carnem generant,ac cava replẽt,quæ citra morſum abſtergunt. Glutinant recentia vulnera,quæ inter ſarcotica & epulotica medium locum obtinent, ſcilicet, quæ nihil amplius abſtergunt, ſed aſtringunt potius, & ne quid labris vulnerũ interveniat humoris,prohibent.Epulotica n. (quæ cicatricem inducũt) ſunt illa quæ citra morſum ſiccant & aſtringunt. Quid itaque in his eſt, quod formæ debeatur? cum & harum natura ad primas referatur? ſiccando enim actiones iſtæ ſarcoticorum,calleticorum, & epuloticorum peragi neceſſe fuit. C

Labeſcente triariorum virtute,auxiliis veteranorum aciem inſtauras, quum dicis: Curatio etiam manifeſtum facit, dari morbos ſubſtantiæ,cum ea morbos tollant, quæ non qualitate ſola, ſed tota ſubſtantia morbis adverſantur. Proponatur hydrops, quartana, epilepſia,peſtis,morbus Gallicus, phthiſis,aut quicunque alius ſubſtantiæ morbus. Videre velim,inquis,illum Medicum,qui ſolis qualitatibus tales tollat. Quid autem ſibi vult,quod has morborum ſpecies, ſubſtantiæ morbos appelles? An non hydrops ſub genere tumorum præter naturam comprehenditur? Quartanam quonam referas, quam ad febres ſub intemperie ſitas? Epilepſia actio eſt depravata motricis facultatis, qua totum corpus convellitur, dum cerebrum, rem ſibi moleſtam expellere laborat. Peſtis febribus putridis malignis adſcribitur. De morbo Gallico ut affectu novo,ſcriptorum ſententiæ variant. Saniores tamen ad intemperiem hepatis ac venarum calidam ſiccamque pertinere aſſerunt. Phthiſin ſcimus extenuationem totius corporis eſſe,ab hectica ſymptomatica, quam inſanabile D

pulmonis ulcus genuit,dependentem. Nihil nec in his deprehendo, quod formæ attribui debeat At cauſas cum loco affecto contemplemur. Hydropes omnes ad intemperiem frigidam humidamq; jecoris conſequi medici affirmant. Quartanam quis dubitat,ab humore melanchoꝉico extra venam cavam (nam de intermittente eſt quæſtio) putreſcente ſuſcitari? Epilepſiam verò, ob humorem craſſum, vel pituitæ vel atræ bilis, ſpirituum meatus in cerebri ventriculis opplentem,vel vaporem malignum laceſſentem, communis eſt artificum conſenſus. Peſtilens febris,à putredinoſo, & jam malignitatem,
A ob putredinem,adepto aëris inſpiratu, vel ſpiritus vel humores inficiente,originem ducit Morbus Gallicus, non niſi contagio, per congreſſum venereum,accubitum,oſcula,contactum, confricationem, mammarū ſuctionem,hepati impreſſo contrahi poteſt, quem etiam quidam hæreditario ad poſteros propagari exiſtimant. In phthiſi,exulcerati pulmonis cauſa eſt eroſio, vel per defluxum acrem ex cerebro,vel ob cohibitum pus ex prægreſſa pectoris inflammatione, aut ſolutione continui profecta Quid in hac cauſarū, læſarumq; partiū inveſtigatione,juris ſibi forma vendicare poteſt? Quorſum in horum affectuum curationem,à tota ſubſtantia ſolum antidota quærimus?
B Quaſi verò, nec hydrops, nec quartana, nec epilepſia, nec peſtis,nec lues Gallica,nec phthiſis (ſi modò non prorſus deſperatos & incurabiles affectus hos,jam deficiēs natura reddiderit) methodo Galenica unquā ceſſerint. Paracelſicis verò antidotis omnia,vel deploratiſſima vitia,ſemperq; morē geſſerint: Cū tamē ipſius Paraceſi aſſeclæ,ſicubi pertinacē morbum experiantur, ſtatim ad duos excuſationis modos confugiant; putà vel à Galenicis Medicis(per hos n. callidè curationem prætentari ferè, majoris famæ aucupio, jubent) deterius,imò incurabile malum effectum; vel afflictionem perpetuam, irati numinis vindicta,immiſſam eſſe.

C Vides ex ſupra dictis,mi cognate,quàm malè Paracelſi auctoritatem,validiſſimus iſte tuus argumentorū exercitus defenderit; quàm infeliciter pro morbis ſubſtantiæ depugnarit. Contrà verò, ut parta de hoſte victoria ſublimis triumphet magnus ille Galenus. Quàm iniqui igitur,prorſusque inhumani ſint Cyclopes & ingrati, qui tantum virum præclariſſimè de univerſo hominum genere per tot continuata ſecula meritum, injuriis tam atrocibus abſque cauſa proſcindere audeant,tu ipſe tecum judica.

Quinetiam ſummoperè demiror Paracelſicos,tāto ſtudio allaborare,ut morbos ſubſtantiæ,aut formæ conſtituant,eosque remediis à
D forma, aut tota ſubſtantia deſumptis curandos eſſe cenſeant: cum vel ex Dialectics præceptis (quamvis ad penitiora Philoſophiæ arcana penetrare noluiſſent) moniti meminiſſe debuerant: Subſtantiæ nihil eſſe contrarium: neque formas ſubſtantiales contrarietatē habere. ſed illam eſſe qualitatū inter ſe pugnantiū. At ſi remedium à tota ſubſtantia, morbum quoque totius ſubſtantiæ expellat: jam

ſubſtantia ſubſtantiæ contraria (quod abſurdum eſt) ſtatuetur. Non enim ſi quis ſit morbus, cujus naturam cauſasque ignoremus, propterea ſubſtantiæ morbus eſſe, dicendus eſt. Quemadmodum neque, ſi quomodo medicamentum agat, nos lateat: idcircò ſtatim à tota ſubſtantia agere putandum. Cur non potius qualitatem, vel vim occultam, aut temperamenti proprietatem in medicamento: In morbo verò abditam cauſam vocamus?

Hæc ſunt honorande Conſobrine, quæ ad literas tuas ſtudioſè hercle pro Paracelſo exaratas, verboſius ego quidem, minus tamen accuratè quàm volueram, propter varias occupationes profectio- A
neſque ad ægros inſtitutas diſtractus, diverſis temporum intervallis, & interruptè reſumpto in manus calamo, reponere potui. Quibus ſi ære tuo, quod velim, me exſolvi: fac ut ἀντιχὶν remittas. Aut ſi qua habes præterea, quibus Theophraſti tui dogma de morbis ſubſtantię fidelius propugnari poſſe confidas; liberè perſcribe. Nihil enim veritate prius atque antiquius habeo, in religione pariter, ac diſciplinis. Nullius addictus jurare in verba magiſtri. Neque enim tanti apud me eſt Lutherus, aut Galenus, quin ſi quid alius veritati magis conſonum dixerit, libens audiam & amplectar. Sed non dimoveor ſententia, veriſimilibus. Quo loco apud me ſit Theophraſtus, nuper B
ſcripſi. Nequaquam tamen idcircò illi Galenum poſthabuero, multò minus rejecero, quod inſani quidam ſectatores faciunt. Sicubi viri opera omnia medica præſertim cum indicibus exſtare noris, ſignificatum mihi velim & quo ordine legendum cenſeas. Gratulor Carolo Batto novos honores, laudata diſputatione de morbo Gallico promeritos. Salutatis officioſè communi cognato HEN. BRUCÆO, utroque Chytræo, uxore, liberis & amicis reliquis. Vale. Lemgovii 25. Febr. 1570.

C

EPISTOLA VII.

LEVINUS BATTUS MED. Profeſſ. Roſtoch.

HENR. SMETIO COMITUM LIPPIENS. & Reipubl Lemgovienſis Medico.

QUod ſuperioribus literis tuis, clariſs. vir & chariſs. Conſobrine, non plenè, ut velle videris, reſponderim; in cauſa fuit, nō quod D
eas reciperem, ſed magis quod refutatione non magnopere indigere judicarem. Nam quod de Perſicariæ effectu, & rationibus inquiris ſcrupuloſius; ſat eſt eventum reſpondere, etiamſi ex principiis phyſicis dari omnium cauſa non poſſit. Nam ut de Magnete cauſa non traditur, cur ferrum trahat: ita multa ſunt naturæ myſteria, in quib.

ſat eſt,

ſat eſt, quod præſtent ea, quæ promittuntur, tametſi cauſa non ſit manifeſta. Quæ tu frivola exiſtimas, ea mihi magnam habent reconditam ſapientiam. Cur ſtercorarentur agri? nonne ut fiant fertiliores? At unde fertilitas? Nonne ex animabus rerum putreſcentium? Nec mireris, quod hic ab Ariſtotele recedens, animas rebus inanimatis ab Ariſtotele dictis, aſſignem: Cum arte chymica, anima ſeu quinta eſſentia, ut ipſi vocant, inde extrahi poſſit, quæ infuſa radici creſcentium, plantam impraegnet & fœcundet, præter naturæ ordinem. Quorſum hæc? nempe ut non nihil eſſe doceam, nec frivolum, quod
A Perſicariam defodiendam dixerim, ut eo putreſcat citius, cum animam ſuam non exuat, niſi putrefacta. Animæ autem ſuæ ſit unita per attractionem, ut ſic loquar, malignitas.

Quid illud ſibi vult, quod calidis morbis & peracutis, negas cõvenire Chymica inventa? Quaſi verò nulla Chymica inventa ſint frigida. Quod præſtat crocus Martis, id multa alia, quæ ſimiliter frigida & ſicca ſunt, non faciunt.

Sed tranſibo ad epiſtolam tuam poſteriorem, qua propoſita à me argumenta fruſtrà convellere conaris.

Quo ad primum, neceſſe eſt concedi, partem omnem ſimila-
B rem, vel ex Ariſtotelicis principiis, ex materia & forma conſtare; proque varia qualitatum in ea, formæ & materiæ miſtione, neceſſariò illis temperamentum accedere. Licet autem ſciam communi ſententia laxitatem, tenuitatem, &c. primarum qualitatũ ſobolem eſſe, ac aliquo modo, eodem referri poſſe, tamen rectius materiæ in ſimilari parte immoderationem nomines. Non etenim minus ma- 1.
teriam & formam rei, quàm temperamentum pati veriſimile eſt. Deinde niſi vires, quæ à qualitatibus ſunt, ab iis diſcernantur, quas 2.
materia edit, magna certè ſe in rebus offeret ambiguitas, magnaque confuſio & perturbatio, quam ſi expedire conſilium eſt, qualitatum
C effectus à temperamento; conſiſtentiæ verò à materia derivabis. Si enim omnia partium vitia, quæ à ſecundis ſunt qualitatibus, ad intemperiem revocas; neceſſitas profectò ſimul cogit, morbos quoſdam inſtrumentarios eodem ſpectare, cujuſmodi ſunt aſperum & læve. Et qua ratione dicis ſecundas qualitates, ad primas tanquam ad cauſam referri: Eadem inſtrumentarii morbi omnes referuntur ad intemperiei genus: Quod unum temperamentum, conformationis & inſtrumenti cauſam Galenus inſtituat. Quæ qui ita eſſe contendit, quid aliud quæſo, quam ſumma morborum genera confundit atque perturbat? Quid aliud quàm omnem doctrinæ vim inexpiabili ſce-
D lere pervertit. Deniqne ſi omnia humida laxarent; æquè cereviſia, & 3.
aqua ſtomachi robur diſſolverent, quam oleum, cum tamen duabus olei unciis, magis lædatur ventriculus, quàm libris cereviſiæ, aut aquæ decem.

In iis quæ de ἰδιοσυγκρασίᾳ adducis: Fallacia eſt à parte ad totum. Non enim ex eo, quòd aliqui occulto naturæ ductu aliquem

odorem averſentur, ſequitur non eſſe verum, quod dentur individua, quæ omnibus gravioribus odoribus offendantur, ob laxitatem mẽbranarum cerebri.

Dum ventriculum, cerebrum, carnem hic nomino, non inſtrumẽtariam partem hallucinatus, ſed ſimilarem, ut præcipuã in eo inſtrumento, laxari dico: Ventriculus præcipuè ex villis & membranis cõſtat, illas ratione materiæ laxari volo. Sic cum carnem nomino molliorem redditam: ſimilarem partem, non inſtrumentariam, in ea compoſitione intelligo. Sic homines in otio viventes molliori carne, difficulter laborem tolerare; econtrà laboribus aſſuetos, perfacile, in confeſſo eſt. A

Nil faciunt ad argumenti mei convulſionem, quæ de partibus neceſſariis ad actiones peragendas adducis. Satis mihi eſt, concedi, eos qui molliori carne ſunt (de ſimilari intelligendo) laborem difficulter tolerare.

De forma ſimilariũ.

Jam verò ſi rei naturalis forma, quæ totius eſt perfectio, & materia, & temperamento longè præſtantior eſt: Quis quæſo tam demens ſit, & in rerum contemplatione tam cœcus, ut illa quidem exiſtimet agere, formam verò prorſus otiari? Accidens vim ingenitam habere: Subſtantiam eam quæ omnium eſt perfectiſſima, ab omni agendi, & aliquid efficiendi vi, & facultate eſſe deſtitutam? Equidem tantùm virium, corporum formis tribuo, ut ab iis exiſtimem omnes, quoſcunque cernimus effectus, primum maximeque proficiſci. B

Galenus etſi in ratione multus eſt, & quanquam rerum omnium cauſas omnes, ne quid ignorare videatur, in prima elementa referre ſtudet, idque ex inſtituto proponit; perſæpè tamen vix ſuis principiis ac limitibus ſe continens, cogitur clam & quaſi furtim, in occultas rerum proprietates illabi; idque tam frequenter, ut artis nulla parte iddevitare poſſit.

Quod de jecore, corde, cerebro hìc affers; non equidem ratione temperamenti aut qualitatum, nec pro varia ſimilarium partium coagmentatione; ſed ſolius formæ beneficio agunt. Non attrahunt, concoquunt, retinent, expellunt, partes in tertia concoctione, jecoris aut cordis ope: ſed ſolius formæ in partibus ſimilaribus exiſtentis, virtute. C

In hoc meorum argumentorum examine, primum mihi ultrò concedis. Secundum ex prioribus firmum manet.

In tertio, miror te Galeno ita addictum, ut manifeſtæ experiẽtiæ contradicas. Ut enim alia ſilentio prætercam: Ante annum unum adducti ad me ſunt pueri duo, qui in prato cicutam ignari devorârant: Hi & vomitu & lienteria ſumma laborabant, donec Mithridatium in hauſtu vini exhibuiſſent. Cicuta omnium Philoſophorum & Medicorum teſtimonio frigida eſt: At frigida aſtringunt & congelant: Calida fundunt. Non igitur qualitatum ratione, ſed ſubſtantiæ ſuæ vel formæ vi, cicuta agebat. D

In

In teſtimoniis à me rectè ex Galeno productis, non hoc agebam, ut Galenum iſtius ſententiæ auctorem demonſtrarem, cum è diametro multis locis pugnet; ſed ut ſui oblitum, aliis locis materię, & formæ vires agnoviſſe eum oſtenderem.

In Triariis meis fundendis nullo modo mihi ſatisfacis: Non enim mihi demonſtras, qua vi primarum qualitatum, Rhabarbarum bilem trahat: Turbith, Agaricus pituitam. Nec quomodo agrimonia magis addicta ſit hepati, quàm cordi. Betonica, ſalvia, majorana, capiti, & alia quæ ſunt formarum propria.

A Non agnoſco carnem generantia, nec cava replentia, nec cicatricem ulceri obducentia: Quæ enim vulneribus applicantur medicamenta, tantum oſcula conjungunt, & pus removent. Balſamus naturæ eſt, qui carnem generat, cava replet, cicatrice ulcus obducit. Si mihi non credis, applica aſſeri tua carnem generantia, & videbis, quàm ſint σαρκωτικα.

Invicti adhuc perſiſtunt mei veteranorum manipli, ac invalidis tuis tironibus occinunt:

Hydrops, Quartana Medicorum ſcandala plana.
Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram.

B Vel potius,

Tartaream Coades neſcit curare podagram.

Talia, mi cognate, medicamenta inquiro, quæ nullius temperamenti habita ratione, omnem hydropem, quartanam, epilepſiam &c. in omni dividuo, ſemper ſanent. Ea ſi docet Theophraſtus amandus meritò, & meo quidem judicio, magni faciendus eſt. Quò minus autem tam citò id aſſequi poſſimus: plurimum nos remoratur ſuppreſſio librorum ejus: Multum etiam medicamentorum præparatio, quæ & tempus & ſumptus requirunt non paucos.

Id verè dicere poſſum, in nullo eorum, quæ ex ipſius traditione
C præparavi, me fruſtratum eſſe ſucceſſu.

Riſum mihi movet, quod cominus tiro tuus, validiſſimum meum exercitum ex pharetra Dialecticæ, deprompto ſpiculo laceſſere, fruſtrato tamen ictu, conatur. Quaſi verò Dialecticæ fundamentum ſit, & non potius ex phyſica deſumptum; Formas ſubſtantiales contrarietatem non habere.

Deinde neque conſequentia valet; non datur contrarietas: Ergo non datur morbus ſubſtantiæ, aut ejusdem curatio; quia videlicet contraria ſunt contrariorum remedia. Nam & illud principium in dubium vocamus. Morbi enim ſubſtantiæ curantur ſimilibus, ap-
D propriatis, addictis, aut tota ſubſtantia cum parte affecta convenientibus.

Pluribus tecum agerem, ſi tempus pateretur. Volumine enim opus eſſet integro, ad rei tam arduæ explicationem.

Opera Theophraſti non omnia exſtant. Rectè feceris, ſi chirurgiam magnam, vel opus chirurgicum tibi comparaveris ex

poſtrema

poſtrema editione. Nam libri Paramiron & de peſte additi ſunt. Deinde rectè tibi lib. de Tartaro ſcriptos familiares reddideris. Poſtea & alios quos habere poteris. Plurimi enim non ſunt editi, ut Archidoxorum libri, aliique complures. Benè feliciterque vale. Conjugem & liberos cum Domino Hërico Corputio plurimum ſalvere jubeo. Iterum vale Roſtochio 27. Martii. 70.

EPISTOLA VIII.

HENRICUS SMETIUS MED. Lemgovienſis,

A

Clariſs Doctiſſimoque viro LEVINO BATTO MED. apud Roſtochios Profeſſori ordinario.

PLuribus diſtrictus occupationib. ſuaviſſime Conſobrine, & præpropero tabellarii diſceſſu excluſus, ad poſtremas tuas juſtè reſpondere nequaquam hoc tempore poſſum. Quamobrem ſi brevior jam fuero, ignoſces, proximo nuncio plenius compenſaturo. Unum B doleo, te ſectandi ſtudio usque adeò detineri, ac præjudicatis ſciolorum quorundam, & novatorum opinionib. veri ſolum ſpeciem habentibus, tantum auctoritatis attribuere; Viri prudentis eſt non temerè credere, priusquam ipſemet judicium fecerit. Amicus Hipp. amicus Galenus; at magis amica veritas. Quo loco apud me ſit Paracelſus, cum aliâs, tum menſe Auguſto ſuperioris anni ad te perſcripſi. Multa præclara invenit, plurima obſervavit, in medicamentorum præparatione eſt admirandus. Illuſtria Dei dona in illo veneror, non ita tamen, quin & Galenum pro inſigni rariſſimo utiliſſimoque malorum hujus vitæ depulſore agnoſcam & colam: Cujus arte per u- C niverſum orbem diffuſa, benigniſſimus Deus mortalium miſerias per tot annorum centurias mitigari conceſſit. Conſtat enim methodo facili, neque tam operoſa ſumptuoſaque, ad morborum curationem, remedia exigit, quàm Theophraſti medicina, quæ vix ditiſſimis eſt tolerabilis: Galenica etiam pauperculis commoda exiſtit. Multa jactat & promittit Aureolus tuus, infinitas in Gale. conſarcinat contumelias. Verum quantopere illi præſtet in deploratis affectib. perſanandis, quos Medicorum ſcandala nominas, puta hydrope, quartana tabe, podagra nodoſa, epilepſia cujuscunque gradus, & ſimilia, ſemper, inque omni individuo percurandis. D

Rumor adhuc certè fortia facta ſilet. Proximè pluribus tecum agam. Jam negotia minimè permittunt. Vale & uxorem liberosque cum amicis communibus officioſe ſaluta. Lemgovii ipſo die Pentecoſtes Anno 1570.

EPI-

EPISTOLA IX.

HENRICUS SMETIUS LIPPIENSIUM Heroum Medicus.

LEVINO BATTO MED. PROFESSORI IN ACAD. Roſtochienſi viro excellentiſſimo.

A PEr negotia excuſaram me nuperrime cognate colende, quod juſte, ad literas tuas, diligenter ſcriptas, non reſponderem. Nunc licet ab occupationibus tam domeſticis, quàm publicis vix dum reſpirare queam: Ut tamen apud te culpæ abſolvar, aliquot horulas ſuffurabor.

De Perſicariæ effectu, & applicandi modo, quam reddis rationem, nullo conſtat fundamento. Dicis defodiendam herbam, ut citius putreſcat: Animam enim ſuam non exuere, niſi putrefactam, cui animæ per attractionem unita eſt malignitas. Animam appellari B chymicis quintam eſſentiam, rerum Ariſtoteli inanimatarum, quæ infuſa radici creſcentium plantam imprægnet & fœcundet præter naturæ ordinem. Ex animabus rerum putreſcentium fertiliores reddi agros, propterea ſtercorari, &c. De fertilitatis cauſa in agris (quam tu animabus, ego corporibus rerum putreſcentium potius tribuo, eoque conſilio & fine ſtercorario agros) certum eſt, ut calore putridorum, terra tum incaleſcat, tum nonnihil exſiccetur, ſicut & cinere, fuligine & calce, & merga, & ſabulo & creta & argilla aliiſque terris Plin lib. 17. c. 8. teſte nonnunquam conſpergi ſolet, ubi nimis eſt uliginoſa) De hac re tecum diſputare nolo, tum quod aliena ſit mate- C ria, tum quod in acceptionibus vocabulorum non convenimus: Nā tu vocum monſtra ſectaris. Sed ad rem.

Si animæ Perſicariæ per attractionem unita eſt incantamenti malignitas: neceſſe erit ablata à corpore herba, auferri quoque incantamenti vitium. Quod ſi ita eſt: frivolum & ſuperſtitioſum, defodi plantam, ut putreſcat, eſſe videtur. Veriſimile enim eſt, dum adhærebat corpori, egiſſe, quod agere debuerat. Quod ſi nondum fecerat: quomodo faciet amota, & terra obruta, imo putrefacta? At detur non exuere animam quæ incantamenti malum attraxerat, niſi putruerit: Quid tum? An metuendum erit, ne remigret in deſertum D ſemel corpus extracta vis carminis? Nequaquam ſane, niſi ſuperſtitioni magicæ, medicationem iſtam, pactoque cum Satana occulto conjunctam eſſe, ſuſpicari cogar. Verum pergam ad reliqua, quibus prioris epiſtolæ placita ſtabilire moliris.

Quod ad primum, inquis, neceſſe eſt concedi partem omnem ſimilarem (vel ex Ariſtotelis principiis) ex materia & forma conſtare, pro-

re, proque varia qualitatum in illa formæ & materiæ miſtione, neceſſariò illis temperamentum accedere.

Ad hæc ita reſpondeo. Alia Philoſophis, alia Medicis rerum principia ſtatui. Philoſophi materiam & formam: Medici quatuor elementa ponunt, nec altius inchoant. Ex quorum commiſtione, temperamenta exurgunt. Propterea tu parum recte, meo judicio, temperamentum ex materiæ formæque mixtione enaſci opinaris. Nemo enim Philoſophorum ita loquitur.

Si ſimilarium partium materiem inquiramus, nulla alia datur præter ſperma, unde & ſpermaticæ vocantur. Si efficientem cauſam: A quid aliud, quàm ingenitus calor, qui ſpermati hanc aut illam formam induit, ut vel nervus, vel arteria vel vena, vel ſimplex aliud corpuſculum evadat. Hic vides formam ut perfectionem partis aliter Medicis, quam Philoſophis conſiderari. Medicis enim tanquam accidens quoddam, aut effectus ex innato calore & materia conſequens exiſtit. Philoſophis forma alterum rerum omnium principium, quod ſe prius nihil habeat, conſtituitur. Unde liquet quam vehementer hallucineris, qui omnem partem ſimilarem, ſecundum Ariſtotelem, ex materia & forma conſtare cenſeas, & pro varia illarũ miſtione temperamentum, accedere, cum revera ſimilaris particulæ B temperamentum, ex primorum quatuor corporum debito concentu, in ſola ipſius materia, nempe ſemine fundetur.

Fateris laxitatem, tenuitatem &c primarum qualitatum ſobolem eſſe. Sed rectius in ſimilari parte materiæ immoderationem nominari, propterea quod non minus materiam & formam rei, quam temperamentum pàti ſit veriſimile. At veriſimilitudo nõ obtinet vim probationis.

Putas deinde magnam fore rerum confuſionem, niſi vires à qualitatibus ortæ, ab iis diſcernantur, quas materia edit. Sed fruſtra vereris. Quid enim confuſionis hactenus in Galeni doctrina C fuit? Nihil profecto. Sed ordine commodiſſimo & diſtinctione procedit. Nec eſt confuſaneum ſi quorundam inſtrumentalium morborum cauſæ ad temperiem revocentur. Quis enim neget indecentis levitatis cauſam, in viſcida vel pingui humiditate partis: aſperitatis vero in ſiccitate ponendam eſſe? At quod infers, eadem ratione omnes inſtrumentalium morbos ad intemperiei genus relatum iri, qua ſecundæ qualitates ad primas pertinent: Non valet conſequentia. Poteſt enim externa vi digitus, vel pes præſecari: articulus luxari, meatus clauſus ſectione aperiri, arctior dilatari: Membrum vulnerari, frangi, convelli, collidi, uri, rumpi; Omentum aut inteſti- D num in Scrotum prolabi, & hujuſmodi infinita vitia inſtrumentis accidere, quæ tamen nulla ratione ad intemperiem referri poterũt. Quo loco Gal. conformationis & inſtrumẽti cauſam in tẽperamẽto conſtituat, ego ignoro, tu aſſignaſſe debueras & probaſſe, an inde ſequatur,

quatur, morbos omnes conformationis & inſtrumenti, ab intempe-
rie dependere.

Denique ſi omnia, inquis, humida laxarent: æquè cerevisia &
aqua ſtomachi robur diſſolverent, ac oleum. Cujus quæſo hoc eſt
enunciatum, omnia humida laxare? Certè in meis literis non de-
prehendes. Eſt enim falſa propoſitio. Tu ludis in ambiguitate
vocis humidum; Scis aliter Phyſico, aliter Medico humidum con-
ſiderari. Medicus non tam quod actu, quam quod potentia tale
eſt, ita nominat. Non omnis cerevisia, neque omnis aqua hume-
A ctat. Eſt enim cerevisia, quæ ſiccet, ut abſynthitis. ſalviata, & quæ
multum lupuli habet. Sicut & aquæ thermarum & acidulæ puta me-
tallis & ſuccis terreſtribus infectæ, ſale, ſulphure, nitro alumine, fer-
ro ære, chalcantho, & ſimilibus, inſigniter ſane ſiccant & plurimæ a-
ſtringunt. Neque rurſus ſufficit aquam humectare ut laxet; ſed ne-
ceſſe eſt & tepidam eſſe. Frigida enim actu citius firmet, contrahat,
& ſtringat ventriculum, quàm laxet.

Pergis: In iis quæ de ἰδιοσυγκρασία adducis, fallaciam eſſe à
parte ad totum. Reſpondeo, non eſſe verum. Non enim hoc a-
gebam, nullum dari individuum, quod omnibus odoribus graviori-
B bus offendatur. At cauſam tuam, nempe vitium materiæ admittere
non potui; quia propter temperamenti proprietatem illud accidere
judico; non autem ob laxitatem, firmitatem, denſitatem, aut rarita-
tum meningum.

Explicas & ais, te ut ſimilares, non ut organicas partes ventricu-
lum, cerebrum & carnem intelligere; dum hanc, quia mollior, labo-
rem difficulter ferre; cerebrum, quia meninges raræ & laxæ, odorib.
lædi; ventriculum, quia laxas fibras & tunicas habeat, acribus offen-
di, exiſtimas. At nihil rationis affers. Ego contrà probavi, carnem,
quatenus ſimilaris & ſimplex eſt, laboris inſtrumentum non eſſe: Eſt
C enim ſolum parenchyma fibris interfultum; ſed quatenus compo-
ſita eſt, nervis, putà, tendinibus, membranis, arteriis, venis, ligamen-
tis, oſſibus, cartilagine, &c. ſuffulta. Rurſus ad tolerantiam laboris aſ-
ſuetudinem requiri: Item proportionem inter agens & patiens, ut a-
nimi alacritatem omittam. Quare nemo tibi unquam conceſſerit,
ſolius carnis ſimilaris mollitiem, intolerantiæ laboris ſimpliciter
cauſam eſſe.

Formis porrò corporum, tantas vires adſcribis, ut ab illis putes
omnes quoscunq; cernimus effectus, primò maximeque proficiſci.
Quod ſi vera ita eſt; fruſtrà & materia & temperamentū reb. inſunt.
D At priusquam forma ſeu perfectio accederet, quænā tunc erat effe-
ctuū cauſa? aut quæ ipſiusmet formæ efficiēs exiſtebat? Exēpli gra-
tia: Dum fœtus in utero fingitur, ac ſingulæ partes ſeminis in idonea
futura inſtrumenta inchoantur, & quaſi erudiuntur, ubinam erat
forma & perfectio ventriculi, antequam debitam figuram cavita-
tem, aſperitatem, magnitudinem ſitum, &c. adeptus eſſet? An nihil
circa

circa rudimentum ventriculi fiebat, dum formaretur? Quænam erat affectus illius cauſa priusquam perfectus eſſet ventriculus? Aut quæ denique perfectionis ipſius efficiens exiſtebat? Materia ſanè quædam ventriculi erat, antequam ipſius perfectio accederet. Rurſus, cum materia ejus ex quatuor elementis conflata ſit, neceſſariò & temperamentum illi materiæ inerat. At duo hæc non potuerunt eſſe otioſa toto tempore, dum perfectio accederet ventriculo. An autem otiabuntur, poſtquam perfectio advenerit, totamque agendi poteſtatem quaſi jam munere ſuo perfunctæ, in perfectionem transferent? ut perfectio ſola omnes effectus edat? Mihi quidem id monſtri ſimile videatur. Sic autem ſtatuo, cujusque actionis cauſam efficientem proximam, ingenitam eſſe parti facultatem, quæ quia à certo peculiarique temperamento dependet, ἰδιοσυγκρασία nuncupatur, atque à virtute partium principum, adminiculo ſpirituum, fovetur, & quaſi in actum ducitur. Principes autem partes, tanquam actus primus, & primaria, licet remotior, functionum cauſa, gubernat ipſa anima. Particulæ autem debita conformatio, cauſa eſt ſine qua non commodè obiretur actio. A

In examine trium argumentorum tuorum, pro temperamenti, materiæ & formæ diſtinctione: primum quidem concedo, ſed ita tamen, ut ἰδιοσυγκρασίαν potius, quam temperamentum intelligã. B
Secundum, quod ex prioribus firmũ manere arbitraris, nequaquam patrocinatur materiæ immoderationi; ſed intemperiei potius, ſicut oſtendebam. Pro tertio, quod hiſtoriolam duorum puerorum adducis, qui cicutam devorarant, fruſtrà formam illo ſtabilire conaris. Non enim vomitus cum lienteria, vi veneni, ſed expultricis virtuti accepta ferri debent; ita tamen, ut nimium irritata, modum exceſſerit. Eaque fuit rectiſſima curandi ratio, teſte Dioſcoride lib 6. cap. 11. ubi ſic ſcribit: Quare inter initia, ut in reliquis, cicutam vomitu excutiemus, poſtmodum dejectionem moliemur, ut quod ad inteſtina delapſum eſt excernamus. C
Vides itaque naturam rectè ac legitimè per ſe curationem adminiſtraſſe, ac miniſterium medici prævenisse. Te verò ſymptomata à curatione veneni relicta, non venenum curaſſe, cum Mithridatis antidoto humorum curſum à ventriculo & inteſtinis verſus cutem avertiſti. Non enim vomitus & lienteria inter ſigna aut ſymptomata hauſtæ cicutæ comprehenduntur. Cicuta enim, teſte Dioſc. pota, vertiginem excitat, oculisque caliginem offundit, ita ut ne minimum cernatur. Singultus ciet, mentem perturbat, extremi artus gelantur, denique convulſi ſuppreſſo arteriæ ſpiritu, ſtrangulantur. Adde quod cicuta noſtras, non tam venenoſa ſit, D
quàm Græca, cum ne Italicam quidem conſtet tam exitialem naſci. Deſine igitur mirari, me tuæ manifeſtæ, ut vocas, experientiæ contradicere.

Affirmas te teſtimonia ex Galeno rectè citaſſe. Quod ſi ſic eſſet, ſaltem codices benè impreſſi ſuis id locis teſtarentur, quod mei

apud

apud Frellonios Lugduni anno 1550. excuſi recuſant,& ſanè non rectè citatos, oſtendit res ipſa. Nam quod lib.6. Methodi cap. 13. contineri ſcripſeras, ego longo poſt tempore aliud agens lib. 13. Methodi cap. 6. reperi, ſed multò aliis verbis, aliumque in modum, de quibus aliâs. Vides negligentiam tuam, & in re non vera defendenda pertinaciam. Ut tamen ad hoc argumentum & nunc aliquid dicam, verba ipſa textus Galenici in medium adferamus, quæ ſic habent: ubi ex animalis ictu vel morſu dolor incidit: Duplex ſedandi doloris ratio eſt, vel virus ipſum vacuando, vel id quod dolo-
A rem excitat, alterando: ſanè vacues illud, eorum medicaminum ope, quæ vehementer attrahunt: alteres verò iis, quæ ſunt contraria, idque vel qualitatibus, vel tota ſubſtantia. Monſtratum namque eſt, lib. 4. ſimpl. cap. 14. lib. 5. cap. 17. quædam eſſe totis ſubſtantiis inter ſe contraria, quædam ſolis qualitatibus: ſed eorum, quæ qualitate ſunt contraria, quædam eſt methodus: Eorum verò, quæ tota ſubſtantia ſunt adverſa, methodus eſt nulla: verum omnia per experientiam ſunt inventa. Hactenus Galenus.

Ex his tu ita infers: ſi illud quod dolorem excitat, à tota ſubſtantia hoc facit, medicamentum invenire debemus à tota ſubſtantia
B ſanãs. Reſpondeo non valere conſequentiam. Nam doloris talis cauſa, teſte ibidem Galeno, tolli poteſt bifariam, vel per vacuationem, vel alterationem. Vacuant, inquit, eam cauſam, calefacientia omnia, tum & quæ citra calfactionem vehementer trahunt velut cucurbitulæ, & cava quædam cornua, quibus nonnulli cucurbitarum vice utuntur. Sunt & qui admoto afflictæ parti ore, ipſamq; labris ſugendo cõplexi, virus extrahunt: Huc pertinẽt & cauteria actualia & potentialia, eſcharotica, veſicatoria. Atq; hęc omnia, inquit, totam eius, quod infeſtat, (nota quæſo verba) ſubſtantiam exinaniunt. Alterum auxiliorum genus eſt eorum, quæ qualitatem per contraria alterant,
C ſcilicet ſi vehementẽ calorem æger in loco demorſo, vel in toto corpore ſentiat, auxilia refrigerantia: ſin frigus percipiat, calfacientia adhibendo &c. vides hîc non requiri medicamentum tota ſubſtantia, ut tibi quidem videbatur, neceſſariò ſanans.

In fundendis tuis Triariis, nequaquam tibi ſatisfactum dicis, propterea, quod non demonſtrem, qua vi primarum qualitatum Rhabarbarum bilem, Turbith & Agaricus pituitam trahat: Nec quomodo Agrimonia magis addicta ſit hepati quam cordi: Betonica, ſalvia, maiorana capiti, & alia quæ ſunt formarum propria, &c. Ita fere tergeverſari ſolent, qui victori terga vertunt, ne ſe victos fateantur ut
D fugiendo adhuc aliquantiſper obſtrepant. Quò itaq; ſe dedant refractarii iſti: Edico, illis nihil iuris eſſe, ut talia à me monſtrari poſtulẽt, præſertim cum literis prioribus nihil tale flagitatum à me ſit. Agebas enim de triplici medicamentorum facultate, primam temperamento, ſecundam materiæ, tertiam formæ adſcribens: Nec quales iſtæ eſſent, explicabas. Ego verò ex Galeni ſententia pleniſſimè reſpondi.

Hoc tamen pro additamento habeto: me purgantium medicamentorum facultatem eorum ἰδιοσυγκρασίᾳ vel temperamenti proprietati adſcribere. Cur autem agrimonia hepati conferat, nequaquam hoc à forma habet, ſed à temperamento. Eſt enim λεπτομερὴς incidendi & extergendi vi prædita citra manifeſtum calorem, & nonnihil aſtringens, quò fit ut obſtructiones iecoris expurget, viſceriq; robur addat, teſte Gal. lib. 6. ſimp. cap. 128. de eupatorio, hoc enim agrimoniam vocant. Quare autem betonicam cephalicam dicas, neſcio. Sanè Gal lib. 7 ſimpl. cap. 21. Item lib. ad Piſonem cap. 6. nephriticam pronunciat. Quo item auctore, qua ratione, quave experientia, ſalviam & maioranam capiti potius, quam alteri parti prodeſſe aſſeras, ex te ſcire velim. Certè nec Gal. nec Dioſcorides pro talibus agnoſcunt. Imò utrumq; Dioſ veſicæ & vtero iuvandis commendat, ſub nomine elelisphaci & ſamſuchi. Et ut quidem tibi concederem capiti prodeſſe, nunquam tamen credidero, omnibus capitis malis, neq; omni tempore conducere, quod alioquin facere deberent, ſi à forma id accepiſſent. A

Nec eſt effugium viro Philoſopho & Medico dignũ: Non te agnoſcere carnẽ generantia, ſicut nec cavitatẽ replentia, nec cicatricem obducẽtia. Admittis nõ invitus glutinantia, & pus removentia. Dicis Balſamum naturæ, illorũ operũ effectorem. Quod ſi eſt: Cur Paracelſici totum negotium naturæ non committunt? Cur ſua Balſama ſtillatitia, pulveres, unguenta, emplaſtra, potiones vulnerarias, commẽti ſunt? Cur Paracelſus ipſe in vulnerib. ſanandis tã operoſus eſt, ut duos libros ea tractatione cõſumat in chirurgia ſua magna? Iocaris deinde ſalſiuſculè dicẽs: ſi mihi nõ credis, applica aſſeri, tua carnẽ generãtia, & videbis quàm ſint σαρκωτικά. Poſſet quis viciſſim Paracelſico in os regerere, applica & tu quæſo aſſeri, ô bene vir, omnia tua arcana formalia, megalæa, balſama, extracta, ſalia, elixira, & quos Aureolus voces Acherõte petivit, & videbis, quàm & illa ſint potentia & utilia. Quæ prudentia, quæ ratio eſt, corpus humanum vivens, in animato aſſeri conferre? At ne ſic quidẽ ſubterfugies. Si non agnoſcis σαρκωτικά, nec ἐπουλωτικά: Agnoſces velis nolis, dolorẽ ſedantia, ſudorẽ provocantia, urinas ducentia, lapidem frangentia, menſes cientia, ſomnos cõciliantia, ſtupefacientia, cruſtam mollientia, urentia, obſtructiones tollẽtia, vomitũ concitantia, hæmorrhagiam cohibẽtia, ventrẽ ſiſtentia, ſternutatoria, apophlegmatica, errhina, excreſcẽtem carnem detrahentia, & quæcunq; præterea tertiæ facultates appellari ſolent. B C

I nunc, & dictis virtutem illude ſuperbis.

Sin ne his quidem acquieſcas: Declara, quas tu primas, quas ſecũdas, quas tertias, quas quartas, ſi ita voles, facultates, voces & ſtatuas, ut tibi ad appetitum reſpondeam. D

Quia verò turpe foret veteranis tuis thraſonibus ſe victos fateri: obſtrepunt ſarcaſmum, neſcio quem.

Tartaream Coades neſcit curare podagram. Tarta-

Tartaream hanc vocem Coades non aſſequor: Oedipum poſcit. Paracelſicũ ænigma eſſe opinor, ut mille verborũ monſtra, ne, quid dicant, quid ſcribãt, quid velint ab aliis intelligãtur, ſtudioſè cõficta.

At talia te requirere media dicis, quæ nullius habita ratione tẽperamenti, omnem hydropem, quartanam, epilepſiam, &c. in omni individuo, omni tempore ſanent: Quamvis ex his videam te Empiricũ prorſus fieri velle. Laudo tamẽ ſtudium, laudo inſtitutum tuum. Sed ſummopere metuo, ne ſpe tua fruſtreris, vide ne nimiũ Aureolo tuo tribuas. Duas, dixi nuper, fruſtratorum ſucceſſuum excuſationes Bõ-

A baſti ſectatoribus uſitatas. Aut n. à Galenicis corruptos, aut ira Numinis, morbo incurabili damnatos. Tria verò tuis conatibus obſtare fateris, ſuppreſſionem aliorum utiliſſimorum Theophraſti librorũ, tempus in longa præparatione, & ſumptus non parvos: vide ne oleum & operam perdas. Iactas te nullo ſucceſſu fruſtratum, eorum, quę ex Paracelſica traditione præparaveris. Gratulor ſanè. Quænam autem & qualia illa ſint, ſcire deſidero.

Derides illud axioma: ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium. Item formas ſubſtantiales contrarietatem non habere. Neq; magnopere admiror. Ita enim facere ſolent, qui prę iudicii imbecillitate, novitates,

B monſtra, abſurditates ex portentoſis ingeniis natas, facile amplexantur. Ais morbos ſubſtantiæ curari ſimilibus, appropriatis, addictis, aut tota forma cum parte affecta convenientibus. At hinc te tuo ipſius gladio jugulabo. Si medicamenta formalia parti affectæ conveniunt, aut appropriata aut ſimilia ſunt: ſequitur eadem medicamẽta ipſis morbis contraria eſſe. Quicquid n. corrumpitur, à contrario corrũpitur. Sanitas partis corrumpitur à morbo: Ergo ſanitati morbus contrarius exiſtit: & per conſequens; Quicquid parti tota, ſubſtantia ægrotanti, tota quoq; ſua ſubſtantia convenit, id ipſum morbo eiusdem ſua tota ſubſtantia adverſatur. Rurſus, quicquid parti

C tota ſubſtantia convenit & ſimile eſt, idipſum non, medicamentũ, ſed alimentum, ut dici, ita eſſe oportet. Vide igitur quæſo, ad qualia, quanta abſurda imprudẽte ſectandi ſtudio rapiaris.

Hæc ſunt, honorande & chariſſime Conſobrine, quæ ad firmamenta alterius epiſtolæ tuæ ſuccutienda occurrebant, quibus ſi pro iudicio tuo ſatisfactum minus eſt ſignifica, efficiam qua potero, ut ſatisfiat. Interim rogo te, ne temere rixemur, ut obſcurarum vocum explicationem, aut definitionem præmittas; nam Paracelſico Lexico deſtituor. Deinde diſtinctius quoq; te impoſterum de formalibus & materialibus aliisq; morbis loqui velim, & quibus ſignis dignoſ-

D cantur. Nec non de remediis primæ, ſecundæ & tertiæ facultatis, clarius loquaris, & ſi qua quartæ fortaſſis etiam eſſe exiſtimes. Sed quod nuper dixi, veriſimilibus, ſententia non dimoveor: veritate nihil mihi prius, nihil antiquius in religione pariter ac diſciplinis. vale, & per otium accuratè reſcribe. Lemgovii 4. Julii 1570.

EPISTOLA. X.

LEVINUS BATTUS MED. Profeſſ. Roſtoch.

HENRICO SMETIO MEDICO Lemgoviano. A

NEC lubet, nec licet, mi Conſobrine, per otium, in tanta tabellarii feſtinatione, ad ſingulas literarum tuarum partes reſpondere. In iis enim, quæ tu pro veris aſſeris, ego (qui non ita veterum decretis ſum addictus, quin veritati magis) dubii plurimum, falſitatis non parum pono.

Doctori HEN. Brucæo velut cupis, reverſo ſcripta utriuſque communia faciam, & ubi plurium periculum fecerim, ſcribam ad te prolixius.

Illum optimum medicum cenſeo, qui quàm plurimos facilè, citò, & tutò curat, non qui veterum placita mordicus tuendo, deq; iis plauſibiliter diſputando, rarò ſcopum optatum attingit. Non enim eloquentia, ſed artis medicæ debitis auxiliis, morbi tolluntur. B

Pudendum eſt Galenum, tantum artificem, de curata febricula & artis operibus adeò exilibus, in lib. περὶ τοῦ προγινώσκειν & alibi, ita effuſè gloriari. Quid enim faceret, ſi lepram, maraſmum, ſi quartanam, hydropem verè ſuſtuliſſet.

Quæ multo uſu vera comprobavi, & deinceps inveſtigavero, ea poſtmodum, non utioceris, ſed potius admireris, & felici ſucceſſu collaudes, communia faciam. C

Velim legas Archidoxa Theophraſti,
Et tractatus tres de apertione cutis,
Item de occulta philoſophia, hæc nuper prodierunt.
Miraberis ingenium hominis.

Vale & uxorem, Corputios omnes, liberoſq; meo nomine ſaluta. Iterum vale. Roſtochii 26. Julii, 1570.

Quandoquidem autem D. LEVINUS BATTUS in epiſtola 27. Martii anno 1570. miſſa, ſub finem in hæc verba ſcripſerat. Talia, mi cognate, medicamenta inquiro, quæ nullius temperamenti habita ratione, omnem hydropem, quartanam, epilepſiam, &c. in omni individuo ſemper ſanent: Ea ſi docet Theophraſtus, amandus certè, & meo iudicio magnifaciendus eſt. Itē paulò poſt: Id verè dicere poſſum, in nullo eorum, quæ ex ipſius traditione præparavi, me fruſtratum ſucceſſu. Item in epiſtola quadam 20. Novemb. 71. ad me data, his verbis uſus: Quod de quartana, epilepſia, paralyſi, &c. recenſuiſti, D

hi mor-

hi morbi revera, natura ſua incurabiles non ſunt; ſed partim noſtra negligentia, quod quæ debebamus, non didicerimus; partim medicamentorum bonorum inopia id accidit. Illud certè ſine jactantia dicere poſſum, ejusque rei habeo teſtes multos, à me Epilepticos plurimos, Paralyticos quosdam integræ ſanitati reſtitutos, &c. Idcircò ad D. Battum de primario quodam nobili ætatem 40. annis majorem agente ſcripſeram, qui per aliquot annos Epileptico morbo affectus fuiſſet. conſilium petens, an & quibus remediis curari poſſet: Ad quæ D Battus ſequenti epiſtolio reſpondet; unde videre eſt, vel
A ipſo Paracelſi teſtimonio, non omnes Epilepſias curari poſſe.

EPISTOLA XI.

LEVINUS BATTUS MED. Roſtochienſis,

HENRICO SMETIO MEDICO LEMgovienſi.

B

MIhi ſanè poëma tuum, quod miſiſti, placet. Sed non eſt illud judicium meum, quod auribus delicatioribus fortè ſatisfacere poſſit. Rogavi tuo nomine Nathanem Chytræum, ut liberè ſententiam ſuam ad te perſcriberet.

Ad quæſtionem tuam de epileptico, quod attinet, ſic habeto: Quod epileptici, quicunque imminentem morbum præſentiunt, & « ſtatis iisdemque horis affligentem, Theophraſto teſte, curabiles non « ſunt. Talis ex Holſatia ad me nuper miſſus, licet nihil prætermiſerit «
C eorum, quæ ad curationem fuêre neceſſaria; parum tamen auxilii expertus eſt. Quod ideò ſcribo, ut antequàm quicquam auxilii in tuo illo primario Nobili tentetur; cognoſcas, utrum ante paroxyſmum quicquam præſentiat; an aliquandiu nutabundus oberret, antequam concidat, & inordinato motu convellatur. In tali enim epilepſia metuo, ne ars, quæ multis præſidio fuit, infametur. Benè vale, cum officioſa conjugis & liberorum ſalutatione. Iterum vale. Roſtochio 27. Febr. 1572.

NOTA.

D

Ergò Paracelſus non potuit ſanare omnes epilepticos, contra fiduciam D. Batti, putantis Paracelſum omnem hydropem, quartanam, epilepſiam, &c. in omni individuo nullius temperamenti reſpectu ſemper ſanare potuiſſe, teſte epiſtola 27. Martii 1570. paulò ante finem.

Quia verò Paracelſus tam multa promittit, tamque ſtupenda jactat facinora de curatis à ſe epilepticis: Libuit ex ipſius monumentis Baſileæ in octavo apud Pet. Pernam excuſis anno 1575. Et quidem ex primo tomo oſtendere, quanta ſit multitudo, quanta varietas remediorum, quæ adverſus morbū epilepticum, aut caducum ab ipſo produntur, & commendantur, ut lector non ſolum in delectu meliorum hærere; verum etiam ferè dubitare poſſit, an unquam Paracelſus ipſe epilepſiam, & quo demum remedio, ut fideliori & explorato percuraverit. Nam primum rad. hellebori nigri, nempe purpureos flores gerentis, certo modo collectas tritasque, ad ʒ ij. pueris in lacte; ſenibus in vino propinat ad purgandum, idque per tres continuos dies ante paroxyſmum, & quidem repetito ſæpius eo processu. Tom. 1. pag. 685 Nota, quod hic præſentiri & præſciri debet paroxyſmus, ut certo die rediturus. In quo, Batto & Paracelſo modò teſtibus, luditur opera. A

Idem pag. 691. Si comitialis curari poteſt purgando; iſta hellebori nigri putà radix, id omne præſtabit, quod ad eius curam neceſſarium fuerit. Verum purgatio non eſt ſufficiens, ſed poſt purgationem hanc, epilepſiæ cura ſubſequi debet, quæ in arcano ſpiritus vitrioli latet; eo quidem ordine ſervato, juvenes atque ſenes curari poterunt. B

Idem mox verſa pagina; Helleboro plura addi monet, his verbis: In his morbis, quod experientia mihi comprobatum eſt, ſuaderem, ut ab iſta radice recentiſſima tota humiditas & oleum per ſpiritum vini extraheretur; deinde ſpiritus ille ſepararetur, ut radicis eſſentia ſola maneret abſque mixtura, optimeque dulcoraretur: Multoque melior adhuc evadet, ſi viſcus quercinus, pyrethrum & pœoniæ ſemen addita fuerint in ejus extractione. Notandum autem Medicinam hanc ſuas operationes non ita repente, ſicut ſolent aliæ, demonſtrare, ſed paulatim & ſucceſſivè, ſecundum perſonarum, infirmitatis, regiminis, & aliarum circumſtantiarum proprietates. C

Alia præparatio hellebori nigri ad caducum purgandum pagina 736. cuius doſis eſt grana tria cum aqua mulſa, vel decocto hypogloſſi.

Item. Antimonii præparatio contra morbum caducum pag. 737. Cuius doſis eſt in paroxyſmi initio grana novem: pòſt in exagitatione octodecim grana, cum induſtria quadam indantur. Item à receſſu paroxyſmi poſt horam, novem grana, uti prius. Si morbus adhuc redeat in tertiam usque vicem, proceſſus hic repeti debet. D

Item. Liquor auri ibidem; datur de illo ℈ j ante paroxyſmū hora una. Nota, quod & hic præſentiri & præſciri debet paroxyſmus, quæ conditio operam ludi, antè dixit; ſic & in corallorum tinctura. Pòſt verò tribus horis adhibeatur ℈ ß. idque ſexies repetendum erit ante morbi ſemper invaſionem.

Item

Item. Corallorum tinctura ad eundem morbum pag. eadem. cuius ℥ j ß ſemper detur antequam corripiat patientem morbus, ſi percipi queat acceſſio.

Item. Adamantis, Smaragdi, Rurcoidis, granati liquores caducum arcent, ne redeat, pag 738.

Item. Olea ex Cryſtallo & Beryllo, idem præſtant, ibidem.
Item. Vitrioli præparatio contra caducum, pag. eadem.

A Datur a. ante paroxyſmum: Ergo & hic præſciri debet paroxyſmus; Pueris quidem de phlegmate ejus, ℥ j. viris fortibus de ſpiritu eius ℈ j. Senibus verò de oleo ejus grana tria.

Item. Sanguinis humani præparatio, pag. 749. datur ℈ j. à principio novilunii ſub primam acceſſionem: Et hic præſciri debet acceſſio.

Item. Cranii humani præparatio ad caducum, pag. 750. Cujus doſis eſt pondus granorum trium, eo tollitur morbus caducus.

Item. Animalia quædam bruta, ut apes, alces, vultur, &c. pag. eadem, ſimiles habent vires ad hunc morbum pellendum.

B Ex iſta tam copioſa, tam varia remediorum farragine, quid aliud colligas, quam Paracelſum promiſcuè hinc inde accepta, memoriæ gratia in chartam conjeciſſe, ut ſucceſſu temporis, occaſione oblata ſingulorum periculum faceret: Neſciviſſe tamen adhuc, cui potiſſimum præ reliquis fideret: Quia imò de tempore exhibitionis non parum dubitaſſe.

Hellebori enim nigri radiculas etiam crudas (contra ſuæ ſectæ placita, qui crudis uti dedignantur) tritas ſolum, & quidem drag. duarum pondere (majore, quàm nullus veterum fecit) tam ſenibus quàm pueris, idque per continuos tres ante acceſſionem dies exhiberi jubet. Ergo præſciri illa debet.

C Poſtea velut priori diffiſus, hellebori correctionem ſuadet, à radicibus ejus humiditatem totam, oleumque per ſpiritum vini extrahendo, dum radicis eſſentia ſola maneat, deinde ne iſti quidem fidens correctioni: Viſcum quercinum, pyrethrum, & pœoniæ ſem. addi ante extractionem hortatur.

Horum ſeu oblitus, ſeu pertæſus aut diffiſus pag. 736. rad. hellebori ardente vino maceratas, deſtillat igne prius lento, pòſt auctiore, donec liquor omnis aſcenderit. Deinde ſeparat vinum ardens per balneum, igne leniori; & in eo, quod remanſerit, diſſolvi mandat ſaccharis candi, quod ſatis eſſe videbitur. Doſin hujus ſtatuit grana
D tria cum aqua mulſa, aut hypogloſſi decocto, tempore exhibitionis non definito, nec ætatis gradu.

Superiora præſidia quaſi contemnens ad Antimonium pagina ſequenti confugit, quod tenuiſſimè tritum in flores ſuos, igne prius leni, poſtea ad gradum quartum adaucto, reverberari

præcipit, ſecundum artis leges. Exhiberi autem non ſicut helleborum ante acceſſionem, ſed ipſo paroxyſmo durante, puta principio, medio & fine, eiuſdem principio quidem invaſionis, ad grana novem: In medio ad duplum eius: In fine rurſus ad grana novem. Imò ſi morbus redeat, in tertiam usque vicem repetendum eſſe eundem proceſſum. Vide Paracelſi in purgando temeritatem (quam in humoriſtis à ſe vocatis ubique taxat) & quidem in afflictiſſimis ægri viribus, durante ipſo adhuc paroxyſmo. Quantopere iſta diſtant à prioribus?

Præter illa, liquorem auri ſcrupuli unius pondere præbet hora una ante caduci acceſſionem: Ergo & hic præſciri debet paroxyſmus. Poſt verò tribus horis ſcrupulum dimidium, & quidem ſemper ante paroxyſmi reditum ſexies id repeti imperat. A

Corallorum tincturam ad ſeſquidragmam dari jubet, ſemper antequam invadat morbus, ſi modò, inquit, acceſſio percipi poſſit, ſine acquiſita tamen temporis quantitate.

Gemmarum liquores & olea, nec quo tempore, nec quanta doſi dari debeant, indicat.

Vitrioli ad caducum præparati pag. 738 phlegma quidem pueris ad ℨ j. Spiritum viris fortibus ad ℈ j. Oleum verò ſenibus ad grana tria: Omnibus quidem ante paroxyſmum, ſed quantitate temporis incerta. B

Sanguinem humanum præparatum exhibet ſcrupuli unius pondere, ab exordio novilunii ſub primam acceſſionem. An autem quotidie id usque ad proximum paroxyſmum ſit faciendum, non declarat.

Cranii humani præparati grana quidem tria exhiberi mandat, eoque caducum ſublatum iri ſpondet: ſed quo tempore, quoties aut quandiu id faciendum, reticuit.

Præter iſta producit Paracelſus multa alia remedia contra epilepſiam, quibus multum tribuit in libro peculiari, quem de caduco inſcripſit, & quidem Germanicum excuderunt Bircmanniani in quarto Coloniæ anno 1564. C

Pag. H. 4. Viſcus quercinus eſt arcanum in caduco aquoſo, conveniens junioribus, ſeparans conjunctionem caducam Veneris & Lunæ, quin etiam Lunæ & Saturni, imò & Saturni & Veneris; cujus proceſſus eſt hujusmodi.

Cape viſcum quercinum in ſigno aſcendente hujus fabricationis, contunde eundem, & exhibe bibendum unciæ dimidium, usque ad tertium gradum, deinde ſecunda, & tertia vice, & ſic erit ſanatus. Verum quando, an ante, an poſt paroxyſmum, an verò in eodem ipſo, aut cum quo liquore, & quantum infantibus, pueris & adoleſcētib. (Eſt n. magna doſis pulveris) dari debeat, non definit: præcipuam a. vim adſcribit aſcendenti ſigno: Neq; diſtinguit cui aſcendenti, morbi ne, an decerpti medicamenti, an verò exhibitionis, aut ægroti ipſi⁹. D

Sanguis

Sanguis hominis decollati, cum aſtri convenientia, ſanat, ſi ſtatim calidus bibatur, nempe in conjunctionibus Leonis, Tauri, Arietis, ſcorpionis, pariter cum Marte, Jove, Mercurio, Sole: Sed non addit, quantum, quoties, nec quo tempore paroxyſmi. De iſto quidem eſt ante dictum, ubi præparatus datur, & quidem in principio Novilunii ad ſcrupuli pondus. *Pag. ead. verſa.*

Cranium humanum, haud equidem cranium totum, neque præparatum, ut ante dictum, ſed illa cranii particula, quæ centrum ejus eſt, nec eſt latius nummo argenteo creutzero Germanis appellato, aliqua ex parte anguloſum, ſeipſum, retrò findẽs, nec in omnibus craniis reperitur, ſed in quibusdam modò. Nam aſtra ipſum findunt, non corpora: Sicut neque generatio ejusdem oſſilli. Bibitur lima contritum, quantum ejus eſt una vice in principio paroxyſmi, ſub exaltatione Lunæ, juvatque primus hauſtus. Sed non additur cum quo liquore, nec quoties bibendum. *Pag. 1. Verſa.* A

Pœoniæ ſemen ſedat aſtrum caduci, ne aſcendat in paroxyſmũ, ſi exaltatio fabricetur ex terreſtribus ſtellis Saturni & Lunæ, vel aliqua etiam ex parte cum Jove, & communiter in multis etiam aliis morbis caduci; ſed non adjungitur, quantum, quoties, quando nec cum quo. *Pag. 1. 2.* B

Antimonii dulcedo, vim arcanam habet tollendi atrociſſimum caduci paroxyſmum, qui igneus eſt, de dulcedine hac, quam albos Antimonii flores vocat, eadem eſt doſis, iisdemque temporibus, eodemque modo exhibenda, ſicut ante dictum eſt. Non tamen exprimitur cum quo liquore. Quercetanus tamen floribus Antimonii albiſſimis non tribuit vim contra caducum ſed contra tertianas febres, lib. de Spagir. præparat. cap. 10. Andernacus ad colicos commendat. *Pag. 1. 2. verſa.*

Vulturis fel (cuius & ante obiter facta mentio) nec an nec quomodo præparandum, nec quantum, nec quando, aut cum quo dari debeat exponit. *P. 1. 3. verſ.* C

Auri liquor (de quo ante dictum hîc verò præparationem tradit) datur ſcrupulo uno per ſex vices horâ unâ ante paroxyſmum, & inter paroxyſmos mane & ſub noctem dimidio ſcrupulo, donec ſextus paroxyſmus præterierit: ergò paroxyſmus præſciri debet. Sed nõ docet cum quo. Quercetanus lib. de præparat. metall. cap. 1. non attribuit tincturæ auri vim contra caducum. *Pag. ead.*

Corallorum tinctura, (cuius præparationem hic tradit) datur ad drag. unam cum dimidia, ſicut & ante dictum, quotidie mane usque ad quartanam conjunctionem & motum: Utilia autem ſunt ambo iſta remedia caducis exaltatis in Leone, Sole & Marte, potiſſimum verò ad igneam complexionem aſtrorum. Nam quotidianus ipſorum uſus vincit quotidianam naturam aſtrorum, adeò ut obmuteſcant in curſu ſuo, morbumque nequaquam ſuſcitent. At neque hic cum quo liquore exhibenda ſit, indicat. Verùm Quercetanus lib. *Pag. 1. 4.* D

præparat gemmarum cap.11.tincturæ corallorum vim contra caducum non aſſignat.

Pag. I. 4. verſa. Unicornu, non indiget præparatione, hoc ſolum requiritur, ut ſpectetur ipſius aſtrum aſcendens in elemento aqueo, & ſe exaltans in ſignis aqueis ſolummodò ante initium paroxyſmi: Ille ergò præſciri debet. Exhibeantur grana x v. per novem vices, aut ſæpius, prout aſtra aquea concidunt. Verum nec liquoris cum quo bibendum ſit, meminit, neque an pueris etiam idem pondus x v. gran. dari debeat, diſtinguit.

Pag. K. Camphora, mumia, ſpodium, abſque ulla præparatione exhibentur ut arcana, reſpectu tamen non corporis, ſed aſtrorum. At nec hîc quantum, quoties, nec quando, nec cum quo, ſignificatur. A

Pag. K. verſa. Plantago unà cum herbâ & radice, in ſuo aſcendente præbenda in caduco Aërio, quod ubi ter aut quater feceris, non percipies amplius paroxyſmum. Sed nec hîc cum quo, aut quo modo nec quantum eius unâ vice, neque an crudum, an coctum dandum, ſcribitur.

Pag. K. verſa. Hirundinum arcanum in caduco igneo, & papaver in caduco terreo, item Chryſtallus in caduco aqueo & Tronas in caduco aërio, quæ adminiſtrari debent ab aſcendente gradu, à decimo usque ad ſexageſimum aut ſeptuageſimum poſt ingreſſum aſcendentis. Sed de his an cruda, an cocta, aut qua ratione præparata ſumi debeant, quãtum cuiusque, aut cum quo liquore, neglexit dicere. B

Pag. K. 4. verſa. Tartari, Juniperi, Meliſſæ, Vitrioli, Salis, Aluminis, Lunæ, Solis & alia arcana multa ſunt, quæ tamen hîc non deſcribuntur, ne lector multitudinis tædio obruatur. De quibus etiam, nec quantum, nec quando, nec quoties, nec cum quo ſumi poſſint, manifeſtum facit.

Ibidem & pag. L. Vitrioli tamen arcanum in caduco, Paracelſus hîc pro colophone deſcribit, eò quod ſibi illud, velut unum præ cæteris delegit, & ſibi cognitum eſſe profitetur (quaſi dicat de cæteris parum habere certi) Eſt autem illud, non oleum, inquit, vitrioli, ſed ejus volatilitas, quam ad ſummum agitare, & cogere debes, adeoque tertia vice, magno igne ſtudioſè repurgare, quò diutiùs, eò fortius graduando. Tunc prodibit oleum in volatilitate. Hoc ipſum eſt volatile illud, quod cave, ne ſinas deſcendere. In iſto enim eſt potentia ſanandi caducum, adminiſtrando illud ſecundum aſtra, & exaltationes ſuas. Sola volatilitas eſt, quæ aſtris imperat. Ideoque miſſum fac oleum, niſi ſit volatile, & volatilitas in illo. Redditur autem efficacius multò, ſi per Pelicanum, ſi per Retortam deſtilletur. Attamen de iſta volatilitate vitrioli, nec quantum, nec quando, nec quoties, nec cum quo, nec quo modo, nec cuius ætatis ægris exhibẽdũ ſit exponit. Sed multum diſtat iſta vitrioli præparatio ab illa, quæ traditur pag. 652. item pag. 738 Latine verſorum operum tomi primi. Cui itaque deſcriptioni aut præparationi, ut meliori, fidem habebimus? (Quamvis diverſa ſit Andernaci & Quercetani confectio) Accuſant enim ſtatim C D

dem remediorum pravas præparationes, in ſucceſſu fruſtrato.

Vides igitur, quanta ſit diverſitas, quanta incertitudo temporis, ad medicamenta debitè contra epilepſiam propinanda: Cum modo triduo, modò una hora ante paroxyſmum, modò acceſſione inſtante, modò in ipſa, modò finita eadem, modò Noviluno, modò ſemel tantum, modò ſæpiuſculè remedii exhibenda præcipiat.

Ut autem magis credam, Paracelſum in profliganda omni epilepſia nihil certi habuiſſe, neq; ſciviſſe inter tot remedia plura quam 36. producta, cui potiſſimum fidere debeat; præter rationes ante in
A medium productas, facit partim vitrioli, cui imprimis confidendum putat, diverſiſſima, uti diximus, præparatio. Nam ſimpliciſſima eſt, quam pag. 652 deſcribit. Operoſa autem valdè quam pag. 738. docet; Sicut ab his diverſa, quàm in lib. de caduco pag. L. tradit. Partim rurſus ipſiusmet Paracelſi confeſſio, qua anno ætatis ſuæ 43. putà quadriennio ante obitum ingenuè fatetur, pauca vel nulla, illo dum tempore reperta fuiſſe remedia, quæ epilepſiam tollerent. Locus eſt ſub finem cap. ſexti, Tract. 1. part. 1. Chirurgiæ magnæ, editæ aut ſaltem dedicatæ 7. Maii 1536. in folio; Verba textus ita habent: „Superveniunt ad hæc vulneribus affectus quidam, quorum radix non
B in ipſo vulnere, ſed in toto corpore continetur, ut ſunt phrenitides, epilepſiæ, & ſimiles paſſiones. Has jam non vulnerum ſymptomata, ſed verè morbos appellabimus, eò quod percuratis vulneribus permaneant. Iſtis itaque malis conſilium ex Medicina quærendum erit; quorum quia pauca vel nulla adhuc reperta ſunt; Omni ſtudio in id incumbendum erit, ut ea inveniamus, ſi modò ægris conſultum velimus, &c.

Quantæ rurſus in percuranda epilepſia potuerit eſſe peritiæ, ab examine temporis, quo vixit & docere cepit, conjecturam petamus.

C

EXAMEN VITÆ Paracelſi.

Aureolus Phil. Theophraſtus, Paracelſus, Bombaſtus ab Hohenheim Eremita Helvetius. Obiit diem Salisburgi in Noſocomio 24. Sept. anno 1541. anno ætatis ſuæ 47. putà nondum completo, teſtibus epitaphiis.

Natus igitur videtur, vel anno 1493. finituro, vel 1494. non diu inchoato.

Profitetur autem ſe utriusque Medicinæ Doctorem, adeoque
D Phyſicum, & quidem ordinarium Baſileenſem, in dedicatoria lib. ſeptem de gradibus & compoſitione receptorum ad Chriſtoph. Clauſerum 4. Idus Novemb. 1526. conſcripta.

Item. Se amplo Senatus Baſileenſis ſtipendio ad publicam inſpectivæ & activæ Medic. Phyſicæ & Chirurgicæ libris à ſe conſcriptis interpretationem invitatum eſſe ſcribit in programmate ad Med.

ad Med. ſtudioſos Baſileæ Nonis Junii anno 1527. affixo, quod extat principio Tomi ſecundi ante Paramiricorum libros.

Item. In præfatione Archidoxorum ad ſtudioſos Tigurinos ſe utriusq; Med Doctorem & Phyſicum Baſileenſem nominat 4. Idus Novemb anno 1527.

Præfatus quoque eſt in quartam partem Magnæ Chirurgiæ, in qua de morbo Gallico tractat, epiſtola ad Hieronymum Bornerum 11 Junii, anno 1528. Colmariæ exarata.

Tertiam ejusdem Chirurgiæ partem Cunrado wickramo Colmariæ quoque 8. Julii, 1528. dedicavit. A

Paramirorum libros Joachimo Vadiano San-Gallii 15. Martii 1531. inſcripſit.

Primam autem Chirurgiæ magnæ partem Cæſari Ferdinando 7. Maii 1536. Muncheradii nuncupavit.

Secundam verò ejusdem partem eidem Principi Ferdinando 11. Auguſti 1536. Auguſtæ conſecravit.

Libros ſeptem de Natura Rerum ad Johannem Winckelſteiner anno 1537. Villaco transmiſit.

De reliquis ejus ſcriptis (quæ ego quidem vidi) quo anno, quo loco, & quibus hominibus inſcripta ſint, nondum mihi quidem conſtat. B

Cum itaque 4. Idus Novemb. anno 1526. fuerit utriusque Med. Doctor, & quidem ordinarius Baſileæ Phyſicus, adeoque jam tum ſcripſerat libros ſeptem de receptorum gradibus, & compoſitione, teſte epiſtola liminari, idque, ut colligere licet anno ætatis 32. Sequentis autem anni 1527. Nonis Junii, libros de Medicina & Chirurgia à ſe conſcriptos, publicè conſenſu Senatus, & ſtipendio liberali conductus explicare promiſerit: Debuit ſaltem annorum fuiſſe viginti & trium aut circiter, antequam in utriusque Med. Doctorem promoveretur; Si modò unquam, aut uspiam promotus legitimè fuerit. C

Nam præter claſſica pueritiæ rudimenta, Latinæque & Græcæ linguæ mediocrem cognitionem, ſi modo Græcæ ullam habuit, oportuit in addiſcenda Philoſophia imprimis Phyſica, aſtronomia aliquot annos triviſſe: Deinde Medicinæ publicos Profeſſores, triennium, ut minimum, audiviſſe, in Anatomicis, ſimpliciumque notitiâ ſe exercuiſſe, componendi medicamenta rationem in pharmacopoliis vidiſſe, Praxin Med. & Chirurgiæ in Academiis ſectatum eſſe, priusquam publicos ſummosque in Med. & Chirurgia honores cōſequeretur. Quinetiam jam publico teſtimonio ornatus, artem quā à præceptoribus didicerat, aliquandiu per duos aut tres annos exercuiſſe debuit, ejusque in curando periculum feciſſe, antequam Græcorum aut Arabum doctrina ipſi diſplicere, & in dubium vocari inciperet: Tum demum diſciplinæ artisque uſitatæ pertæſus, meliora addiſcendi ſtudio, aliò ſe conferre, omnesque Germaniæ, Galliæ, Italiæ (quod ſe feciſſe in præfatione liminari Chirurgiæ magnæ dicit) D

Acade-

Academias adire, Hiſpaniam, Luſitaniam, Angliam, Daniam, Sueciam, Lituaniam, Boruſſiam, Poloniam, Pannoniam, Tranſylvaniã, Valachiam, Illyricum, Croatiam, imò univerſas totius Europæ nationes peragrare. Alchymiam, Aſtrologiam, Cabalam, Magiam cũ Chiromantia, Phyſiognomia, Necromantia, Pyromantia, Geomantia, Sortilegio, Cryſtallomantia aliisq; ejus ſpecieb. didiciſſe, neque apud Medicos ſolum; verum etiam Chirurgos, Tonſores, aniculas, Magos, Chymiſtas, nobiles ignobilesque homines ſelectiora, ſecretiora, quæ uspiam extarent, uſu probata, & arcana remedia inquiſiviſſe, præparationes, eorumque ſucceſſus in curationibus obſervaſſe.

A Ad quas peregrinationes, anni ſaltem ſex requiruntur; poſtea eorũ, quæ obſervârat & paſſim didicerat, in morbis ſimilibus, ſi quos occaſio curandos offerret, proprio Marte experimentum agere, artisque novæ fidem per particularia explorare, ad quod anni non pauciores quam 4. aut 5. impendi debent. Longa eſt enim & infinita ars, quæ per experientiam addiſcitur.

An igitur Paracelſus anno ætatis ſuæ 32. tantam ſingularium per experimenta Medicinæ novæ, acquiſiviſſe potuerit peritiam, quantam ubique arrogantiſſimè jactat, ut omnes incurabiles deploratos, & à Galenicis deſertos morbos percuraverit, tamque diverſa,

B vel in ſola epilepſia peculiaria medicamenta expertus ſit, uſuque ſingula comprobarit, tu quæſo Lector prudenter ipſe tecum conſidera, ut quantum temporis perpotando malè perdiderit, non dicam.

Quamvis autem iſta ad arrogantiam ſupercilii Paracelſiani deprimendam ſufficere potuiſſent; Libuit tamen tum ex ipſiusmet Paracelſi, tum ſectatorum ejusdem confeſſione propria, ob oculos ponere, quam multi ſint morbi, quos ipſi lethales aut incurabiles eſſe (velint nolint) fateri coguntur, de quorum tamen percurationibus ſe tantopere venditant, & thraſonicè apud imperitos, ſed iniquiſſi-

C mè, ſupra Galenicos extollunt.

MVLTOS ESSE MORBOS, QVOS Paracelſus ipſe lethales vel incurabiles eſſe fatetur.

Vulnera ſine exceptione lethalia ſunt, quæ cerebro, cordi, orificio ventriculi, veſicæ, inteſtinis exilibus, occipitio & tracheæ arteriæ infliguntur, uti quæ pulmonibus, hepati & ſimilibus viſceri- *Chirurg. magna Tom. 1. in fol. Argẽtora. 1573. à Ioſqui. Dalhẽno verſa.*

D bus accidunt; nec non veſiculæ bilis, ventriculi, arteriarum & venæ portæ vulnera; ubi quæ transverſim muſculis incidunt, & quæ extentis membris inferuntur mortalia exiſtunt, pag. 5. 6. 7. Item pag. 10. lin. 15. 19.

Vulnera inſanabilia ſunt: articulorum vulnera, ſi phlegmone ſuperveniat. Item ſi illis in locum deperditi oſſis caro ſuccreſcat, de-

ſperatum malũ eſt,& membrum neceſſariò reſolvitur. To. 1.p.6.l.4.

Vulnera quæ ſenſuum organis,ut oculis,auribus,linguæ accidunt,licet nec apoplexiam,nec paralyſin cauſent & ſimplicia ſint vulnera,tamen curationem non admittunt, niſi valdè ſint exigua. pag. 6.lin.22.

Inteſtinorum vulnera curationem nullam admittunt. lin. 28.

Pulmonum vulnera,quamvis lethalia non ſint,curationem tamen nullam admittunt; ſed in phthiſin,tuſſim,diſpnœam, & ſimiles affectus terminantur.lin.37.

Ventriculo vulnerato, etſi certa mors ſequatur, vita tamen, A
quandoque in longum tempus protrahitur,& ſitus ratione,alia aliis citius interimunt.lin 40.

Hepatis vulnera curari impoſſibile eſt.pag.7.lin.1.

Renum vulnera,hepaticis reſpondent,facultatem renum inſitam deſtruunt.pag.7.lin.5.

Vulnera capitis & cerebri ſubſtantiam penetrantia omnem curationis ſpem amiſerunt. lin .21.

Tempus, horæ, cœleſtium corporum influxus, motus & natura, vulnera aliâs curatu facillima, lethalia efficiunt.lin.31.

B

Ergo nec Paracelſus ipſe, omnia recentia vulnera ſanare potuit: Quid igitur de diſcipulis ſperes?

Dentes eroſos putrefactos curari impoſſibile.p.96.l.2.

Magna Chirurgia T. 1. Apoplexia lethalis morbus.Chirurg.Mag.Tom.1.p.10.l.25.

Paralyſes ex quibusdam vulnerib.incurabiles.ib.l.33.35.& 38.

Elephantiaſis per ſe eſt morte gravior: Ergo incurabilis, p.58.l.2.

Tom. 2. Cancri occulti, qui uterum, anum, mammarum interiora affligunt,fiunt lethales.Chirurg.Mag.Tom.1.p.20.l.7. *Tom.1.*

Cancri,qui ab vel cum oppilatione fiunt,lethales evadunt,ib.l.24.

Cancer in quo puncturæ moleſtant,lethalis eſt.To.eod.p.211.l.6. C

Tom.2. Lepræ ſpecies ſunt novem.Chirurg.Mag.Tom.2.p.183 l.30.

Lepræ ſpecies plures quam quadraginta eod.Tom.p.57.l.10.

Lepræ quædam ſpecies, prius quam perfectæ fiant, curationem admittere videntur.Eod.Tom.p.184.l.12.

Tom.1. Lepra fit omnium peſſima ſi ſal corporis noſtri naturam perdat, quod per cœleſtes quandoque fit influentias.p.140.l.11.

Lepræ quædam fiunt in generationis partibus, quæ ſi in poſteros propagentur,omninò incurabiles evadunt ibid.16.

Tom.2. Hydropes ſunt lethales.p.142.l.23.

Hydropis novi curatio.Tom.2.p.162 l 5. D

Tom.1. Hydrops an & quomodo curari poſſit, nempe corruptum ſanguinem expellendo,& novum bonumque generando. Tom. 1. pag. 95 lin 44.

Quartanæ ſunt lethales.Tom.2.p 142.l.23.

Tom.1. Quartanæ an & quomodo curandæ? nempe antiquum ſanguinē

expur-

expurgando, novum probumque regenerando, quod niſi præſtes, nunquam quartanarium ſanitati reſtitues. p. 95. l. 39.

Arthritides, ſi ſpaſmi, convulſiones, rigores febriles, hydropes adſint, non ſecus ac ſi vulnera quoque moleſtarent, incurabiles pronunciandæ ſunt. p. 189. l. 39. Tom. 2.

Podagra cum morbo Gallico conjuncta, incurabilis eſt. Tom. eodem. p. 48. l. 5.

Podagra ſuapte natura curatu difficillima exiſtit. Tom. eod. pag. 64. l. 15.

A *Ergo neque Paracelſus dentes eroſos, nec apoplexiam, nec omnem paralyſin, nec elephantiaſin, nec cancros omnes, nec omnes lepras, nec hydropas, nec quartanas, nec arthritidas omnes, nec omnes podagras, ſe ipſo teſte, ſanavit, quid ergo diſcipuli?*

Morbus Gall. ex hypoſarca ortus, mortem certam minatur. pa. 66. lin 4. & 12. Tom. 2.

Morbus Gallicus ſi poſt tertiam ſui curationem recrudeſcat, à quarta eius curatione ceu opera inutili abſtinendum. p. 78. lin. 36.

B Morbus Gallicus, lepra præſente, incurabilis. p. 142. l. 21.

Morbo Gall. ſi hydrops aut quartana vel leviſſimis ſignis adeſſe cognoſcantur certiſſimam perniciem imminere, ne dubitato. ib. l. 23.

Morbus Gall. cũ calculo aut arenis conjũctus eſt lethalis. p. 69. l. 38.

Morbo Gallico curato, hydrops revertens, lethale ibid. lin. 41.

Morbo Gallico curato caducus revertens, lethale. ib. l. 42.

Ergo nec omnem morbnm Gall. Paracelſus, ſe teſte curavit.

Excuſationes Paracelſi in fruſtratis curationib.

Tempus, horæ, cœleſtium corporum influxus, motus, natura, vulnus aliâs curatu facillimum, efficiunt lethale. p. 7. l. 31. Tom. 1.

C In impoſſibilib. fruſtra laboratur. p. 64. lin. 33.

Morbi quandoque conciliantur malignorum remediorum uſu, qui incurabiles fiunt p. 142. lin. 2. Tom. 2.

Multi ægroti ſunt, apud quos ne præſtantiſſima quidem remedia, commodum aliquod præſtent. Quis enim eſt, qui divinam providẽtiam intelligat? Hinc accidit, ut morbi remediis etiam optimis non obedientiam, ſc. Deo adhuc nolente ſanitatem largiri. p. 145. l. 21.

Excuſatio à tempore.

Lib. de Caduco Germanicè.

D Si remedium in ſuo aſcendente, quem magnum Ilech vocat, non exhibeatur, ſicut de viſco quercino, de ſanguine humano, item de cranio hominis, de unicornu, de Camphora de murria, de ſpodio, de plãtagione, & pluribus aliis arcanis. Magno n Ilech majorem vim tribuit, quam rebus ipſis: Imò quod neglectus aſtri medicamenta quędam non ſolum inefficacia, ſed etiam noxia reddat. *Pag. H. 4. Pag. 1. verſ. 2. Pag. H. 4. verſa.*

Item.

Pag. K. Item. Excuſatio ob differentiam ab ætate ægrorum.

Item. Ob differentiam à ſexu.

Pag. E.4. verſa. Pag. K.2. verſa. Item. Ob differentiam à ſpeciebus caduci: Alium enim eſſe aquoſum, alium terrenum, alium igneum, alium aërium, quorum ſingulis ſua debentur remedia.

Item. Excuſatio ab imperita præparatione arcanorum, ut in Antimonii, vitrioli, auri, corallorum, & aliorum foſſilium eſſentiis, tincturis, oleis, balſamis, liquoribus, ſalibus, arcanis, &c. elaborandis, ſi non ſuccedat curatio, facillimè culpa ponitur. Nam Alchymiſtarum præparationes non ſemper laudantur Paracelſo, ſicut Petro Severino Dano, Antimonii vitrum, Turbith minerale, Mercurius præcipitatus & alia. A

Idea ſua pag. 394. 398. 399.

Similiter Petrus Severinus Danus Paracelſicus in Idea Med. Philoſophica pag. 341.

Quocirca nec podagræ, nec hydropes, nec lepræ, nec epilepſiæ inſanabiles ſunt, ſive hæreditariæ, ſive alimentariæ, ſive leviores ſive graviores, ſive incipientes, ſive confirmatæ.

Niſi occulta prædeſtinatione mortalibus ignota inſanabiles evadant. B

Accidentia ſupervenientia & morbi ſecundarii, vel læſiones, ut calculus adamantinus in veſica.

Bolus conſummatus in epate vel liene.

Tophi podagrici lapideſcentes remediorum ope vix reſolvuntur.

Carnes quoque in ulceribus corruptæ, non reſtituuntur, quia vitæ continuitatem amiſerunt.

Paracelſicorum in Belgio conſilium & excuſatio uſitata. C

Antuerpiæ me illic artem medicam per annos ſex faciente Paracelſici vafriores, ut plus famæ & pecuniæ conſequi poſſent, ægrorum qui ipſis offerebantur curationes, per Galenicos prius tentari ſuadebant.

Tunc enim ſi minus feliciter Paracelſicis ſuccedebat curatio, triplici via ſe excuſabant, nimirum.

Aut ægros à Galenicis corruptos, & incurabiles factos.

Aut medicamenta illa arcana, malè præparata à pharmacopœis. D

Aut ira Numinis, inſanabili morbo damnatos, ajebant.

Cum igitur Paracelſus ipſe, ejuſque ſequaces, velint nolint, fateantur, multos eſſe morbos lethales, multos inſanabiles, reſpectu partim naturæ ſuæ, partim ægrorum ipſorum, nec non temporis, atque

atque influentiarum cœleſtium: Quid ergo habent certi thraſones
illi, quid magni, quo ſe ſupra Galenicos efferre merito poſſint, aut
debeant?

IOH. GUMTERII ANDERNACI DE Paracelſo eiuſque aſſeclis Iudicium comment. Secundo de nova & veteri Medicina.

HOc viros prudentes & pios graviter offendit, quod Paracelſus *Pag. 30. l.*
à ſpiritibus malignis remedia morborum arte Magica compa- *32.*
rari iubeat, doceatq; nihil referre, Deus ne, an ſathanas: Boni-
ne, an mali angeli, ægrotis ſuccurrant. Hos namq; à Deo coactos, il-
los verò ſua ſponte, hominibus beneſacere.

Urinam Galenus omnia ſua brevius accurratiusq; complexus eſ-
ſet. Theophraſtus autem apertius & candidius edidiſſet. Quia verò
ſua ſinguli habent vitia, & errores, ſuasq; rurſus virtutes & certitu-
dinem, optima quæq; ex utriſq; deligenda videntur. pag. 31. lin. 4.

B Veterum Medicinam prius addiſcat Med. candidatus, in eaque a- *Ibidē l. 10.*
liquamdiu verſari, & communes morborũ curationes exercere de-
bet, poſt hanc ſatis perceptam, Theophraſticam inveſtigare & cog-
noſcere incipiat. Quod ſi Theophraſticam ante veterum Medicinam *lin. 17.*
perdiſcerere malis, conſuetum medendi modum vilipendes, nullaq;
methodo curationes exſequeris.

Tanta Paracelſi ſectatoribus arcanorum & magnalium Dei, ut *Pag. 650.*
vocant, eſt copia, ut ipſi neſcij, cui potiſſimum ex illis principem lo- *l. 4.*
cum tribuere debeant: nunc auri Magiſterium, illi, quod ex ſtibio:
Nunc Mercuriũ ſtibii ac plumbi, ipſi qui ex auro paratur præferant:
C Nunc argenti, nunc ſulphuris, Nunc alterius aut metalli, aut rei
foſſilis tincturæ, generales omnium morborum curationes falsò
adſcribant.

Poſtquam deinde auri potabilis vires incredibiles, quas Paracelſi- *Ibidē l. 40*
ci illi attribuunt, prolixè enumeravit Andernacus, tandem ſubiicit:
Sed metuo, ne qui hæc de ipſis prædicant, re ipſa, vel minimum eo-
rum præſtare non poſſint.

Quanquam pleriq; omnes rerum naturalium periti, aquam vel
oleum ex auro fieri poſſe negent, neq; ullus noſtro tempore artifex, *Pag. 651.*
vel Chymicus, vel Mechanicus, qui illud affirmet, re ipſa præſtitiſſe *Lin 26.*
D viſus ſit. Fateor ſanè Theophraſtum Paracelſum inſignem Chymiæ
magiſtrum præclara multa in ſuis libris prodidiſſe: ſed contra hoc
dolendum eſſe cenſeo, quod non pauca vana & falſa, eis immiſcuerit:
ne dicam, quod optima quæq; ſic obſcurarit, ut nemo, aut pauci cer-
tè fructum aliquem ex illorum lectione percipere poſſint. *Pag. 662. l.*

Si tantam morborum curandorum efficaciam Medicinæ ex me- *41.*

Pag. K. Item. Excuſatio ob differentiam ab ætate ægrorum.

Item. Ob differentiam à ſexu.

Pag. E. 4. verſa. Item. Ob differentiam à ſpeciebus caduci: Alium enim eſſe aquoſum, alium terrenum, alium igneum, alium aërium, quorum ſingulis ſua debentur remedia.

Pag. K. 2. verſa. Item. Excuſatio ab imperita præparatione arcanorum, ut in Antimonii, vitrioli, auri, corallorum, & aliorum foſſilium eſſentiis, tincturis, oleis, balſamis, liquoribus, ſalibus, arcanis, &c. elaborandis, ſi non ſuccedat curatio, facillimè culpa ponitur. Nam Alchymiſtarum præparationes non ſemper laudantur Paracelſo, ſicut Petro Severino Dano, Antimonii vitrum, Turbith minerale, Mercurius præcipitatus & alia. A

Idea ſua pag. 394. 398. 399.

Similiter Petrus Severinus Danus Paracelſicus in Idea Med. Philoſophica pag. 341.

Quocirca nec podagræ, nec hydropes, nec lepræ, nec epilepſiæ inſanabiles ſunt, ſive hæreditariæ, ſive alimentariæ, ſive leviores ſive graviores, ſive incipientes, ſive confirmatæ.

Niſi occulta prædeſtinatione mortalibus ignota inſanabiles evadant. B

Accidentia ſupervenientia & morbi ſecundarii, vel læſiones, ut calculus adamantinus in veſica.

Bolus conſummatus in epate vel liene.

Tophi podagrici lapideſcentes remediorum ope vix reſolvuntur.

Carnes quoque in ulceribus corruptæ, non reſtituuntur, quia vitæ continuitatem amiſerunt.

Paracelſicorum in Belgio conſilium & excuſatio uſitata. C

Antuerpiæ me illic artem medicam per annos ſex faciente Paracelſici vafriores, ut plus famæ & pecuniæ conſequi poſſent, ægrorum qui ipſis offerebantur curationes, per Galenicos prius tentari ſuadebant.

Tunc enim ſi minus feliciter Paracelſicis ſuccedebat curatio, triplici via ſe excuſabant, nimirum.

Aut ægros à Galenicis corruptos, & incurabiles factos.

Aut medicamenta illa arcana, malè præparata à pharmacopœis. D

Aut ira Numinis, inſanabili morbo damnatos, ajebant.

Cum igitur Paracelſus ipſe, ejusque ſequaces, velint nolint, fateantur, multos eſſe morbos lethales, multos inſanabiles, reſpectu partim naturæ ſuæ, partim ægrorum ipſorum, nec non temporis,

atque influentiarum cœleſtium: Quid ergo habent certi thraſones illi, quid magni, quo ſe ſupra Galenicos efferre merito poſſint, aut debeant?

IOH. GUMTERII ANDERNACI DE Paracelſo eiuſque aſſeclis Iudicium comment. Secundo de nova & veteri Medicina.

A HOc viros prudentes & pios graviter offendit, quod Paracelſus à ſpiritibus malignis remedia morborum arte Magica comparari iubeat, doceatq; nihil referre, Deus ne, an ſathanas: Bonine, an mali angeli, ægrotis ſuccurrant. Hos namq; à Deo coactos, illos verò ſua ſponte, hominibus benefacere. *Pag. 30. l. 32.*

Utinam Galenus omnia ſua brevius accurratiusq; complexus eſſet. Theophraſtus autem apertius & candidius edidiſſet. Quia verò ſua ſinguli habent vitia, & errores, ſuasq; rurſus virtutes & certitudinem, optima quæq; ex utriſq; deligenda videntur. pag. 31. lin. 4.

B Veterum Medicinam prius addiſcat Med. candidatus, in eaque aliquamdiu verſari, & communes morborũ curationes exercere debet, poſt hanc ſatis perceptam, Theophraſticam inveſtigare & cognoſcere incipiat. Quod ſi Theophraſticam ante veterum Medicinam perdiſcerere malis, conſuetum medendi modum vilipendes, nullaq; methodo curationes exſequeris. *Ibidẽ l. 10.* *Lin. 17.*

Tanta Paracelſi ſectatoribus arcanorum & magnalium Dei, ut vocant, eſt copia, ut ipſi neſcij, cui potiſſimum ex illis principem locum tribuere debeant: nunc auri Magiſterium, illi, quod ex ſtibio: Nunc Mercuriũ ſtibii ac plumbi, ipſi qui ex auro paratur præferant: C Nunc argenti, nunc ſulphuris, Nunc alterius aut metalli, aut rei foſſilis tincturæ, generales omnium morborum curationes falsò adſcribant. *Pag. 650. l. 4.*

Poſtquam deinde auri potabilis vires incredibiles, quas Paracelſici illi attribuunt, prolixè enumeravit Andernacus, tandem ſubiicit: Sed metuo, ne qui hæc de ipſis prædicant, re ipſa, vel minimum eorum præſtare non poſſint. *Ibidẽ l. 40*

Quanquam pleriq; omnes rerum naturalium periti, aquam vel oleum ex auro fieri poſſe negent, neq; ullus noſtro tempore artifex, vel Chymicus, vel Mechanicus, qui illud affirmet, re ipſa præſtitiſſe D viſus ſit. Fateor ſanè Theophraſtum Paracelſum inſignem Chymiæ magiſtrum præclara multa in ſuis libris prodidiſſe: ſed contra hoc dolendum eſſe cenſeo, quod non pauca vana & falſa, eis immiſcuerit: ne dicam, quod optima quæq; ſic obſcurarit, ut nemo, aut pauci certè fructum aliquem ex illorum lectione percipere poſſint. *Pag. 651. Lin 26.*

Si tantam morborum curandorum efficaciam Medicinæ ex me- *Pag. 662. l. 40.*

ex metallis paratæ obtinerent, quantam hodie Spagyri auro præcipuè & ſtibio ineſſe iactitant, illorum certè præceptor Paracelſus horum facultatibus contentus, in diverſis morborum curationibus, diverſa quoq; auxiliorum remedia, præparandique modos, in libris ſuis non tradidiſſet: Immò iſtorum præſidio munitus, immaturę ſuę ipſius & aliorum morti præcavere potuiſſet.

Pag. 663. 65. Quin etiam ſi quiſquam illorum, qui tincturam vel Mercurium metalli alicuius, tanquam omnium morborum Medicinam ſe habere prædicant vel febrem rectè curare, non dico ipſam Medicinam conficere noviſſent: meritò ab omnib. hominibus obſervari, maximiſq; principum ſtipendiis ali deberent: Sed cum illorum ignorantia ipſos prodat, nec Paracelſo Magiſtro ſemper ſuum Azot, vel ſimile arcanum omnibus in morbis ſatisfeciſſe, manifeſtum ſit, iis potius, quorum uſus & ratio nobis eſt cognita uti præſtat, quam alienis morborum cauſas, non modò in totum non auferre, ſed etiam augere. A

Poſtquam verò iam per biennium, literarum viciſſitudine de Paracelſi Medicina, cum viro illo præſtanti D LEVINO BATTO luctatus eſſem: Prodit commodè pars prima, & paulò pòſt ſecunda Antiparacelſicorum, à D. Thoma Eraſto inter philoſophos noſtræ ætatis nemini ſecundo, & in Academia Heidelb. Med. Profeſſore per multos annos primario, in lucem emiſſæ. Quibus ab auctore acceptis lectiſq;, hortabar D Battum ut illas & ipſe legeret ſuumq; de illis iudicium ad me perſcriberet, quod quale ſit ex ſequenti epiſtola apparet. B

EPISTOLA. XII.

LEVINUS BATTUS MED. Profeſſ. Roſtoch.

HENRICO SMETIO MEDICO Lemgoviano.

C

CLariſſ. vir, chariſſ. cognate, eo ipſo momento, quo literas à me tabellarius efflagitat, vocabar ad Nobilem quendam ideoque ut brevior ſim, eſt neceſſe. Legi Eraſti ſcriptum contra Paracelſum, qui equidem in ore multum, in re ipſa, & in facto parum habere videtur. Meditabar reſponſum, ſed occupationibus variis impeditus, perficere non potui. Deinde ita prolixus eſt in principiorum confirmatione, ut me tædium cœperit. Vale & uxorem liberos amicoſq; omnes ſaluta. Roſtochii 26. Auguſti 1572. D

EPISTO-

EPISTOLA XIII.

D. LEVINI BATTI JUDICIUM DE Antiparacelſicis D. Tho. Eraſti.

ERaſtus contra Paracelſum ſcribens: Primò dicit eum eſſe impium & Magum, rudem omnis abſtruſioris Philoſophiæ Probatq; 1. teſtimonio cuiusdā Georgii Vetteri, hominis obſcuri, cuius
A fides non injuria in dubium revocari poteſt 2. Quia de ſe ipſo ſcribere non eſt veritus, ſe in Magia plurimum profeciſſe Oportebat a. Eraſtum locum adſcripſiſſe. Nam Magia Theophraſto duplex eſt, alia naturalis, alia Diabolica. Vide ſcriptum Theoph. de Magia naturali eruditiſſimum. 3. Probat, quòd Magicas artes omnes in libris ſuis ſtudioſè defendat. Sed & hoc probare debebat Eraſtus & loca adducere, ubi Magiam Diabolicam commendat. 4. Quod illud omnes aſſeverent: etiam probatione egebat. Nam quod in Oporini vita exſtat, parum id probat, cum talia de homine probatiſſimæ vitæ etiam dici poſſit. Non dubium enim eſt, orationem il-
B lam ab æmulis Theophraſti eiuſque diſcipulorum, Baſileæ eſſe ſcriptam.

Secundò, artis Chymicæ ſtudioſum cultorem fuiſſe Paracelſum, & pharmacorum quorundam præparationes docuiſſe. Sed hæc vera & propria laus debetur Theophraſto: Quanquam illam ipſi adimere conatur Eraſtus, cum facit Norinbergenſes & Auguſtanos quoſdam medicos illi pares, aut etiam ſuperiores. Gratæ & piæ mentis eſt agnoſcere benefacta alicuius, non autem iis invidioſè detrahere.

Tertiò, damnare ipſum linguas & artes, in lib. de Caduco. Verum abuſum taxat Theophraſtus, non uſum moderatū. Videmus n.
C multos ſe pro medicis venditare, qui in dignoſcendis & curandis morbis parū verſati ſunt: ſolo titulo Græcæ, Latinæ vel Hebraicæ etiam vocis ſuperbientes, iſtoq; prætextu dignos ſe putantes, qui impunè in hominum corpora ſæviant Rectè Celſus dixit, non Eloquētia, ſed medicamentis dextrè adhibitis, morbos curari. Quàm multos videmus, ex ſcholis trivialibus relictâ linguarum & artium profeſſione, in ampliſſimum Medicinæ campum, illotis, quod aiunt, pedibus irrumpere, ibiq; ratione linguæ alicuius, aut artis profeſſione ſibi placentes, & velut licentiam nacti; temerè Medicinam, quam nnnquam didicerunt, facere, audacter per mortes aliorum pericula
D facere, adeò ut rectiſſimè de his vulgò dicatur, non eſſe credendum medico, niſi aliquot cœmeteria repleverit.

Quod autem in lib. de peſte dicat, errare illos, qui Aſtronomiam, Philoſophiam & Medicinam putant differre, cum unum quiddam ſint: Omninò enim tres artes non ſunt, ſed unica. Reſpondeo, Theophraſtus nullū medicū eſſe cenſet, qui non ſimul in naturali &

cœleſti philoſophia ſit verſatus probè. Nam ut in lib. de Labyrintho Med. ſcripſit: neceſſe eſt, medicum propoſitos habere ſibi 4 libros, quos die i. noctuque verſet: Quorum eſſe debet cælum, ſecundus terra, &c. Vide ibidem. Cum igitur ita requirat in medio naturalem & cœleſtem Philoſophiam, ut ea deſtitutus, non medicus, ſed impoſtor ſit habendus, ipſiusque medicina prorſus ſit manca, ſi Aſtronomia & Philoſophia deſtituatur. Rectè meo quidem iudicio, ita unit Medicinæ Aſtronomiam & Philoſophiam, non illam quidem Ariſtotelicam, ſed ſuam & altioris cuiusdam conſiderationis contemplationē, ut prorſus unū artem unā corpus inſeparabile cōſtituat. Nō rectè igitur minusq; decenter Eraſtus de Theophraſto iudicat, qui adeò rudem eum arbitratur, ut hæc puerilia ignorarit, quem quidem ego eo mentis acumine, ea doctrina, ea artis medicæ exercitatione excellentem & præſtantem fuiſſe iudico, ut paucos veterum, recentiorum, quod ſciam, nullos ipſi anteponendos putem. A

Deinde fol. 5. non Theophraſtum, ſed Petrum Severinum Danum accuſat, qui de nova & veteri Medicina eruditum volumen edidit. Miror Eraſtum Theophraſto, ea quæ Theophraſti non ſunt, tribuere. Et reſpondebit facilè iſtis calumniis, is qui accuſatur, cum in Dania apud Maieſt. regiam hodie feliciter adhuc Medicinam faciat. Hîc multa dicenda eſſent, de qualitatibus & ſubſtantiis morborum, de ſubſtantiæ corruptela, de anguſta nimis Galeni diviſione, in diſtinctione morborum. B

Quartum accuſationis caput eſt, quod ſcientiam & artem ſuam à Diabolis didicerit. Hoc quidem ſatis audacter & impudenter dicit Eraſtus, nullo autem modo probat. Aliud enim eſt ex aſtris cœlitus aut divinitus aliquid dari: Aliud à Diabolo: aliud ex naturæ lumine, Cabala, Chiromantia, Phyſiognomia, arte ſignata, Vulcano &c. Aliud certè ex Diabolo. C

Nec valet conſequentia: Plures fuerunt in una aliqua philoſophiæ parte ipſo exercitatiores Theophraſto. Ergo etiam rectius inde diducere Theophraſticam Philoſophiam, aut Medicinam potuiſſent: Cum ex pluribus coniunctis id rectius quam particula aliqua ſola fieri cenſendum ſit.

Deinde cum Chriſtus ipſe hoc poſtremo tempore omnia occulta revelanda moneat: Nihil mirum, ſicut Evangelii lux per D. Lutherum Germaniæ patefacta eſt: ita etiam naturæ lux, & ars Medica per Theophraſtum divinitus innoteſcat. D

De principiis & elementis Ariſtotelicis, plurima congerit Eraſtus per aliquot quaterniones. Hactenus D. LEVINUS BATTUS.

EPISTO-

EPISTOLA XIV.

Clariſſimo Doctiſſimoq; viro

LEVINO BATTO MED. PROFESS. Roſtochienſi,

A HENRICUS SMETIUS MEDICUS LEMgovienſis.

QUæ ad me pro ſpecimine quodam cœptæ de Antiparacelſicis Eraſtinis cenſuræ 26. Auguſti, honorande cognate, miſiſti, accepi & perlegi. Ego ut nec Paracelſi oppugnationem, nec Eraſti propugnationem mihi aſſumo: Ita quidem agnoſco Eraſtum prolixiorem eſſe, quam forte Lector feſtinantior deſideraret; nequaquam tamen adeò parum (ut tu quidem opinaris) attentius legenti, in receſſu habere exiſtimo. Sanè quæ mihi in prima parte legere contigit: B Nondum enim ſecundum vidi, deducta ex ipſis Phyſicæ & Theologiæ fundamentis ſolida argumentorum vi, acutè aſſerere videtur, niſi monſtroſam Philoſophiam, aut portentoſam Theologiam, de novo fingere nobis velimus, quod Theophraſtum moliri apparet, tuque ipſe de Philoſophia ejus fateris, quam altioris cujuſdam conſiderationis contemplationem appellas, Ariſtotelicam verò puerilem eſſe. Utinam verò puerilia iſta probè intelligamus. Optarem te majori ſtudio ſepoſitisque affectibus Eraſti ſcripta legere, & ad diſciplinarum fontes referre, ac ſi quid minus concinnè dici putes, paginam annotare. Verum ſi negatis phyſicæ principiis, contemptoque aut C perverſo Dei verbo, unà cum Theophraſto inſanire velis: Non mirabor, ſi omnia Eraſti argumenta tibi diſplicebunt, & vanæ fuerint omnes cum hujuſmodi ingeniorum monſtris ſuſceptæ diſputationes.

Induſtriam in præparandis medicamentis, & Chymicæ artis peritiam unà tecum Paracelſo libenter attribuo. Sed condendæ novæ artis, aut ſcientiæ auctoritatem, non item. Nec probatur mihi ratiocinatio tua: Uti per D. Lutherum Evangelii lux Germaniæ patefacta eſt: Sic quoque Naturæ lux, & ars medica per Theophraſtum innoteſcit. Diſſimilis eſt hìc exemplorum ratio. Nam Lutherus conD ſona verbo Dei, ab omnibus gentibus recepto, & genuinas interpretationes attulit: Theophraſtus contra Phyſicæ & Medicinæ principia ab omnibus conceſſa, καὶ κοινὰς ἐννοίας evertit, quo fit, ut Naturæ lucem artemque medicam verè obſcuret.

Deſidero ſententiam tuam de nova ſtella, in ſidere Caſſiopææ, vix tribus gradibus à circulo Arctico, diſtante: Adde, quod frigida

hyeme, & multa nive, incommodo exhalationibus tempore, & quidem acri jam gelu in Novembri illuxerit. Figitur quoque certo cœli loco, cum quo ordinatè circumagi videtur. Conſideravi ſæpiſſimè, & à Novembri obſervavi. Primis menſibus Jovem fulgore rutilo & quaſi igneo vincebat, nunc remiſſius & minus ſolito fulget. Affulſit nova ſtella, naſcente Chriſto Domino, quam itineris ſui ducem, ab oriente Magi ſequebantur. Occiſo C. Julio Cæſare, ſimile meteoron conſpectum ſcribitur. Quid tu, quid alii iſtic viri docti, de hoc portento judicetis, ſcire deſidero. Feliciter vale, & amicos meos iſtic ſaluta. Lemgovii 12. Febr. 1573. A

EPISTOLA XV.

LEVINUS BATTUS MEDICUS Roſtochienſis.

HENRICO SMETIO MEDICO Lemgovienſi. B

CLariſs. & chariſs. D. cognate, de Theophraſto hactenus, qui ſententiam ſuam, artis uſu magis, quam diſputationibus tueri exoptat. Artis enim noſtræ finis eſt; facilè, tutò, & ſine magna ægri moleſtia curare. Id ſi felicius præſtet Theophraſtus, non injuria ipſi laus hæc attribuitur: Sin alii ipſo felicius; facilè cum novis opinionibus artisque principiis, ipſius doctrina concidet. Nihil præterea ad rem facit, quod contra ipſum affert Eraſtus, quaſi fuerit malus Theologus. Non enim deterior hac in re eſſe poteſt ipſo Hippocrate, aut C Galeno, quorum hic manifeſtè Moiſi & Chriſto contradicit: Ille neutrum novit. Concidit igitur verè, & non ex affectibus judicanti Eraſti liber, quo conatur ipſius Medicinam evertere, hac ratiocinatione, quod videatur Malus Theologus, vel magus.

Deinde rectius fuiſſet D. Eraſtum caput cauſæ, & artis opera aggredi, quam in principiis Ariſtotelicis ſtabiliendis laborare. Sed nihil apud te obtineo, ut qui Eraſto, quam par eſt, ſis addictior. Nolo de his amplius quicquam. Cuadæ enim alam pupugi.

De Cometæ conſpectu in Caſſiopæa, hæc accipe: Stellæ omnes aut ſunt fixæ, aut ſunt errantes, quas Planetas vocant. Omnesque ſunt in regione ætherea, nulli mutationi obnoxiæ. Hoc D ſidus cum 9 die Novemb. conſpici inceperit, neceſſe eſt, Stellam non eſſe; ſed ignes quacunque forma apparentes, & aliquandiu durantes. Cometas appellant. Eſt igitur & hic ignis Cometæ nomine deſignandus. Stella, quæ Julio Cæſare mortuo apparuit, fuit Cometa. Nec

Nec aliud, quæ Chriſto Jeſu naſcente eluxit; licet Theologorum quidam ad miraculum referant.

Cometæ autem quo altiores (ſicut hic altiſſimus eſt, nempe duodecim ſemidiametris terræ) magis habent motum regularem, & reſpondentem motui Stellarum. Nec ſemper eſt neceſſe, Comam aut caudam habere, cum & Ariſtoteles referat à Democrito Cometas, ſine crinibus aut cauda annotatos. Si quid amplius deſiderabis in hac materia, deſiderium tuum explebo. Habeo gratiam pro cura & benevolentia tua, erga Carolum fratrem in commendando illo, de-
A clarata. Bene vale Roſtochii 12. Martii 1573.

Hactenus velitationes de Medicina Paracelſi, cum D. Levino Batto, (viro aliquin in Philoſophia, Matheſi & Medicina diligenter verſato, adeoque jam tum per aliquot annos Medicinam in Academia Roſtochienſi cum laude publicè profitente, artemq; faciẽte, ſed ſtudio in Theophraſtum hunc ingenti abrepto) continuatæ. Meo enim à Lemgo-
B *vienſibus diſceſſu, & Heidelbergam, ut Illuſtriſ. & pientiſſimo Principi Friderico Tertio Electori Palatino à Medicina eſſem, familiâ tranſportatâ, interruptæ ſubſtiterunt. Neq; D. Battum in refutandis Antiparacelſicis Eraſti eſſe progreſſum, aut præter ea, quæ ſupra retuli, quicquam addidiſſe, aut mutaſſe cognovi. Neque ut illud faceret, ego mea per vernum anni 73. tempus transmigratione facta, novaq; functionis aulicæ occupationibus diſtractus, urgere potui. Adde, quod*
C *nondum tertia nedum quarta Antiparacelſicorum pars, illis in locis innotuerat, in quibus Eraſtus caput cauſæ (quod Paracelſicis magis cordi erat, & vix illum auſurum attingere putabant) nempe quæ Medicinam ſpectant, aggreditur, ſicut in quarta difficilium morborum curationes docet. Et ſanè valdè mirum eſt, ita conticuiſſe Paracelſi ſectatores, cum primis verò eorum Coryphæorum Petrum Severinum Ideæ illius Medicæ Philoſophicæ ſcriptorem, qui tamen toties tamque acriter ab Eraſto paſſim vellicatur, ejusque minacem*
D *ſtylum intentabat Doctor Battus. Multoq; majori admiratione dignum, jam intra annos xxxvij prodiiſſe neminem, qui tanti præceptoris ſui, viri ſupra Gal. ſupra Hipp. ſupra Ariſtotelem, ſupra medicos philoſophos veteres univerſos.*

aſſeclarum judicio, ſuſpiciendi, tam ignominioſè ab Eraſto per quatuor volumina in theatrum tracti, tamq; miſerè publicè flagellati commiſeratione ductus, patrocinium ſuſcipere dignaretur.

REbar futurum, ut ab ulteriore literarum de Paracelſico dogmate inter nos commutatione deinceps abſtineremus, præſertim, cum poſt Illuſtriſſimi mei Principis Friderici Tertii Electoris Palatini Sexagenario majoris obitum, ego à ſucceſſore ejus filiorum natu maximo (eo quod peculiarem ſibi haberet medicum) benignè miſſione impetrata: Neuſtadium (opera mea herili filio alteri, Duci putà Ioanni Caſimiro addicta) familiam tranſportaſſem. Verum poſteaquam demutatæ habitationis meæ loco, Doctor Levinus Battus certior factus, ſuæ de Epilepſia ejusq; curatione Paracelſiana habitæ diſputationis exemplar ad me transmiſiſſet, & ſuper illa ſententiam meam petiviſſet: Factum eſt, ut petitioni ejus per otium more geſto, cenſuram theſium earundem à me factam, ad ipſum 4. Auguſti 1580. remiſerim. Ad quam & ille 2. Junii ſequentis anni reſpondit: Viciſſim & ego animi mei ſenſa ad reſponſa ejus repoſui. Quamobrem & hanc ſententiarum inter nos collationem, de cauſis, ſignis & curatione epilepſiæ, hiſce de Paracelſi Medicina velitationibus, haud inutiliter ſubnecti poſſe exiſtimavi. Simul atque paucula prius de Auro factitio pro Chymicis producta argumenta diſſoluero.

AD ARGUMENTA QUÆDAM *pro Chymicis allata* HENRICI SMETII *de auro factitio*

RESPONSIO.

INterea dum Friderico III. Palatino à Medicina eſſem, venit in æſtate anni 1575 Heidelbergam Joſephus Quercetanus Gallus, magnæ jam tum, ob Chymiæ cognitionem, adeoque χειροτεχνίας arte apud multos opinionis, qui Lapidem Philoſophorum in pulveris forma

forma haberet, & projectionibus aliquot argento, auri colorem cōciliaſſet, tandem abſumpto pulvere ſuo, (qui tamen arte non ſua, ſed aliena factus fuerat) defecit aurificis admiratio.

Quærenti deinde cuidam amico, viro pio ac erudito, quid mihi de aurifica illa arte videretur: Reſpondi: Quanquam Chymici argentum aliudve vilius metallum tinctura ſua (qualem Quercetanus pulveris ſpecie ab alio confectam habebat) adeò inficere poſſint, ut probam omnem ſuſtineat: Nunquam tamen pondus, aut denſitatem auri nativi, factitio ſuo conferre poterunt. Quomodo enim 5. aut 6. granorum pondus, ex pulviſculo ſuo deſumptum liquatoq; argento inſperſum, duplum illi pondus auroque vero puro competens attulerit? Dragmam autem argenti, molem duplo majorem habere, quam auri puri dragmam, idque propter ſubſtantiæ raritatem & levitatem, oſtendunt ducati Turcici; item & cruciati Portugallenſes magni, qui licet pondus habeant novem dragm. cum dimidio, tamen dimidio thalero argenteo magnitudinem majorem non habent. Ex quo vel ſolo argumento Chymicorum fraus innoteſcit; argentum non transmutari in aurum, ſed argentum permanere; mutaſſe autem ſolummodò colorem, ex albo in flavum. Obiect. 1.

A

B

Ad alia pro auri factoribus.

Dicunt Chymici, ſe quidem non creare metalla, ſed imperfectiora perficere, & quaſi in actum reducere, & in eo Naturæ ordinem ſequi, & inſtrumentis ejusdem, nempe calore uti. Reſpondeo. Per facile quidem eſt inventis aliquid addere imperfectum ab alio relictum, à ſuperveniente altero perfici. Δεύτεραι γὰρ φροντίδες σοφώτεραι. At quod dicas, Chymicos, eo ordine, iiſque remediis, id eſt, ejuſdē generis inſtrumentis, quibus Natura utitur, imperfectum perficere: Id verò falſum eſt. Nam ordo, quem Natura obſervat, ipſis eſt ignotus Dicant mihi quæſo, quod metallum primò, quod ſecundo, quod tertio, quod quarto Natura faciat, ut tādem ex eo argentum, vel aurum perficiat, quæ duo illi ſtatuunt eſſe perfecta. Quaſi verò ferrum, æs, ſtannum, plumbum ſint in ſuo genere imperfecta. Abſurdum ſanè. Falſum quoque eſt, Chymicos Naturæ inſtrumentis uti, ut imperfecta perficiant: Quomodo docebunt Naturam tantam flammarum vim adhibere, ut ex ferro, cupro, plumbo, ſtanno, argentum vel aurū fabricet? Hoc ſi faceret ut in flammis Aetnæ, Veſuvii, Teclæ & aliis locis, oīa liquaret, miſceret, confunderet in fundo viſcerū terrę. Obiect. 2.

C

Verum Chymici profitentur tantum illud, quod Deus hominum induſtriæ conceſſit, nempe ut ars Naturam, i. e, Naturæ opera expoliat, & ſæpè etiam perficiat. Reſpondeo: Prius concedo: Poſterius ſanè nego. Non n. eò quod lana ab artifice repurgatur à ſordib. in fila netur; in pannum contexitur; non inquam propterea eſt magis lana, aut perfectior, quā dum eſſet in vellere. Nec quoque cedrus, eò quod exciditur, frondib. ramis, cortice ſpoliatur, edolatur. à ſtatuario idoli Obiect. 3.

D

forma induitur, non inquam idcircò perfectior evadit cedrus, quam cum in Libani ſylva adhuc ſtaret. Perinde ex uvis vinum: Ex granis tritici panem: Ex arena vitrum facere, non eſt res expolire, nec perficere; ſed potius ex prioribus formis naturalibus deſtructis, novas ſed artificiales inducere. Nunquam ars ex omphacio, ut immaturo, maturum vinum: Nunquam ex ovo imperfecto ovum perfectum: Aut ex mutilo pullo, abſolutum pullum fecerit: Licet metallum ferri, effoſſum, ſordidum, ſpurcum ſit, & per artem liquando ab excrementis purgetur; non propterea ex imperfecto fit perfectum. Sic nec defecatum purumque aurum, magis eſt aurum, quam quod ſordidum adhuc, recensque terræ viſcerib eſt effoſſum A

Obiect. 4. Rurſus ſicut Medicina ex morbido homine ſanum reddens perficit illum: Ita & Chymia metalla depurans perficit. Reſpondeo: Quod hic de ſanitate adducitur, illam, cum ſit velut actionum integritas, non tribuit Medicina, licet impedimenta auferat: Nam ſanitas à Natura dependet. Quare neque Medicina, quamvis tollat morbos, humanum corpus perficit. Etſi medicus ungulam aut hypochyſin ex oculo demat, nunquam viſionem tamen reſtituet, quæ oculi perfectio eſt; niſi vim viſoriam Natura membro prius indiderit, & intus conſervârit. B

Obiect. 5. Fatentur quidem Chymici, plures eſſe metallorum ſpecies, propter diverſas formas, ex una eademque materia ortas. Negant tamen differre inter ſe differentia ſpecifica, ſed tantum coctionis gradu. Reſpondeo Quid quæſo hoc eſt, dicere res inter ſe differre forma, non tamen differentia ſpecifica. An differentia magis ſpecifica eſſe poſſit ulla, præter formas? Si forma eſt perfectio, & quæ dat eſſe rei, quid magis ſpecificum eſſe queat? Si ratione homo differat à bruto, quid magis ſpecificum in homine quam ratio? vel quæ rurſus alia hominis forma fuerit, quam hæc eadem? Quod autem dicant metalla inter ſe differre tantum gradu coctionis. Quis hoc illis conceſſerit? & quomodo probabunt? à qua metalli ſpecie inchoabunt coctionis illius initia? Quodnam erit rudimentum? Quibus ſignis, coctionum gradus æſtimabimus? Quot annorum numero maturitatem conſequentur? C

Obiect: 6. At probant illud gradibus ſaporum & odorum. Reſpondeo, hoc nihil eſſe. Nam ſaporum ſpecies non differunt coctione. Quis n. dixerit, auſterum & ſtypticum ſaporem, in malo cydonio, ſorbo, meſpilo maturis, crudum eſſe? Quis rurſus acorem in fructu ribes, vel berberis rubro, in tamarindorum nigro fructu, negârit maturitatem aſſecutum? Quis ſalſedinem in ſale, amarorem in abſynthio, acrimoniam in pipere maturitatis gradum exceſſiſſe? Quis ſimiliter ſuavitatem odoris in Lavandula, rore marino, ocimo, mentha, thymo primum emergentibus maturitati adſcribat? Quis graveolentiam allii cæparum, ſinapis, aſæ fœtidæ, caſtorei, ſtyracis liquidæ, coctionis cruditati attribuat? D

At ex-

At excluſio pulli fotu manuum facta, probat per calorem à Chymicis rectè perfici metalla. Reſpondeo. Excluſio iſta à manib. facta, nihil habet ſimilitudinis cum metallorum transmutatione. In ovo eſt materia & vis formatrix pulli innata; quæ poſtquam pullo incrementum majus ex proprio nutrimento ſuggeſſit, quam ut teſta comprehendi diutius poſſit, pertuſa roſtro pulli fractaque teſta, excluditur pullus. A fotu manuum, qui moderatus eſt, non formam, ſed formæ internæ provocationem quandam, & conſervationem accipit. In alembico, metallum vilius à calore temperato, infinitos annos fovebitur, priusquam transmutatio aliqua fiet, niſi vehemens ignis & tinctura quædam acceſſerit extrinſecus. Sic quoque roſæ explicatio miti manuum, hypocauſti, furni aut ſolis calore facta, non accipit roſæ formam, à fotu extraneo (illam enim intra ſe habet) ſed tantum formæ ſuſcitationem quandam & conſervationem. Obiect. 7.

A

Quod Baignoleti Aureliani medici exemplum adducis, qui quintis Chymicorum eſſentiis, in morbis à pituita ortis, & à catarrhis frigidis curandis, uſus eſt. Reſpondeo. Quod in Medico illo prudentiam agnoſcam, qui circumſpectum ſe, doctumque, & judicio pollere oſtendit, præter aliorum eius farinæ hominum, id eſt, Chymicorum morem, qui ſuas quintas eſſentias, tota ſubſtantia morbos tollere, idque ſimilitudine potius, quam contrarietate jactant. Opinor autem medicum illum, non ex metallicis, ſed ex plantis, aliisque vegetabilibus, aut eorum partibus quintas eſſentias ſuas concinnaſſe, ſi modò aſſumendas intrò exhibuit. A qualibus neque nos abhorremus, illiſque ſubinde utimur. Obiect. 8.

B

De Ronſoleto quod dicis, cauteria potentialia in uſum reduxiſſe, atque eodem modo Chymicorum eſſentias, elixiria, magnalia, arcana, &c. in uſum medicum adduci debere. Reſpondeo, de cauteriis potentialibus me non mirari, neque Ronſoletum primum eſſe. Vidi enim ipſe cauteria huiusmodi ante annos permultos, dum adoleſcens eſſem, Antuerpiæ & alibi in Belgio, inter Chirurgos uſitata, quæ corroſiva appellabant. Et ſanè ſi Ronſoletus illa apud ſuos in uſum reduxerit, alii quoque alia, aut veteribus, aut alibi, aut aliâs uſitatiſſima, aliquando in uſum revocârunt, aut revocabunt; quemadmodum Horatius de vocabulis canit: Obiect. 9.

C

Multa renaſcentur, quæ nunc cecidere; cadentq;
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus.
Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

D

THE-

THESES
DE
EPILEPSIA PRO DISPVTATIONE CIRCVLARI propoſitæ: A

AD QVAS

Præſide

LEVINO BATTO ARTIS MEDICÆ DOCTORE

Reſpondebit

WILHELMUS LAURENBERGIUS B

Nonis Decemb. An. 1577. Roſtochii.

I.

EPilepſia, ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνεσθαι, veteribus dicta, nomen eſt ſymptomatis. Ex eo enim quod videbant, hominem cadere in terrã, concuti, amittere ſenſum & motum, denominarunt epilepticum, quaſi Deus aliquis hominem corriperet, ex qua correptione concuteretur.

II. C

Cum autem ſymptomata, morbos cauſasque conſequantur, nec illa tollantur, niſi morbo cauſisque ſublatis: Inquirendum eſt, quis ſit epilepſiæ morbus, & quæ ejus cauſæ.

III.

Quia verò convelli univerſum corpus cernimus, principibus actionibus labefactatis: Cerebrum aut ejus ventriculos affici neceſſarium eſt. Id enim cum ſit nervorum origo, dum excutere molitur id, quod noxium eſt, attrahit nervorum principia, & convulſionem totius corporis ciet.

IV. D

Id quid queat eſſe aliud, quam humor aut ſpiritus, in cerebrũ, ejusve ventriculos delatus, vel affectu cerebri primario, vel per conſenſum, quem diſcutere nititur, non video.

V.

Hic enim vel obſtructionem moliens, vel prava ſua & venenata qualitate,

qualitate, aut utraque ratione, cerebrum offendens, hujuſmodi ſymptomatum auctor eſt.

V I.

Galenus cauſam efficientem ut plurimum ponit in pituita, aut in melancholico humore, ventriculos cerebri ſua craſſite obſtruente.

V I I.

Fernelius præter humoris copiam: venenatam, & cerebri ſubſtantiæ graviter infenſam, atque inimicam qualitatem, epilepſiæ
A cauſam ſtatuit, qua feriente cerebrum, cerebro autem contra pugnante, quaſi colluctatione quadam & dimicatione, fiat epilepſia.

V I I I.

Theophraſtus Paracelſus (cui in curatione huius morbi primas tribuimus) nominat epilepſiam privationem intellectus, provenientem ex odore tetro in cerebrum vel eiusdem ventriculos, qui ſtupefacit & proſternit intellectum.

I X.

Talem odorem facit ſtupefactivum, inebriativum & mordicativum, qualis in chalcanthi ſulphure deprehenditur.

B X.

Licet autem Theophraſtus alibi aliter loquatur, & quidem in lib. de privatione intellectus, nominet epilepſiam ebullitionem ſpiritus vitæ, quando nutrimentum, vel ex nutrimento vapor miſcet ſe ſpiritui vitæ, unde vapor iſte ſubtilis aſcendit, qui momento temporis intellectum lædat: Tamen ſententia eſt eadem; auram vel vaporem venenatum invadentem cerebri ſubſtantiam, aut eius ventriculos, proximam eſſe epilepſiæ cauſam.

X I.

Negari etiam non poteſt epilepſiæ omnia genera, quæ per con-
C ſenſum fiunt, à ſubſtantia tenui fieri: Quod Galenus lib. de locis affectis in juvene illo Grammatico indicat, qui quoties vehementius doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, morbo comitiali corripiebatur.

X I I.

Præterea docet hunc affectum oriri ex agitatione, aut ab ira, aut à magna contentione, aut vaporum acrimonia, ut in eo, qui ob potum meracioris vini corripiebatur, aut inedia quæ humores exacuit.

X I I I.

D Quæ etiam per conſenſum uteri fit in mulieribus, à vaporibus caput conſcendentibus fieri manifeſtum eſt: Materia enim craſſa ea in parte concluſa, ſurſum elevari nequit: Teſtantur & hoc mulieres, quæ fumum quendam aſcendentem ſentiunt.

X I V.

Quin & illa epilepſiæ ſpecies à Galeno nominata, quæ extre-

morum

morum ſympathia fit, cum frigidam auram paulatim per cæcos du-ctus à manuum aut pedum extremis digitis ſentiunt epileptici; in cerebrum ſerpere & progredi, quam vinciendo partes extremas inhibemus ut plurimum; Satis evincit, quod non ſit pituita aut melancholia ſola epilepſiæ cauſa.

XV.

Oſtendit etiam curatio illa, quæ per cranii apertionem immiſſo canali argenteo, Theophraſto fit, quæ ſit huius morbi cauſa proxima, dum aperto cranio, & evaporante maligna qualitate, morbus in paroxyſmum abire non poteſt. A

XVI.

Sed & Fernelius narrat in multis epilepticis, qui è vivis deceſſerant, aperto cranio, cauſam deprehenſam, interdum cerebri abſceſſum, interdum corruptam meningis portionem calvæ adhærentem, è quibus locis teter vapor in cerebri ventriculos penetrabat.

XVII.

Ariſtoteles in eadem nobiſcum ſententia eſſe videtur, cum ſub finem lib. de ſomno & vigil. ſcribit; pueros maximè eſſe obnoxios epilepſiæ; quod eorum caput multis vaporibus repleatur: Unde & ab uſu vini, quod ſuapte natura eſt vaporoſum, & quod caput tentat, vult mulieres abſtinere. B

XVIII.

Cum autem morbus rectè curari non poſſit, niſi antè cognoſcatur, & ſignis quibusdam à cognatis morbis diſcernatur. Signa Diognoſtica, ſeu præſentem ægritudinem indicantia, ſunt enarranda.

XIX.

Primum itaque ſignum epilepſiæ eſt, caſus repentinus in terram, læſo principio nervorum. Secundum convulſio propter conſenſum contractionis cerebri: Et hæc quidem ſemper adſunt. Tertium ſpuma circa os, ſignum epilepſiæ proprium, licet non in omnib. appareat. IV. In pluribus eſt mugitus, & boatus quidam extraneus; quod fit propter indebitam aëris exſpirationem: Nam muſculi intercoſtales convelluntur. V. Emiſſio quandoque præter voluntatem excrementorum & ſeminis; quando muſculi in collo veſicæ, & in ultima parte inteſtini recti à natura ad continendum facti, convelluntur & aperiuntur. C

XX.

Præter diagnoſtica ſigna, etiam prognoſtica ſunt obſervanda medico, ut cum curari omnes epileptici non poſſint, ſciat in quibus ſpes ſanationis reliqua, & in quibus vis morbi omnem medicinam ſuperet. D

XXI.

Paroxyſmus igitur, in quo æger initio multum commovetur,

& diu

& diu perſeverat, poſtea ſubitò ab agitatione ceſſat, neque relevatur; ſed potius ſtertor evenit, & accidentia Apoplexiæ, jam in paroxyſmo mori eſt periculum. Dejecta enim eſt virtus pugnando.

XXII.

Si ſæpius etiam evenit acceſſio, cauſam fixam eſſe eſt neceſſarium, ideoque etiam mortis periculum.

XXIII.

Ad prognoſtica pertinent & hi Hipp. aphoriſmi: Epilepticis
A pueris liberationem afferunt, maximè mutationes ætatis, loci, vitæ.

XXIV.

Si enim ex mutata intemperie fiunt, ſi quidem ea permutetur (ut ætatis ratione fieri eſt neceſſarium) ceſſante ſuprema cauſa, ceſſabit quoque effectus.

XXV.

De hac igitur epilepſiæ cauſa intelligendus Hipp. ne fortè quis erret, ſperans omnem comitialem puerũ ſola mutatione ætatis perſanandum.

XXVI.

B Hipp. lib. aph. 5. aphoriſ. 7. τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται, μεθίστασιν ἴσχει. Ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ συναποθνήσκει; Quaſi dicat: Si mox natis eveniat malum, quoniam ex intemperie nativa proficiſcitur, ætatis decurſu, permutatione facta ad ſicciorem habitum, ſanabitur. Quod ſi XXV. annum exceſſerint, ſignum eſt, non ab innata illa intemperie malum eveniſſe, ſed alia cauſa ægrè ſolubili.

XXVII.

Univerſaliter enim intelligendo aphoriſmum de epilepſia oriente ex quavis cauſa, nequaquam verus erit; cum multos perfe-
C ctè curatos videamus eorum, quos poſt XXV. annum, vel antè morbus prehenderit.

XXVIII.

Theophraſti prognoſticon de curationis poſſibilitate eſt, ut ſi epileptici invaſionis initium præſentiant, non ſanentur, aut omnino difficulter. At qui omninò nihil præſentiunt, eos curabiles exiſtimari.

XXIX.

Cognito morbo, ſi ſpes ſanationis reliqua eſt (medicamenta enim quæ multis ſalutaria fuerunt, in affectibus deploratis infamare
D non convenit) ad curationem properandum erit.

XXX.

Theophraſtus (quem antè in cura morbi caduci celebrem fuiſſe diximus) tribus utitur auxiliorum generibus, quæ nominat experimenta, arcana & ingenium.

Expe-

XXXI.

Experimentum dicit id, quod habet vim tollendi paroxyſmum, ſed non radicem morbi, ut craniũ hominis non naturaliter mortui.

XXXII.

Præparatio cranii eſt hæc, ut calcinetur, deinde reverberetur, & tertiò extrahatur alcali ipſius, cum ſpiritu vini.

XXXIII.

Pœonia eſt Galeno experimentum, ſed non ſatis validum.

XXXIV.

Huc pertinet & ſanguis humanus ſic præparatus: Accipe ſanguinis hominis ſani ℥ iij, alcohol vini ℥ ß. poſt digeſtionem deſtillabis; tum iterum pone ad digerendum in ventre equino, dum fiant aquæ geminæ, ſuperior alba, inferior inſtar auri fulva. Doſis eſt ſcrupulus unus ſingulis menſibus in Novilunio. A

XXXV.

Secundum auxilii genus eſt arcanum, quando aliquis ex re aliqua auxilium ſentit, contra medicorum canones.

XXXVI.

Tale arcanum eſt Theophraſto Chalcanthum præparatum, quod morbum tollit quavis ætate. B

XXXVII.

Præparabis autem hoc modo: Chalcanthum electum, & graduatum moderato calore in albedinem exſicca: Dein per cucurbitam erectam in atharore, ſpiritus tam humidos quam ſiccos, ſenſim augmentato igne in recipientem capacem pelle, quo peracto, caput mortuum rubicundum denuò ſuo ſpiritu imbibe, eodem, ut prius, priva. Opus hoc quater repetendo, liquorem ultimum per vini ſpiritum digeſtione interveniente, à ſubſidente nigredine purifica, dum nullam ponat amplius: Habebis demum purificatam Chalcanthi eſſentiam, cuius parva doſis non attingens ſcrupulum dimidium plerasque caduci ſpecies curat. C

XXXVIII.

Si verò univerſalem reddere vis hanc medicinam; fiat id intervenientibus ſpecificis quibusdam, huic morbo à proprietate innata occurrentibus; ut ſunt coralli, ſandali, ſpodium, raſura cranii microcoſmici inhumati, viſcus quercinus, & ſimilia. Hæc enim per ſummam digeſtionem, quæ eſt in ventre equi, cum prædicto liquore, menſis unius ſpatio incorporentur & demum ſeparatione impuritatum, & fæcum per filtrationem facta in arena, aliquandiu ad perfectam exaltationem per pelicanum circulentur, tum demum habes medicinam omnibus ſpeciebus morbi Herculei ſuccurrentem, cuius uſus eſt poſt & ante paroxyſmum, præſertim circa lunationes mutatas, in doſi exigua, cum vino vel aqua pœoniæ, pro patientis conditione. D

XXXIX.

Novi magni nominis Medicum, qui in deploratis caſibus hujus morbi, utebatur ſucco hyoſcyami, in ſpiritu vini depurato: Quin & ipſe Theophraſtus arcano chalcanthi, ſedativa & ſtupefactiva quandoque miſcet, quibus ipſe vires tribuit, ſupra quam credi poſſit.

XXXX.

Tertium auxiliorum genus eſt ingenium, quod vocatur Theophraſto auxilium chirurgicum, & eſt tale;

A

XXXXI.

Aperi cranium idoneis ad id inſtrumentis, deinde argentea fiſtula ſuo loco impoſita, conſolida, viteq; priſtinæ reſtitue. Omnis n. morbus caducus eiuſmodi emunctorio adornato, in paroxyſmum abire nequit. Quando enim morbus exitum habere poteſt, tollitur paroxyſmus.

XXXXII.

Atq; hæc auxilia propriè competunt Epilepſiæ, quæ primario fit cerebri vitio.

XXXXIII.

B Idem chalcanthi arcanum vtiliter etiam adhibetur, in aliis Epilepſiæ ſpeciebus, quæ per conſenſum fiunt.

XXXXIV.

Obſervandum tamen in ea, quæ conſenſu ventriculi fit, vomitum excitandum, & dandam aliquoties hieram.

XXXXV.

Sicut in ea, quæ pueris vermium ratione contingit, Theophraſtus monet, vermes necantia & educentia exhidenda.

XXXXVI.

In ea, quæ matricis conſenſu fit, in gravidis, præter arcani adminiſtrationem, ſanguinem ſubduxiſſe ſæpius profuit.

C

XXXXVII.

Rara eſt ea Epilepſiæ ſpecies, quæ partium extremarum fit conſenſu, in qua præter uſum arcani chalcanthi tentanda eſt, Rhaſis cura.

XXXXVIII.

Ut ſcilicet ſi ex digitorum manus, aut pedis extremitate oriatur, cutis ibidem aperiatur per veſicatoria, quæ Rhaſes deſcribit. Theophraſtus præter cutis apertionem, utitur & attractivo.

D

Corollarium.

Ad Epilepſiam eiusq; curam refert Theophraſtus in l. Paragraphorũ, ſuffocationem matricis, ſyncopen, deliquium, rediens & non rediens, vertigines, tetanum, ſpaſmum, torturam oris, univerſalem Apoplexiam, contracturam, paralyſin, incurvationem ſpinæ dorſi. In his n. omnibus Theophraſtus adhibet curam caduci. Finis.

EPISTOLA. XVI.

EXAMINATIO HARUM THESIUM de Epilepſia, ab HENRICO SMETIO Medicinæ Profeſſore in Schola Neuſtadii ad Hartam conſcripta.

1. In 1. theſi dicitur Epilepticum concuti & amittere ſenſum atq; motum,&c. Niſi per motum,intelligas illum,qui à voluntatis arbitrio dependet, falſum eſt.Nam cum concuti dicis ægrum , ſanè moveri fateris,quanquam depravatè id fiat: Præterea motum cordis & arteriarum nequaquam amittit.Ideoq; diſtinctionis & claritatis gratia voluntarium additum oportuit. A

5. In 5. theſi dicitur: Hic enim vel obſtructionem moliēs,vel prava ſua qualitate,aut utraq; ratione cerebrum offendens, &c. Pronomen (hic) vel humorem.vel ſpiritum reſpicit.Si humorem, non eſt commoda diviſio, cum dicendum fuiſſet: Humor enim vel copia, vel qualitate,prava,vel utroq; offendit ſicut in 7. theſi recte ex Fernelio adducis.Sin ſpiritum per pronomen intelligis : malè dicitur obſtructionem moliens. B

6. In 6. iniuſte Galenum accuſas,quod epilepſiæ cauſam efficientem in pituita, aut melancholico humore ventriculos cerebri ſua craſſitie obſtruente, ut plurimum ſtatuere dicas. Ignorare enim non potes,quod lib. 3. loc. aſſect.ca.7. tres epilepſiæ ſpecies tradens, eius quæ per conſenſum fit cauſam diſertis verbis in qualitatem, vel auram quandam pernitioſam referat,hiſtoria duorum epilepticorum adducta,& argumento ab ictibus venenatis ſumptò,immò & à ſtomacho & pedibus & ab utero lib 6. cap. 5. locis affectis ad cerebrum aſcendere dicit affectum. Id autem quod aſcendit, quid aliud quam vel qualitas prava,vel vapor eſſe poteſt? Neq; enim humor facile aſcendit extra venas poſitus. C

8. In Octava: ſi epilepſia, ex ſententia Paracelſi, eſt privatio intellectus proveniens ex odore, &c. non differet ab apoplexia, comate caro,lethargo,catalepſi,ſtultitia,delirio,aut vehementi deliquio, aut ſuffocatione uteri quadam periculoſa.imò ne quidem ab ebrietate.Nam omnes iſti affectus ægrum intellectu privant.Vide quam bonus ſit Dialecticus Paracelſus. Deinde alteras hominis ineptias ſpecta, qui omnem epilepſiam per conſenſum ſolummodò hic fieri aſſerit, cum dicat provenire ex odore tetro in cerebrum aut eius ventriculos: Ac ſi cerebrum proprio aut primario affectu nunquam Epilepſia laboret, quod tamen in quarto theſi agnoſcis ipſe, nec in 7. theſi diffiteris. Tertiò, quam ineptus ſit vide, cum rem odorabilem; odorem appellet. Quartò, cum odorandi D

randi

randi organum in cerebro, aut ventriculis eius ponat. Quintò, quod qualitate odorabili potius quàm tactili frigida, aut acri halitum aſcendentem offendere ſcribat. Sextò, quod ſtupefaciendo id fieri putet, & non potius vellicando internam ventriculorum tunicam. Si enim ſtupefaciendo fieret, quomodo concuteretur cerebrum ad expulſionem rei moleſtæ?

10. In decima: Paracelſi inconſtantiam miror, quod epilepſiam modò intellectus privationem, modò ebullitionem Spiritus vitæ eſſe tradat, eiuſque cauſam modò odori tetro, modò nutrimento, modò vapori ex nutrimento adſcribat. Inter in tu eandem manere ſententiam dicere non vereris. At quomodo, quæſo te, eadem erunt, intellectus privatio, & ſpiritus vitalis ebullitio? Illa in cerebro fit, iſta in corde. Cor enim Spiritus vitalis, ut noſti, fons & ſedes eſt. Illa fit à cauſa frigida, iſta à calore ingenti, ſine quo nihil bullire poteſt. Rurſus, quomodo eadem erunt odor teter, & nutrimentum, aut vapor ex nutrimento? Ille enim pravam habet qualitatem. Iſta nullam pravitatem habere poſſunt. Nutrimentum enim non niſi bonum eſt, alioquin non erit nutrimentum. Si bonum eſt iſtud, etiam vapor eius bonus erit. Quomodo igitur epilepſiam ſuſcitabit? vides rurſus ineptias hominis, vides monſtroſæ doctrinæ abſurditatem, quam tu defendis. Quin & hoc loco à te ipſo diſſentis, dum auram vel vaporem venenatum cum tuo præceptore proximam epilepſiæ cauſam ſtatuis, qui tamen ſupra 4. & 7. theſibus etiam humorem obſtruentem atque humoris copiam pro cauſis agnoviſti.

14. In decimaquarta, ut & hic Galenum refellere videaris, multus fuiſti per 8. aut 10. theſes oſtendens, epilepſiam ſæpè etiam à ſubſtantia tenui, velut ab aura quadam, vel vapore maligno fieri. Sed & hic illum iniquè accuſas, ſicut antè in theſi 6. declaravi. Si enim ſolis craſſis humoribus epilepſiam adſcriberet: Quare quæſo tres eius ſpecies ſtatueret? Qui & epilepſiam ex utero, qua ratione fiat, tam lib. 6. cap. 5. de locis affectis prolixè, quam lib. 9. cap. 10. ſecundum locos ſatis clarè oſtendit.

15. In 15. theſi iterum tibi contrarius exiſtis, qui epilepſiæ ſine diſcrimine cauſam in maligna qualitate ponis, cū tamen ante, & in humorib. culpam poſueris. Quid a. de hac curatione mihi videatur, poſthac ſuo loco dicetur in 40. & 42. theſi excutienda.

17. In heſit 17. q Ariſt. pro te citas, tanquā ſtatuentem epilepſiæ cauſam in vaporibus ſolis, haud equidem video, quàm commodè id facias. Neque enim locus ille magis vaporibus, quàm humoribus aſtipulatur. Dicit enim infantes altum dormire, eo quod omne alimentum illis ſurſum feratur, quod inde probat: Quia ſuperiora inferiorib. in prima ætate magnitudine præſtant, propter augmentum, quod in illis fit. Deinceps ſubiungit: ob eamq; cauſam epileptici

quoq; fiunt infantes. Eſt enim ſomnus, inquit, Epilepſiæ ſimilis. Alimentum itaq; & ſomni & Epilepſiæ cauſa ab Ariſtotele ſtatuitur, quod ſanè magis humori, quam vapori reſpondet. Quin ex ſequenti contextu idem pateſcit, ubi ſcribit, ſic verò plenæ ſunt alimenti ſuperiores infantum partes, ut quinq; menſib. cervices minimè flectant. Ut enim valdè ebriis, ſic infantibus magna humoris copia ſurſum fertur. Nec tibi opitulatur, quòd Ariſtoteles dicat: cum multus halitus ſurſum fertur: Addit enim, iterum deſcendens venas tumefacit, quibus meatum reſpirationis conſtringit. Ita enim Græcus textus convertendus rectius videtur, qui ſic habet: ὅταν γὰρ πολὺ A
φέρηται τὸ πνεῦμα ἄνω, καταβαῖνον πάλιν τὰς φλέβας ὀγκοῖ αἷς συνθλίβει τὸν πόρον, δι' οὗ ἡ ἀναπνοὴ γίνεται. Ex eo enim, quod dicit: iterum deſcendens, facilè intelligitur, vaporem illum iam in humorem converſum eſſe. Neque enim vaporis eſt deſcendere, ſed aſcendere. Quod autem Philoſophum illic dicis velle, ut & mulieres vino abſtineant, quia ſit halituoſum: Id ſanè dicit, nec in genere, nec ſimpliciter, ſed loquitur de nutricibus earum, idque non ſui ipſarum, ſed infantum cauſa. Textus enim eſt apertus: Διὸ τοῖς παιδίοις οὐ συμφέρουσιν οἱ οἶνοι, οὐδὲ ταῖς τιτθαῖς. Διαφέρει γὰρ ἴσως οὐδὲν αὐτὰ πίνειν ἢ τὰς τίτ- B
θας. Et quamvis de ſolis vaporibus locus ille intelligeretur, non iuvaret tamen cauſam tuam. Tu n. vaporem venenatum, aut malignitate præditum Epilepſiæ cauſam ponis. Tales autem minimè ſunt vapores, qui ex alimento infantibus in caput efferuntur, ut maximè vel ex vino fuerint. Alioquin Ebrioſi omnes Epileptici fierent. Adde, quod etiam generoſum vinum ab nutricibus potum, concoctum prius in earum ventriculo, & in ſanguinem mutatum, poſtea in lac vertitur, deinde ab infantibus ſuctum, concoquendum rurſus in ipſorum ventriculo, & jecore prius q̃ in cerebrum eorum ferri poſſit. Quid igitur in vino illo etiam generoſiſſimo, toties alterato tantum C
erit mali, quod infantum cerebro Epilepſiam ingenerare poſſet?

20. In 20. theſi, facitis profectò, quod viros bonos decet, præter morem tamen Paracelſicorum, ut candidè fateamini, non omnem Epilepſiam eſſe curabilem, contrà certè quam faciebas in epiſtola.

27. Martii anno 1570. ſcripta, in qua Paracelſum talia docere medicamenta dicebas, quæ nullius temperamenti ratione habita, omnẽ hydropem, quartanam, Epilepſiam, &c. in omni individuo ſemper ſanent.

D
21. 22. In 21. theſi, dicitis paroxyſmum in quo æger initio multum commovetur, diuque perſeverat, poſtea ſubitò ab agitatione ceſſat neque relevatur, ſed potius ſtertor evenit, & accidentia Apoplexiæ, mortem inſtantem portendere. Item in 22. Si ſæpius etiã evenit acceſſio, cauſam fixã eſſe, ideoq; mortis periculũ. E contrario, vidi ego virginem, quæ intra diem naturalem paroxyſmos plus minus

viginti

viginti pateretur, idque non unico tantum, ſed pluribus diebus. Rurſus nonnunquam, quod unicus paroxyſmus non quatuor ſolum, ſed ſeptem, octo, aut decem, imò duodecim horas continuas perſeveraret, ſine mente, ſenſu, motuque voluntario, convulſione artuum tam violenta, ut præ concuſſione fulcrum ſimulque totum cubile tremerent & crepitarent: Sæpè ſine ſpiratione ulla, ſopitæ, imò mortuæ inſtar, per horas aliquot jaceret. Durârat malum ſupra menſem integrum. Convaluit tamen Dei Opt. Max beneficio. noſtra qualicunq; opella uſa. Addam, quod filiolo meo recenter vix nato & quaſi na-
A ſcenti, plures quam viginti convulſiones epilepticæ, intra ſedecim horarum ſpatium acciderint, à quo tempore nihil tale unquam paſſus eſt.

23. 24. 25 26. In his quatuor theſibus, Theophraſti tui opinionem tute convellis. In his enim tu epilepſiam ex humida quoque cauſa, humore & intemperie aliquando oriri fateris, cum ille omnem caducum ſupra 8. theſi ex tetro odore provenire dixerit.

28. Theſis prognoſticon, ego impugnare audeo contraria experientia, ut ſanatu faciliores judicem illos, qui inſultum morbi præſentiant, quàm illos, qui omninò nō poſſint: Exemplo nobis eſt illa
B virgo, quæ imminentem acceſſionem ſemper certis vocibus prædicebat; **Ruck mir dieſe Banck abe/es iſt hie all zu enge/ſolt mir auch wol bang werden?** Imò malum hoc ſibi à frigore quodam ex inferiori ſuminis parte ſurgente, inde thoracem & cor feriente exoriri, viderique ſibi cor congelaſcere dicebat. Sicut & puer ille & adoleſcens, teſte Galeno lib. 3. cap. 7. locis affect. velut frigidam quandam auram aſcendentem ſentiebant. Et ratio eſt; quod ex hujuſmodi præſenſione, ſedes morbi longius à capite abeſſe colligatur; qua explorata, paroxyſmus facilius præcaveri vel frangi poteſt. Contrà verò, ſi inſultus non præſentiatur, locus affectus vel intra caput, vel illi
C vicinus admodum eſſe exiſtimatur, eoque difficilius præcaveri, aut frangi poteſt.

30. In 30. theſi: Miror quod Paracelſum curatione caduci celebrem voces, ſicut & 8. theſi eidem eo nomine primas inter Medicos omnes tribuiſti, cum ipſemet ſibi diffidere, & morbum remedio carere non obſcurè fateatur lib 1. c 6 magnæ Chirurgiæ circa finem, quē tamen anno 1536. edidit 5. anno ante mortem: Ubi de phrenitide & epilepſia in hæc verba loquitur: Iſtis malis conſilium ex Medicina quærendum eſt, quibus, quia pauca vel nulla adhuc reperta ſunt, omni ſtudio in id incumbendum erit, ut ea inveniamus. Idem lib. de
D epilepſia pag. f. 2. Si nō vales impedire lapidum & metallorum generationem, nec morbi hujus ortum prohibebis. Eſt enim utrobique eodem modo materia ſubtrahenda aſtro. Cum corporis facta eſt coagmentatio, nulla ſupereſt ſanatio, quæ tentari debet in principio, priuſquam maturuerit: Temporibus intermediis fruſtrà curamus. Imò hæc tria remediorum genera, quibus ipſum uti dicis, valde mi-

hi ſuſpicionem movent: Paracelſum parum certi habuiſſe in curanda vera & legitima epilepſia.

31 In 31. theſi, Experimentum vocat, quod habet vim tollendi paroxyſmum, ſed non radicem morbi. At quid hoc eſt dicere? Quid quæſo eſt epilepſia extra paroxyſmum? Quid eſt febris, quid convulſio extra paroxyſmum? Annon convulſionis, febris, epilepſiæ radicem ſuſtuliſſe dicetur, qui eorundem affectuum fructum, putà paroxyſmum ſuſtulerit, hoc eſt, impedierit, ut nihil ex radice ſurgere, nihil progerminare poſſit? Sanè ſi hoc eſt: radix ſublata, vel corrupta eſſe dicetur. Unde quæſo colligemus cauſam alicujus ſubeſſe, ſi deſint, aut non appareant effectus? Si cranium humanū tollere poteſt paroxyſmum epilepticum; cur non radicem morbi tollere poteſt? Quod ſanè ipſe Paracelſus de cranii humani præparatione diſertis verbis affirmat in fine libri de Perſicaria pag. 750. Ejus doſis, inquit, eſt pondus granorum trium, eo tollitur morbus caducus. Verum ille in oleum redigit, tu verò in ſalem, quem alcalin vocas, idque cum ſpiritu vini; ille abſque eo. A

33. In 33. theſi dicis, pœoniam Galeno eſſe experimentum quidem, ſed non ſatis validum. Imò pœonia præparata eſt arcanum caduci, teſte Paracelſo, ſcholiis in cap. 5. lib. 5 de gradib. Vides, ut tu contradicas tuo præceptori, vel ipſemet ſibi ipſi. B

34. In 34. th. Aliter tu hic ſanguinem humanum, quam Paracelſ. loco citato præparat. Nam ſanguinis calentis ille uncias quinque, cū vini ardentis uncia una, digerit in cucurbita per dies quatuor, idq; ſemel; tu verò bis digerendum putas; poſtea ille balneo Mariæ deſtillat, & ſeparat liquorem album à flavo: Tu ſeparas utrumque liquorem in ventre equino, ſecunda digeſtione, ſine ſequente deſtillatione; verum de flavo an albo liquore ſumendum, nec tu, nec Paracelſus declarat.

36. 37. In 36. & 37. theſibus. Quin & in chalcanthi præparatione à tuo præceptore diverſus es. Ille enim loco citato accipit vitrioli Ungarici libras xij. addens limaturæ unicornu, vel eo deficiente, eboris, ſpodii electi, camphoræ unà uncias quinque: Hæc aqua ex ſem. pœoniæ, luna decreſcente collecto prius irrigentur, omnia poſtmodum ſimul per deſcenſum deſtillentur, usque ad rubedinem capitis mortui. Deinde accipi jubet hujus colcotaris lib. j. & ſui liquoris lib. duas, alcohol vini aquarum chelidonii, valerianæ, melitenæ, plantag. Chamedryos ana ℥ j ß. deſtillentur omnia ſimul per retortam. Deinde cape, inquit, hujus colcotaris lib. duas, liquoris ex eo jam primum deſtillati lib j. macerentur, & poſtea deſtillentur per retortam, & phlegma ſpiritus & oleum ſimul aſcendent, quæ ad hunc modum ſeparabis: Phlegma per balneum Mariæ ſeparatur, & inde per athanor oleum rubicundiſſimum. Doſis eſt pueris quidem ante paroxyſmum de phlegmate ʒ j viris autem fortibus de ſpiritu ℈ j. Senibus verò olei grana tria; Utra jam præparatio melior erit, hæccine, an illa? C D

Præter

Præter hæc tria modò dicta remedia, nempe cranii & ſanguinis humani, atque chalcanthi præparationes. Paracelſus alia decem, aut xij enumerat: putà hellebori, antimonii, mercurii præparationes, liquorem auri, ſmaragdi, adamantis, turcoïdis, granati, &c. Item olei cryſtalli, berylli, tincturam corallorum. Addit & animalia, ut apes, alcen, vulturem, quibus omnibus ſimilem virtutem depellendo caduco attribuit.

Imò circa finem ſcholiorum in lib. de gradibus, duo alia addit. Cura inquit, in morbo caduco; ℞ ſem. pœoniæ rutæ ana ℥ ß. liquo-
A ris vitrioli ʒ ij reduc in potum. Item liquor vitrioli eſt, inquit, arcanum optimum in caduco.

Tanta hæc remediorum multitudo, varietas, operoſitas & plerorumque ingens pretium, faciunt, ut valdè ſuſpicer, ipſummet Paracelſum ignoraſſe, cuinam potiſſimum fideret, vel ut potius credam, nunquam ſanare potuiſſe caducum legitimum, ut aut thraſonicè de eo paſſim glorietur ſuo more.

Quin etiam vehementer miror audaciam Paracelſi, in doſi antimonii præparati, cōtra caducum, qui ad unicum paroxyſmum xxxvj. grana ejus, ægro in os ingerere non veretur, in hunc modum diſtri-
B buens: Ut acceſſionis principio det grana novem: Paulò pòſt in agitatione duplum nempe xviij. grana. cum induſtria quadam indi jubet. Et rurſus hora una poſt paroxyſmum finitum, alia grana novem (ut primò) exhibeat: Cum tamen ſumma antimonii doſis modò ſit granorum novem aut decem. Imò & hoc addit: ſi morbus redeat, in tertiam vicem progreſſum hunc repetendum eſſe: Nimirum, id voluiſſe videtur, ſi modò ipſe intellexit, quid faceret, ut violentiſſima purgatione, (quam in Galenicis aut humoriſtis ſummopere culpat) cauſam mali quacunque tandem in parte latuerit (de loco affecto minimè ſolicitus, etiam cum extremo ægri periculo eradicaret.
C Es ſol fort oder muß brechen. Das heiſt gewagt.

Sed quærat quis, an opportunè id fiat in ipſo paroxyſmo, virtute jam maximè afflicta, & priusquam prior doſis in actum deduci cœperit, non ſolum alteram duplo majorem, ſed poſt horæ intervallum etiam tertiam exhiberi?

39. In 39. theſi. Quid ſibi vult, quod Paracelſus ſuis arcanis ſubinde ſtupefacientia admiſceat, quum ſupra 9. theſi, cerebrum ab odore tetro ſtupefieri dixerit, anne ut ſtuporem adaugeat?

40. & 41. In 40. & 41. theſib. dicitur de curatione per argenteam fiſtulam. Curationem hanc tradit Paracelſus l. 2. cap. 4. de vita longa:
D Verum an omni epilepſiæ, an verò cuidam tantum competat, non conſtat. Tu enim 42. theſi propriè competere dicis caduco, qui primario cerebri vitio fit. Paracelſus autem generaliter loquitur his verbis: Omnis caducus ejuſmodi emunctorio adornatus in paroxyſmum abire nequit. Utri jam vis credam? Profectò tibi potiùs, quam tuo præceptori. Non enim hæc curatio arcere poteſt inſultum,

Tom. 1. p. 287.

ubi vapor malignus ab inferioribus corporis partibus aſcendit, qui ubi ad caput pertingit, occurrens ſtatim excipitur à cerebro, cujus ſubſtantiam neceſſario ferit, antequam ad infumibulum illud argenteum pertingere poſſit. Concedo itaque profuturum magis, epilepſiæ cerebri culpa evenienti.

Sed quæro iterum, utri competat, illine quæ ab humore, an quæ à tetro odore dependet? Si illi, quæ ab humore pendet, dices: Diſſentis à Paracelſo tuo, quem 8. theſi epilepſiam ex ſolo odore tetro provenire voluiſſe, teſtatus es. Sin illi, quæ ab odore tetro dependet, reſpondebis; refragatur tibi Paracelſus ipſe, ſibiipſi non minus, quam tibi contrarius. Vult enim loco adducto, humorem caduci, elici tali emunctorio, in hæc verba: Quod ad Chirurgiam attinet; duplex eſt ratio; prior ad præparandum emunctorium caduci; poſterior ad eliciendum humorem epilepticum pertinet: In hanc ſententiam aperi cranium, &c. Et ut maximè vaporali caduco conferre poſſe putetur; non video, quam foret apertio cranii neceſſaria, cum cranio natura tot ſuturas, tot latentes meatus, per quos venæ, arteriæ, nervuli, fibræque perrepunt, finxerit, per quos, ſicut perſpiracula cutis, non ſolum vapores exhalare, ſed & humores tenues, imò & craſſi expurgari poſſint, quod in achoribus apparet. A B

Verum cum veriſimilius ſit humori epileptico deſtinatam eſſe à Paracelſo, hanc argenteæ fiſtulæ curationem. Surgit rurſus quæſtio uter humor illac expurgari debeat, isne, qui intra cerebri ventriculos, an qui in ſuperficie ejus, vel in meningibus latere poſſit? Iſta ſanè diſtingui & explicari oportuit. A quibus ſignis dignoſcemus, utrum in ventriculis, an ſubſtantia, aut ſuperficie, aut meningibus cerebri humor delitescat? Neque enim id ignorari debebat, priusquam ingenium iſtud Paracelſi, cum ſummo ægri dolore, atque diſcrimine nec ſine aſtantium horrore adminiſtrari conveniat. Si enim humor eſt in ventriculis; Non eſt omnino neceſſarium hoc opus chirurgicum. Nam per palatum, os, nares commodius elici poterit. Sin in ſubſtantia cerebri, etiam facilior erit, breviorque via, ſi humor per ventriculos ſuosque meatus deorſum extrahatur, quam ut contra naturam ſurſum protrahatur, aut ſponte repat. Sin verò in meningibus conſiſtat, tum demum prodeſſe poſſit, & potiſſimum in dura matre conſiſtenti. Sed & illud ſciendum, qua parte cranium perforari debeat, ut humor epilepticus effluere commodè poſſit, in quo ſitus habenda ratio. C

Verum ut jam emunctorium hoc factum ſit, cum humor intra abſceſſum potius concluſus eſſe, quam in cavitate ſub cranio fluitare, aut vagari liberè judicandus ſit; valde ruſus dubito, an ille per emunctorium ſua ſponte effluere poſſit, niſi effracto abſceſſu, expurgatoque chirurgi manu, totus eximatur. Sed quî id dextrè fiat, niſi cognita prius exactè abſceſſus ſede, ſupra quam appoſitè terebratio adhibeatur? Vides quantis te difficultatibus ingenioſa hæc, ſi D

Diis

Diis placet, audax & crudelis, adeoque imaginaria potius, quam unquam adhibita, Paracelſi curatio involvat? Rurſus, ut jam perfoſſio quam juſtiſſimè parata ſit: An non metuis, ne meninx aſſiduo appulſu ab inſerta fiſtula contundatur? vel ab aëris frigidi continuo occurſu offendatur, imò corrumpatur? Inſuaviſſimum ſanè, periculoſum, dubiæque imprimis utilitatis remedium, quod, ut nemo facilè admittat, ita prudens medicus nunquam conſulat. Nec perſuaderi poſſim, illo unquam cum fructu uſum eſſe Paracelſum.

43. In 43. theſi de chalcanthi arcano: Si illud, uti dicis, utiliter

A exhibeatur etiam in aliis caduci ſpeciebus, quæ per conſenſum fiunt: Quæro abſque te, qua ratione proſit, evacuando ne, an reprimendo, an verò diſſipando caduci cauſam, ſive ea ſit vapor malignus, ſive humor. Nam ſi proprietati occultæ effectum tribuere velis, neceſſe foret omni tempore, & in omni epileptico id præſtari, ſicut Magnes ſemper & ubique ferrum trahit.

44. In 44. theſi, cum dicas, in epilepſia ſtomachali vomitum excitandum, & aliquoties exhibendam hieram: Videris diffidere arcano tuo, & plus attribuere vomitoriis & hieræ, propter evacuandi vim.

B 45. Sic quoque in 45. theſi, pluris facit Paracelſus medicamenta, quæ vermes enecant atque educunt, quàm arcanum ſuum, nec immeritò: Sublata enim cauſa, ceſſabit effectus.

46. In theſi 46. In caduco matricis propter obſtructos menſes, utilis quidem eſt ſanguinis miſſio, in non gravidis ad malleolos facta; In iis autem quæ gravidæ ſunt, non ad malleolos, propter metum aborſus, ſed potius in cubito vel manu, quod tu tamen nō diſtinguis, neque quo geſtationis menſe id faciendum, aut qua vena dicis. Sed ſi ſemen putrefactum, vel alius humor corruptus fuerit; parum vel nihil profuerit venæ ſectio. In illo caſu utiliſſimas vidi continuatas

C alvi purgationes ad excitandam expultricem. Quid autem in hoc malo proderit, aut requiritur uſus arcani?

47. 48. In 47. & 48. theſibus. In epilepſia extremitatum culpa eveniente, placet mihi valdè Rhaſis cura per veſicatoria. Laudo quoque vehementer & Theophraſtum, quod cutem aperiat, aut attractoria admoveat, nimirum uterque venenatum humorem evocare laborat.

Sed quorſum arcanum hìc adhiberi voles? An te mali cauſam in extremitatibus latentem, remedio iſto per os aſſumpto, ejecturū vel conſumpturum, confidis. Non ego te tam credulum opinor. Si

D quid illud agere hic poſſit, vaporem à loco affecto excitatum ſolū diſſipaverit, atque ita ſymptomati aliquid profuerit: Cauſæ autem non ſatisfecerit ullo modo. Quod ſi præſtare poſſit, nequaquam cutem aperiri juberet Paracelſus. Vnd iſt mit dem arcano in dieſem fall nur ein Flickeren.

De Corollario. Aſſeris, quod Theophraſtus ſuffocationem ma-

tricis ad epilepſiam referat. Sanè non ita ſimpliciter hoc dicit auctor tuus.] Vide lib. 3. Paragraph. 2. Sed addit extra locum, quaſi dicat, vel ſurſum attracti, vel in latera deflexi uteri. Non autem ob vaporem venenatum inde aſcendentem; ac ſi magis affligantur mulieres ab illo, quam ab iſto, quod tamen falſum eſt. Subjungis deinde tetanum, ſpaſmum, torturam oris. Verum hæc Paracelſus non ſimpliciter ad epilepſiam, ſed ad caducum abſque lapſu refert Paragraph. 3. quibus etiam apoplexiam, univerſalem paralyſin, ſpinæ incurvationem annumerat. At ego te judicem ſtatuo: An apoplexia quæ multò gravior eſt quàm epilepſia, caducus dici poſſit abſque lapſu? Ecquid paralyſis quoque, aut ſpinæ incurvatio, aliquem invadere poſſint abſque lapſu? Plura habebam ſed finem facio. Quid enim dicam, quod curationem epilepſiæ à craſſis humoribus, præteritis? Bene vale 4. Auguſti 1580. Neuſtadii. A

EPISTOLA XVII.

CL. VIRI D. LEVINI BATTI MEDICINÆ Profeſſoris in Acad. Roſtochienſi. B

Ad theſium ſuarum de EPILEPSIA *examinationem à*

D. HENRICO SMETIO MED. PROFESSORE Neuſtadienſi factam, 2. Junii 1581. C

RESPONSIO.

1. DE prima theſi. Reſpondeo, quod plura concludas, quam ex noſtra theſi exſtrui poſſint. Propoſitio noſtra eſt indefinita, æquipollens ſingulari. Vos intelligitis pro univerſali, quaſi addita eſſet vox omnis. Motum ponimus, ſed non motum omnem.

5. De quinta. Reſpondeo. Spiritus vel vapor craſſior etiam obſtruere poteſt, licet ſua venenata qualitate etiam lædat. Spiritus enim hîc Chymicè ſeu ſpagyricè, nō intelligimus pro eſſentia incorporea, ſed velut ſpiritus vini, & omnium mineralium, quodammodo ſunt res inſenſibiles, tamen denſati corpus aſſumunt, vel faciunt: Ita vapores in corpore noſtro, corpus tādem faciunt, & obſtruere poſſunt. D

6. De

6. De ſexta. Reſpondeo. Galenus hîc non accuſatur, ſed Galenum ita loqui, nec à nobis injuſtè citari docet locus ex lib. 3. loc aff. c. 5. & 6. ubi citat etiam dictum Hippocratis; Melancholici fiunt epileptici, & contrà; multisque aliis locis. Quod ſi theſis noſtra ſic haberet: Galenus cauſam efficientem tantum ponit in pituita, tunc locum haberet tua admonitio, ſed nos poſuimus, ut plurimum. Fruſtrà nobis in memoriam revocas locum ex 7. cap. ejusdem de loc. aff. cum eundem locum citemus theſi x 1.

8. De octava. Reſpondeo. Privatio intellectus eſt genus; proveniens ex odore tetro, eſt differentia, ſeu proprietas per cauſam. Hæc differentia diſcernit epilepſiam ab apoplexia, comate, catalepſi, delirio. Vides quam bonus ſit Dialecticus Theophraſtus.

A

10. De decima. Reſpondeo. Spiritus vitæ licet generetur in corde, eſt tamen in toto corpore, & in omnib. membris viventibus. Teter ex nutrimento vapor, huic ſpiritui mixtus, intellectum lædit, vel lædere poteſt. Nihil a à nobis diſſentimus, ſi varias epilepſiæ cauſas inquiramus, & ſcriptores bonos conciliemus. Si autem & hic univerſaliter loqueremur, jure nos reprehenderes.

14. De 14. Reſpondeo Eundem hîc committis errorem, quem ſupra theſi 6 ut plurimum hæc vox, ſi ſignificaret ſolummodò, viciſſes, & juſtè nos reprehenderes.

B

15. De 15. Reſp. Vapor hic malignus poteſt ſedem habere in cerebro, in pia & dura matre. Nec eſt univerſale, ut vapor ſemper ex locis inferioribus aſcendat. Ideoque nihil contrarietatis habent theſes noſtræ, ſed perpulchrè ſibi conſonant.

17. De 17. Reſp. Vera eſt noſtra 17. th. vel te judice, ſi tam vaporib. quam humoribus communis eſt Ariſtotelis ille locus.

20. De 20. Reſp. Et hîc & ubiq; facimus, quod viros bonos decet. Neq; ego unquam legi apud Theophr. omnem epilepſiam eſſe curabilem. Interdum docta plus valet arte malum. Eſt aliquid, quod cõtra Hipp. ſententiam & omnium veterum epilepſiam in ultra xxv. annos natis curemus. Hipp aphoriſmus lib. 5. aph. 7. notus eſt: ὅσοι ἐπιληπτικοὶ πρὸ τῆς ἥβης, &c.

C

21. 22. De 21. 22. Reſp. Vna atque altera hirundo non facit ver. Deinde in exemplis à te citatis nullius ſtertoris meminiſti.

23. 24. 25. 26 De 23. 24. 25 26. Reſpondeo. Hîc rurſus ex particulari propoſitione univerſalem facis. Non n. dicit Theophr. omnem epilepſiam, ſed epilepſiam. Fecimus enim aliam epilepſiam vitio humoris genitam; eodem intemperiem humidam relatam volumus.

D De 28. Reſpondeo. Scribas mihi, an virgo curata, decem annis poſt nihil ſenſerit incommodi. Sic enim demum verè curatam credidero. Galeni exemplum de epilepſia per conſenſum agit, quæ etiam vinculis intercipi poteſt.

E De 30. Reſpondeo. lib 1. cap. 6. magnæ Chirurgiæ Theophr. verba clara ſunt: Da ich jhme gab zu trincken die arzney / für die

fallende

fallende Sucht/genaß die Wunde von jhrem paroroxyſmo, vnd ward ſeine ſache beſſer/ das iſt/ da jhm der liquor vitrioli gegeben ward/ da genaß er. Sunt ne hæc verba diffidentis?

Quod autem monet, ut quilibet arcana & ſpecifica remedia morborum inquirat; non negat arcano vitrioli epilepſiam curari. Deinde malè vertiſti hæc verba: Deren noch nicht viel erfunden ſeyndt. Quibus, quia pauca aut nulla adhuc reperta ſunt. Hæc negativa redundat.

De 31. Reſpondeo. Paroxyſmus febrilis, epilepſiæ, & radix morbi differunt. Habeo medicamentum ex gentiana, maxilla lucii, nuce moſchata & ſalvia, quod paroxyſmum febrilem inhibet, etiam inchoatam; radicem ſeu fomitem morbi non tollit, hoc eſt, quin recurrat. Sic experimentum prohibet unam aut alteram forte acceſſionem, ſed quin aliquando vis mali recurrat, impedire non poteſt. Vides hinc paroxyſmum epilepticum & fomitem mali in corpore differre? A

De 33. Reſpondeo. Pœonia præparata, & non præparata differunt. Loquimur hìc de non præparata, qua Galenus uſus eſt. Vides ut ego non contradicam meo præceptori, nec ipſe ſibi. An non meminiſti dicti: Qui benè diſtinguit, benè docet. Utere pœonia ſicut Galenus, de qua tamen multum ipſe gloriatur, & deprehendes etiam invalidum experimentum. B

De 34.36.37. Reſpondeo. Quædam medicamenta, alio atque alio modo præparata, eundem finem aſſequuntur. Quod ad varietatem remediorum attinet, inefficax eſt argumentum. Nequaquam verò ita nos addictos auctoritati pures, ut niſi conſentiens experientia auctoritatem confirmaret, auctoritatem reciperemus.

Veriſſimum eſt, mi conſobrine, in ſpiritu vitrioli ſummum arcanum eſſe adverſus caducum, quod ipſum experieris, ſi tentabis. Nō ſemel ſed aliquoties ejus rei periculum fecimus. Vidimus incipientes paroxyſmos inhiberi, exhibito arcano vitrioli. C

Antimonium præparatum ſeu vitrificatum, nunquam uſurpaſſe Theophraſtum memini, quo magis miror te auctoritatem Theophraſti loco non indicato, citaſſe: Et quomodocunque ſit; neceſſe eſt libellum ſpurium, unde hæc habes, eſſe; aut antimonium aliter præparatum, quam vulgò vitrificatum habetur, à Theophraſto intelligi.

De 39. Reſpondeo. Experientia docet, in vehementiſſimis doloribus, conſtantibus vigiliis, in graviſſimis affectibus cerebri, nervorum, anodynorum eſſe ſalutarem uſum. Id veriſſimū eſt; per me & meos collegas D. HENRICUM & D. PETRUM aliquoties probatum. Theophraſtus putat, ſe hac ratione morbo ſomnum inducere, ut ſe virtus recreare, & adverſus morbum vehementius inſurgere poſſit. D

De 40.41. Reſpondeo. Omnis caducus, ſcilicet, qui vitio cerebri pri-

bri primariò fit. Deinde ad alia reſpondeo, hoc ingenium tanquam extremum, exigente ſumma neceſſitate, & tentatis omnibus aliis, adhiberi.

De 43 Reſpondeo. Omnium effectuum cauſæ dari non poſſunt. Satis eſt fieri, quod fieri cupimus.

De 44.45.46.47.48. Reſpondeo. Unius effectus poſſunt eſſe plures cauſæ, aliæ primæ, aliæ ſecundæ. Vale. Hactenus reſpondit D. BATTUS.

A Ad Corollarii excuſſionem nihil. Nec quare curationem epilepſiæ à craſſis humoribus factæ, præterierint.

EPISTOLA XVIII.

Ad Clariſſimi viri LEVINI BATTI Reſponſionem

B HENRICI SMETII MEDICI Neuſtadienſis Reſcriptio.

ACcepi tandem, Conſobrine honorande, theſium tuarum de epilepſia defenſionem. Ad quam licet mihi & publicè medicinam legendi, & eandem faciendi laboribus occupatiſſimo parum ſit otii; nonnulla tamen reſcribere, viſum fuit.

De prima theſi dicis, me plura concludere, quam theſis ferat: Vocem motus eſſe indefinitam non univerſalem. Ad quod reſpondeo: Quantum de amiſſo ſenſu in epilepſia intelligitur; tantūdem C de amiſſo motu intelligendum eſſe. Atqui de ſenſu omni intelligitur. Ergo & de motu omni intelligendum. Sicut dicimus: Homo eſt animal rationale, quamvis vox omnis deſit, pro univerſali tamen, non pro indefinita ſingulari accipitur.

De quinta reſpondes; Quod ſpiritus chymicè acceptus, ut ſpiritus vini, etiam obſtruere poſſit, quia eſt vapor condenſatus. At ne ſic quidem te excuſaveris. Non enim ſubſtantia corporea in modum ſpiritus vini, obſtruere unquam poterit: Imò ne bilis quidem craſſiuſcula, argumento eryſipelatis & herpetum, quia in cutem erumpit, ſed ſolum pituita craſſior, aut melācholicus ſuccus, obſtrue-D re poſſunt. Præſtiterat theſin ita formaſſe: Humor craſſitie ſua obſtruens; Spiritus prava qualitate offendens, &c. Et ſic perſpicua magis futura, culpa caruiſſet.

De ſexta non ſatis te excuſas: Satius fuiſſet, ſic poſuiſſe: Galen. quamvis & vaporis vitium agnoſcat: tamen ut plurimum craſſis humoribus attribuere videtur,

De o-

De octava. Nullius momenti eſt reſponſio. Magis enim in epilepſia ſpectatur depravatus motus, (putà corporis univerſi horribilis convulſio, quam privatio intellectus, quæ & in ſomno naturali eſt. Ad reliquas quoque objectiones taces.

De decima nihil reſpondes ad rem. Neque credam, nutrimentum vel vaporem ejus, ſpiritui vitæ mixtum, lædere ullo modo poſſe. Nego quoque ex nutrimento tetrum vaporem ſurgere poſſe. Nego vaporem ſubtilem, ſubtilitatis ratione lædere intellectum poſſe. Dico rurſus vos vobis diſſentire: quia in hac theſi, pravam ſolum qualitatem, non humores craſſos, pro cauſis, agnoſcitis. Hoc facit non ignorantia, ſed in diligentia tua, ſectandique ſtudium quo ineptiſſimi hominis ſomnia, cum placitis veterum conciliare conaris. A

De 14. Idem regero, quod de ſexta modò attuli.

De 15. Repeto, quod ſupra ad 40. & 41. dixi inter alia, nempe argenteæ fiſtulę ingenium, tam, aut potius, humori epileptico in dura matre exiſtenti emittendo, quàm vapori ſervire poſſe.

De 17. Repono tibi iteratò, quod nec humores nec vapores ab alimento, quà alit nos, provenientes, caducum ſuſcitare poſſint, quia boni & ſuaves ſunt; non autem tetri, à quali vos caducum ſuſcitari dicitis. B

De 20. Cum fatearis te nunquam apud Paracelſum legiſſe, omnem epilepſiam eſſe curabilem: Quare tu illi hanc gloriam adſcribere tam temerè auſus es, in epiſtola 27. Martii 1570. ad me miſſa, quæ non procul à fine ita habet. Talia medicamenta inquiro, quæ nullius intemperamenti habita ratione, omnem hydropem, quartanam epilepſiam, &c. in omni individuo ſemper ſanent. Ea ſi docet Theophraſtus, amandus certè, & magnifaciendus eſt.

De 21. & 22. Reſpondes ad exempla duo à me allegata: Una atque altera hirundo non facit ver Idem de epilepticis à Paracelſo aut te curatis reſponderi poſſit. Neque enim adeò multos verè epilepticos, ob cerebrum primariò affectum à Paracelſo ejusve ſectatorib. ſanitati reſtitutos credo. Quod ad ſtertorem àttinet. Quanti quæſo ingenii, quantæ artis prognoſticon eſt? de mortis periculo prædicere in ægro, qui jam mori incipit, quod ſterior indicat. C

De 23. 24. 25. 26. Vos quidem rectè fatemini, quandam epilepſiam ex cauſa humida dari: Sed non illud fatetur Paracelſus. Nam in tetro odore cauſam ponit, theſi 8. teſte. Ideò rectè & laudabiliter ab indocto & imprudente illo præceptore hac in parte diſſentis. Neque ego ex particulari vocis epilepſiæ univerſalem magis feci, quàm cum dico: Homo eſt animal ratione præditum. Ubi indefinita pro univerſali ſumenda ſane eſt. D

De 28 reſpondes, petiſque, ut ſcribam an curata illa virgo decem annis poſtea nihil ſenſerit incommodi. Sic enim demum verè curatam credideris. Idem de epilepticis à te aut Paracelſo curatis regeretur: An x. annis pòſt nihil ſenſerint mali? Quid dico à Paracelſo qui

ſo? qui per bis decem menſes, vix uno in loco, in morem circumforaneorum, moram ducere potuit. Quis teſtabitur, epilepticos ab homine tam vago curatos, poſt annos decem nihil incommodi ſenſiſſe?

De 30. Ad locum ex lib. 1. cap. 6. Chirurgiæ magnæ à me adductum reſpondes, me illum perperam vertiſſe, & negativam (Nulla) redundare. Qui autem hoc? Cum Latina verſio à Joſquino Dalhemio anno 1573. facta, & Argentinæ in folio excuſa, ad verbum ita habeat. Germanicum exemplar non habeo. Cum autem Latina verſio negativam quoque habeat: Credibile eſt illud Germanic. exemplar,
A quod interpres eſt uſus, negativa non caruiſſe. Deteſtabilis enim perfidiæ fraus foret, præter exemplaris fidem, negativam interfarcire. Item ſi quid fortè tale interpres auſus fuit: Oſtendit ipſum interpretem diſcipulum Paracelſi, vana experientia deluſum, magiſtro ſuo diffidere. Et ut quidem negativa illa (Nulla) abundaret: Agnoſcit tamen Paracelſus, hoc libro, quinque annis, ante mortem ſuam, evulgato, non multa eſſe epilepſiæ remedia reperta. Qui fit autem, quod in libro de Perſicaria, qui eſt Tomo 1. in octa. anno 1575. à P. PERNA impreſſo, tam multa contra caducum remedia, ſicut ad 36. & 37. theſes ſupra dixi, recitentur? Qualia ſunt, Elleborus niger, anti-
B monium, vitriolum, mercurius, ſanguis & cranium humanum, liquor auri, coralli, ſmaragdi, adamantis, turcoidis, granati, cryſtalli, berylli. Apes, alces, vultur. Alibi plantaginem. Alibi pœoniam & viſcũ quercinum hiſce accenſet, putà ejusdem tomi primi, pag. centeſima nona & centeſima tertia. Imò in pœonia præparata epilepſiæ arcanum ſtatuit, ſicut ſupra dixi. Quin etiam in lib. de caduco XV. alia arcana recenſet. Verum ad alterum locum ex libro de epilepſia tu nihil reſpondiſti.

De 31. reſpondes, quod paroxyſmus, qualis in febri aut epilepſia, & radix morbi inter ſe differant. At nec ego id ignoro. Sed dico
C ex effectu ſublato colligi, etiam ejus cauſam eſſe ſublatam, ſicut ex foliis in arbore per æſtatem non apparentibus, colligi radicem ejus corruptam eſſe. Ex tenebris, ſolem nondum exortum eſſe. Ita ex febrili vel epileptico inſultu ſublato, colligi non malè, cauſam ejus vel ſublatam vel debilem eſſe. Habeo & ego medicamentum ex ſucco plantaginis & aceto, quo tertianam intermittentem ſæpius curavi, corpore nimirum antè præparato & evacuato, quod aliquando, vel ſemel propinatum, non ſolum acceſſiones ſed & radicem febris ſuſtulit. Sed de cranii præparati in caduco ex Paracelſi ſententia tollendo efficacia, nihil reſpondes. Utri vis credam, tibine an Pa-
D racelſo?

De 33 accipio explicationem & diſtinctionem tuam. Sed illam addidiſſe debueratis in theſi, dicendo: Pœonia eſt experimentum Galeno, ſed invalidum, quia præparatione carebat. Præparata igitur erit experimentum validum ſatis. Hanc tamen Paracelſus, ut ſupra ſcripſi, caduci arcanum appellat, ad quod tu taces.

De

De 34.36.37. Non ſatisfacit reſponſio tua. Nam præparationis variatio, facilè prætexi ſolet operationis defectui. Quare non temerè recedendum eſt ab auctorum præſcriptis, quod vos tamen facere video, quàm benè, vos videritis.

Ad antimonium præparatum quod attinet, quo tu Paracelſum unquam uſum eſſe negas: Miraris locum à me non aſſignari. Ego verò putabam illum tibi ignotum eſſe non poſſe, ut homini tam ſtudioſè in ſcriptis illius viri verſato, & qui de ſuperioribus locis adſcribendis non multum laboraſti: Extat autem hocce titulo: Antimonii præparatio contra morbum caducum, tomo 1. ſupra citato pag. 737. A

De 39. Anodynorum uſum ſuo loco & tempore adhibitum, non contemno. Sed miror Paracelſum ſtupefacere velle virtutem, quam ſtupefactam eſſe dixerat theſi 8. à tetro odore.

De 40. & 41. Placet mihi reſponſio tua atque diſtinctio: Sed illa theſi ſuæ addi debuerat. Theſis tamen univerſaliter dicit: Omnis caducus ejusmodi emunctorio adornatus in paroxyſmum abire nequit. Ergo etiam ille per conſenſum factus.

De 43. Non ſufficit reſponſio.

De 44.45.46.47.48. Neque hic ſatisfacit, quod dicas: Unius effectus plures cauſas eſſe poſſe, alias primas, alias ſecundas. Sed quænam hic primæ, quæ ſecundæ? Sanè cum dicis: obſervandum tamẽ in ea, quæ à ventriculo fit, ſicut & in reliquis, quæ vel à vermibus, vel matrice, vel extremitatibus oriuntur: Satis indicas, alia potius auxilia in illis, quam arcanum chalcanthi adhibenda eſſe. At fruſtrà fit per plura, quod paucioribus fieri poteſt. B

De Corollario omninò ſiles. Neque rationem reddis, quare epilepſiæ à craſſis humoribus factæ, curationem omiſeris; quod tamen præter boni diſputatoris morem exiſtit. Vale. 1582.

C

His noſtris de nova Paracelſi Medicina velitationibus per annos XXX. aut plures ſuppreſſis, antequam in publicum prodeant, colophonis loco ſubjungere viſum eſt epiſtolas duas, à duobus eruditis & in re medica exercitatis viris: Uno quidem Daniele Miverio Anglo Belga, qui Uliſſingæ Middelburgi, & Gouſæ inter Zelandos Medicinam fecit: Altero autem Carolo Batto Flandro, Doctoris Levini Batti fratre, qui Antuerpiæ, Hamburgi, Dordraci, Chymicarum rerum non imperitus, in curandis ægris conſenuit, ad me perſcriptas, quæ judicium ac teſtimonium, rogatu meo, continent; De Joſepho Michelio Lucenſi Italo, medico ob ingenii doctrinæque præſtantiã, longumque artis uſum (mea quidem opinione) apud Belgas clariſſimo (novi enim ego virum Antuerpiæ ab anno 1561. in artis operib. verſantem, & jam tum inter practicos juniores quodammodò primarium, & non incelebrem, adeoque in medicando Chymicis remediis utentem.) Quia verò ſenem illum ſeptuagenario majorem, D

aut

aut ſaltem proximum, ſuperſtitem, & quidem adhuc medicantem conjeci, & ex Apologia ſua, quam adverſus Andream Libavium 2. Iulii 1597. in lucem emiſit, totum Chymicis deditum, & Panareæ illius, per tot ſecula deſideratæ Lapidis nempe Philoſophici artificem evaſiſſe putavi: Idcircò ecquid in difficilioribus malis puta lepra, Elephantiaſi, cancro, hydrope, nodoſa podagra, phthiſi, hectica febri, quartana, Epilepſia, apoplexia & ſimilibus, quantum ſupra Galenicos medicos, ætate ſua in opulentiſſimis Europæ emporiis, Antuerpia, Londino, Middelburgo, tranſacta (ubi valetudinis gratia, pecuniæ minimè parcitur) præſtiterit, ſcire percupiens, ad illos Michelio vicinos, ſcripſeram eo conſilio, ut quid in deploratis morbis percurandis, ab arte Chymica magni ſperari debeat, à Michelii in Chymia per annos circiter 50 occupati, exemplo, colligi poſſit.

A

EPISTOLA. XIX.

B **DANIELIS MIVERII ORDINARII URBIS & Inſulæ Gauſanæ, in Zelandia medici,**

DE

JOSEPHO MICHELIO LUCENSI MEDICO INTER Paracelſicos Docto & Celeberrimo.

AD

HENRICUM SMETIUM MEDICUM Profeſſorem Heidelbergenſem.

C Literis tuis, clariſſime & honorande vir, ante reſpondiſſem, niſi, qui eas ad me miſerat, affinis tuus Gabriel, nuncium abiiſſe ſignificaſſet. Cum autem nihil mihi poſſit eſſe antiquius, quam ut tui memoriam colam: differre reſponſum diutius, nec potui nec debui.

Joſephus Michelius, de quo quæris, in Galliam ante paucos menſes abiit, ac nunc Lutetiæ degit. Cur Middelburgum reliquerit, cauſam præcipuam arbitror, quod filius eius mercator, in eadem urbe foro ceſſerit. Apologiam eius ante triennium legi, in qua cum non tantum defendat Chymiam, ſed & Medicinam Hippocraticam conetur evertere: Mihi quidem, Phyſica illi prius inſtituenda videtur

D diſputatio, cum φυσικὴ Medicinæ noſtræ principia ſubminiſtret. Libavii reſponſio pridem eſt edita, in quam intellexi, Michelium denuò aliquid meditari. Mihi Michelius non modò plurima narrando proponere abſque ulla probatione, ſed & candorem adeoque pudorem omnem videtur exuiſſe. Omitto calumnias pluri-

mas. Quid impudentius eo (quod pag. 159 inſtituit (purgãtium examine? cum tamen ipſe eorum validiſſimis utatur quotidie, ut patebit è medicamentis, quæ ſubnectam, mihi communicatis, à Pharmacopæi (quo unico uti conſuevit) famulo, commendato mihi à Doct. Mollero Gruningenſium Medico, quem olim Heidelbergæ novimus. Argumentum verò illud pag 239. Medicinam à Deo è terra creatam, eſſe lapidem Philoſophorum, quod ſingulari numero dicatur creaſſe Medicinam, non medicinas; riſu & commiſeratione eſt dignum. Equidem Chimæram, ſphingem, hippocentauros, non arbitror plus ſecum ferre abſurditatis, quam lapideum hoc monſtrum. Intelligo aliquando dixiſſe, hanc ſe Panaceam habuiſſe, ſed à famulo profugo ablatam. Cur tamen eam denuò non fabricetur, cum praxin eius dicat adeò facilem, aſſequi non poſſum. Interim utitur aliis multis, & præcipuè flore Anthos, ut vocat, quem pharmacopæo à ſe confectum tradit. Purgat is ſatis validè. Et Antimonium præparatum exiſtimatur. Nomen hoc arbitror indidiſſe à furtivo Lapide, ut aliqua ſaltem eius reſtaret memoria: Cum pag. 26 . inter varias illas inſcriptiones Floris Florum et am ment onem faciat. A

Cæterum prognoſtico, vel curatione, ſupra Hippocraticos quid præſtantem, nec ipſe animadverti, nec ab aliis intellexi. Dū Ulyſſingæ degerem, habuit in mercatoris cuiuſdam Middelburgi uxore mihi nota, cancrum mamillæ non exulceratum, ſatis maturè curandum. Impedire tamen non potuit, quin tandē exulceratus eam interimeret. De cancro a. in aliis per illum curato, nihil inaudire potui. Laboranti hectica, ob inflammationem renis, (quantum ἀναμνηστικῶς in vivo & ulcere, q̃ renem alterum conſumſerat, ut vidi in aperto poſt mortem corpore, licuit colligere) ad 14 circiter dies continuos exhibuit decoctum ſuum ſarſæ, quod alvum quater aut quinquies cotidiè movens, videbatur ægrū in Maraſmum præcipitaſſe. Ad Quartanarium, dum agerem Middelburgi, fui unà cum illo, & alio medico ſene conſultandi gratia vocatus. Huic in ſumma viſcerum imbecillitate, atq; hydropis initio, exhibebat cotidiè pillulam unam Aggregativam ſuæ, ut vocat, deſcriptionis, quod probare non poteram, tum quod in longis purgandum potius videatur per intervalla, cum motus, & crudorum humorum & ciborum coctiones impediat: tum quod medicamenta eiuſmodi, cum ob exiguam quantitatem, non ſatis purgent, haud levem noxam corpori inferant, ut docet Gal. lib. 3. cap. 26. de ſimpl. facult. Obiit hic veris initio, etſi 48. ætatis annum vix attigiſſet. Dicebat tamen nobis ſe curaſſe quartanam ſolo decocto ſenecionis. Sed huiuſmodi empirica (quibus ſcio admodum addictum, quanquam modò ne excludatur ratio, non putem contemmnenda) quam non ſemper optatum præſtent effectū, vel leviter in artis operibus verſatis notū eſt. Hæc ſunt quæ ipſe animadvertere potui. Præſtitiſſe aliquid eximium in aliquo gravi morbo, q̃ Hippocratici nō poſſint, nunquam à quoquam intellexi. Quin potius Fabia-

us Fabiano Niſo Italo Medico, qui olim Patavii profeſſor fuit,ac cũ eo in Anglia vixit,mihiq; probè eſt notus) ſcio fuiſſe ac eſſe ridiculo. Middelburgi autem in pretio fuit apud Mercatores quoſdam Antverpianos idiotas. Sed viri Docti, & magis emũctæ naris, qualis ſummus Zelandiæ Theſaurarius, Uliſſingæ gubernator, atq; alii quam plurimi,aliis potius uſi ſunt medicis. Quamvis ſplendorem illi conciliarent tum cani, ornatusque ipſius,ac liberorum,tum pediſſequus (quem aſſiduè habebat,præter aliorum Medicorum morem famulus,quæ tueri illi fuit facile cum prædivitis mercatoris fratris ſui de-
A functi ex aſſe factus fuerit hæres. Ante annum,cum mortuo uno ex Principis Mauritii medicis ſignificaret, metuere ſe, ne indefuncti locum ſufficiendus eſſet: Dicebat Zelandiæ præſes Dominus Malderus,qui Principi eſt carus,cuidam affini & amico meo,ſe eum ab illa cura liberare omninò, quod & eventus comprobavit.

Hæc habui,vir clariſſime, quæ de Michelio, cum id à me petieris, ad te ſcriberem,quæ abſq; ullo iniqui animi affectu,à me ſcripta,exiſtimes velim. Simultatem enim nullam unquam cum illo exercui, ut alii collegæ mei,qui illius,ut & ipſorum ille, commercium prorſus abnuerunt. Mihi autem illa officia omnia amice obtulit. Arbi-
B tror equidem eum ingenio, doctrina, iudicio, ut dicis, nequaquam deſtitutum,adeoque in Hippocratis, Galeni, Ariſtotelis, aliorumq; dogmaticorum ſcriptis, ſic ſatis verſatum, ſed eò ambitionis abreptum, ut diſſentire ab aliis, capite incano, ac penè decrepita ſenectute potius, quam ratione ſuffulta (eſt enim fere Septuagenarius) gloriam captet, quam ut aliis conſentiens, velit pari cum iis gradu decurrere, &c. Deum Opt. Max. rogo, ut te ſervet nobis incolumen, & hanc tuam ſenectutem reddat quàm maximè tollerabilem ac iucundam. Vale. Dabantur ex urbe Gouſa 1. Martii 1601. D. Doct. Gravium, & Quentenum, quos ſolos mihi arbitror iſtic no-
C tos(ſiquidem in vivis & Heidelbergæ ſint) meo nomine ſalutes, rogo.

Tui obſervantiſſ.
DAN. MIVERIVS D.

DECOCTUM SARSÆ, QUOD ARBItror Paracelſi.

D ℞ Sarſæ parillæ uncias novem, Hermodact. uncias tres, ſeminis aniſi unciam unam & ſemis, fol. ſenæ uncias quatuor & ſemis, aquæ communis pintas tredecim. Coquantur ad tertias. Colati huhuius ℞. pintam, unam, in qua diſſolve ſacchari unciam, unam olei ſulphuris drag. unam. Doſis unciarum iiij. Sumit autem oleum ſulphuris acidum per campanam vitream confectum.

Z ij.

Pilulæ Aggregativæ.

℞ pilul. aggreg. ʒj. (aggreg. commun. majorum) ſcammonij grana quinque; cum oleo vitrioli, for. pilulæ vij. deauratæ. Sumat quotidiè unam continuando per dies ſeptem.

Rotulæ ad Pleuritidem, quibus aſſiduè utitur.

℞ florum ſulphuris ʒiſ. ſpecie. Diatragach. frigido ℈ij. ſucci glytirr. ʒ ß. croci parum. ſacch. aqua roſ. ſoluti q. ſ. fiant tabulæ. A

EPISTOLA XX.

CAROLI BATTI MEDICI DORDRACENſis in Holandia.

DE

IOSEPHO MICHELIO LUCENSI, MEDICO DOCTO & inter Paracelſicos clariſſimo. B

AD.

HENRICUM SMETIUM MEDICUM Profeſſorem Heidelb.

CLariſſime vir & conſobrine colende, ad Doct. Joſephum Michelium quod attinet, novi ab anno 1564. habui aliquando cum ipſo praxin communem, iam poſtremò, cum Antuerpiæ viverem ante urbis obſidionem. Relicta is Antuerpia, poſt eius deditionem anno 1585. factam diſceſſit in Angliam. Ab Anglia reverſus eſt Middelburgum, in qua urbe in hunc uſq; diem, ut puto, vivit, comparans ſibi C victum ex praxi medica, in qua ego quidem exiſtimo ipſum non vulgariter verſatum. Sed quod poſſit curare chronicos & incurabiles illos morbos, de quibus in literis tuis mentionem facis (erant autem illi, hydrops, cancer, lepra, Elephantiaſis, nodoſa podagra, phthiſis, febris hectica quartana, epilepſia, apoplexia & ſimiles) minimè credo glorietur, quantū velit. Curreret enim fama eius, hac ratione, non tantum per Belgium, ſed per univerſum orbem. Middelbergenſes pro Medico quidem ipſum agnoſcunt, ſed non pro eo, D qui cæteros uſque adeò in ſuperlativo, ut dicitur, gradu antecellat. Scriptis ipſius, & iactationibus ignoſcendum eſt. Fuit enim, ut ipſe ſcis, ab omni tempore, homo ſuperbus & faſtuoſus.

Ante menſes 6. fuit hîc in Haga Comitis, ſervitiū ſuū Illuſtr. Principi Mauritio offerens, iam nimirū mortuo Doctore Cornelio Buſennio: ſed propter ætatē iudicatus eſt nō idoneus ad perferēdas difficultates

difficultas & labores Caſtrenſes. Valde eſt ſtudioſus artis Chymicæ, cujus arcana qui intelligat, ſe ſolum eſſe, perſuadet ſibi. Quod de lapide Philoſophorum glorietur, nihil eſt: Hac in re quàm plurimos Chymiſtas alii imitatur, quibus mentiri valde eſt commune. Ego quidem in ea arte etiam aliquando inſanivi: Sed ex quo conſpexi alios multò me doctiores magisque in illa arte verſatos, non plus præſtare poſſe, quam cæteri medici vulgares, ab iſta nova medicina deflexi, & veterem Hippocraticam vivis rationibus nitentem ſum amplexus, &c. His vale tuamque conjugem & liberos à me ſaluta officiosè. Dordraco 8. Febr. 1601.

A

Tui amantiſſimus cognatus

CAROLUS BATTUS MED. LIC.

EPISTOLA XXI.

IOANNIS PALUDANI MEDICI OLIM Reginæ Daniæ viduæ, Poſtea urbis Wiburgenſis in Iuthia Septentrionali Cimbrorum, ordinarii

B

De D. PETRO SEVERINO *Regis Daniæ Archiatro, qui Ideam Medicinæ Philoſophicæ anno 1571. edidit, in qua, cum pag. 341. ſcripſerit, nec podagras, nec hydropas, nec lepras, nec epilepſias inſanabiles eſſe: Quæſtio eſt, an ille ipſe, omnes tales morbos ſibi oblatos; aut ſi non omnes, ſaltem plurimos perſanârit. Aut an multum præclari ſupra Galenicos præſtiterit, ejusq; rei teſtes, aut exempla multa norit. Item an decantatum illum lapidem Philoſophorum legitimum habuerit, & ipſe conficere potuerit. Et an eodem illo, tanquam Panacæa quadam quoscunq; morbos abegerit. Nam ut aliquos modò curarit, nihil eſt magni. Inter Galenicos n. quibusdam, & hoc aliquando contigit. Neque hoc in artis Chymicæ vituperium quæritur, cum ejus in præparationib. induſtria valdè collaudetur.*

C

D

AD HENR. SMETIUM MED. PROFESSOREM Heidelbergenſem.

Literas tuas ſecundas, vir Clariſs. 20. Martii 1605. datas, pridie aſcen. Domini accepi, in quibus petis, ut tibi de ſucceſſu Panaceæ Doct.

Petri Severini, ejusdemque effectu ſcriberem; Et an omnes, quos in literis tuis nominas morbos incurabiles nempe, ac deſperatos, curare potuerit: Idque à me præſertim petis, quod me cum illo in aula Danica vixiſſe, & communes ſæpè ægros habuiſſe exiſtimes. Ad hoc reſpondeo: Me non in aula Regis, ſed Reginæ matris vixiſſe. Quum Doctor Petrus, unà cum Doctore Martino Ædituo in aula Regis Friderici viverent, & unicum tantummodò cum illo me in aula Reginæ, non hîc in Juthia communem habuiſſe ægrotum, in quo Unanimiter non medicamentis uſi ſumus, ſed prognoſtico, cujus eventus veritatem demonſtravit. A

Quod inquiris de miraculoſa & certa deploratorum (& incurabilium aliis) affectuū curandorum ſolertia & ſucceſſu (quanquam homini docto, & apud multos magni habito, nihil detrahere volo) ingenuè tamen fateor, famam factis ſuperiorem.

Ad Panacæam quod attinet, Anwaldinam imitari conatus eſt, cum per reſolutionem medicamentum hoc ingredientia inquireret, ſed haud perfectè eſt conſecutus; nec is tantis laudibus ſuam, quantis Anwaldinus à ſe inventam extulit.

Variis medicamentis, ad morbos varios uſus eſt, ſed ſæpè vehementioribus; in quorum uſu hoc perſæpè evenit, quod illis accidere B ſolet, qui ad fructuum maturationem, arborum radicib. calcem admovent. Medicamentis Paracelſicis non ſemper eſt uſus, verum & compoſitionibus Galenicis ſæpè: Sed extremis morbis extrema adhibebat remedia. Intelligenti ſatis. At cum morbus epidemicus Hafniæ multum ſæviret, circiter annum 1602. ipſe quoque peſte extinctus fuit.

Habes meam de Doctoris Petri medicina ſententiam, quantū mihi de illa conſtat; Quia nec conſultationibus ejus interfui, nec ægros communes habuimus.

Non potuit autem Doctori Martino Ædituo, medico Regio, C viro alioquin Doctiſſimo, cum Doctore Petro Severino convenire, qui eam ob cauſam in Hollandiam rediit, ac ante aliquot annos Amſterodami vivis exceſſit. His vir amiciſſime cum uxore omnibusque tuis fœliciter valeto. Wiburgo 3. Junii anno 1605.

Tuus ex aſſe Joan. Paludanus Med. D.

D

EUCHA-

EVCHARISTICON

DEO VERO ÆTERNO OMNIPOTENTI UNI ET TRINO Servatori

A

POSITUM

ab

HENRICO SMETIO A LEDA, ejusque vitam complectens.

SVMME *Pater rerum, qui nato & Flamine ſancto*
Æquævis, æternus agis: μονὰς & τριὰς una
B *Perſonis diſtincta tribus, Deus unus, & idem*
Omnipotens, ſine principio ſine fine, locoq;
Cuncta replens, cuncta amplectens, perq; omnia præſens,
Qui cœlos, & inane ingens, vaſtum mare, terras,
Tartara & Antipodas obtutu perſpicis uno:
Cuncta regens ſolus ſapiens: quippe omnia verbo
Formaſti ex nihilo, dextraq; potente tueris:
Ne pereant, errentq; via, qua pergere juſſa:
C *Cui parent turbæ Angelicæ, cui turba volantum,*
Et gens Oceani, pecudumq; hominumq; propago,
Reptiliumq; genus: quæq; udo in ceſpide florent,
Vere novo reduces debent naſcentia vitas:
Et cui, quæ fuſo reparata eſt ſanguine Chriſti,
Sufficiente lytro, & cœleſti chriſmate ſancti
Uncta Paracleti, petræq; impoſta fideli,
Hoſtibus expoſita hic multis, Eccleſia curæ eſt:
Proſper adeſto, tuas laudes, tua dona canenti.
D *Tu mihi non imæ plebis de ſanguine naſci,*
Sed patre, avo, proavoq; antiqua ſtirpe creatis,
Et bene de patria meritis prodire dediſti.
Patre equidem, vitæ cui ſexageſimus annus

Bis viduos paſſo thalamos: jam vertice cano,
Et velut effœto jam corpore, ſpem ſuper omnem,
Prolificos alia tribuit cum conjuge ſuccos.
Talis honorato genitum me fœdere lecti,
Carcere conſtrictum materno, & luce carentem,
Æthereâ, decimo dum Luna recurreret orbe,
Spumoſo ex humore, coacti more recenter
Caſeoli in maſſam ſpiſſans, virtute latente A
Fingis & humana ſpecie mentiſq́; capace
Induis, uſque fovens dum matureſcat in alvo.
Hinc fractis uteri vinclis, per clauſtra viarum,
Eduxti incolumem, Phœbei in luminis auras:
Ante parans alimenta mihi, quàm naſcerer, ori
Suavia, ventriculo per amica, accommoda membris,
Suctilia, irriguis calidè aſſervata lagenis
Mammarum, ſemperq́; labris expoſta tenellis. B
Adjicis in natum fidæ genitricis amorem,
Quæ nil deſieri patiatur ſedula proli.
Sed mea vix menſes quater octo expleverat ætas,
Quum formidatus quondam ſenioribus annus
Septenus novies (quem κλιμακτῆρα vetuſtas
Nuncupat) eripuit duro mihi funere patrem.
Me tamen orbatum non deſeris. efficis autem,
(Quo tibi major honor, quo ſit tibi gloria major) C
Mater ut officium rapti genitoris adæquet.
Illa igitur curas cari de pignore lecti
Solicitas agitans, viduos ſolatur amores,
Præſentemq́; virum fingit ſibi prole relicta.
Hanc monet, hortatur, caſtigat, præmia ponit,
Et patris exemplo, puerili in corde latentes
Suſcitat igniculos virtutum, & ſemina veri.
Territat à vitiis, quæ ſenſim prodere ſeſe
Conſuerunt ætate rudi, emendatque premendo. D
Illa feras lites faſtus, luxuſq́; procaces
Deteſtata; cibo facili, cum ſimplice amictu
Contentum, docuit primis aſſueſcere ab annis.

Hinc

Hinc ſemper mihi grata magis Mediocria magnis.
Pacis amans animus, ſortisq; miſertus iniquæ.
Tempus erat teneræ ruditatem mentis inertem
Ponere, & ingenii meliorem quærere cultum.
Namq; velut geminos una de matre catellos
(Quos genio Natura dabat non diſpare naſci)
Diſſimiles, cultura tamen, monſtrante Lycurgo,
Reddidit hunc ſylvis, durisq; laboribus aptum,
A *Illum ſignitiæ aſſuetum, & fumantibus ollis:*
Tu mihi cultores animi, morumq; magiſtros
Suggeris, & docilem me culturæq; capacem
Efficis, & Sophiæ Muſarumq; indis amorem.
Usque adeoque faves; ut quum jam ætatis adeſſet
Quinta trias, dederim fœturæ inſignia primæ,
Phocyliden Latio donando, Pythagoramque.
B *Poſtque duas hyemes, formam cum morte pudicam*
Certantem cecini; & Troxartæ prælia regis,
At decimo bis vere acto, præſignia laudis
Phœbeæ, Medicæque artis præconia dixi.
Meſſe bis undecima, Clius audacia noſtra,
Sceptra Jehudææ ſumpſit ſibi dicere gentis,
Præſidio conata, tuique hac numinis aura.
Prætereà tantos proſper conatibus addis
Succeſſus noſtris Medicæ invigilantibus arti:
C *Ut quum bis vitæ nondum duodenus adeſſet*
Autumnus: Muſis præclara, Bononia dignum
Cenſuerit tituli me Doctoralis honore.
Intereà regis affectus, quocumque locorum
Miſiſti: ſeu Gunduni me, ſive Leuaci,
Seu Laceburgiaci, vel docto Budoris amne,
Itala vel tellus (ubi ſumma licentia morum)
Exciperent: vitiis juvenilibus abſtinuiſti,
D *Frugi animum tribuens, rectique cupidine ductum.*
Ac mihi ne mentem generis fiducia clari
Abriperet; ne luxus iners, ne blanda Dione,
Bacchus & illecebræ caperent; velut ora caballi

Luxuriantis eques freno & calcare gubernat.
Et rectam docet ire viam: ſic nobile priſcæ
Stemma domus, modici frenas moderamine cenſus.
Qui licet exiguus fuerit; tamen efficis illum
Sumtibus æqualem, ſtipis & nullius egentem.
Tandem me incolumem per multa pericula vectum
Per mare, per montes, tempeſtatesq; ſonoras,
Sole ſub externo, à morbis, & funere ſemper A
Servatum, reddis patriæ, lætæq; parenti.
Annus & hinc non totus abit; de conjuge caſto
Conveniente thoro, mihi proſpicis: haud opulenta,
Haud quoque formoſa: ſed quam mage plurima virtus.
Cognitio veri, & reverentia Numinis ornet.
Nec ſterilem pateris thalamum: ſed quatuor inde
Pignora viva mares ducis, totidemq; puellas,
Suppeditans quæ ſufficiant nutrimina vitæ. B
Jamque aderat ſextum ver, ex quo civis agebam
Antuerpæ, ad refluos Scàldis prædivitis æſtus.
Vectus uti longum tranquilla per æquora Ponti
Navita (ſi celeres revolare ad littora mergos
Ex placido videat pelago, vocemque ciere:
Vel ſi ſtellarum ſpecies de nocte cadentes
Conſpiciat, longoque niteſcere in aëre tractu:
Si bibat Iris aquas: ſi flumina radat hirundo) C
Providus ille petit portum: aut legit humida vela.
Sic mihi, dum recolo, quod totum Belga per orbem,
Victor in Auſonios, in Gallos, Saxonas, Afros
Duxerat, & ſpoliis jam ſe oſtentabat opimis;
Alta in pace ſedens: bombycina carbaſa malis
Jungebat: magnis certabant ſumtibus urbes:
Contemtaque aula veteri, nova Curia forma
Regifica, nigro & colubrino ex marmore tota,
Splendida ſurgebat; Pietas dum preſſa gemiſcit: D
Ex his haud dubiis longe præſciſcere ſignis
Venturam dederas cladem, & diſcrimina rerum.
Ergo velut Lothum Sodomis, exire paratum,

Cum

Cum fida thalami conſorte, & prole tenella,
Quanta fugæ noras ſatis eſſe viatica donans,
Finibus educis patriis, in tuta locorum.
Hoſpitium curas, alimenta benigniter addis.
Delectuq; dato, de conditionibus ultro
Quatuor oblatis (cœleſti munere) ſuades
Lemgovios petere, & Cauco vicina Viſurgi,
A *Lippiacis Medicam facturum heroibus artem.*
Hic mihi Phœbea latè inclareſcere fama,
Utiliter tribuis, magnumq; apud omne favorem.
Concilians mortale genus, ſucceſſibus auges.
Intereà ne res nimium mihi fortè ſecundæ
Luxuriem pariant; reddarq; tuæ immemor auræ:
Elatam reprimis per fata domeſtica mentem,
Morbis immiſſis variis, neque funere nullo.
B *Solaris tamen hæc iterum; cum maxima ſextum*
Poſt Majum (quæque ipſe mihi promittere numquam
Auſus eram) plena largiris munera dextra;
Meque Palatini Friderici ponis in aula,
Qui Jetebulææ regnat Septemvir in arce;
Atque gregi ſocias, fido te corde colenti.
Hic dum quadruplicis plebs per contagia morbi
Atteritur; tu meque meosq; à peſte tueris.
C *Aſt ne inſperato ſplendoris adauctus acervo*
Efferar: egregiè mihi conſulis, inque modeſta
Lege tenes animum, pietate, tuique pavore,
Et ducis exemplo moderati, teque verentis.
Impleratjam quarta cados vindemia muſto:
Cum tibi grandævum (quem ſollicitudo piorum
Undique preſſorum, Chriſtique Eccleſia mœrens,
Et ſtatus imperii, multo jam tempore nutans,
Fregerat) exhauſtum longis exſolvere curis
D *Fridricum ſedet, æternaque beare quiete.*
Tanto orbum domino; materna ex morte relicta
Prædia viſcentem, cum nata & conjuge fida,
Per longum deducis iter, ſalvosq; reducis,

Ereptos

Ereptos iterum patria ſurgente tumultu.
Atque domi incolumes donas reperire relictos.
Jam verò reducem ſpoliatum principe tanto
Demulces iterum, delectu, ex munere terno
Oblato, à Batavis, Cattis, & faucibus Hartæ.
De quibus hortaris, faciendo artemque docendo
Degere Neuſtadii, & Caſimiro impendere curam.
Hic mihi res aliquem, te ſuppeditante, peculi A
Adjecit cumulum; canis dum proſpicis annis.
Qui ſua vermiculis olida putredine natis;
Qui ſua ſoricibus ſubter tellure cavata;
Piſcibus Oceano in magno ſua pabula curas;
Montivagisque feris; timidisque volucribus eſcam:
Tune hominem divina cui mens æthere venit,
Cujus ad officium, per te ſunt omnia facta:
Quem tibi delectum purgaſti ſanguine Nati B
Unigenæ, ut felix æterna luce fruatur:
Tune illum invalida vergentem ætate relinquas?
Haud equidem. nam tu pater es bonus, & Deus olli.
Quin imo haud modicum, ſimul impartiris honorem;
Frena mea tradens moderanda Academica dextra.
Dum quoque peſtiferis funeſtas luctibus urbem,
Nos iterum ſervas privo ſine funere ſalvos.
At ne fortè animus nimis hinc ſe attollat: amœnum C
Inſtructumque domo ſpatioſa, atque ubere villa,
Morte pia matris veniens, neque paupere cenſu,
In Flandris herediolum per acerba furentis
Fulmina Bellonæ vaſtas, & inutile reddis.
Hac clade affectum me iterum ſolaris amicè,
Ad majora ciens atque utiliora, vocatu
Gymnaſii Jetebulæa ſub colle vigentis:
Quum patre exſtincto, pupillum & regna tuentis D
Neccarus imperio Caſimiri haud ſegnior iret.
Adjicis hic aliquid rurſum: de dote meaq;
Sollicitus ſubolis thalamo: quin addis honores,
Aurato nitidos ſceptro; quum tradis habenas

Electo-

Electorali florentis in urbe Lycei,
Præcelebres fama, ſed cauta mente regendas.
Injicis at rurſus camum: retinacla tenentem
Importuni hominis vexari paſſus ab auſo:
Accumulansque malum, vita me conjugis orbas,
Conjugis æternam merita cum nomine vitam,
Cognitione, metuque Dei, qua prole beata,
A *Vixit amata viro, ter nonos juncta per annos.*
Sed (tua quæ bonitas) vicibus melioribus iſta
Compenſas; quum das natas ſupereſſe parenti,
Obſequiis, probitate, fide, caſtoque pudore
Ornatas, dominique metu: queis fida paternæ
Cura domus, animo ſedeat commiſſa ſagaci.
Quin etiam prima natarum, fœdus honeſti
Procuras thalami: docto quum traditur illa
B *Zonſao conjux: viduoq; levamina patri*
Magna ſeni præſtas parilis conſorte reperta
Conjugii, qua ſit reliquos mollire labores.
Inſuper & natæ mox inſperata ſecundæ
Pangis honorati connubia clara Gruteri.
Quis putet? octavo tandem quoque vere, Smaragdis
Cum tunicam Tellus ornat: me patre valente,
Quamvis grandævo, neque climactera timente,
Sed fidente tibi (tanto eſt tua cura) relictæ
C *Natarum minimæ, ſponſum das, ſtemmate pulcro*
Stœckelium, pietate pari, Muſisque decorum.
Tu quoque natorum vice (nam ſeptem arce beaſti
Ætheria) mihi das natorum cernere natos.
Tu procul à patria, patriam in regione feraci
Et vini & cereris donas, dulcemque quietem,
Principe ſub placido tutam & cœleſtibus alis.
Inque pio cœtu, qui te timet, ardet, adorat,
D *Quod mihi, quod natis opus eſt, largiris abundè.*
Quid dicam? quod & hanc iterum dignaris honore
Magnifico, reddisque auro præeunte verendam
Canitiem, quam ſexageſima liquerat æſtas.

Tu mihi bis ſeptem ſexagintaq; per annos,
Incolumem ſervas vitam diſcrimine ab omni.
Quum puer unius concretam frigore noctis
Calcabam glaciem; vel quando heredia circum,
Lintre brevi ludens foſſa labebar in undas.
Inde bis everſa ejectus currente quadriga.
Cumque per anguſtum, præceps, altumque caballo
Corripiente viam Rhetæas ferrer in Alpes: A
Haud aliter longo poſt tempore, quando reverſus
A patria campis, hæredioloque parentis,
Sole ſub ardenti, convexa in nave ſedebam:
Antenna grave pondus, ab alti culmine mali
In caput illapſa, lethum mihi pene tuliſſet.
Sic quum vectus equo, multo poſt VVachenhemæa
Vrbe domum repeto, curata nobile ab ægra:
Ponticulo ſonipes falſus pede labitur, atque B
Seſſorem ſaxo ſecum devolvit ab alto.
Tu mihi perpetuus cuſtos, dextraque fideli
Me tutaris, uti dilectum luminis orbem,
Me quoque ſed modicis voluiſti affligere morbis,
Viriolis equidem, febriq; ex ordine quartos
Obſervante dies puerum; verum inde per annos
Vicenos ſtabili donabas robore corpus.
At juvenili ævo per ſuccuſſantis equi vim
Laſſatum rigor & febrilis corripit ardor C
Continuus: ſexta quem luce recedere ſenſi.
Et licet octavo redivivus Sole rediret:
Quinta tamen rurſus ſublatum veſpera vidit.
Deinde bis undenas firmo me corpore meſſes
Conſervas: donec cumulati ſanguinis humor
Inſidias ſtrueret lumbis; crurisq; ſiniſtri
Greſſibus officeret dolor in coxendice natus.
Aſt hunc te dante ex cubito & gemino pede ſecta D
Suſtulit educto confertim vena cruore.
Hinc mihi ter ſenos robur mediocre per annos
Reſtituis rurſum: dum tandem ætate ſenili

Poſt

Poſt ſeptem vitæ decadas ſub parte ſiniſtra
Lumborum, ſubitus medio ſermone loquentem
Invadit dolor acer, ut orſa abrumpere cogat.
Deliquiis animi ter adorſus: & in pede lævo
Impediens motus, vigilem me nocte dieq;
Abſque cibo potuque tenet, ſudore madentem.
Hoc vitæ diſcrimen, in hac ætate labante,
A *Sanguine detracto, triplicíq; malagmate tollis,*
Sublapſas vires reparans, victúq; vigorem.
Sic mihi conſervas ſano cum corpore vitam,
Cladibus exemtam magnis bellíq; pavore,
Quale quater denos Belgas attrivit in annos:
Quamq; manu tam munifica defendis, alisq;
Hactenus, ad gelidam ſervabis porro ſenectam.
Quid verò tibi pro meritorum gratus acervo
B *Retribuam ſupreme Pater, cui debeo cuncta?*
Semper honos tuus ore meo, laudesq; ſonabunt:
Dum reget hos artus anima, & poſt funera vivet;
Seu manſura ſuis aliquanto temporis orba
Exuviis: ſeu læta iterum (ſimul uda putredo,
Arida vel caries, vel flammæ abſumpſerit ardor,
Et tenues variè disjecerit aura favillas)
Corporis hoſpitium (flatu cœleſte reductis
Vndiq; particulis) tandem ſubitura prioris,
C *Vt mox æthereis vivax ſecum inferat aſtris.*
Namq; ut quondam olitor, qui fortè minuta ſub uno
Diverſi generis confuſa videbat acervo
Semina: mox ſecum, dum ſingula ſeligit, hoc eſt
Ozymon, hoc apium, lapathum iſtud, at oxalis illud,
Daucus, & andrachne, ammi, apiaſtrum, urtica, melanthũ:
Sic tua, ſed melior, ſapientia novit acuto
Permiſtos hominum cineres diſcernere viſu,
D *(Scis etenim quo ierant, & cujus quæque favilla eſt)*
Diſcretosq; iterum componere in oſſa, cutemq;
Et nervos intermedios, formamq; priorem:
Cuiq; ſuam reddens animam, quæ reddita membris.

Fida

Fida meis reſtrix, redivivo in corpore deget,
Et ſecum in cœlos rapto, per ſecula vivet,
Angelicisque choris, turbaque adjuncta fideli,
Devicta Morte atque Erebo, vinctoque Satane,
Æternos Agni decantatura triumphos.

FINIS.

INDEX COPIOSISSIMUS IN TOTUM VOLUMEN,

Priore litera paginam, altera lineam indicante.

A

ABdomen partibus minùs denſis aut ſolidis, quam pectus includitur, pag.434.lin.4.
Abdominis viſcera non tam cito halitum putridum ad cor tranſmittere poſſe demonſtratur 431.35
Abdominis viſcerum vaſa ſunt parva, præter caudicem Portæ, à caua hepatis regione enatæ 433.27
Abrahami concubinatus cum Hagara produxit Iſmaelitas 423.17
Abſceſſus colli, per aurem ſiniſtram ſe purgans premendo 558.23
Abſceſſus ſteomaticus monſtroſus à Diaphragmate in ſcrotum uſq; exporrectus 523.26
Abſceſſus ex phlegmone venæ inter ſecandum pertuſæ, puris vncias v. aut v 1. profundit. 565,30
Abſceſſus aquoſus aſcapula ſiniſtra ſubter axillam ad mammam, uſque exporrectus 544.48
Abſynthii herba cuidam exoſa, abſynthite vinum eidem gratum. 658.29
Abſtemiorum ratio redditur 78 19
Abſtractæ ſubſtantię 81 21
Accidentia quędam materiæ 71.20
Achilles in achillea 445.10
Acorus legitimus eſt calomus aromaticus officinarum. 470.21
Acorus legitimus creſcit in Lituania frequentiſſime 470.12
Acria ciere urinas. 138.35
Actionem fieri per contactum. 127.18
Actionum principia, quæ ſint. 77.5
Acutorum morborum natura duplex. 57.14
Acutus dolor inſtar novaculæ ſecantis ad mamillam dextram tuſſiendo ſuſpirando aut in latus vertenêo 543.13
Adomas quomodo frangatur 112.18
Adipis & lævi delectus 464.8
Adſtringentia non roborant 124.5
Adſtringentium uſus 124.17
Adſtrictio in roborantibus 62. 19
Ægilops qualis morbus 538.29
Ægrotatio. Henr. Smetii deſcripta 207 25
Ægrotatio longa & monſtroſa 4. menſium deſcripta 189.44
Ægrotatio x 1. menſium monſtroſa tota deſcripta 209.10
Æruginis vis quomodo retundatur. 78. 4
Æſculapius in Aſclepiade nomen depoſuit 464.8
Aetius de Cinamomo vero diffidit 490.12
Affinitatis Simplicium cum certis corporis partibus, cauſa ignoratur 45. 12
Agalochum non eſt lignum Aloes. 511.16
Agallocho legitimo caremus 511.17
Agaricum obviam quamque pituitam detrahere 144.7
Agaricum parum tuto ſumi, niſi in trochiſcos redactum. 158.7
Alaudę vires 112.43

Alberti Magni ineptiæ 122.5
Albertus Crantzius 229.24
Albucaſis 229.34
Alcibiades in Alcibiadio anchuſa dicto ſupereſt 445.16
Alexipharmaca 94 40
Alexipharmacorum uſus 95.33
Alexiteria medio modo ſe habent 95. 4
Alimentorum natura 98.33
Alimentorum duo genera. 115.27
Alimenta & medicamenta quomodo purgent. 157.26
Alimenti vitium putredinem humoribus adferre poteſt 372.25
Alimenta pravi ſucci quæ 372.31
Alimenta per ſe bona, externa occaſione corrumpi poſſunt 373.19
Alimenta bona in ventriculo corrumpi poſſunt 373.36
Alimenta bona, intempeſtiue, aut præpoſtere ſumpta corrumpi poſſunt 374 5
Alimenta medicamentoſa qualia ſint 90.38
Aloe quando, perdat vim purgatoriam 67.19
Aloes vis purgatrix in tota ſubſtantia 92.15
Aloe lota non purgat 68.30
Aloe quid detrahat 183.19
Alui tarditas menſes V. durans nullo pharmaco, niſi cliſmis obediens. 561 19
Alui excrementa per ulcus inter umbelicum & pubem ſponte natum prodeuntia, per XVIII. hebdomadas, hiſtoriola & curatio 566.26
Ambræ tria genera 509.3
Ambra odorata
Ambra griſea
Ambra caua quid ſit & unde oriatur incertum 508.26
Ambrę fragmenta, ſtaturę hominis, interdum 90. palmorum longitudinis, 18. palmorum latitudinis 509. 14
Ambræ puræ inſula viſa, quæ poſt requiſita, non amplius apparuit 509. 15
Ambræ fragmentum trium millium pondo, repertum 509.19
Ambra optima quæ
Ambra peſsima quæ 509.28
Ambræ facultates 509.45
Ambra factitia 509.41
Ambroſius Pareus 381.31
Amentia cum ſomnolentia, & ſermone incondito, vomituque891 bilioſo 545.26
Amica uni parti non eſſe aliis inimica 110. 3
Amomis differt ab amomo 491 17
Amomi lignum magis, quàm ſemen probatur Dioſcoridi 462.2
Amomum Plinii diſtat à Dioſcoridæo 491.19
Amomo vero caremus 493.4
Anaſarca hydrops aut ſarcites non fit à colliquatione 350.40
Anaſarca aut Sarcites non naſcitur ab aſthmare 351.7
Anatis natura 76.26
Anatis vinę virtus 88.20
Anatome Frid. III. Electoris Palat. multa rara oſtendit 537.11
Anatome corporis decollati multa ſingularia oſtendit 539.25
Anatome corporis lipothymia ſubito extincti 542 17
Anatome decollati quid oſtenderit 545.29
Anatome adoleſcentuli valetudinarii, dyſuria diu afflicti 557.43
Anatome canitoris publici, ſica in pectore trucidati, quid oſtenderit 558. 37
Anatome capitis vulnerati quid oſtenderit 560.31.40
Anatome vulnerati capitis alia 561. 31
Anatome capitis vulnerati 570. 21
Anatome fœtus abortini vi menſium, cuius motum mater mox poſt ſextam hebdomada percepit, ſed à quarto geſtationis menſe non amplius 571.16
Anatome capitis enſe tenuiſſimo vulnerati 578.41
Anatome infantis trimuli 579.8
Anatome corporis, deliquio animi monſtroſo & ſubitanea extincti hiſtoriola 580.32
Andreas Thevetus 379.40
Ancuryſma in ſcapula ad initium ceruicis 526.19
Ancuriſmata tria, quales ſint tumores 333.30
Angelicæ radix pro Coſto non male ſubſtitui poſſet 494. 3

Anima

Anima Mundi. 81.7
Anima humana nihil bene agere poteſt abſque inſtrumentis ad aptatis ſibi. 420.42
Animas noſtras videri ex traduce potius propagari. 414.37
Animam ab homine rationalem per ſemen non minus, quam motivam à bruto, & vegetativam à planta propagari videri. 416.3.11.21
Animalium occultæ vires. 76.21
Animalia cur, non tam dura ut metalla. 145.28
Animalium & partium delectus. 463.3
Anſer recrementis nucum juglandium paſtus. 148.14
Antimonii præparatio. 138.41
Antimonii vires. 139.5
Antimonium participat hydrargyrum 139.32
Antimonii fructus in peſte. 140.43
Antimonii vitrum eſſe venenatum. 145.26
Antimonii violentia. 160.25
Antimonium cui parti maxime noceat. 166 20
Antipathia rerum. 96.24
Antonius Schneberger Medicus. 140.16
Anthrax, peſtilens, pollices x v. longus, & 1 x. latus, ad oſſa uſque profundus. 574.13
Aphonia per intervalla, abſque ulla reſpirationis offenſa. 531 4
Apoplexiæ lethales Paracelſ. 686.24
Appenſa medicamenta. 113.2
Appetitus paret intellectui in imaginatione. 164.6
Apollo apollinarin quę Hyoſcyamus eſt nominavit. 464 7
aquarum differentiæ. 605.28
aqua rivalis & glacialis. 605.36
aqua marina & ſalſa. 606.22
aqua paluſtris, ſtagnans, & lacuſtris. 606.35
aqua pluvialis. 608.17
aqua puteana. 607.40
aqua fluvialis. 607 27
aqua fontanea eiuſque multiplex differentia. 610 18
aquæ minus bonæ correctio. 611.17. 614. 27
aquæ fontanæ inſipidæ in multa ſunt differentia. 615.7
aquæ fontanæ potabilis & optimæ ſigna. 614.20. 615.10
aquæ fontanæ optimæ virtus. 617.14
aquæ fontanæ potus quibus noceat, quibus item proſit. 617.42. 618.12
aqua frigida febrium remedium. 161.26
aquam purgantia qualia ſint. 179.15
aquoſa pituita copioſa, inſtantibus menſibus, aliquot periodis, per os effluens. 582.10
aqua vitæ. 78.42
aqua fortis, aurificum. 180.12
aquarum & oleorum delectus. 459.11
Araneis purgari vniculas. 142.39
arbitrium ſummarium non eſt aſtris ſubjectum.
arbores facere purgatorias. 148.20
arbores præparare ut purgent. 73.18
Archigenis dogma de antipathia verum. 96.34
argenti vivi uſus 138.30
argentum ab auro ſeparare 180.12
Ariſtotelis ſententia de Diureticis. 150.9
Ariſtotelis ſententia de occultis rerum proprietatibus. 63.30.117.30
Ariſtotelis ſententia de ortu formarum 81.23
Ariſt. ſententia de purgantibus refellitur. 125.28
Ariſtot. ſententia de purgantibus. 162.21
Ariſtoteles in rebus anatomicis ſubinde erravit. 426.40
Ariſtotelis ratio improbatur. 352.19
aromatum diviſio. 467.4
aromatum delectus 466.2
Artemiſia Cariæ regina in artemiſia herba laudatur. 445.40
Arthitis mobilis. 136.30
Arthritide vera afflictus. 562.7
Arthritides quænam incurabiles Paracelſo. 687.3
Arthritidis remedium. 120.6
Arthritica qualia ſint. 133.14
artifex & Empiricus diſtinguntur. 116.20
Aſaron non eſt baccharis. 479 12
Aſcarides in podice pueruli, capite acuto, cauda retuſa, ad digiti latitudinem longi. 563.12
Aſcites hydrops qui colligatur. 584.20

Aſcites an paracenteſin utiliter & tuto admittat. 354.39
Aſcites cur raro percurari poſſit. 355. 3
Aſciten Paracelſus ex arte vix unquam perſanavit. 355 6
Aſcites quando & cur ante purgandum præparantibus egeat. 354.17
Aſcites quando diuretica poſtulet. 354 2
Aſciticorum hepar qualiter corroborandum. 354.25
Aſpalatus atque Aſphalthus inter ſe differunt. 503.21
Aſpalathus Plinii differt ab illo Dioſcoridis. 503.40
Aſpalathus non eſt Sandalum. 504. 11
Aſpalathus non eſt lignum Aloes. 504. 26
Aſpalatho vero caremus. 504.34
Aſtrologi impugnantur. 81.33
Aſtra an conferant ad formarum conſervationem. 83.20
Aſtrologorum opinio de formis. 65. 40
Aſtrologia judiciaria incerta. 192.40. 202.36
Atra bilis vomitu reiecta. 525.30
Atram bilem non facile purgari. 179. 4
Atrophia infantuli maxima, per VII. menſes à nativitate continuata, intra hebdomadas paucas in obeſitatem verſa. 544.31
Averrhoes refellitur. 165.37
Augerius Busbecanus. 470.5
Auguſtini dictum de Creatione. 82. 30
Avicennæ ſententia de formarum ortu 81.9
Avicennæ ſententia de temperatura lactis. 138.10
Avicenna notatur. 522.25
Aviculas quaſdam araneis purgari. 142. 39
Aurigæ cuiuſdam medicina. 139.23
Aurum Stibio purgari. 141.31
Aurum cur ab igne corrumpi non poſſit. 141.44
Aurum factitium Chemicorum auro nativo non reſpondet. 697.5
Aurum factitium defendentia argumenta VIII. aut IX. refutantur. 697. 20
Authoritates rationibus deprimi. 144. 42
Axioma philoſophicum de actione & paſſione. 106.11

B.

Balſamum. 794.36
Balſami, nec lacryma, nec fructus, nec lignum legitimum in officinis habentur. 499.32
Balſamon tam in Ægypto quam Iudæa periit. ibid.
Balſamon Americanum, Indicum jam dictum, ex Hiſpania Nova allatum. 500.25
Balſami Americani conficiendi ratio. 500.37
Balſami Americani uſus triplex. 501. 5
Balſami Americani intro ſumpti utilitas multiplex. 501.6
Balſami ejuſdem foris admoti utilitas. 501. 12
Balſami ejuſdem in Chirurgicis utilitas. 501.24
Balſami de Tolu commendatio. 501. 43
Balſamon de Tolu, eiuſque collectio. 501.44
Balſamon de Tolu fragrantius eſt, ſumptuque gratius, quam Americanum. 502 11
Balſami de Tolu facultates opo balſamo Ægyptiaco pares. 502.19
Balſamon de Tolu præſtantius eſt Americano. 502.21
Balſami de Tolu triplex uſus. 502. 23. 31.39
Benedicta pharneaca vocata. 183.32
Benedictio Dei ad propagationem humanæ ſpeciei, non videtur cenſenda minor, quam in brutis aut plantis. 416.21
Bilis ſtimulo excretionem fieri. 131. 25
Bilis quid ſit Galeno. 145.1
Bilis uſus. 151.43
Bilem in homine ſemper reperiri. 181. 2
Bilis quotuplex. 359.24
Bilis alia alimentaria, alia ſupervacanea. 597.29
Bilis alimentariæ uſus & effecta. 359. 24

Bilis

is ſupervacanea naturalis duplex. 160.2
is ſupervacanea, alia naturalis alia præter naturam. 597.39
is ſupervacaneæ diviſio & effecta. 359.40
is præternaturam quintuplex. 360.7
em purgans cur non educat aquas. 178.39
em educentia ſæpe plus pituitę evacuare. 181.20
is licet tenuis & acris irruat in membranas, tamen eas non penetrat. 436.4
vinus morbus. 229.35
ifficam eſſe vitibus inimicam. 121.28
ata & odore & guſtu cibos diiudicare 118.37
ata omnia à natura fugienda ſequendaque norunt 443.21
yoniæ mercurialis lathyridis peplii decoctum ſimplex, abſque aliis rebus, per tubulum veſicæ annexum, mihi egomet iacens infudi, qualia eduxerit. 565.41

C.

Adaveris forma in pharmacis. 137.14
dden. 237.42
ddendranck. 238.9
æcitas ob glaucoma. 538.24
æcitas utriuſque oculi, ſiniſtri quidem ex denſa hypochyſi, dextri autem ex nervi optici obſtructione. 567.40
æcitas utriuſque oculi, epilepſia ſubſequente, qua finita, pilulis ſumptis rurſus vidit, eliaco morbo decumbebat. 550.7
æca vis pharmacorum. 63.3
æcus pernares videns. 259.39
æli quod officium. 84.9
æleſtis ſpiritus. 81.24
ælibes ad procreandum apti, valde peccant, abſtinendo à coniugio. 422.39
alamus aromaticus officinarum non eſt legitimus. 496.35
alamus aromaticus officinarum, non eſt calamus verè, ſed revera radix. 569.1
Calamus officinarum eſt acorus verus Dioſcoridis. 470.1
Calamus aromaticus legitimus nuper adferri cœpit. 794.31
Calculos rumpentia pharmaca. 112.2
Calculus amygdalo mediocri æqualis, à viro excretus cum lotio albo craſſo per aliquot dies. 564.14
Calida deleteria. 116.29
Calida quomodo trahant 158.5
Caliditas ſumma proprium ignis. 74.4
Caliditas mordax an purget. 141.21
Calor ſeminis qualis ſit Ariſtoteli. 86.42
Calor attrahit. 146.24
Calor quotuplex ſit. 409.34
Caloris interni officium. 409.42
Calor internus quotuplex. 409.44
Calor fabricæ corporis inſtrumentum 81.30
Calor cœleſtis, quotuplex. 410.2
Calor cœleſtis alius proprius, alius communis. 594.15
Calor cœleſtis proprius quis. 410.4
Calor internus cœleſtis, non fit febri obnoxius. 410.29
Calor internus cœleſtis non habet contrarium. 410.43
Calor cœleſtis qualis, eiuſque officium 594.11
Calor cœleſtis pro oppoſito habet privationem, id eſt, extinctionem. 410.43
Calor cœleſtis communis quis. 410.5.12
Calor internus eſt animæ & corporis vinculum. 594.5
Calor nativus vitæ noſtræ hoſtis. 593.40
Calor internus Elementarius, ſibi contrarium habet frigus. 410.41
Calor elementarius innatus. 410.19
Caloris elementarii officium. 410.23
Calor externus, modo adventitius, aut aliter ius, modo aſcititius appellatur 411.2
Calor externus quotuplex. 411.2
Calor foris accedens 4. habet cauſas. 411.8
Calor externus intus naſcens unde oriatur. 411.38
Calor elementarius qualis, & quod eius officium 594.23.26

Caloris interitus per putredinem, marcoris ſpecies eſt. 315.32
Calor marceſcit duobus modis. 315.5
Calor perit tribus modis. 313.13
Calore pungente carentia etiam purgant. 165.3
Cancamum & cancanum ſunt res diverſæ. 513.7
Cancamum non eſt lacca. 514.14
Cancamum verum quid ſit & quidem ſine damno ignoratur. 514.36
Cancri plerique cur incurabiles. 335.39
Cancri occulti quinam fiant lethales Peracelſo. 686.27
Cancri abaut cum oppilatione, fiunt lethales Paracelſo. 686.28
Cancri cum puncturis ſunt lethales Paracelſo. 686.30
Canellæ arboris deſcriptio 486.12
Canellæ Scipio ex arboris ramo reſectus, corticeſuaviſſimo adhuc veſtitus. 488.8
Canella hodierni uſus, non eſt Cinamomon Dioſcoridis. 490.7.
Canis ſtercus. 73.38
Canini ſtercoris vires. 113.38
Canis rabioſi ſaliva cui parti maximè noceat. 166.17
Caniculariū medio ex pillulis aggregativis Drag. unius, excretiones v. ſolum ſecutæ. 577.8
Canonicorum collegia ſcholæ fuerunt 636.8
Cantharides manu etiam detentæ veſicam alterant. 44.38
Cantharidum proprietas. 94.7
Cantharides omnibus corporis partibus nocent. 104.5
Cantharides erodunt. 108.5
Cantharides ſua ſponte ad veſicam properant. 108.37
Cantharides ſumptæ cur veſicam petant. 109.1
Cantharidum Drag. duæ devoratæ & affectus ſubſecuti. 547.20
Capitis doloris remedium. 96.33
Capitis dolor aquæ bullienti aſſimilata. 549.6
Capitis tuberoſi mira inæqualitas. 579.22
Capillorum defluvium in ſyncipite cum furfuribus & pruritu multo. 559.29
Capræ lac purgatorium reddere. 73.37. 89.25
Cardamomon unicum Græci habent. 572.38
Cardamomon, non eſt Plinio idem, nec cum Græcis, nec cum Arabibus. 572.31
Cardamomum officinarum nec majus, nec minus eſt legitimum Dioſcoridis, nec ſunt ex Cardamomis Plinii. 573.30
Cardamomo Dioſcoridæo caremus. 474.8
Cardamoma officinarum non quadrant cum Cardamomis Serapionis, neque Avicennæ. 573.36.40
Cardanus reprehenditur. 304.12
Carnes animalium, referre ſapores alimentorum. 148.7
Carolus Cluſius Botanicus clarus. 495.11
Carolus Cluſius Calami aromatici veri effigiem expreſſit. 794.20
Caroli Batti Medici Dordrechtanæ reipubl. teſtimonium de D. Ioſepho Mirſelio Lucenſi medico erudito & paracelſico celeberrimo. 724.26
Caros apoplexiæ ſimilis 45. horas durans, abſque motu ſenſuque ullo, abſque cibo, potuque cum febre continua. 550.30
Carthaginenſium lex, milites abſtemios eſſe iubens. 604.44
Caſeum cur aliqui fugiant. 79.45. 101.45
Caſia herba. 482.42
Caſſiæ & Caſiæ nomen pluribus rebus eſt commune. 482.41
Caſia fiſtula fructus. 483.8
Caſſiæ fiſtulæ laxativæ deſcriptio. 483.8
Caſſiæ fiſtularis medullæ utilitas ampliſſ. & utendi modus 483.30
Caſſia aromatica, lignea dicta fruticis cortex. 484.1
Caſſia cortex Plinii differt ab illa Dioſcoridis. 484.16
Caſſia cortex, eſt Cinamomo valde ſimilis. 484.21
Caſſia optima ex Zeilan. deterior ex Iava & Malabar inſulis advehitur. 485.33
Caſſia lignea Valerii Cordi, non eſt caſſia fiſtula veterum. 487.15
Caſſiæ odoratæ fruſtum cum cortice & ligno

e ligno ab integro ramo abſciſſum. 87.35
ſiæ arboris lignum nec odorem, nec ſaporem habet. 487.40
tigationum gradus. 644.6
tigationum utilitas. 944.14
tratus & utroque privatus debitum maritale ſolvebat. 525.9
trati aut vere eunuchi, nullum ſemen effundunt. 425.11
alepſis ſeptuagenarium, rationem memoria, ſenſuque communi per aliquot dies privarat, tamen revaluit. 527.40.
apotra ſeu pillulæ parvo pondere, quomodo purgent. 158.40
arrhus ſulfuris ſaporem repræſentans. 563.4
tarrho ſuffocationem minantur ſanguis ad uncias VI. ex brachio liet fluerēt menſes, detractus, cucurbitæ affixæ, & pilulis aureis ſedes II. motæ utiliter. 576.10
uſas omnium rerum ſcrutandas eſſe. 61.8
uſarum connexio. 81.26
uſæ æquivocæ & univocæ. 84.14
uſa & modus generationis morborum differunt 102.40
uſæ continentis diſputationem eſſe logicam. 135.2
phalalgia acutiſſ. abſque febri per intervalla manus convellens cum syncope. 564.11
ra dura ſignatoria fit ex lacca. 514.12
rebra cerebris mederi. 119.45
reviſiæ inventio vetus, eiuſque coquendæ modus. 611.25
rvicis percuſſio pugno facta quid incommodi attulerit. 577.37
rvi cornu uſtum. 121.1
rvi ſanguis ad quid utilis. 112.3
alcodea Avicennæ. 81.10
haracteres an agant aliquid. 113.26
holagoga ſæpe plus pituitæ evacuant 181.20
holagogum cur non educat aquam. 178.39
audicans ex partus difficultate mulier. 538.45
audins Ælianus. 377.12.25
borum diverſitas. 110.6
bos odore & ſapore deprehendi. 135.34
Cibos certos faſtidientium exempla. 164.25
Cibo carentes quoſdam vixiſſe. 71.36
Cibos quoſdam alvum movere. 139.33
Cibos aliquando purgare. 157.35
Cibos nimios purgare. 150.12
Cibi cur raro purgent. 157.41
Cibos largiter ac avide ſumptos ſæpe ægrotis remedio fuiſſe. 160.43
Cibos ſæpe ægrotis non denegandos. ibid.
Ciconiæ ſtercus. 99.26
Cicutæ cibus. 80.6
Cicuta aquatica. 240.25
Cinamomum, varias Galeno ſpecies habet 489.9
Cinamomis quid. 490.22
Cinamomi optimi notę 489.32
Cinamomon Dioſcorideum eſſe apud reges Portugalliæ. 490 9
Cinamomi aquam eliciendi modus. 490.27
Cinamomis aqua ad quæ utilis. 490.37
Circe Calchorum regina in planta circæa celebratur. 445.30
Cnicus pituitæ cibus. 115.17
Coccygis os cadendo alliſum, nec ſedere, nec alvum, nec veſicam vacuare, nec tuſſire abſque dolore ingenti permiſit. 564 31
Coctionem exſpectari debere in morbis. 161.32
Coctionem, non retrorſum, ſed prorſum contendere. 181.40
Cœliacus fluxus, quo lævia æqualia ſibique ſimilia, chyli ſpecie profluebant. 528.8
Cœnobia ſcholæ fuerunt. 636.8
Colicorum remedium. 112.42
Colliquatio, unde fiat. 350.41
Colonienſes Medici notantur. 491.42 504.25
Colorum varietas 80.11
Comitialis morbi qualitas occulta. 98.18
Comitialium nonnulla remedia occulta. 100.5
Complexionis menſura. 65.21
Compoſitorum repoſitio. 466.20
Concubini levius, quàm Cœlibes conjugio apti, peccare videntur. 423.8
Conſervatio quid. 83 13
Conſuetudinis efficacia. 71.25

Caloris interitus per putredinem, marcoris ſpecies eſt. 315.32
Calor marceſcit duobus modis. 315.5
Calor perit tribus modis. 313.33
Calore pungente carentia etiam purgant. 165.3
Cancamum & cancanum ſunt res diverſæ. 513.7
Cancamum uon eſt lacca. 514.14
Cancamum verum quid ſit & quidem ſine damno ignoratur. 514.36
Cancri plerique cur incurabiles. 335.39
Cancri occulti quinam fiant lethales Paracelſo. 686.27
Cancri ab aut cum oppilatione, fiunt lethales Paracelſo. 686.28
Cancri cum puncturis ſunt lethales Paracelſo. 686.30
Canellæ arboris deſcriptio 486.12
Canellæ Scipio ex arboris ramo reſectus, corticee ſuaviſſimo adhuc veſtitus. 488.8
Canella hodierni uſus, non eſt Cinamomon Dioſcoridis. 490.7.
Canis ſtercus. 73.38
Canini ſtercoris vires. 113.38
Canis rabioſi ſaliva cui parti maximê noceat. 166.17
Caniculariũ medio ex pillulis aggregativis Drag. unius, excretiones v. ſolum ſecutæ. 577.8
Canonicorum collegia ſcholæ fuerunt 636.8
Cantharides manu etiam detentæ veſicam alterant. 44.38
Cantharidum proprietas. 94.7
Cantharides omnibus corporis partibus nocent. 104.5
Cantharides erodunt. 108.5
Cantharides ſua ſponte ad veſicam properant. 108.37
Cantharides ſumptæ cur veſicam petant. 109.1
Cantharidum Drag. duæ devoratæ & affectus ſubſecuti. 547.20
Capitis doloris remedium. 96.33
Capitis dolor aquæ bullienti aſſimilata. 549.6
Capitis tuberoſi mira inæqualitas. 579.22
Capillorum defluvium in ſyncipite cum furfuribus & pruritu multo. 559.29
Capræ lac purgatorium reddere. 73.37. 89.25
Cardamomon unicum Græci habent. 572.38
Cardamomon, non eſt Plinio idem, nec cum Græcis, nec cum Arabibus. 572.31
Cardamomum officinarum nec majus, nec minus eſt legitimum Dioſcoridis, nec ſunt ex Cardamomis Plinii. 573.30
Cardamomo Dioſcoridæo caremus. 474.8
Cardamoma officinarum non quadrant cum Cardamomis Serapionis, neque Avicennæ. 573.36.40
Cardanus reprehenditur. 304.12
Carnes animalium, referre ſapores alimentorum. 148.7
Carolus Cluſius Botanicus clarus. 495.11
Carolus Cluſius Calami aromatici veri effigiem expreſſit. 794.20
Caroli Batti Medici Dordrechtanæ reipubl. teſtimonium de D. Ioſepho Mirſelio Lucenſi medico erudito & paracelſicò celeberrimo. 724.26
Caros apoplexiæ ſimilis 45. horas durans, abſque motu ſenſuque ullo, abſque cibo, potuque cum febre continua. 550.30
Carthaginenſium lex, milites abſtemios eſſe iubens. 604.44
Caſeum cur aliqui fugiant. 79.45.101.45
Caſia herba. 482.42
Caſſiæ & Caſiæ nomen pluribus rebus eſt commune. 482.41
Caſia fiſtula fructus. 483.8
Caſſiæ fiſtulæ laxativæ deſcriptio. 483.8
Caſſiæ fiſtularis medullæ utilitas ampliſſ. & utendi modus 483.30
Caſſia aromatica, lignea dicta fruticis cortex. 484.1
Caſſia cortex Plinii differt ab illa Dioſcoridis. 484.16
Caſſia cortex, eſt Cinamomo valde ſimilis. 484.21
Caſſia optima ex Zeilan. deterior ex Iava & Malabar inſulis advehitur. 485 33
Caſſia lignea Valerii Cordi, non eſt caſſia fiſtula veterum. 487.15
Caſſiæ odoratæ fruſtum cum cortice & ligno

& ligno ab integro ramo abſciſſum. 487.35
Caſſiæ arboris lignum nec odorem, nec ſaporem habet. 487.40
caſtigationum gradus. 644.6
caſtigationum utilitas. 944.14
Caſtratus & utroque privatus debitum maritale ſolvebat. 525.9
caſtrati aut vere eunuchi, nullum ſemen effundunt. 425.11
catalepſis ſeptuagenarium, rationem memoria, ſenſuque communi per aliqnot dies privarat, tamen revaluit. 527.40.
Catapotra ſeu pillulæ parvo pondere, quomodo purgent. 158.40
Catarrhus ſulfuris ſaporem repræſentans. 563.4
Catarrho ſuffocationem minantur ſanguis ad uncias VI. ex brachio licet flueret menſes, detractus, cucurbitæ affixæ, & pilulis aureis ſedes VII. motæ utiliter. 576.10
Cauſas omnium rerum ſcrutandas eſſe. 61.8
cauſarum connexio. 81.26
Cauſæ æquivocæ & univocæ. 84.14
Cauſa & modus generationis morborum differunt 102.40
Cauſæ continentis diſputationem eſſe logicam. 135.2
Cephalalgia acutiſſ. abſque febri per intervalla manus convellens cum ſyncope. 564.11
Cera dura ſignatoria fit ex lacca. 514.32
Cerebra cerebris mederi. 119.45
Cereviſiæ inventio vetus, eiuſque coquendæ modus. 611.25
cervicis percuſſio pugno facta quid incommodi attulerit. 577.37
Cervi cornu uſtum. 121.1
Cervi ſanguis ad quid utilis. 112.3
Chalcodea Avicennæ. 81.10
Characteres an agant aliquid. 113.26
Cholagoga ſæpe plus pituitæ evacuant 181.20
cholagogum cur non educat aquam. 178.39
Claudicans ex partus difficultate mulier. 538.45
Claudius Ælianus. 377.12.25
ciborum diverſitas. 110.6
Cibos odore & ſapore deprehendi. 135.34
Cibos certos faſtidientium exempla. 164.25
Cibo carentes quoſdam vixiſſe. 71.36
Cibos quoſdam alvum movere. 139.33
Cibos aliquando purgare. 157.35
Cibos nimios purgare. 150.12
Cibi cur raro purgent. 157.41
Cibos largiter ac avide ſumptos ſæpe ægrotis remedio fuiſſe. 160.43
Cibos ſæpe ægrotis non denegandos. ibid.
Ciconiæ ſtercus. 99.26
cicutæ cibus. 80.6
Cicuta aquatica. 240.25
cinamomum, varias Galeno ſpecies habet 489.9
Cinamomis quid. 490.22
Cinamomi optimi notę 489.32
Cinamomon Dioſcorideum eſſe apud reges Portugalliæ. 490.9
cinamomi aquam eliciendi modus. 490.27
Cinamomis aqua ad quæ utilis. 490.37
Circe Calchorum regina in planta circæa celebratur. 445.30
Cnicus pituitæ cibus. 115.17
Coccygis. os cadendo alliſum, nec ſedere, nec alvum, nec veſicam vacuare, nec tuſſire abſque dolore ingenti permiſit. 564.31
Coctionem exſpectari debere in morbis. 161.32
Coctionem, non retrorſum, ſed prorſum contendere. 181.40
Cœliacus fluxus, quo lævia æqualia ſibique ſimilia, chyli ſpecie profluebant. 528.8
Cœnobia ſcholæ fuerunt. 636.8
Colicorum remedium. 112.42
Colliquatio, unde fiat. 350.41
Colonienſes Medici notantur. 491.42 504.25
Colorum varietas 80.11
Comitialis morbi qualitas occulta. 98.18
comitialium nonnulla remedia occulta. 100.5
Complexionis menſura. 65.21
Compoſitorum repoſitio. 466.20
Concubini levius, quàm Cœlibes conjugio apti, peccare videntur. 423.8
Conſervatio quid. 83.13
Conſuetudinis efficacia. 71.25

Conſuetudo ingratos cibos, gratos facit. 164 30
de Contagio theſes diſputatæ. 260. 83
Contagio omni ineſt corruptio. 263. 18
Contagium eſt in ſolis morbis ſimilaribus. 264.3
Contagium qualitatibus primis non attribuendum omnibus. 264.8
Contagioſi morbi definitio. 265.20
Contagii definitio. 268.27
Contagii propagatio qui fiat. 268.34
de Contagio theſes ab Hen. Brucæo oppugnatæ. 272.6
Continentia, contenta, impellentia quæ ſint. 357.30
Continua febris cum pulſu inæqualiter intermittente, crebriſque artuum maxime brachii dextri tremoribus. 536.5
Continua febris cum lingua arida æſtu magno, ſomno difficili, conſilio XII. morbi die petito, ſenex feliciter uſus. 559.25
Continua febri priore curata poſt x v. dies recidiua eiuſdem gravior & in hecticam proclivis. 564.1
Continua febris cum furunculis ſparſim pullulantibus. 564.7
Continui ſolutio quibus partibus & quatenus conveniat. 185.29
Contra defenſionem theſiũ de Epilepſia D. Smetius reſcribit. 717.20
Convulſiones ex dentium dolore. 526.14
Convulſio oculi utriuſque, genæ dextræ, dextrique brachii ſolummodo convulſio. 528.23
Cor à venenis peti. 109.40
Cor confirmantia, qualia ſint. 123.12
Cordi cur maxime noceant venena. 166.18
Cordis dexter ſinus, in quodam ſquamoſus & aſper. 523.16
Cordis pulſatio vehementiſſ. continua 524.31
Cordis palpitatio. 525.28
Corporis culpa quot modis putredo fieri poſſit. 374.20
Corruptio non quævis ad primam materiam procedit. 72.44
Corruptio realem alterationem ſequitur. 270.33
Corruptio fieri poteſt à plenitudine ad vaſa, vel ad vires. 374.42
Corticum delectus & conſervatio. 454.2
Coryza in mediis canicularibus exorta, quo remedio curata. 571.43
Coſtus amarus officinarum non eſt legitimus. 494.5
Coſtus dulcis officinarum non eſt legitimus. 494.16
Coſto legitimo caremus. 494.19.24
Coſtis ſingulis ſubjacent tria vaſa, nervus, arteria & veſia, nec non duo muſculi inter coſtales. 417.26
Coturnices etiam purgant. 73.31
Cranii humani vires. 119.44
Cranium humanum non nutrire cerebrum. 120.32
Cranii ex lapſu contuſio & depreſſio, præter crebros vomitus nulla mala graviora. 563.8
Creatio & conſervatio quomodo differant. 82.26
Criſis quid ſit. 57.36
Criſes ſolis morbis ab humore pendentibus tribui. 58.8
Criſes in ſtatu plerumque fiunt. 153. 24
Criſi durante, purgatio eſt laborioſa. 158.25
Criticos dies non pendere à motu *Lunæ*. 56.36
Criticorum dierum cauſæ inveſtigatio eſt Logica. 135.1
Criticarum vacuationum quæ ſit cauſa. 152.24
Crocus à veteribus non deſcriptus. 518. 32
Crocus eſt Zaffranum hodierni uſus. 519.26
Crocus quibus locis abunde creſcat. 519. 28
Crocus Indicus. 572.6
Crocomagnia non eſt in uſu. 520.20
Crudi inteſtinorum humores, exitum bilioſorum morari non poſſunt. 351. 32
Cruenta deiectio abſque incommodo ullo, in ſene octogenario. 559.17
Cruſtulæ furfuraciæ per totum corpus, diffuſæ. 547 17
Cucurbitæ viribus nocent. 122.27
Cucurbitularum uſus. 88.14
Curcumæ radix eſt Cyperis Plinii & terra Merita pictorum. 572.3
Cutis vitia quomodo curanda. 135. 5

Cyperus rotundus.
Major, Minor,
Odoratus, Inodorus,
Eſculentus. 471.19
Cyperus Plinii.
Indicus. 471.36
Cyperis Plinii eſt radix Curcumæ. 572.3
Cyphi res non ſimplex eſt, ſed compoſita. 515.6
Cyphi magnum Solare.
parvum Lunare. 515.25
Cypheos compoſitio eſt varia. 515.17
Cypheos compoſitio adufitatam hodie ponderum rationem expenſa. 517.5
Cypheos compoſitio in myrrhæ proportione errorem habet. 517.20
Cypheos Damocratis deſcriptio. 517.33
Cypheos utilitas. 515.29

D.

Danielis Miverii medici Gouſani teſtimonium de D. Ioſepho Michelio Lucenſi medico docto, & Paracelſico clariſſ. 721.35
Decocta Oſiridis Mercurialis, Cynocrambes, Sambuci, Ebuli, Polypodii, Centaurii tenuis, Tithymali characiæ, Gnici, bulli vomitorii. 51.36
Deducentia medicamenta. 124.28
Deducentia quando pharmacis adhibenda. 135.32
Definitionis proprietas. 80.22
Degeneratio liberorum à parentibus quibus modis fieri poſſit. 420.45. 422.7
Deglutitio difficilis, qua vix potus deglutiri potuit, gula impedita. 529.32
Deleteria. 94.40
Deleteriorum duo genera. 94.39.116.28
Delirium finitum actorum omnium plerumque immemor. 212.18
Delirantium ex cicutæ radicum ſibi ignotarum eſu, hiſtoriola notatu digna. 569.21
Dementia ex lucubrandi pertinacia in multos menſes perſeverans. 548.10
Denſatio cutis putredinem parit. 375.14
Dentes eroſi incurabiles Paracelſo. 686.23
Deſipientia modo dies duos, modo 3. 4. 6. immo XVII. dies continuos durans. 213.22.214.35
Deunculi Platonici. 84.18
Dei juſſu occultas vires exiſtere. 80.36
Deus formarum dator. 82.22
Diacinamomi purgantis medicamenti ſuavis in morſellis deſcriptio. 559.33
Diacinamomo purgante in morſellis ſuavi & præſtanti purgativo per 7. aut 8. annos feliciſſime ſum uſus. 559.36
Diacinamomi purgantis operatio diverſis exemplis oſtenſa. 559.38
Diacinamomi purgantis drag. tres nigra flava viridia alba XX. ſeſſionibus ſubduxerunt. 559.30
Diaphragma ad partes ne thoracis rectius, quam ad abdomen pertineat. 431.10
Diaphragmati non facile quid adhæreſcere poteſt. 431.16
Diaphragma unde venas ſuas accipiat 431.17
Diaphragma à venæ Canę ramulis nutritur. 433.32
Diaria febris in continentem converſa 572.27
Diaria poſt rigorem, inde cruciatus pectoris lumborum & oſſis ſacri. 565.37
Diarrhœa laborantes quomodo purgentur. 172.21
Diarrhœa maligna. 259.12
Diarrhœa bilioſa pituitoſa melancholica tandem, cum nigricantibus & cæruleis excretionibus. 538.37
Diarrhæa nigricans, tandem liveſcens facta. 531.1
Diarrhœa varia, nigra, flava, ſub vireſcens, aquoſa, pinguis per vires. 534.15
Diarrhœa critica, fuſca nigricans vires proſternens. 559.12
Diarrhœa ſpontanea per aliquot dies, congelato Neceara, fluxit abunde puellæ cuidam, quæ hierę mellitæ uncia una, cœlo benigno permoveri nequibat. 566.13
Diarrhæa ſpontanea, biduo poſt purgationem pil. aggregativis factam. 577.11

Diarrhæa biliofa & ſubfuſca inter ſudorem moventium uſum quotidianum, ſuper veniens. 573.12
Digeſtionum uſus quis ſit. 182.42
Dioſcorides de terræ Lumbricis. 233.36
Dioſcorides à Galeno commendatus cæteriſque herbaſque prelatus. 448.40
Dioſcorides quando floruerit. 449.10
Dioſcorideæ præfationis explicatio. 449.44
Dioſpoliticon Galeni. 126.20
Dioſpolitici pulverem purgare. 131.7
Diſputationis Eraſti ſumma capita. 62.11
Diſtillatarum aquarum efficacia. 78.40
Diuretica qua rationes urinas vacuant 150.2
Dolentis partis naturam à ſe noxia propellere. 136.13
Dolor cervicis & humerorum, dorſi & lateris, jacere, ſurgere, inque latera vertere prohibens. 550.18
Dolor lateralis, cum febre continua, & tertiana intermittente mire locum mutans. 534.43
Dolor manus retrorſum flexæ cultellum acutiſſimum ſecantem ſimilabat. 573.4
Dolor ab oſſe ilium per ſiniſtrum latus ad omoplatā uſq; extenſus in latus affectum facilius cubare ſinebat, cum febricula. 534.32
Dolor ab oſſe Xiphoide in dorſum inter ambas ſcapulas pertingens, incuruando retorſum, & in latera vertendo. 549.24
Dolorem attrahere. 146.24
Dolorem afferentia purgant. 141.34
Dolor non ſemper purgationes efficit & quamobrem 158.8
Dolor pungens more multarum acuum ſyncipitur impactarum. 582.21
Dolores graves in ilio, dorſo, pectore, collo, capite, brachio dextro, & utroque crure ſimul. 532.14
Dracontii. 228.15
Dracunculi. 228.25
Durre Maden. 229.7
Dyſenteria cur nimias faciat egeſtiones. 131.33
Dryopteris. 240.33
Dyſenteriæ cauſa. 153.20
Dyſenteria contagioſa & quænam facilior curatu. 259.17
Dyſenteria ſanguinis puri & multi ab alvo per tres dies durans. Inde per 7. aut 8. dies excretio ſubſtitit. 578.37

E.

Eccleſiæ quomodo exortæ. 634.17. 635.4
Echeneis piſciculus. 76.11
ἐκπιεσμὸς ſeu expreſſio oculi in infantula nobili. 542.28
Effectuum diverſitatem quærendam in patiente. 106.32
Effluxus calidus, quibus modis retineri poſſit. 411.39
Elementares qualitates. 117.10
Elementorum 4. miſtiones 118.14
Elementa noſtri corporis aut principia proxima 366.29
Elephantiaſis morte eſt gravior Paracelſo. 686.26
Elephas ſuis grunnitu terretur. 76.23
de Elleboro. 45.23
Ellebori albi & nigri uſus in ſubſtantia, decocto, & infuſo. 46.34
Ellebori nigri decoctum & infuſum tuto dari. 47.8
de Elleboro in ſubſtantia ſumendo. 48.12
Ellebori albi decoctum tuto dari. 51.2
Elleboro quoſdam aſſueviſſe. 71.37
Elleboro purgari pituitam quoque. 383.20
quære Helleborus per H.
Empiricorum ineptiæ. 61.13
Empiricus ab artifice diſtinguitur. 116.21
Empiricorum in curando audacia. 140.16
Empyicus parecenteſi commode percuratus, ſupra 36. annos ſuperſtes vivit adhuc hoc anno 1611. 355.25
Empyicus per paracenteſin mirè reſtitutus. 532.20
Emulgendo non fieri purgationem. 154.39

Encan-

Encanthis aut carnoſa excreſcentia, ad pugni puerilis molem ex angulo oculi dextri maiorem propendens. 529.29
Enulæ campanæ deſcriptio & cum helenio Dioſcoridis collatio. 520. 34. 521.8
Epheſinæ urbis ſitus. 620.20
Ephialtes frequens in ægro fere vigilante. 547.9
Epiala febris. 527.38
Epidermis poſt ſudores balneo provocatos, à multis partibus abſcedere cepit. 565.18
Epilepſiæ cauſa proxima. 341.13
Epilepſiæ cauſa materialis interna, eſt qualitas vellicans. 400.10
Epilepſiæ definitio. 397.32
Epilepſia diminuta diuturna, ſingulis horis, imo frequentius invadens. 526 39
Epilepſia diminuta abſque lapſu aut convulſione, momento durans, frequentiſſ. rediens. 527.16
Epilepticæ theſes ab Hen. Smetio propoſitæ. 396.3
Epilepſiæ morbus quis. 341.19
Epilepſia non fit ab obſtructione ventriculorum cerebri. 398.36
Epilepſia fit à ſolutione continui. 398. 44
Epilepſiæ τὸ πρῶτον δεκτικὸν eſt membranula intus ſuccingens ventriculos cerebri. 398.45
Epilepſiæ remedia occulta. 100.5
Epilepſiæ ex utero 4. intra horas duas. 311.24
Epilepſiæ paroxyſmus, horas VII. VIII. X. imo XII. horis continuas durans. 211.26. 215.44
Epilepſiæ 32. intra biduum. 213.37
Epilepſiæ perbreves ſubinde recurrentes, cum brachii dextri convulſione, pediſque dextri agitatione aliquando accedente. 529.8
Epilepſiæ ex utero XVI. imo XX. uno die. 214.14
Epilepſias plures quam XX. intra horas XVI. quarto nativitatis die infans paſſus. 530.9
Epilepticus per triduum ſoporatus quarto deſipiens, vigilans, quinto dormire & ſapere cepit. 531.34
Epileptica prægnans, ſoporata, fœtum vivum peperit, ſed mox exſpirantem, puerpera ſoporata manens, poſtridie moritur. 538.38
Epilepſia cum amentia ex dolore iliaco. 546.41
Epilepſia cum cæcitate & iſchuria ex dolore Iliaco. 549.20
Epilepticorum remedia. 119.4
Epilepſiæ frequentiſſ. per triduum durantes, qua ratione curatę. 577.19
Epiſpaſtica medicamenta. 94.26
Eraſti cauſæ ob quas iſta ſcripſerit. 61.7
Eraſtus utitur purgantibus omnes humores. 135.13
Eraſti ſententia de purgantibus. 136.9
Eraſti opinio de Diureticis. 155.2
Eraſtus quare tractiones pharmacorum reiiciat. 166.32
Eraſtus ad H. Brucæi argumenta contra contagii theſes adducta reſpondet. 274.7
Quære Thomas Eraſtus litera T.
Eroſio narium & columellæ ad fauces valde diuturna. 530.3
Errantium multitudo, nan parit errori patrocinium. 424.2
Eryſipelas univerſum corpus ambiens, den rooden omloop Flandri vocant 538.33
Eryſipelas phlegmonodes in infantulo recens nato. 562 4
Eſſentia quid Galeno. 65.28
Eſſentiales potentiæ quid ſint. 77. 26
Eva non aliunde quam ab Adamo aut per ipſum animam accepiſſe videtur. 417.16
Ever. 237.41
Eupater rex Syriæ in eupatorio. 445. 15
Euphorbium purgare. 131.11
Eychelfaren. 240.38
Examen theſium de loco putredinis in febribus intermittentibus. 430. 4
Exanthemata cum forti febre & diarrhæa nigricante, quam dyſenteria excipiebat convaluit. 528.4
Excrementorum diverſitas in animalibus. 142.33
Excrementorum iiſque affinium delectus. 464.40
Excretiones qua ratione fiant. 151. 34
Excretiones naturales abſque tractione fiunt. 155.28

Excretricis vi. non pharmacorum fieri purgationes. 180.31
Exemplum elegans ab œconomia noſtri corporis ſumptum. 640.42
Exlex nemo eſſe aut fieri debet. 645.26
Exolutiones in pharmacorum uſu quomodo aliquando fiant. 150.40
Exomphalus ingens. 524.11
Experientia ſola occultas proprietates invenit. 116.16
Experientia & methodus diſtinguitur. 116.20
Experientiam requirit perfecta ciborum notitia. 116.18
Expultrice irritata omnes purgationes fiunt. 132.20
Expultricem vim excitari etiam ſola imaginatione. 142.20
Expultrix vis, quomodo expellat noxia. 159.24
Expultricis & retentricis facultatis actiones contrariæ. 159.26

F.

Facultas corpus regens. 110.21
Facultates quaſdam habet compoſitum ratione materiæ. 72.19
Fame durante fieri tractionem. 152.31
Familias quaſdam habere mores peculiares. 101.40
Favorini philoſophi xvii. argumenta contra Aſtrologos. 202.34
Febris ardentis remedium. 161.25
Febris diuturnæ remedium facile. 139.24
Febrium diuturnarum remedium. 160 43
Febris putridæ humorem putridum eſſe cauſam. 135 lib. 3. lin. 8
Feles quibuſdam ſunt horrori & quare 80.8.101.10
Femur durum indolens ſcirrhoſum duplo maius altero, ex peſtilente febri male curata. 548.3
Femur dextrum inuſitatæ craſſitudinis, carne ſpongioſa, colore florido, crux vero dextrum atque pes ſcirrhoſi. 560.24
Fervelius reprehenditur. 75.11
Fervelius vanitatis accuſatur. 75.14 88.18
Fervelius notatur de cauſa peſtis. 242.8
Fervelius in lib. de Abditis rerum cauſis, multa dicit, pauca probat. 424.8
Fœminæ etiam extra actum venereum, ſemen excernere ſolent. 426.20
Fœtus abortini, imperfecti, monſtroſi male dicuntur animæ ſuæ ſpeciei expertes eſſe. 422.26
Fœtus abortinus 4. menſium qualis. 570.12
Fœtus in utero viventis tres ſunt gradus. 418 6
Fœtus in utero, quando politicè vivere primum judicetur. 418.38
Fœtus in utero non per os, ſed per umbilicum alitur. 370.14
Fœtus in utero per 3. aut 4. dies mortuus, balneo medicato fœliciter editur. 535.40
Flatus à calore intenſo non generatur 356.25
Florum delectus. 455.43
Fluor albus muliebris in puella nondum menſes experta 548.13
Folium Indum Avicennæ ignotum. 481.23
Folium Indum hodierni uſus, valde diſcrepat à Dioſcoridis & Plinii notis. 482.21
Foliorum delectus. 455.40
Forma quid ſit. 63.6
Formę proprietas quæ ſit. 67.6
Forma abeunte manet proprietas. 68.7
Forma non eſt proxima actionum cauſa. 68.38
Formæ viventium & mortuorum differunt. 68 18
Forma in qualibet re eſt unica. 68.35
Formæ proprietatem non eſſe ſine forma. 69.30
Forma in puncto conſiſtit. 72.6
Forma quando expellatur. 78.16
Forma & temperamentnm idem Galeno. 90.17
Formam eſſe temperaturam. 136.40
Forma nihil abſque temperie agit. 117.30
Forma ſubſtantialis agendi principiũ. 117.31
Formas eſſe in apta temperie. 117.32
Formas ſpeciebus non infundi cœlitus 66.19

Formas unius ſpeciei non eſſe contrarias. 67.40
Formæ proprietatem non reperiri in alia ſpecie. 73.44
Formæ non ſunt dividuæ. 74.31
Forma requirit certam quantitatem. 137.11
Forma materiæ indit quid ſit. 84.6
Formarum potentia non indiget principio externo. 78.21
Formarum ortus quis ſit. 80.45
Formarum dator quis ſit. 82.9
Formatrix virtus formarum origo. 81.28
Formatrix virtus quid ſit. 86.32
Formæ corruptela, quos morbos contineat. 653.40
Formæ vel eſſentiæ vel ſubſtantiæ læſæ argumenta. 654.18
Franciſcus Penivus pharmacopæus Antvverpianus doctus. 505.43
Fridericus III. Palatinus Elector qualis princeps. 259.2
Friderrici III. Palat. Electoris ægrotationis & anatomes hiſtoriola. 536.10
Frigidæ uſus in febribus. 161.26
Frigida deleteria. 116.29
Fructus qua arte purgatorii fiant. 73.17
Fructuum delectus. 457.30
Frumentariorum & leguminum delectus. 457.9
Fumos pharmacorum non trahere. 127.31

G.

GAlanga nec maior nec minor eſt Acorus Dioſcoridis. 569.10
Galenus notatur. 40.29
Galenus excuſatur. 42.27
Galenus notatur. 55.2
Gal. quibus nominibus occultam proprietatem appellet. 63.6
Galen. opinio de ortu formarum. 81.11
Galenus quid Moſi objecerit. 84.43
Gal. præter temperiem nullam agnoſcit formam. 90.7
Gal. ſententia. 103.16. in dubium vocata, refellitur. 104.10
Gal. ſententia, de primo actu pharmacorum. 109.21
Galeni ſententia de appenſis medicamentis. 113.20
Gal. Locus de Roborantibus pharmacis. 124.5
Gal. opinio de purgantibus 135.41
Galenus notatur. 231.16
Gal. de anima dubitat. 136.42
Galenus notatur. 488.39
Gal. opinio de tractione purgantium. 145.32
Gal. ſola aſſeveratione quædam probat. 145.41
Gal. nullo argumento probat tractionem vim in purgantibus. 149.18
Gal. locus de ſuperpurgationib. 154.39
Gal. locus. 96.30. item 98.30. item 99.27. item 103.16. item 114.15. item 118.15. item 119.38
Galeritæ vires. 112.40
Galilæus de Galilæis multas ſtellas ante incognitas deprehendit. 203.38
Gallinarum podex. 88.10
Gallinarum carnes, quo modo fiant purgatoriæ. 148.28
Gangræna in perinæo. 525.34
Gangræna in hydropico ſcrotum cum genitalibus abſtulit. 526.4
Garcias ab horto. 380.1
Gaſella animal moſchum odoratum producit. 507.14
Gemmarum vires mirabiles. 121.45
Generantur pleraque à cauſis univocis 83.30
Generationis judicium in ſcriptura ſacra. 85.8
Generationes omnium rerum vnde conſtent. 181.5
Generationes perfecte miſtorum non retrorſum, ſed prorſum eunt. 181.8
Gentiles & Chriſtiani diſtinguuntur. 85.2
Gladii vulnerum effectoris linimentum citra ſuperſtitionem adhibitum nihil effecit. 282.4
Gladiolus luteus non eſt Acorus Dioſcoridis. 569.1
Gonorrhæa cruenta. 561.17
Gravida octavo menſe, per epilepſias, ex dolore ſtomachi, aborsiens ſoporata moritur. 562.32
Gregorius Niſſenus ſtat pro Traduce. 423.44
Guaiaci decoctum adverſus podagram, alioſque à fluxione, ortos affectus, non prodeſt. 539.11

Guajaci decoctum menſes morantes commode provocat. 577.15
Guilelmus Placentinus. 229.38
Gulielmus Puteanus medicus. 178.33
Gummium & reſinarum delectus. 462 36

H.

Habitus actionem limitat. 77.11
Haliabbas. 229.2
Hæmorrhagia copioſa per avum facta, quomodo curata. 222.33
Hæmorrhagia per alvum, libras ſaltem quinque, confeſtim effundens, clyſteridio mox repreſſa eſt. 527.43
Hęmorrhagia per nares in duobus pueris valde copioſa & diuturna. 524.27
Hæmorrhagiam ex naribus copioſam ſpontaneam, continua febris eſt ſubſecuta. 530.23
Hæmorrhagia uteri diuturna, per metrenchytam mox curata. 526.34
Hæmorrhagia magna ſupra & infra facta. 534.20
Hæmorrhagia ab utero extra partum intra menſem unum qnater abundantiſs. acciderat. 539.8
Hæmorrhagia per vomitum, in febrem triplicem cum capitis & cervicis dolore & vigiliis mutata. 544.1
Hæmorrhoides anniverſariæ circa ver fluentes iu adoleſcente. 529.45
Hæmorrhoides menſtruæ, ſtatiſque diebus fluentes, in adoleſcente per tres annos. 647.38
Hæmorrhoidum fluxio in muliere lactante. 568.39
Haſelvvurtz Germ. & manſsooren Belgarum, eſt verum Aſaron Dioſcoridis. 479.18
Hectica febris ex intermittente prognata. 563.38
Hecticus alvo aſtricta, vomitu atra prorſus, atramenti inſtar & ſub craſſa, amara tamen reiecerat. 543.7
Hector Mithobius reipubl. Hanouenſium medicus. 252 36
Helena Spartæ regina in helenio herba vivit. 445.39
Helenium non eſt Enula Campana officinarum. 571.29
Helenium Ægyptiacum ignoratur. 522,26
Hellebori purgatio. 160 10
Helleborus albus, cui parti maxime noceat. 166.22
Hellebori albi drag. dimidia, ex modico liquore hauſta quid egerit. 565.11
Quære Elleborus per E.
Hemicrania convulſiones attraxit. 526.22
Hemitritæo ſimilis febris cum Diarrhæa in lienteriam verſa. 542.25
Hemitritææ febris cum delirio, lingua arida nigra, convulſiones extremorum leves quidem, ſed continuæ. 559.8
Henr. Brucæus cenſet Paracelſi medicinam refutatione indignam. 250.34
Henr. Brucæus à Tho. Eraſto laudatur. 274.3
Henr. Brucæus theſes de morbis in ſubſtantia oppugnat. 306.15
Hen. Brucæi cenſura in theſes de humorum neceſſitate, & de febre tertiana. 390.14
Henr. Brutæus reſpondet ad Henric. Smetii animadverſiones in theſes ſuas de Hydrope. 407.10
Henr. Brucæus putat non ſemper hydropem ab hepatis frigiditate oriri. 407.28
Hen. Brucæus aſciticos duos per refrigerantia à ſe curatos producit. 407.32
Henr. Brucæus contra Smetii theſes de Epilepſia quædam adducit. 408.35
Henr. Brucæus contra Smetii theſes de calore quædam obiicit. 412.19
Henr. Brucæus oppugnat calorem cœleſtem. 413.22
Henr. Smetius vocationem Mechelburgici principis renuit. 248.43
Henr. Smetius refutat, argumenta Brucæi contra theſes de humorum neceſſitate obiecta. 392.20
Henr. Smetius diluit obiectiones contra theſes de tertiana allatas. 393.14
Henr. Smetii theſes de Calore. 409.10
Henr. Smetii judicium de Paracelſo. 651.13
Henrici Smetii de Paracelſo iudicium. 693.34

Henr. Smetii vita, carmine Euchariſtico comprehenſa. 727.17
Henricus V. imperator morbo dracunculorum intereſt. 229.25
Hepatis functio. 109.27
Hepatis refrigeratio ſemper eſt hydropum cauſa. 353.6
Hepar eſt locus affectus in omni hydrope. 353.24
Hepaticorum medicamentorum duo genera. 93.27
Hepaticum medicamentum. 120.23
Herbæ ante aſtra ſunt conditę. 83.27
Herbarum delectus. 454.28
Hercules per herbas à ſe repertas immortalis factus. 445.3
Hermes in Hermupoa & Hermodactylo nomen reliquit. 464.8
Hermia uterina ex difficili partu. 539.22
Hermia aquoſa & carnoſa in uno teſte, cum ulcere fiſtuloſo, per quod urina fluebat. 548.32
Hermia aquoſa à ſitu teſtis ſeparata. 572.24
Hidrotica purgantibus miſceri poſſe. 351.17
Hieronymus Mercurialis. 386.1
Hilmari à Munchuſen tribuni militaris inſolens morbus, & curandi methodus. 253.15
Hippocratis ſentētia de purgantibus. 150.21.157.19
Hippocr. librum, περὶ στέρχων dictum rectius περὶ ἀρχῶν inſcribendum eſſe. 413.18
Hircini ſanguinis virtus. 112.4
Hirculus non eſt nardus Celtica. 577.42
Hirundinis cor palpitans. 88.18
Hiſtoria anſeris nucum juglandium recrementis paſti. 148.14
Hiſtoria matronæ felem metuentis. 101.12
Hiſtoria matronæ odore pharmacorum purgatæ. 163.25
Hiſtoriæ aliquot de purgatis per ſolum odorem purgantium. 133.20
Hiſtoriæ quorundam qui Stibeo uſi ſunt. 140.1
Homo & Sol generant hominem. 83.31
Homo ſolus utilium & noxiorum ignarus per multos annos manet. 443.40
Hominum diverſitas. 68.40
Hominis robur, ubi ſitum. 124.6
Hominem, abſque cibo & potu per annos aliquot vivere poſſe, demonſtratur. 554.4
Horti Adonidis.
Horti Heſperidum.
Horti Alcinoi.
Horti Semiramidis. 464.15
Humana oſſa devorari prohibentur. 120.38
Humorem de uno membro in aliud decurrere. 137.1
Humores magis vivunt quam pharmacum. 141.14
de Humoribus noſtri corporis theſes diſputatæ. 357.10
Humorum diſtributo per ſpecies differentias & officia. 357.30
de Humorum neceſſitate theſes diſputatę. 366.4
Humorum alimentariorum & excrementitiorum neceſſitas. 366.25
Humores, alimentarii nobiſcum geniti 366.34
Humore alimentario nullo carere poſſumus. 367.4
Humores alimentarii ſe mutuo ſuſtentant. 367.43
Humoribus tam excrementitiis naturalibus quam alimentariis ad varios uſus indigemus 368.43
Humores alimentarii ſemper adſunt. 368.20
Humoribus alimentariis variæ corporis partes aluntur. 369.16
Humores 4. alimentarii, ſemini parentum ortum dederunt. 369.40
Humores 4. alimentarii fatum in utero nutriunt. 370.9
Humoribus alimentariis bene habentibus valemus: iiſdem mala habentibus ægrotamus. 370.37
de Humorum putredine theſes diſputatæ. 371.27
Humor quilibet proprium calorem habet. 372.10
Humor quilibet putreſcere poteſt. 372.11
Humores putreſcunt quot modis. 372.14
Humores putreſcunt per intemperiē, totius, aut partis alicuius. 374.25.
Humores putreſcunt ab impuritate. 374.30

Humores corrumpuntur ab obſtructione unius partis, aut plurium. 374.38
Humores peccantes natura ſæpe à venis ad viſcera ſalubriter propellit. 430.20
Humor diſperſus facile à Natura regi & concoqui poteſt. 430.39
Humor compactus citius putreſcit. 430.44
Humorum copia ad abdominis viſcera confluens, non facit ad putredinem febrium niſi obſtruatur. 433.14
Humorum copia ad infumi ventris viſcera confluens, facile ſponte evacuatur. 433.17
Humores moleſtos natura ad partes imbecilliores, modo has, modo illas propellit. 438.3
Humorum diviſio & ſubdiviſio. 596.15
Hydrargiri uſus. 138.31
Hydrocele ſeu hernia aquoſa teſtis utriuſque quomodo curata. 572.9
Hydrocephalus in infante bimulo. 578 20
Hydropicarum theſium examen. 350.20
Hydropici, icterici, cachectici non facile ſudant. 434.13
Hydropicorum febricula, ab affectu primario viſceris alicuius in abdomine naſcitur. 435.1
Hydrops diarrhæa ſpontanea ſanatus. 564.29
Hydropes ſunt lethales Paracelſo. 686.39
Hydrops novus curabilis Paracelſo. 686.40
Hydrops an & quomodo curari poſſit Paracelſo. 686.41
Hypercatharſis. 130. 30. item 153.37
Hyperſarcoſis ſeu excreſcentia carnoſa inſtar ficus in humero muliebri. 561.20
Hyperſarcoſes ſuper naſum viri. 562.28
Hyſſopum purgare. 131.8. item 138.39
Hypochoretica dicta Hippocrati. 139.13

I.

Jacobus Sylvius reprehenditur. 46.10
Iacobus Sylvius notatur. 504.24
Ictericorum accidentia. 151.42
Ictericos habere alvum duriorem. 131.26.140.8
Idioſyncraſia quid ſit. 73.19.77.28
Idiotarum medicorum audacia. 140.1. & 23
Iecoris gibbæ æque ac cava ad abdomen pertinent. 431.18
Iecur ſcirrhoſum ſudare prohibet. 434.12
Quære Hepar in H.
Iejunantis per annos VII. continuos virginis ruſticanæ examinatio. 551.16
Iejunantis per annos jam X. continuos virginis ruſticanæ hiſtoria ad 14. Aprilis uſque anni 1588. 551.26
Infans abſque vagitu natus. 530.8
Infantulus μονόρχης, unico teſticulo eoque hernioſo recens natus. 572.39
Infantes febribus nutricum putridis ſæpe infici. 272.8
Inferiorum materiam non carere ordine. 55.12
Ignis actio quomodo perficiatur. 64 18
Ignis in omnia obvia agit. 106.6
Ignis cur aurum emundet & reliqua perdat. 141.44
Iliacus dolor circum & juxta umbilicum cum vomitu crebro, alvo aſtricta. 528.20
Iliacus ictericus, per pharmacum nigerrima plurima primo, deinde flava dejecit, feſſionibus XIV. 534.1
Iliaci doloris cum variis affectibus & utriuſque brachii paralyſi ſecuta hiſtoriola & curatio. 535. 15
Iliacus dolor cum vomitu & dolore totum latus dextrum ab humero in pedem uſque extenſo 535.34
Imaginationis efficacia. 101.24
Imaginatio ad tempus corrupta, ſubſequente utriuſque crucis infra po

plites

plites per intervalla contractione. 529.24
Impuritas quot modis fiat. 374.31
Indicationem ſumi à tempore. 155. 40
Indigentiam eſſe cauſam motus. 108. 35
Individua quare inter ſe diſcrepent. ...
Inimica naturæ guſtu ſæpe doceri. 177. 32
Intelligentia formarum origo. 81. 9
Intelligentiæ aſſiſtentes cœlo. 83. 23
Intermittētis febris cauſa intra abdomen putreſcens, hydropi inepte comparatur. 434.29
Intermittentium humor in viſcerum ſubſtantia non putreſcit. 435. 26
Intermittentium cauſa, quæ, qualis, quo loco ſedeat. 435.29
Intermittentium putredinem non eſſe in partium muſculis XIII. argumentis oſtenditur. 438.24
Interna diſſolutionis cauſa vel naturalis eſt vel contra naturam. 587. 20
Inteſtini recti ulcus valde crucians ad os ſarcum & perinæum, per penem quoque ad glandem uſque. 529. 18
Io. Albertus dux Mechelburgicus invitat Henricum Smetium. 248. 1
Io. Alberti ducis Mechelburgici obitus 285.30
Ioan. Crato medicus Cæſaris. 247. 3
Ioan. Guurterii Andernaci, de Paracelſo eiuſque ſequacibus judicium. 689. 4
Ioannes Langius. 385.29
Ioannes Manardus taxatur. 48.1
D. Ioannis Paludani medici VViburgenſium in Dania, teſtimonium de D. Petro Severino medico Paracelſico regis Daniæ. 725.44
Ioſephus Michelius Lucenſis med. doctus, & Paracelſicus veteranus exercitatus. 720.39
Ioſephus Quercetanus Gallus, opinione auri factitii clarus, conſumpto pulvere ſuo defecit fama. 696. 40
Ira quomodo calefaciat. 411.14
Iris Sativa & Sylveſtris.
Sativa hitruſca aut Florentina.
Illyrica.
Bohemica. 568.7
Iridis ſucci recentis & inſpiſſati doſis & Electuarium. 568.24
Iſchiadici affectus & claudicationis metus, quid facere juſſerit. 568. 3
Iſchuria in ſene. 525.32
Iſidorus. 378.16
Iudæ ſcortatio, immo inceſtus cum Thamara, produxit tribum Iuda & David regem, & inde Chriſtum Ieſum. 423.20
Iudæorum huius quoque ævi conſuetudo, laude ac imitatione digna. 423. 37
Iuliæ Auguſti Cæſaris filiæ reſponſio parum pudica. 426.12
Iuliani Cæſaris vafrum ac impium edictum. 636.2
Iulius Cæſar Scaliger. 379.28
Iulius Solinus. 378.9
Iuncus odoratus ex ſemine in horto ſuccrevit & deſcribitur. 495.11
Iuncus odoratus Schœnanthus, Squinantum officinis dictus, hodie legitimo aſſimilis prorſus adfertur. 495. 1. & 23
Iuvantia medicamenta eſſe ex ciborum genere. 115 40

L.

LAc animalium variat pro varietate ciborum aſſumptorum. 73.33
Lactis exemplum & compoſitio. 91. 28
Lactis temperies. 138.2
Laccæ uſus. 514.5
Lacca quo modo gignatur. 514.16
Lacca quæ melior, quæ deterior. 514. 31
Lapidem frangentia. 112.4
Lapillorum vires mirabiles. 121.25
Laſſitudo ſpontanea ulceroſa. 536 8

Lateris dolor ad poplitem uſque pertingens, cum reſpiratione crebra, pulſu parvo frequente debili. 549. 41
Lateris dolor ſtando affligens, premendo miteſcens, ſine febri aut tuſſi. 565. 34
Lateris dextri dolor ſuſpirando ſolum moleſtus, inde per anteriora pectoris diſperſus, paulo poſt ad ſiniſtra tranſiit. 570.45
Lateris ſiniſtri dolor novus ſuſpirando, tuſſiendo, & inſpirando ſolum gravis, abſque febri. 571.7
Lateris dextri poſt biduum alius dolor, axillam verſus, pungenti ſimilis, idque ſuſpirando tantum. 571. 12
Lavandula non eſt nardus Celtica. 577 10
Lavandula eſt duplex. 577.12
Lavandulæ utriuſque deſcriptio. 577.15
Lex politica. 643.7.
Lex Naturæ. 643.10
Leges aliæ propriæ, aliæ communes 643.7
Leges cur inſtitutæ. 643.28
Leges efficaces eſſe oportet. 644.1
Leges principibus imperant. 645.9
Legibus omnes homines, imo principes ipſi parere debent. 645.12
Leges quomodo proſint probis. 645. 44
Leo expaveſcit Gallum. 76.24
Leonardus Bertapalea. 229.41
Lepræ ſpecies IX. Paracelſo. 686.31
Lepræ ſpecies plures quam 40. Paracelſo. 686 32
Lepræ quænam curabiles Paracelſo. 686.33
Lepra quænam fiat omnium peſſima Paracelſo. 686.35
Lepus marinus cur pulmones ſolos exulceret. 105.10
Leporini ſanguinis efficacia. 112.10
Lethargicus erectus in pedes progredi juſſus, ſuſtentatus tamen, retrorſum ibat. 538.11
Lethargo captus ſenex, nec morbum nec mortem ſenſit. 579.33
D. Levini Batti judicium de prima parte Antiparacelſicon D. Tho. Eraſti. 691.2
Levi. Battus Paracelſi defenſionem deſerit. 676.12
D. Lev. Batti de nova ſtella in ſella Caſſiopeæ exorta & perſiſtente ſententia. 694.39
Lien habet craſſiora excrementa. 93. 42
Lien ſcirrhoſus ſudare prohibet. 434. 12
Lien aut jecur valde obſtructa ſudare prohibent. ibid.
Ligaturæ ad impotentiam veneriam. 285.24
Ligni craſſities & lentitudo, cum humoris craſſitie & lentore male comparantur. 433.2
Lignorum delectus. 454.18
Lignum Aloes ex quali arbore. 511.17
Ligni aloes natale ſolum. 511.30
Lignum aloes non eſt aſpalathus. 504. 25
Lipothymia ſubitanea, juvenem robuſtum jejunum extinguens ejuſque cauſæ inventio. 542.14
Lipothymia cum epilepſiis x. aut pluribus ex onorum frixorum eſu. 566. 23
Lipyria febris. 534.12
Logicæ quæſtiones quales. 144.32
Lothi inceſtus cum filiabus ſuis produxit Ammonitas & Moabitas. 423. 18
Ludovicus Vartomannus. 378.32
Lumborum dolor curvare ſe & erigere prohibens, mutatus in tympaniam omnia mitigavit. 543.19
Lumbricus in ſpiram contractus per lo mnum, ſuper lingua repertus. 582.26
Lumbrici terreſtres aduarenos utiliſſimi. 233.35
Lumbrici terreſtres qui optimi. 233.37
Lumbricorum terreſtrium vires ſeptẽ. 233.45
Lumbricos terreſtres exhibendi varii ſunt modi. 235.45
Lunam nihil facere ad dies criticos. 54.41
Lunæ effectus multi manifeſti. 193.35
Lupi ſtercus. 73.39
Lupi hepar. 98.39
Lupini hepatis temperatura. 120.22
Lupini ſtercoris vires. 113.2
Lupus ſalutarius quomodo fiat purgato. ius

torius. 73.20
Luſitanis in aromatum cognitione ma giſquam veteribus credi debet. 485 8
Lycoperſi occulta vis. 118.27
Lycurgi lex adverſus Cælibes. 422.40
Lyſimachus Macedoniæ rex in Lyſimachia. 445.14

M

MAceratio ſeparat facultatem purgatricem. 70.16
Macies obeſi valde & proceri corporis, abſque hectica febri aut phthyſi. 578.9
Matthiolus notatur. 475.32.576.20
Matthiolus reprehenditur. 479.34
Medicæ artis antiquitas & præſtantia, verſibus heroicis ab Henr. Smetio conſcripta. à pag.1.uſque ad 29.
Medicinæ cum peritia militari collatio. 444.27
Medici officium. 102.15.183.39
Medicus eſt naturæ miniſter. 157.19
Medicos veteres Græcos, de Dæmonibus in medendo nihil ſciviſſe. 284.11
Medicinam tutiorem ſemper eligendam. 141.11
Medicinæ cognitio, heroibus plus gloriç, quã ars militaris peperit. 444.24
Medicatum quæſtionum duo ſunt genera. 144.26
Medicamentorum occulta proprietas quid ſit. 62.43
Medicamenta quomodo agunt in corpus. 67.32
Medicamentorum occulta vi in certas partes agentium diviſio. 97.32
Medicamenta quædam certis partibus proſunt. 103.30.104.24
Medicamenta cur uni parti magis, quã alii noceant. 105.25
Medicamenta, quædam cæteras partes lædentia, ventriculum non lædunt. 110.40
Medicamenta pectus purgantia. 111 8
Medicamenta occulta vi. certis partibus proſunt. 114.31
Medicamentorum occultæ virtuti parum eſſe fidendum. 116.35
Medicamenta methodo deprehendi. 118.42
Medicamenta non diſſolvi. 125.29
Medicamenta non converti in fumos. 127.25
de Medicamentis inſipidis quid ſentiendum. 141.30
Medicamenta, cur purgent 4. rationes ab Ariſtotele recitatæ. 162.25
Medullarum delectus. 464.27
Melancholia humor duplex. 360.33
Melancholiç alimẽtariç effecta. 360.36
Melanc. ſupervacanea quotuplex. 361.8
Melancholia alia alimentaria, alia ſupervacanea. 598.26
Melanch. ſupervac. naturalis, eiuſque effecta. 361.10
Melanch. excrementitia præter naturam quotuplex. 361.19
Melancholia ſupervacanea, alia naturalis, alia præter naturam. 598.38
Melancholiça metuẽs ſibi per eſuriem moriendum. 524.5
Melancholicus totos dies taciturnus, unis iiſdemque veſtigiis inſiſtens ſupra menſes quinque. 544.22
Melancholicus de naſi longitudine nimia quæſtus. 545.36
Melancholicus, ignis ſupplicium falsò metuens. 548.27
Maculæ rubræ cum frigore & febri, per totum corpus ſparſæ, uniuntur in eryſipelatis formam, inde ſquamulæ tenues ſecutæ. 564.45
Maculæ rubræ valde prurientes abſque febri. 542.10
Magnetis facultas. 64.7
Magnetis uſus poteſt impediri. 77.43
Magnes, quã habeat vim occultã. 87.19
Magnes in paleas non agit. 107.30
Magnetis triti pulvis non trahit ferrum. 137.8
Magnetis actio poteſt inanis reddi. 140.40
Magnetis tractionem differre à tractione purgantium. 146.42
Malefica vocata Hippocrati. 94.38
Maleficorum uſus intra corpus. 95.25
Malobathrum Dioſcoridis hodie, eſt ignotum. 491 11
Malobathrum videtur folium Indum Avicennæ. 481.21
Mandatum Dei ad creſcendum & multiplicandum ſe, æque potens eſt in hominibus, quam in brutis & plantis. 416.21
Maniacus ſeipſum caſtrans abſque ferro. 524.43

Manna quos humores trahat. 183.13
Manus utriuſque tumor mollis flatulentus, aliquot annorum, per vices creſcens decreſcens. 560.13
Maraſmi veri exemplum. 5.3.45
Marcus Paulus Venetus. 378.23
Marcus Reclavv medicus. 140 2
Marinorum delectus. 465.33
Maſtupratores videntur quaſi liberorum ſuorum occiſores, ſuæque poſteritatis hoſtes. 423.25
Materiæ accidentia. 71.21
Materia prima contrariorum ſuſceptiva. 86.7
Materiæ præparatio latitudinem magnam habet. 72.8
Materiæ vires, quavis mutatione non tolli. 72.20
Materiæ anteceſſio in formarum ortu. 85.2
Materiæ proprietate agunt, purgantia. 151.10
Materiæ morbos organicos eſſe. 303.23
Materiales & formales potentiæ diſtinguuntur 79.3
Materialium partium & elementorũ differentia. 92.45
Materiali cauſa morbi non ſublata non tollitur morbus. 113.12
Materiæ immoderatio, quales affectus comprehendat. 653.38
Materiæ vitiatæ argumenta. 654.5
Matronæ aliquot ſanctæ ſteriles. 415.23
Melancholica de ſpectris & hominibus lecto ſuo per noctem aſtantibus queſta. 548.36
Melancholica putans ſe liberos ſuos occidere debere, cætera ſapiens. 549.38
Melancholicus Ieſum Chriſtum abnegans, & opulentiam miram ſibi perſuadens. 559.4
Menſes mulierum ſanarum, non ſunt venenati, imo nequidem pravi. 370.23
Menſes mulierum reliquo ipſarum ſanguini reſpondent. 370.26
Menſes ordinarii fœcunditatem teſtantur. 370.27
Menſes mulierum ſanarum probi ſunt ſucci: Cacochymarum vero cacochymi. 370.28
Menſes ſtatis diebus manantes, cum dolore in lumbis & ſub umbilico cum alui fluxu per biennium durarat. 538.7
Menſes ſuppreſſos quæ ſymptomata inſtante periodo, in quadam nuper nupta excipere ſoleant. 566.2
Menſes obſtructos, herpetemque miliarem puellæ patienti, quid acciderit, hiſtoriola miranda. 568.21
Menſium fluxus qua ratione inter tot vacuationes phlebotomo, cucurbitis, pilulis factas, perſeverarit tamen. 576.17
Menſtruum, & ſemen in muliere ſunt diverſiſſimæ. 424.21
Menſtruæ purgationes cum ſummo dolore procedentes. 527.4
Menſuræ liquidorum quantum differant ad pondus examinatæ. 516.9
Menſuræ aridorum. 516.40
Meon officinarum, quod Germ. Beervvurtz vocant, non eſt Meon Dioſcoridis. 470 40
Meo vero caremus. 471.3
Meſeraicæ venæ, quietis parum humoribus in ſe contentis indulgent. 431.29
Mercurius in mercuriali vivit. 464.7
Meſuci ſententia de purgantibus. 136.1
Meſues de miſtione deducentium. 135.32
Meſues vetat medicamenta laxativa terere. 158.38
Metallica uſta tenuiora fiunt. 139.21
Metalla omnia purgari Stibio. 141.30
Metalla & homines ſunt in magna differentia. 142.30
Methodus adhibenda in curando. 99.20
Metus quomodo calefaciat. 411.17
Meyvvurme. 237.41
Mictio cruenta abſque calculi votis 573.10

Miſtionis menſura apud Ariſtotelem. 118.6
Mithridatis exemplum & antidotus. 71 25.95.1
Mithridatis regis qualitas. 80.5
Mithridates rex Ponti in Mithridatio ſeu ſcordio herba vivit. 445.16
Mitteſſeren. 229.5
Mœror quomodo calorem ſuſcitet. 411.16
Molles videntur homicidii rei. 423 23
Monoceros unicornis, Licorne, Einhorn, eiuſque inquiſitio, aut commentarius. 376.10
Monoceros fera eſt non fabuloſa teſtibus multis S. Scripturæ locis. 376.17
Monocerotis deſcriptio apud authores variat. 376 40
Monocerotum cornua XII. ab imperatore Turcico dono miſſa. 388.26
Monocerotis cornu Electoris Palatini admirabile graphice deſcriptum. 388.33
Morbi ex humore quomodo curentur 99.38
Morbi initio purgantibus non eſt utendum. 155.40
Morbi incurabiles, immo lethales ipſo Paracelſo teſte, quinam, à 685.32.per 3. pagel.
Morbum Gallicum non omnem curare potuit Paracelſus. 687.16
Mordicatio purgantium, purgationis cauſa. 136.35
Mordicando quæ purgent. 138.37
Mordicatio pharmaci ſola valet in purgantibus. 153.43
Mores peculiares familiarum. 101.40
Mortua nihil attrahunt alimenti cauſa. 146.11
Moſcus odoratus ad quæ utilis. 507.37
Moſi quid Galenus objecerit. 84.27
Motus omnis quomodo fiat. 108.35
Motus requiritur in purgando. 160.35
Mulieres perinde ac viri ſemen habẽt, ſicut & teſtes, ſed intus conditos. 425.24
Mundus an ſit genitus. 85.6
Mundus an ſit æternus. 85.24
Muſcus arborum à Laricibus decerptus, odore fumi ſui valde gratus. 506.32
Muſtum, recens cerevisia, & olivum recenter tortum 4. partes continent. 358.38
Mutus & convulſus aſſiduè, ex lapſu in caput. 526.1
Mutus ex vulnere ad maſſeteris initium inflicto, alioquin valens & intelligens manſit. 560.20

N.

Nachtgriff morbus eiuſque curatio plebeia. 230.9
Narcaphthum quid ſit ignoratur abſq; ullo incommodo. 512.42
Nardi qua parte potiſſimum veteres uſi ſint, non certo conſtat. 475.15
Nardus aut nardi ſpica, hodierni uſus non eſt legitima, ſed deterior puta Gangitis, vel Sampharitis. 576.11
Nardus Celtica hodierni uſus non eſt legitima. 577.30.39
Nardus montana hodie abſque ullo incommodo ignoratur. 478.43
Naturæ ſignificatio. 63.10
Naturæ definitio. 65.10
Natura cuiuſque rei quid ſit. 75.35
Natura quædam univerſalis. 81.24
Natura univerſum dicta quid ſit. 82.13
Naturam eſſe Dei poteſtatem. 86.19
Natura univerſalis quid apud Ariſtotelem. 86 29
Naturaliter agentia quomodo agant. 105.41
Natura ingrata abominatur. 126.33
Naturæ motus familiaris. 136.15
Naturarum magna eſt diverſitas. 143.11
Natura ab uno extremo ad alterum non tranſit abſque medio. 145.4
Natura trahit, non dolor. 146.38
Naturæ VI. non medicamento, noxia expelluntur. 156.33
Natura pellendo purgat. 163.19
Naturæ morborum Medicæ, quate-

nus intelligendum Tractatulus. 325. 4
Naturæ vocabuli acceptiones variæ. 326.6
Navigatio cur pariat vomitum. 160. 41
Nazaræi à vino abſtinere juſſi. 604. 30
Neker morbus. 229.30
Nervorum & cerebri ſimilitudo. 119. 38
Nervoſas partes diviſas coaleſcere poſſe. 185.44.235.7.502.29
Nicolai Helvetii hiſtoria. 70.43
Nicolaus Monardes. 500.34
Novæ opiniones quomodo introducendæ. 144.39
Noverca privignum filium amans, ob abſentiam ejus mœrens, fit melancholica. 550.14
Noviſſe & exacte noviſſe differunt. 142.28
Nymphæ vis quæ ſit. 118.29

O.

OBeſitas, inuſitata proceri principis 579.40
Occulta proprietas quid ſit. 62. 43.65. 8
Occultæ proprietatis exempla. 64.6
Occultæ rerum proprietates quid ſint varia eſt opinio. 65.7
Occultas vires non provenire à cœlo. 66.18
Occultas proprietates non eſſe potentias formarum ſubſtantialium. 69. 19
Occultas proprietates non ſemper nobiſcum naſci. 70.31
Occultas potentias ineſſe eaſdem diverſis ſpecie. 73.13
Occultas proprietates eſſe materiæ accidentia. 75.43
Occultas proprietates non ſequi tēperamentum. 76.5
Occultarum poteſtatum duo ſunt genera. 76.44.87.22.item 136.14
Occultæ facultates in quibus principiis quærendæ. 77.16
Occultas quaſdam facultates à forma naſci. 77.18
Occultæ poteſtates materiæ & formæ diſtinguuntur. 77.32
Occultas potentias omnes à forma oriri. 79.30
Occultæ proprietates definiuntur. 80. 24
Occultas vires pharmacorum fere proficiſci à materia. 89.9
Occultæ proprietates ſecundi generis declarantur. 93.24
Occultarum facultatum ſubſidium nō eſſe ſtatim quærendum in curatione. 99.20
Occultum non eſſe ſtatim, quod ſic vocetur. 101 5
Occulta poteſtas non reperitur inter res diverſas. 112.20
Occultas proprietates non diſci methodo. 116.12
Occulta poteſtas non agat per temperamentum. 117.5
Occurſus putridorum, inquinat humores inſpiratione & contactu. 375. 24
Oculi dextri & palpebræ utriuſque nubendo craſſa, abſque lacrymatione. 543.24
Odorum varietas unde. 80.12
Odore quædam medicamenta deprehendi. 118 26
Odore purgantium quoſdam turbari. 126.37.131.24 133.44.item 161.24
Oedema ſcirrholum cum maculis puniceis ſubnigris. 527.33
Oedema eryſipelate ſcirrhoq; miſtum in utraque manu, ad cubitos uſque, ut in pede & crure dextro ſolum per intervalla recurrens. 529.39
Oeſophagi dolor ſuffocationem imitans. 526.23
Oleti nidore quidam delectatus. 658.20
Oleum cur non purget. 166.27
Orthopnææ remedium. 99.35
Oſculorum laxitas non eſt cauſa nimię purgationis. 154.9
Oſiris Ægypti rex Oſiridem reperit. 464.8
Oſſium combuſtorum vires. 120.6
Oſſis ſacri dolor ingens, ut nec ſtare, nec ſedere, nec jacere commode liceret. 531.38
Oſſis ſacri dolor quotidie, à meridie ad mediam noctem vexans, per hebdomadas quinque durarat. 534. 26

Oſſis

Oſſis ſacri dolor ad talos uſque protenſus. 545.12
Ovis inimicitia cum lupo. 76.22
Ovillæ carnes purgant. 70.26. item 164.30

P.

PActum cum Sathana, conſiſtit vel in verbis, vel in factis. 280.13
Pacti operis perfectio, in Sathanæ virtute eſt ſita. 280.14
Pæoniæ radix an ſanet comitiales. 100.26
Paleas linguis promptius comburi quare. 114.10
Palmites plantarum ſeparati habent, animam. 74.21
Palpitatio & ſtupidus ſenſus formicās, per totam cutem permanens cum hemicrania. 529.3
Pantaleonis Syrupi effectus & deſcriptio. 573.19. & 24.
Papulæ magnæ flaveſcentes per ſola brachia. 545.21
Paracelſi medicina à Henrico Smetio ante Eraſtum oppugnata. 241.16. 243.24. 245.42. 273 14
Paracelſi medicina ſex argumentis fulcitur. 245.17
Paracelſus qualis Henrico Brucæo. 241.40
Paracelſus qualis Henrico Smetio. 242.30
Paracelſus quare Aſciten non niſi fortuito perſanaſſe videatur. 355.3
Paracelſicæ Medicinæ defenſio prima à D. Mexi. Batto facta. 650.23
Paracelſicæ Medicinæ defenſio prima examinatur, & refutatur. 651.12
Paracelſicæ medicinę defenſio ſecunda à D. Levino Batto facta. 653 22
Paracelſicę medicinę defenſio ſecunda examinatur, eiuſque argumenta refutantur. 656.38
Paracelſicæ medicinæ defenſio tertia. 664.40
Paracelſicæ medic. defenſio tertia examinatur & refutantur eius argumenta. 669.16
Paracelſus docet omnes ſubſtantiæ morbos, in omni individuo, omni tempore ſanare. 667.24
Paracelſus immaturam mortem evitare non potuit, qui tamen de vita longa ſcripſit: teſte Andernaco. 690.5
Paracelſici agnoſcunt epilepſias non omnes ſanari poſſe. 677.26
Paracelſicorum remediorum contra epilepſiam varietas copioſa. à pag. 678.4. per 6. pagellas.
Paracelſi natalis. 683.37
Paracelſi obitus. 683.34
Paracelſi univerſa ætas. 683.35
Paracelſi vitę breviuſculę, examinatio. à pag. 683.30. per 3. pagel.
Paracelſus ipſe vulnera recenta non omnia ſanare potuit. 685.32
Paracelſi prætextus in fruſtratis curationibus multi. 687.28
Paracelſiſtarum Antvverpienſium verſutiæ & prætextus. 688 30
Paracelſici ne febrem quidem recte curare norunt, teſte Andernaco. 690.9
Paracelſicos ſua ignorantia prodit, teſte Andernaco. 690.11
Paralyſi manu pueruli afflicta, brachiū idem convulſione vexabatur. 526.10
Paralyſis brachii dextri, propter ictum tempori ſiniſtro illatum. 528.26
Paralyſis ſiniſtri lateris, poſt paroxyſmum febrilem unicum & ſubſequentem ſomnum facta. 535.32
Paralyſis abſoluta omnium partium à lumbis deorſum, cum ſenſu tractus perdito. 544.10
Paralyſis utriuſque cruris & ſtupor ex lapſu. 545.39
Paralyſis omnium artuum ex malo iliaco. 546.37
Paralyſis linguę, ſermonis impotentia, ſomnolentia, amentia, xxiv. dies durarat, ad ſe reverſa oīum oblita. 550 3
Paralyſes ex quibuſdam vulneribus incurabiles Paracelſo. 686.25
Parotidis in abſceſſum verſæ curatio. 223.35
Partes non trahunt ad ſe noxia. 108.5
Partem unam magis quam aliam à venenis ledi & cur. 166.12
Partherium purgat. 138.39
Paulus Ægineta. 228.18
S. Pauli conſilium Timotheo ſuo diſcipulo datum quale fuerit. 604.8

Pectus purgantia. 111.5
Pectoris dolor tuſſiendo & ſuſpirando nonaculæ in modum ſcindens. 572.43
Pectoris anguſtia, per intervalla, erectum noctu ſedere cogens, abſque tuſſi. 574.25
Pelops Galeni præceptor. 63.29
Periapta eſſe inania. 96.12
Permiſtio eſſentiæ calidæ quibus modis fiat. 411.29
Perſeæ arboris exemplum. 67.13
Perſicariæ maculatæ virtutes Paracelſus peculiari libello conſcripſit. 650.1
Perſicaria maculata quid poſſit. 650.3
Peſtiferorum bubonum remedium. 88.11
Peſtis non ſemper putredinem habet. 243.27
Peſtilenti contagio quinam magis minusve expoſiti. 592.19
Petri Severini Dani Paracelſiſtæ clariſſimi, excuſationes in curatione fruſtrata. 688.13
Pharmaci unius diverſæ ſunt partes. 68.25
Pharmaca quomodo agant. 79.9
Pharmaca in ventriculo mutantur. 88.3
Pharmacon uni parti familiare, non eſſe inimicum cæteris. 105.37
Pharmacorum abdita virtute agentium tria eſſe genera. 94.37
Pharmaca ubi actum ſuum accipiant. 107.42
Pharmaca non ſeipſa movent. 108.26
Pharmaca noxia non duci ad partes patibiles. 110.20
Pharmaca nulla virtute incognita, certas partes purgant. 134.13
Pharmaca umbilica impoſita purgant. 140.26
Pharmaca non purgant trahendo. 146.4
Pharmaca auxilio naturæ indigent. 156.33
Pharmaca in ſtupore non purgant. 157.7
Pharmacorum mentione cur aliqui nauſeent. 163.6
Pharmaca non trahunt certum humorem. 178.2
Pharmaca levia cur aquam ſæpe purgent. 179.19
Pharmaca non colliquanda humores. 180.24
Pharmaca in ventre hærentia purgant. 182.19
Pharmaca pro temperaturæ diverſitate, diverſè expultricem vim excitat. 183.10
Pharmacum quodvis, humores quoſlibet interdum detrahere. 183.13
Philoſophiæ dignitas defenditur. 84.28
Philoſtratus Lemnius Senior. 377.1
Phlegmagoga qualia ſint. 179.3
Phocylidis laudabilis adhortatio. 423.5
Phyſica medicamenta. 96.12
Pica mulierum. 102.2
Pilulas parvo pondere purgant. 151.40
Piper purgat. 131.8
Piperatos cibos purgare. 131.37
Piper Indicum Capſium & Siliquaſtrum dictum, non eſt nec Avicennæ, nec Serapionis Cardamomon. 474.1
Pituitam eſſe ſemicoctum ſanguinem. 144.45
Pituitam educentia eſſe acria. 179.13
Pituita quotuplex. 362.3
Pituitæ alimentariæ uſus & effecta. 362.5
Pituita excrementitia naturalis & effecta. 362.42
Pituita excrementitia præter naturam quotuplex. 363.27
Pituitæ generatio, quas cauſas requirat. 435.15
Pituitæ craſſæ fruſtum longum in dextro quodam cordis ſinu. 523.20
Pituita alia alimentaria, alia eſt ſupervacanea, vel excrementitia. 599.27
Pituita excrementitia, alia naturalis, alia præternaturam. 600.10
Planetas novos 4. eſſe repertos. 203.37

Plantæ tranſlatæ imbecilliores fiunt. 67.10
Plantarum vires variant. 78.28
Plantæ non attrahunt peregrinos humores. 150.45
Platonis Ideæ. 81.7
Platonicorum ſententia de ortu formarum. 81.8
Platonici Deunculi 84.18
Platonis conſilium de uſu vini in bello & magiſtratu gerendo. 604.42
Platonis conſilium de vino pueris adoleſcentibus, juvenibus, viris, ſenibus datum. 605 10
C. Plinius Secundus. 378.3
Plutarchus. 228.38
Podagra quæ inſanabilis Paracelſo. 687.6
Podagra curatu difficillima Paracelſo. 687.8
Podagrica remedia qualia ſint. 138.14
Poma purgatoria 163.23
Ponderum diſcrimina. 515.41
Poramber optimum & album.
Puamber proximum & fuſcum.
Pinamber nigricat & vilius eſt. 509.3
Portæ venæ rami quietis parum humoribus ſuis permittunt. 431.29
Portæ venæ radices, cum venæ cavæ initiis non cohærent, ſed ſubſtantiæ hepaticæ interpoſitionem aliquam admittunt. 432.5. 433.39
Portæ venæ ramuli, omnia fere abdominis viſcera adeunt. 433.38
Præfatio in libros Dioſcoridis de materia medica. 443.18
Præfatio de Scholis & Legibus. 633.3
Prægnans mulier, penultimo menſe, ex dolore capitis ingenti epilepſias 40. intra horas 12. paſſa. 538.7
Præputii inflatio ferè pellucida. 547.34
Principia rerum ſubſtantialia quæ ſint. 75.42
Principia actionum in rebus quæ & quot ſint. 77.5
Problemata de purgantibus. 165.25
Propria quarto modo qualia. 77 26
Proprietates, formarum & accidentia diſtinguuntur. 77.30
Proſper Alpinus Venetus, veram Balſami fruticis effigiem, ſuccique & fructus & ligni hiſtoriam ſibi viſam edidit an. 1592. 500.17
Pruna qua arte præparentur ut bilem purgent. 73.17
Pruna purgatoria facere. 148.20
Pſeudoacorus. 569.18
Pſeudocinamomon 589.15
Puellam pacti Diabolici ignaram tempeſtatem excitaſſe. 285.6
Pyrethrum purgare. 131.8. 138.40
Pueros puerorum quibus accumbunt febribus ſæpe infici. 272.9
Puerulus nigerrima picis inſtar abſque periculo dejecit. 525.20
Puerpera infanti ſuo naſum mordicus fere abſtulit. 542.7
Puerpera eliaca crebras lipothymiis, pulſu formicante, fere abolito per triduum, reſtituta. 543.33
Puerpera ſcirrhum plenis, qui illum ſiniſtrum totum occupabat, gerens, quartana dupla affligebatur. 550.41
Puerperæ in diarrhæam vomitumque, tandem in tumorem ventris phlegmonoſum, uterumque & puris per umbilicum eruptionem lapſæ hiſtoriola, 568.45
Puerpera hæmorrhoidas cæcas foris patiebatur. 574.45
Puerpera ſtranguriam ex flavo nigricante humore patiens. 75.4
Puerpera filiolam feliciter enixa unas molas excludens, retentis ſecundis poſt varios affectus defecit. 575.21
Pulegium arefactum florere. 121.36
Pulegium purgat. 131.9
Pullorum carnem purgatricem reddere. 573 23
Pulſus in carpo, parivis, debilis, mollis frequens, in pectore verò magnus vehemens ſatis & celer, utrobique tamen æqualis. 530.36
Pulſus capriſans. 541.40
Pulvis Senuæ ſolutivus Io. VVyeri deſcriptus. 240.36
Pulſus una, altera, imo tertia pulſatione intermittens, & myurus quaſi reciprocus, venæ ſectione evanuit, 563.43

pungente calore deſtituta, quo modo purgent. 165.3
punctorii dolores, ſubitanei, vagi momento durantes, per diverſas partes, motu & forma febris tertianę. 531.43
punctiones capitis nocturnæ, in dorſum & brachia deſcendentes, cum cervice rigida. 558.16
purganda corpora cur debeant fluida reddi. 182.43
purgantia, non videri neceſſaria. 31.4
purgantibus eſſe opus. 31.16
purgantia non videri decoquenda. 48.40
purgantium decocta improbantes refutantur. 50.41
purgantium decocta & infuſa veteribus fuiſſe uſitata. 51.31
purgantium natura. 62.21
purgantia proprie dicta qua virtute agant. 90.31
purgantia quædam continere ſuccum utilem. 92.14
purgantia dici malefica. 95.10
purgantium occulta poteſtate diviſio. 98.5
purgantia proprie dicta, omnes corporis partes ęquę purgant. 98.11. 134.22
purgantia humorem ſibi familiarem educere. 120.12
purgantia magis vacuare unam quam aliam partem. 125.21
purgantia in ventre manere. 125.32
purgantia non eſſe exacte terenda. 126.12. 158.33
purgantia non ſponte ſua locos affectos petere. 128.9
purgantia non trahi ab humoribus. 128.21
purgantium vapores ex affecto loco non poſſe retrocedere. 129.2
purgantia non omnia, ſola accimonia purgare. 134.7
purgantibus non bene miſceri deducentia. 135.18
purgantibus, cur odorata miſceantur. 135.32
purgantia per excellentiam quot ſint. 135.34
purgantia, à tota ſubſtantia purgant. 135.42
purgantia non ex certis membris ſolum educere noxia. 137.45
purgantium modi ſeu ſpecies diſtinguuntur. 138.27
purgantia apud Hippocratem quæ ſint 139.15
purgantia omnia habent potentiam excitandi caloris. 141.21
purgantia non eſſe ſimilia tractis humoribus. 145.45
purgantia quædam propter virtutem latentem. 143.23
purgantia trahere per qualitates elementares. 147.36
purgantia detrahere humores. 150.3
purgantia cur faciant tormina. 150.16
purgantia non purgare virtute eſſentiali formæ. 151.10
purgantia agunt vi turbatrice. 151.30
purgantia non purgant emulgendo. 154.41
purgantia non trahere humores probari rationibus. 155.9
purgantibus non eſſe utendum morbi initio. 155.40
purgantia quomodo trahant humores Hippocrati. 158.2
purgantia occulta vi abſque tractione purgant. 159.7
purgantium, odore quoſdam purgari. 163.21
purgatoria poma. 163.23
purgantia quædam calore pungente carere. 165.3
de Purgantibus problemata. 165.25
purgantium duo genera. 177.25
purgantium alia convenire magis in bile, alia in pituita. 178.24
purgantia omnia bilem exigunt & cur. 179.31
purgantia quædam venas ſubire. 179.43
purgantia eſſe calida. 180.8
purgari ſana corpora difficulter. 180.39
purgantia non colliquare carnem. 180.44
purgantia non vacuare unum humorem magis quam alium, abdita tractrice virtute. 182.45
purgantium, occultorum tres ſunt ordines. 183.26
purgantis liquidi inefficacis, in formam

mam ſolidam mutatio fit efficax. 573.41
purgatio qua ratione fiat. 170.28
purgationum ſpontanearum cauſa. 140.1
purgari alios ab aliis rebus. 142.44
purgationes ita fieri, ut excretiones. 151.34
purgationes ſymptomaticæ qualis. 153. 7
purgationis nimiæ cauſa declaratur. 153.37
purgationes fieri à ſola natura expellente. 156.17
purgatricem vim eandem ſub diverſiſſimis formis conſervari. 137.27
purgatricem vim notam eſſe & occultam. 142.39
purgatricem vim appellari poſſe inimicam qualitatem. 143.26
Puſtulæ flavæ latæque per febrem in artibus ſolum erumpentes. 528. 33
Puſtulæ magnæ flaveſcentes toto corpore diffuſæ, cum amplis cruſtis, ædemate uſque ad genua cum metu hydropis ſarcitæ. 550.21
Putredinis natura, gradus & differentiæ per theſes à D. Eraſto diſputata. 312 35
Putredo quid ſit. 372.7
ex Putredine nata, quomodo propagentur. 83.40
Putredo humorum ab externis cauſis, quot modis fiat. 375.40
Putredinis definitio. 312.39
Putredinis ſpecies duæ. 318.19
Putredo externa, quibus modis calorem nobis ingeneret. 411.34
de Putredinis loco intermittentium febrium theſes diſputatæ. 427.10
Putrefactio ut fiat, quietem poſtulat. 431.33

Q.

QVackelbenus Augerii Busbecani Medicus. 470.6
Quæſtio, an ſtudia Medica reipublicæ ſint neceſſaria. 586.23
Quæſtionum medicarum duo eſſe genera. 144.27
Quæſtionum tituli, quæ in diſputatione de purgantibus, excutiuntur. 135 25
Qualitates primæ, actionum ſunt principia. 77.7
Qualitatibus primis quæ agere dicantur. 90.6
in Qualitatibus, actionum cauſas quærendas eſſe. 117.32
Qualitate nota & ignota purgantia. 138.26
Qualitate nota & ignota agentia diſtinguuntur. 142.42
Qualitas naturæ noſtræ inimica, qualis 143.26
Qualitas naturæ inimica purgat. 165. 13
Qualitas naturæ inimica occulta. 177. 26
Quartanariorum remedium. 131.16
Quartanarii hiſtoria. 161.10
Quartana febris poſt hebdomadas xvi. in ſene 77. annorum curata. 527. 25
Quartana poſt ſingulos paroxyſmos, totum corpus inflans, inflatione nulla tamen, ante ſequentem paroxyſmũ diſparente. 543.28
Quartana in tertianam verſa poſt tres corporis purgationes paulo poſt evanuit. 534.39
Quartana amuletis fugata, hydropem cum œdemate ſcirrhoſo à pedibus ad lumbos uſque attraxit. 549.29
Quartanaria gravida, diarrhæam cum vomitu crebro, multis deliquiis, febreq; multiplice, patiens. 550.35
Quartana puerperæ duplex in ſimplicem converſa. 557.40
Quartana ſimplex vehemens in duplicem, ſed mitiorem breviorem & retrogradam mutata, cum impetigine manus & femoris. 558.20
Quartanæ ſunt lethales Paracelſo. 686. 44
Quartanæ an & qua ratione curari poſſint Paracelſo. 686.45

R.

RAbidi canis venenum non eſſe putredinis expers. 266.44
Radicum delectus collectio repoſitio. 453.8

Rationem à medico adhibendam eſſe 102.15
Rechabitarum inſtitutum. 604.32
Reges quidam ex viliſſimo hominum genere creati. 419.3
Regina Saba Salomoni regi inter alia munera Balſami plantas attulit. 498 16
Remediis tutis utendum eſſe. 144. 1
Repudii cuiuſdā cauſa naturalis, haud iniuſta. 571 35
Retentio quid ſit. 128.12
Retentrice imbecilli faciliorem fieri purgationem. 152.15
Revellendi gratia ſæpe fieri purgationem. 137.30
Rhabarbarum lotum non purgat. 68. 30
Rhabarbari aqua aut oleum. 69. 43
Rhabarbari non omnes partes purgant. 92.12
Rhabarbarum quomodo purget à tota ſubſtantia. 92.20
Rhabarbari ſimilitudo cum cholera. 115.16
Rhabarbarum quid purget. 183.15
Rigor intermittentium fit à bile in membranas præcordiorum irruente. 436.42
Rigoris materia intermittentium non eſt in partium muſculis. 438.24
Rigoris cauſæ ſunt variæ & multiplices. 438.29
Rigoris in continuis inchoantibus aut per vacuationes ſpontaneas finientibus cauſa nequit eſſe in partibus extremis. 439.4
Rigoris intermittentium cauſa, corporibus per exercitia ſudantibus non poteſt in habitu corporis ſtatui. 439.24
Rigor abſque febre diem & noctem perdurans, bis, ter diverſo tempore affligens. 564.41
Riſum eſſe actum ſecundum. 75.41
Robur corporis in quo conſiſtat. 35. 17
Robuſtus homo quis dicendus. 34. 43
Roborantia per aſtrictionem quando neceſſaria. 32.26
Roborantia an adſtinguendo agant. 62.17
Roborantibus ſæpe opus eſſe. 98. 16
Roborantia medicamenta qualia. 122. 42.123.1
Roborare quæ & quot modis dicantur 122.42.123.1
Roſæ partes diverſæ. 92.6
Roſarum diverſa facultas. 68.31
Roſa Ierichontiva non eſt amomum. 492.2
Roſæ Ierichontivæ uſus. 492.33
Ructus duri ſonori crebri, cum ſingultu moleſtiſſimo. 527.13

S.

Sacerdotibus Iudaicis Lex de vino vitando data. 604.27
Saliunca non eſt Nardus Celtica. 478. 5
Salſa purgare. 138 43
Salſuginem purgare. 138.41
Sanationes per coniurationes aut imprecationes factæ, ex pacto cum Sathana fiunt. 279.41
Sanos difficulter purgari & cur. 180. 39
Sandalum eſt ligni ſpecies. 505.4
Sandali tria genera. 505.8
Sandalum rubrum differt à ligno Braſiliano. 505.13
Sandalum pallidum, citrinum dictum, cæteris præſtat, ſed rarum inventu. 505 17
Sandali arboris deſcriptio. 505.26
Sandalini citrini fruſtum trilibre ego Antverpiæ vidi. 505. 41
Sanguis quorundam animalium. 112. 5
Sanguis humanus. 119.30
Sanguinem humanum à quibuſdam bibi. 120.43
Sanguinem ſæpe detrahi ex alio quam affecto membro. 134.45
in Sanguine omnes humores contineri. 150.20
Sanguis phlebotomo eductus. 4. humores oſtendere poteſt. 358.26
Sanguinis proprie dicti officia. 359. 8
Sanguis etiam bonus copia ſolum peccans,

peccans, fluxiones febresq; ſuſcitat. 430.14

Sanguinis vomitus ad aliquot libras. 525.36

Sanguis per alvum & veſicam prodiens in puerulo, abſque cauſa manifeſta. 525.43

Sanguis ex verruca molli, in morem venæ ſectæ, ſponte ſaliens. 549.9

Sanguis phlebotomo anno ætatis 63. feliciter eductus. 577.17

Sanguis ſecta vena eductus & quidem feliciter anno ætatis 69. 580.26

Sanguis ex pede copioſe, vetulæ viduæ 74. annos natæ fœliciter emiſſus. 583.6

Sanguis ad uncias x. matronæ 72. annos natæ fœliciter eductus. 583.24

Sanguis phlebotomo ad uncias vi. commode miſſus ann. ætatis 71. 583 27

Sanguis ad uncias vii. & quidem hieme ob morbum, abſque ulla virium jactura, ann. 72. ætatis, utiliter detractus. 584.10

Sanguis noſter vitæ noſtræ hoſtis. 593.40

Sanguis proprie & improprie dictus. 596.35

Saporum varietas unde. 80. 10.142.1

Sapore deprehendi medicamenta. 118 40

Savonarola. 228.39

Scabie laborantium remedia. 135.5

Scabies ſicca & achores, poſt tertianam diſcuſſam, & diarrhæam ſublatam. 550.13

Scabies nigricans per femora & crura. 563.4

Scholæ quare inſtitutæ. 634.17

Scholarum initia & progreſſus. 635.13

Scholæ aliquæ fuerunt ubique gentium. 635.30

Scholę quomodo conſervari debeant. 639.38

Scholas legibus gubernari & conſervari debere. 643.3

Scholæ Germanorum. 637.32

Schola Alexandrina. 636.7

Schola Altdorfiana. 639.25

Schola Antiochena. 636.7

Schola Argentinenſis. 638.29

Schola Athenienſis triplex. 635.32

Schola Baſilienſis. 638.5

Scholæ benevolentiam mutuam requirunt. 640.11

Schola Bernenſis 639.31

Schola Bononienſis. 636.40

Schola Colonienſis. 638.1

Schola Conſtantinopolitana. 636.7

Schola Crotoniana. 635 34

Schola Dillingana. 638.40

Schola Druydum in Gallia. 635.40

Schola Duacenſis. 369.5

Schola Erfordiana. 638.4

Schola Francofurtenſis ad Oderam. 638.25

Schola Friburgenſis Briſgoiæ. 638.18

Schola Genevenſis. 639.32

Schola Gripſvvaldiana. 638.14

Schola Hafnienſis in Dania. 638.32

Schola Heidelbergenſis. 637.44

Schola Helmſtadienſis. 639.18

Schola Herrenbornenſis 639.31

Schola Hornbacenſis. 639 30

Schola Ienenſis. 638.42

Schola Ingolſtadiana. 638.8

Schola Lauſannenſis. 639.32

Schola Leidenſis Hollandiæ. 639.15

Schola Lipſiaca. 638.5

Schola Lovanienſis. 638.12

Schola Luteciana, aut Pariſienſis. 636.45

Schola Metapontina. 635.34

Schola Moguntina. 638.21

Schola Neapolitana Italiæ. 635.36

Schola Nevvſtadienſis ad Hartam. 639.23

Schola Oxonienſis. 637.8

Schola Pragenſis. 637.33

Scholæ prophetarum & populi Iſraelitici. 635 23

Schola Regiomontana. 638.37

Schola Roſtochienſis. 638.10

Schola Serveſtana. 639.29

Schola Ticinenſis, aut Papienſis. 636.45

Schola Tigurina. 639.32

Schola Trevirenſis, vetuſtior Bononienſi, jam inſtaurata. 638.45

Schola Tubingenſis. 638.19

Schola Viennenſis Auſtriæ. 637.35

Schola VVittebergenſis 638.22
Scirrhus ex bile ſuperaſſato non naſcitur. 353.40
Scorpionum remedium. 88.24
Scortatores minus peccare videntur, quam cœlibes coniugio idonei. 423.8
Scrofulæ in ora & variis partibus. 524.14
Scrotum totum frigore ſphacelatum. 333.42
Scroti & præputii tumor flatuoſus. 547.35
Scybalo equino recenti, deficiens anima revocata. 658.22
Sebaſtianus Munſterus. 379.11
ſemine propagantur omnia. 83.40
ſemini contraria. 118.29
ſemina trita vires ſuas amittere. 147.12
ſemen non fœtificat abſque benedictione Divina, 415.20
ſeminis humani virtus non eſt bruta. 419.6
ſemen humanum, animæ rationalis potentia prædictum eſt, illuminationis modo. 419.7
ſeminis vis prolifica quando & quibus modis evaneſcat. 420.23
ſemen mulieri S. Scriptura attribuit. 424.45
ſeminis excretio ab ipſa fœmina, quo loco corporis ſui fiat. 425.39
ſeminis ab utroque excreti & commiſti, attractio fit ab utero. 425.41
ſeminum delectus. 456.16
ſenſus brutorum acutiores. 118.39
ſeptica qualia ſint. 138.37
ſeptuagenarii ſenis, mentis detentione affecti curatio. 223.14
ſerpentes ovibus infeſti, conceptis verbis apud Sinegenſes abiguntur. 284.3
ſibilus in occipite. 545.44
ſiccæ plantæ idem poſſunt quod recentes. 68.16
ſiccitatis quot gradus. 585.11
ſidera aliquot nova, plurimæque ſtellæ veteribus ignotæ ab Hollandis repertæ ſunt. 204.10
ſigillum Salomonis. 240.31
D. Sigiſmundus Melanth. Med. 133.44
ſimilia ſimilibus eſſe amica. 119.26
ſimile non trahi à ſimili. 144.28
ſimilarem morbum intemperiem, materiæ immoderationem, & formæ corruptelam dividi debere. 653.36
ſimplicis materiæ diviſio. 451.1
ſingultus exemplum. 160.5
ſingultus poſt potum ſolummodo. 523.41
ſingultus ſtatim à cibo per aliquot dies durans. 543.28
ſolis exemplum, 82.34
ſolis effectus multi evidentes. 193.28
ſolanum, ſomniferum. 228.28
Spartanorum in cœlibes ſevera animadverſio. 421.39
Spaſmus monſtroſus. 546.18
ſpecifica virtute agentia. 117.43
ſpecifica medicamenta, omnem morbum, in omni ægro, omni tempore tollere deberent. 312.6
Sphaceli abſque alio tumore prægreſſo facti. 333.42
Sphacelus abſque tumore ullo, ex ſolo frigore, ſcrotum ſolummodo illæſis teſtibus abſtulit. 526.7
Sphacelus pedem abſque tumore prægreſſo, denigravit diu, & tandem ſeparavit. 526.26
Sphacelus utriuſque cruris. 532.1
Sphacelus femoris dextri, a fractura oſſis eiuſdem intra poplitem facta generatus. 558.29
Spieſsglas unde dictum. 139.2
Spirenſis puella. 70.42
Spiritus eſſe iniuriæ oportunos, 109.42
Spiritus corporis noſtri, an poſſint putreſcere. 323.33
Spiritus vitalis à Deo Adamo inflatus, Evæ & poſteris communicatur. 416.17
Splenica medicamenta quæ ſint. 94.5
Splenica ſub deleteriis eſſe locanda. 97.9
Sputum educentia medicamenta qualia. 111.5
in Statu morbi maxime irritari naturam. 153.17
Stella nova in ſidere Caſſiopeæ obſervata. 693.44
Stella nova Magis Chriſtum natum quærentibus prælucens. 694.5
Stella Caio Iulio Cæſare occiſo affulgens. 694.7 & 45.
Stercoratio agrorum varias fit ob cauſas,

ſas, & per res varias. 660.23
Sternutationis exemplum. 159.41
Sternutatio continua ſupra XIV. horas perſeverans. 564.21
Stibii uſus & præparatio. 138.41
de Stibio quid ſentiendum. 140.30
Stibio non omnes occidi. 141.9
Stibio metalla omnia purgari. 141.32
Stibii oleum. 143.42
Quære in Antimonio.
Stimulo, quæ purgent. 131.7
Stomachus à corde vix v. digitis diſtat. 432.10
Stomachus & cor commune καρδίας nomen obtinent 432.11
Strangulationi uterinæ ſimilis paroxyſmus in adoleſcente ſtudioſo. 562.16
Stranguria cum lumborum & pectinis dolore abſque calculo. 529.2
Struthionis vis in conficiendo ferro. 64.12
Struthio ferrum conficit. 76.15
Struthio quomodo ferrum conficiat. 117.19
in Stupore pharmaca non purgare. 157.7
Stupor utriuſque cruris à ſummo ad imum uſque. 526.16
Stupor in brachiis & cruribus, ac ſi acubus pungerentur, cum renum calculo. 527.10
Stupor in duobus digitis & contractio eorum difficilis cum ſenſu frigiditatis. 541.31
Subſtantiis totis agere quæ dicantur. 90.21
per Subſtantiam totam quid intelligendum. 91.5
à Subſtantia tota juvantia ſemper proſunt. 115.41
Subſtantiæ qualitas deſcribitur. 118.13
Subſtantiæ totius ſimilitudo quid ſit Galeno. 136.20
Subſtantia tota quid ſit Galeno. 138.14. 142.22. 177.39
Subſtantiæ ſimilitudo in purgantibus, jam olim doctis ſuſpecta. 143.35
Subſtantiis quæ ſint ſimilia. 145.15
Subſtantiarum cognatio ruit. 151.13
Subſtantia morbos nullos eſſe & ſi qui ſint, eos ſub intemperie contineri, 288.3. 303.22
Subſtantia tota, forma, ſpiritus, calor innatus, materiæ proprietas, à novatoribus pro iiſdem, ſed male ponuntur. 303.31
Subſtantiæ morbos eſſe, eoſque remediis à tota ſubſtantia contrariis pellendos. 653.22
Succini tractio qualis. 147.27
Succi corporis noſtri prunarii quot & qui. 358.26. 596.34
Succi ſecundarii quot & qui. 364.25. 601.32.
Succorum & liquorum delectus. 458.5
Sudores produnt vires comeſtorum. 73.32
Sudores ciendi commodiſſima ratio. 351.27
Sudor circa hypochondria primo & citiſſime erumpit. 434.11
Suillum ſanguinem humano ſimilem. 119.30
Superpurgationes quomodo fiant. 130.29
Surculos vellentia. 149.20
Surculorum diverſa genera. 149.32
Surditas abſoluta ex dolore capitis. 548.21
Suſpicio probabilis. 119.28
Suſpicione probabili medicamenta deprehendi. 136.28
Symptomaticæ purgationes quales. 153.7
Symptomaticas purgationes eſſe malas. 156.45
Syncipitis dolor pulſans, toto dorſo exporrectus, ſiniſtra magis infeſtās, & quidem ante paſtum. 562.13

T.

Tamalapatra hodie vocata non eſt malobathrum veterum. 482.29
Telephus in herba telephio vivit. 445.8
Temperamētum pharmacorum. 67.37
Temperamenti proprietas. 71.19
Temperamenta individuorum unius ſpeciei differunt. 71.19
Temperamenti latitudo. 78.8
Temperaturam non exacte cognoſci poſſe. 117.16
Temperies & tota ſubſtantia quomodo differant. 91.43
Temperiem eſſe duplicem. 138.2

Tempora non judicare. 155.37
Teneſmi cauſa. 153.21
Terminus vitæ alius naturalis, alius ſupra naturam. 588.39
Terminus vitę naturalis an & qui prorogari poſſit. 588.41
Terminus vitæ ſupernaturalis arte prorogari non poteſt. 589 22
Terreorum delectus. 465.7
Terra Merita pictorum quid. 572.3
Tertiana duplex mire pertinax ſupra hebdomadas xxx. durans. 530.26
Tertiana intermittente laborans virgo nobilis, paroxyſmis vigentibus furebat. 530.33
Tertiana duplici adoleſcentula virgo nobilis affecta, nullis fortibus pilulis moveri potuit, liquidis & lenibus purgabatur. 530.31
Tertiana ſimplex in duplicem verſa & ex duplici intermittente in continuam mutata. 536.1
Tertianario, ex purgativo levi, diarrhęa ſecuta, qua bilioſa & atra decedebant. 560.29
Tertiana duplex in continuam,&continua rurſus in tertianam duplicem permutata. 570.40
Tertiana febris in duobus viris juvenibus poſt 4. aut 5. paroxyſmos, ſolis præparantibus & aperientibus abſque purgativo curata. 575.17
Tertiana intermittens duplex cum vigente appetitu abſque ſit. 585.29
Tertullianus facit pro traduce. 423.43
Teſticulis natura carens adoleſcentulus ſaltem non apparentibus. 545.5
Teſtudinis paluſtris ſanguis. 96.34
Teucces in teucrio. 445.12
Teophraſti ſententia de appenſis pharmacis. 113.43
Theriaca remedia. 94.41
Theriacę uſus. 95.38
Theſes de morbis in ſubſtantia. 287.12
Theſes de Epilepſia Paracelſianæ D. Lev.Batti. 700.3
Theſium Paracelſianarum de Epilepſia examinatio per Smetium facta. 706.10
Theſium de Epilepſia defenſio per D. Lev.Battum. 714.30
Thlaſpi purgare. 138.39
Thomæ Aquinatis ſententia de ortu formarum. 81.18
Thomas Eraſtus laudatur. 306.6
Thymi capita purgare. 131.9.138.39
Tormina cur accidant in purgationibus. 150.17.152.28
Torpedo piſcis. 76.8.88.8
à Tota ſubſtantia quæ proſunt omni tempore valent 113.5
Tractio purgantium refutatur. 146.11
Tractionis putatæ pharmacorum nullum exemplum exſtare. 147.20
Tractrix vis in nullius rei materia ineſt 148.40
Tractionis Galenicæ exempla. 149.20
Tractrix vis pharmacorum quibus rationibus rejiciatur ab Eraſto. 166.40
Traducem oppugnantium argumenta diluuntur. 415.7
Traducis ſententiam tradunt Tertullianus, Gregorius Niſſenus & multi alii. 423.44
Trahere eſt viventium. 124.35
Trahere nihil, propter ipſum trahere. 129.7
Trahentia, certas res formis trahere. 151.20
Trahendi vim in plantis eſſe neceſſariam, 159.14
Trallianus carpitur. 40
Tremulos reddit torpedo. 76.8
Tremor manuum vino rubello epoto firmatur. 525.38
Triſtis ſenſus non eſt ſemper index putredinis & inſtantis febris. 437.35
Triticum ad ſe humorem trahit. 149.23
Turgentis materiæ cauſa. 152.43
Turgentes humores ante coctionem poſſe vacuari. 156.40
Tuſſis ſicca vehemens ex aere gelido, ante ix. menſes contracta. 564.25
Tympaniticæ mulieris hiſtoria notabilis. 355.38
Tympaniæ ſubcutaneæ aut Sarcitis

flatulentæ hiſtoria memorabilis. 355. 45
Tympanias hydrops verus. 524. 36
Tympanias & ſarcites hydropes ſimul in uno ægro. 528.11
Tympanias ſarcitica monſtroſa. 541. 15
Tympanias cum cruribus ædematoſis & lienteria. 542.33

V.

VAcuationes ſpontaneæ & pharmaco ſuſcitatæ diſcrimen. 152. 37
Valeriana nulla eſt phu Dioſcoridis. 580. 4
Valerianæ tres ſunt ſpecies. 580. 14
Vapores purgantium non retrahi nec repelli poſſe. 129. 15
Vareni vel vari VVeſtfalis die Varen qualis affectus. 224. 39
de Varenis Ioannis VVieri archiatri Clivenſis tractatus. 227. 3
Varenorum morbus unde dictus. 227. 20
Varenorum ſigna. 227. 23
Varenorum duo genera. 227.37
Varenorum cauſæ. 231. 6
Varenorum ſigna. 232. 24
Vareni hæreditarii & contagioſi. 232. 36
Varenis, victus ratio debita. 233. 3
Varenorum Bezoar. 233. 31
Varenorum curatio methodica. 10. VVieri. 239. 4
VVadendunck. 240.25
VValckenbaum. 238. 26
VVaſſerſchuling. 240. 26
Vectio in curru cur quibuſdam pariat vomitum. 160. 35
Vegetabilium temperaturam eſſe formam. 136. 41
Velitatio inter D. Levi. Battum & D. Hen. Smetium. de med. Paracelſi, D. Eraſtum ad Antiparacelſica ſcribenda excitavit. 307. 40
Velitatio de Medicina Theophraſti Paracelſi. 649. 2
Venarum imbecillitatem non eſſe cauſam nimiæ purgationis. 154. 2
Vena Medeni. 229. 2
Vena cividis. 229. 3
Vena ſanioſa. 229. 3
Venæ ruptio intra cavitatem pectoris. 525. 14
Venenis quoſdam mutatos eſſe. 71. 2.
Venena non formam, ſed materiæ temperiem deſtruunt. 71. 39
Venenati morſus remedium. 88. 10
Venena agunt occulta potentia. 90. 31
Venena quædam in ventre diſſolvi. 109. 39
Venenis adverſantia, quomodo roborent. 123. 15
Venenum educentia pharmaca. 149. 35
Venena cur non purgent. 165. 43
Ventriculi officium. 109. 21
Ventriculi jejuni dolor acerbus ac ſi pugione foderetur. 542. 45
Ventris dolorem concitantia, aliquos purgare. 132. 14
Veratrum, album cur potius quam nigrum vomitum cieat. 160. 21
Quære Helleborus albus.
Vertiginis, cauſæ in criſibus. 152. 27
Vertigo cum brachii, lateris, cruris ſiniſtrorum; & linguæ motu impedito ſenſuq; ſtupido. 527. 7
Vertigo cum magna Diarrhœa, qua ſponte ceſſante, delirium melancholicum ſecutum. 530. 41
Vertigo ex illapſo in verticem pondere, cum artuum imbecillitate, ut abſque ſcipione ne ſtare quidem poſſet. 545. 1
Veſicæ tumor cum ſtranguria & hypoſtaſi craſſa & alba. 529.12
Veſparum ictus remedium. 88. 26
Veteres coniectura indagaiſe rerum vires. 119. 23
à Veterum placitis non temere recedendum. 144. 36
Veiſvvurtz. 240. 32
Vicinia caloris externi, quibus modis fiat. 411. 22
Vinculum, animæ & corporis quot modis ſolvi poſſit. 587. 8
Vinculum animæ & corporis à cauſa externa & interna ſolvi poteſt. 587. 11
Vina acerba quid poſſint. 622. 12
Vini acidi facultas. 622. 38
Vina acria quid valeant. 624. 42
Vini amari efficacia. 624. 20
Vina auſtera quid agant. 622. 17

Vinorum ætates. 627. 28
Vinorum colores quid doceant. 631. 1
Vinum crudum purgare. 142. 5
Vina debilia aquoſa ὀλιγοφόρα. 625. 44
Vina dulcia quas vires habeant. 622. 45
Vinorum differentiæ vnde petendæ. 620. 11
Vini ignis vetuſus. 78. 3
Vino largius poto ægrotos ſæpius convaluiſſe. 161. 17
Vina ex maturitate aut immaturitate diſcernenda. 627. 13
Vinum iniuſtum. 627. 40
Vinorum natale ſolum multiplex. 620. 12
Vinum novellum. 628. 7
Vinorum odores quid indicent. 621. 31
Vinum facere purgatorium. 148 24
Vinorum ſapores quid notent. 622. 11
Vini generoſi multus uſus hepar non adulit. 351. 44
Vinorum potentia unde æſtimetur. 625. 40
Vina potentia vinoſa dicta. 626. 25
Vino Rhenano non incoquenda pharmaca bulliendo, ſed infundendo ſolum aut macerando. 351. 13
Vina ſalſa aut marina quam vim habeant. 624. 26
Vinum ſublimatum. 352. 42
Vinorum ſubſtantia craſſa. 625. 8
Vinorum ſubſtantia tenuis. 625. 33
Vina vetuſta. 629. 11
Vini utilitas in genere. 630. 27
Vineis nocere craſſicam. 122. 13
Violæ Martiæ partes diverſæ. 92. 16
Virgæ aut membri virilis penduli durities, ad ignem molleſcens, ſed frigore dureſcens. 563. 15
Virgo ruſticana per. x. annos, ab omni cibo & potu abſtinuit. 395. 1
Virium imbecillitatis differentiæ & cauſæ tabellle. 33. 19
Virium imbecillitas earumq; roboratio latius explicata. 34. 10
Virium roboratio non omnis in aſtringendo conſiſtit. 34. 23
Virium imbecillitas vniverſalis quæ. 36. 22
Virium imbecillitas particularis. 36. 25
Virium imbecillitas alia ſubitanea, alia ſenſim facta. 36. 27
Virium eſſentia ubi conſiſtat. 123. 31
viri teſtes externos ſolum, internos vero nullos habent. 425. 14
Viſa interdum purgare. 142. 13
Viſio per naſum in viro oculis ambob. orbo. 531. 12
Viſio obſcurata ex paſſione iliaca. 546. 29
Viſionis repentina inter prandendum oblæſio, qua obiecta ſolum dimidiata videbantur. 548. 41
Viſionis obſcuratio ſubitanea. 566. 11
Vitæ noſtræ hoſtes inteſtini nobiſcum nati, qui & quot 593. 36. 40
Vitium inimicitia cum braſſica. 122. 13
Vlcus ſub mamma penetrans in thoraces cavitatem, per quos ſpiritus exibat. 544. 5
Vmbilico impoſita purgare. 132. 9. 140. 26
Vnguentum, conſtellatum. 285. 14
Vniri res naturales malle quam diſſolvi. 128. 33
volcherus Goiter Friſius Medicus anatomicus excellens. 273. 29
Vomitu purgari totum corpus. 137. 21
vomitoriorum uſum olim fuiſſe frequentem. 137. 23. 160. 7
vomitiones quomodo fiant. 139. 32
vomitorium cum humore reiecto nihil habet ſimile. 162. 8
vomitoria quædam. 160. 30
vomitio quotidiana, ventre ieiuno mane, cætera ſanus. 529. 27
vomitio æruginoſa quotidiana, alvo dura menſibus raro fluentibus, diu durarat Cætera bene colorata mulier & valens, 539. 4
vomitus cum deglutione difficili, & deiectionib. primum meri cruoris, deinde diarrhæa vigiliis, febri, poſt plenam papularum eruptionem. 542. 41
vomitus pituitoſus ad primam cibi deguſtationem. 548. 19
vomitus pituitæ quotidianus per totam hiemem mane, uſque in aprilem continuatus. 550. 1
vomitio vehemens cum diarrhæa dolore iliaco atq; colico, febricula viribuſq; proſtratis, ex triſtitia. 550. 11

vrinæ & alvi commotiones differunt. 103 41
vrinam cientibus admiſcenda deducentia. 135.36
vrinæ ſtillicidium. 140.14
vrinam provocantia, quę ventri imponuntur. 141. 3
vrinam cientia. 126.17.45.150.4
vrina cum puro ſanguine. 527.36
vrina cum hypoſtaſi alba cretacea multa diuturna. 528.18
vrinæ ardor ut ſtranguria per 7. annos durans, qua lotium ne per quadrans horæ ſpacium continere potuit, abſque calculi aut ulceris ſigno. 528.43
vrinæ ſtillicidium cum ſummis in utraq; pectinis parte cruciatibus atq; febri. 531.10
vinæ turbidæ graveolentes fætidæ per aliquot menſes in gravida, abſque alio vitio, nec per puerperium correctæ. 538.1
vrinæ ſtillicidium limpidum aque fontanæ inſtar diuturnum. 561.9
vrina cruenta enixius exprimendo, proveniens. 563.41
vrinæ ignei ruboris ex febri diaria. 575.12
vrinarum variatio mira in puellula nōdum quinquenni. 576.24
vrinæ ex ephemera igneæ mox poſtridie & exinde per IX. aut X. dies, tales, & quidem abſque febri manſerunt. 576.31
vrinæ inchoante febrili paroxiſmo copioſæ, frequentes, crudę, inſtar fontanæ, ſedata febre in igneas verſæ parciores per decem dies fluebant. 576.45
vrinæ creberrimæ copioſiſſ. ad lib. VI. à tertia matutina uſque ad meridiem ex parco potu collectæ. 577.24
vrinæ ad uncias. 36. reddite, ex liquoris unciis.12.aur. 13. 582.17
vrina ad uncias fere. 48. ex pauco potu collecta. 583.13
vrina frequens & copioſa ex potu modico. 584.25
vrinæ copia duplex, ex potu dimidio. 585.11.13
vrinæ ad uncias. 80. poſt potum forte vnciarum. XVI. 585.18
vrina potu duplo abundantior. 585.39.41.43.
vſitata non demiramur. 76.32
vterina hæmorhagia. vij. hebdomadarum, quomodo curata. 187.3
vterinæ affectionis inquiſitio. 220.2
vterus ſemen proprium aliquando adſorbet, citra viri coogreſſum, & hyſtericæ ſuffocationis cauſam parit. 426.24
vterina ſuffocatio vehemens. 542.5
vteri diſtorſio, febris, tormina, diarrhea biliosa, vomitus, vigiliæ ex menſium retentioſus. 577.5
vulpinus ſanguis quas habeat vires. 112.7
vuæ paſſæ vires. 98.30

X.

Xylocinamomon. 419.15

Z.

Zachariæ Vrſini theologi inſignis ægrotatio. 547.1
Zarendæ vvurme. 229.8
Zaleuce legislatoris exemplum præclarum. 645.30
Zedoariæ radix coſto quam proxime accedit. 494.29
Zibethum unde proveniat. 508.8
Zibethum ad quæ proſit. 508.13

FINIS.

Errata huius operis.

Priore litera paginam, altera lineam indicante.

Pag.	lin.	
In fol) (	12. 32.	lege die varen.
):(	3. 8.	lege hydrargiro.
2	11	lege Eſte
2	23	lege cetere.
2	31	prædicat
3	21	lege ἀχίστος
4	8	lege tandem
7	19	lege e
8	29	lege ortus
11	21	lege dogmata
14	13	lege ſumptu
18	9	lege citis
37	15	lege concidunt
38	37	lege tumores
41	7	lege quomodo
43	43	lege matricariam
46	21	lege 10.
47	12	lege ſcammonia
47	16	lege colatum
47	21	tetra bibii
47	24	lege modo
47	28	lege contuſione
47	32	lege opinatis
47	35	lege hemina
49	10	lege ſeſami
eadē	12	poſt pariunt, claude parentheſin
53	2	pro tamen, legatur tum.
53	13	pro quem lege quam
57	41	poſt loquar claude parentheſin
58	24	lege copioſæ
67	40	lege ſubſtantia
68	25	lege poteſtates
	32	lege faciunt
77	41	lege ridendi
77	44	lege allii
78	23	lege abſque
eadē	26	lege ullius
79	19	lege neceſſario
80	7	lege pertinet
	8	lege aliqua
81	29	poſt aliter claude parẽthesin
92	12	lege rhabarbari
96	25	lege ſubſtantia
97	15	lege quarto
98	19	lege adhibentur
100	31	lege curare
101	21	lege perterritam
104	39	lege certis
106	27	lege veſicam
107	1	lege enim
ibid.	12	lege obiectio
108	29	poſt credatur fac punctum
110.	20	attrahi
117	38	poſt temperie claude parentheſin
119	29	lege cecidiſſe
119	43	lege virtute
123	36	lege hæc
ibid.	45	poſt fiat claude parentheſin
126	20	lege medicamentum
131	32	lege in inteſtino
132	12	poſt excitant pone ad
135	24	lege ingreſſuri
136	9	pro quo lege quo pacto
137	2	lege tumor
141	15	lege deſilire

Nota quod à pagina. 144. uſque ad paginam 145. per paginas quinque in paginarum numero ſit erratum

156 li.	3. 41.	lege turgentes
160 li.	3. 11	lege propinarunt
ibid.	21	lege ciet autem
161 li.	3 18	lege liberalius
eadē.	25	lege Nonne
	26	dele notam interrogat. & parentheſis
166 li.	3. 23	lege inimicius
eadē	31	lege His
190	13	recrudeſcebat
192	4	lege Henrico
196	19	lege animadvertat
198	31	lege Eridanus
201	26	lege quomodo
209	9	lege 22
eadē	17	lege 1567
210	19	lege videlicet
211	45	lege euge
216	3	lege intelligebat
219	9	lege hectica
227	1	Libri IV.
242	34	lege didicit
242	37	abrotonum
245	39	quicunque
249	7	lege Roſtochii
	33	argentumve
253	20	lege ſcybalis
254	19	lege hæmorrhois
255	23	lege mucagine

Pag.	lin.	
258	3	lege rintelemii
260	9	lege contendebat
	15	lege oſſicula
266	15	lege φαῦλον
272	8	lege lactentes
272	23	lege lactentes
276	42	lege inſervit
277	38	lege ἐνεργείαι
281	7	lege dictam
282	8	lege vulnera
285	13	lege non poſſe
290	24	lege particeps
292	30	lege ſunt
294	36	lege fluxis
296	36	lege diſtare
298	16	pro dolore lege debere
299	17	lege itemque
503	1	lege 305
	9	lege exemplar
	12	das erſte Med. deleatur
	22	lege epiſtolio
308	13	lege noſtram
311	1	dele ſi
312	42	lege caloris
313	12	lege μεταβολὴν
317	41	lege anguſtam
319	41	lege combuſtis
321	3	poſt gratia claude parẽtheſin
	20	lege πιπλόμενον
	28	lege in utilis
	42	lege caloris
327	9	lege fovetur
328	41	lege collocatio
329	39	poſt accreſcens adde decreſ- (cens
330	39	lege cruditate
334	22	lege ſcirrhoſi
336	28	lege ganglia
338	45	lege abſceſſuum
337	19	lege ptiloſin
339	27	lege diarrhæa
340	5	lege inſerviunt
341	36	lege oblivio
342	7	lege primarium
	12	lege ſimilare
345	25	lege torpore
349	45	lege quid
350	4	lege limam
	14	lege adiicere
353	32	lege ſed ad calidas
	33	poſt quoque pone)
	43	lege eroſiones
354	36	lege virium

Pag.	lin.	
355	32	lege putidiſſimi
316	23	intenſiore
358	12	lege nutritioni
363	24	lege oblinens
Pro	385	ſcribe 365
372	27	lege κακόχυμα
	33	lege allia
	40	lege lampetræ
377	42	lege coitus
	44	lege Praſiorum
378	27	lege Elephanti
	43	lege anniculus
380	22	lege feras
382	5	lege unico cornu
384	22	lege equina
	45	lege eventu
385	32	lege Apollonii
388	32	lege editam
393	20	lege ſordes
395	8	lege conſcripſit
396	20	lege LXXXVII
404	14	lege variæ
406	20	lege caput
408	12	lege ſcillitico
	20	pro in lege is
	33	lege pathognomonicæ
413	36	lege animam
415	8	lege Geneſ. 2. 7.
	35	lege verſ. 21
416	35	lege ſubiiciemur
	39	pro præter, lege pater
420	29	lege anicula
426	9	lege miſellæ
431	41	lege occurrentem
432	26	lege cachexia
434	14	lege cachexia
436	13	lege perrodunt
	44	lege vomituriunt
437	1	lege à bile in præcordiorum
	9	lege de feb.
	12	lege principiis
	26	lege concitatus
pro	432	ſcribe 442
443	34	lege elaphoboſcum
pro	464	ſcribe 446
	28	lege inſectorum
	26	lege cantharide
447	18	lege lyſimachiam
448	15	lege ſphondilio
	29	lege Bithynus
451	30	lege hirudines
453	36	lege oſmundæ
454	4	lege pityuſæ

Pag.	lin.	
	14	lege corroſi
	44	lege portulaca
455	12	lege fumaria.
	17	lege phyllitis
457	23	lege qua
	27	lege nitro
459	29	lege & quibuscunque
461	38	lege Hæc autem
462	44	legæ Huiuſmodi eſt
463	10	lege ſunt
464	24	poſt tempus adde qualitate ſua mutata alienas qualitates induit
466	29	nitentibus
568	5	fol. Gg lege nullum
569	7	fol. Gg lege gladioli
	17	eodem lege acoro
572	42	lege ineſt
572	44	lege interficit
573	7	lege maſtiche

Pro his erratis in numero paginarum ſcribi debuerat 468. 469. 472. 473. omnia in fol. Gg.

573	21	lege farctas
	29	lege linea diviſim
	36	poſt eſt, adde ſicut
	40	ſcribe Serapionis
474	2	ſcribe Serapionis
	6	ſcribe Serapionis
	17	lege Gange
	33	lege pollinem
475	18	lege alterius
	42	lege eligendam
576	32	lege comoſas
577	2	lege anguſta
	7	lege Genuenſibus
577	41	lege Cluſius
479	9	lege manſooren
580	2	Zeitloſen

pro erratis in numero paginarum. 576 577. 580 in fol. Gg poni debuerat. 476 477. 480

482	7	lege Ægyptii
483	36	lege eiuſque
484	25	cinnamomi
	26	lege legitimi
485	39	lege Malabaricæ
	45	lege Alibi dialecto
486	1	lege caunama
	2	lege chinenſe
	3	lege non
	5	lege quidem
	8	lege camella
[illegible]	42	lege fiſtulaceis

Pag.	lin.	
491	44	lege deſideratur
492	39	lege hamama
	45	lege Cluſius
496	13	lege aliis
498	16	lege Salomonem
pro	794	ſcribe 497 in ij
501	20	lege à frigida
	25	lege ſtatim
502	32	lege ſaneſcunt
508	6	lege expetitum
509	37	chinarum
513	8	cancanus
	14	lege totus
	39	lege eſt fragilis
514	2	lege ſuffi ere
	19	lege minutioribus
	32	lege commanſa
	33	lege ceræ
515	41	addatur mina, ante Attica
516	3	lege obolus
	15	adde vini ante &
517	22	pro L ſcribe <
518	10	ſignum ana invertatur
519	29	lege in Italia
523	40	ſteatomata
528	4	ſcribe Comitiſſæ
528	10	lege patiebatur
	18	lege alba
529	22	lege nodulo
	31	lege encanthis
	41	lege crure
	43	lege crure
530	5	lege Caubenſis
	14	lege aliquot
	15	lege manus autem
	37	lege lipothymiam
531	12	lege hiſtoriola

531, l. 12.

Equiſo Comitis à vvitgenſtein deflu vio pilorum in capite, & barba, abſq; ullis ſuis venereæ indiciis

532	1	lege utrumque
	9	lege habebat
533	41	lege parte
534	23	lege leucophlegmatia
	26	ſcribe XII.
535	6	lege labra mentum
	26	lege convaluerat
536	15	lege palpitatione
538	21	ſcribe XL. id eſt 40
539	4	lege Schavvbruchii
539	44	lege ieiunum
540	15	lege membrana

Pag.	lin.	
542	7	lege vitriarii
543	35	lege dorſi
544	6	lege illac
556	30	pro ſapore lege odore
557	20	pro peritonæ, lege meſaræ
	33	lege alito
558	1	lege qua
561	25	lege permovebatur
563	22	lege utrinque
564	24	lege faſſus
567	23	lege propenderent
573	34	pro ℥xij. ponatur ʒ. xij.
574	3	lege nidrotica
578	39	lege excrevit
579	9	lege triennem
	16	lege vidiſſes
	39	corrige qui nec morbum hunc nec mortem arrepentem ſentiebat.
580	27	adde anno ætatis 69
583	7	lege incipientem
	17	lege, ut cunque
601	8	lege ex hac
607	30	lege Niliaqua
609	29	lege corripiunt
611	9	lege ad potum
612	16	lege ſufficit
	8	poſt præparationem adde tum coctionem
612	36	lege mavvt
627	4	lege nullum
658	7	lege ſiquid

Pag. 671. 16. Quod dicas duabus olei unciis magis ventriculum offendi, quã libris decem cereviſiæ aut aquæ: ego prorſus dubito. Si ſuave ſit oleum: Italus ſane aut Hiſpanus, 4. aut plures olei uncias cum voluptate ſumpſerit, nedum duas, iidem quoque aquæ frigidæ libras aliquot illæſo ventriculo biberint. Contra cereviſiæ ne libram hi quidem dimidiam tolerent. Saxo olei ne unciam quidem: aquæ vix hauſtum ferat, cereviſiæ non raro congium ingurgitabit. Tantũ valet aſſuetudo. Rurſus olei ſubſtantia levior pinguior tepidior eſt. Cereviſiæ & aquæ potabilis tenuior fluidior & frigidior requiritur. Alioquin valde craſſa, lenta, & tepida cereviſia, qualis Dantiſcana, vel Saxonis Stomachum quantitate non magna, non parum offenderit. Collatio enim inter paria fieri debet.

Pag.	lin.	
671	39	lege revera
		in fol. Vu pro numero paginarum 374. 375. 480. poni debuerat 674. 675. 680.
681	12	lege oſſiculi
682	7	lege coincidunt
683	6	lege remedia
685	40	lege uri
687	42	lege mumia
689	19	lege pag. 32 lin. 4.
	28	lege nunc
690	17	cum maiori litera & aliquanto ſeparatim ſcribi debuerant.
694	38	lege cicadæ
701	5	lege craſſitie
702	26	lege diagnoſtica
704	24	lege athanore
706	30	lege & adde de locis affectis
	43	lege quarta
707	29	ſcribe iniquè
708	39	coniungatur linea 40. vna cum 39.
710	33	pro una lege ana
711	15	lege ut ut
712	25	lege At quibus
713	11	lege abs te
	39	poſt confidis pone?
716	1	ſcribe paroxyſmo
718	25	lege temperamenti
719	10	lege quo interpres
721	20	lege Gouſanæ
722	25	lege ἀναμνησικοῖς
723	19	lege ille
	27	lege tolerabilem
724	7	lege frigidi
725	1	lege difficultates
727	29	lege turmæ
729	9	lege ſegnitie
	43	lege caballi
731	42	lege viſentem
732	42	lege ſobolis
736	1	lege rectrix

Errata indicis.

Amomi lignum lege 492. 2
Angelica radix lege 494. 31

Omiſſum.

Calamus Aromaticus officinarum eſt radix acori veri. 496. 37
Calor cœleſtis communis quis, deleatur. 5
Cancri cum puncturis ſunt lethales Paracelſo lege 686. 30

Car-

Pag. lin.

Cardanus reprehenditur lege 504. 12

Omiſſum.

Dolor circum diaphragma ad ſcapulas uſq; protenſus, ſuſpirare & in latera vertere prohibens 563. 25

Dolor non ſemper purgationes efficit & quare lege 158. 18

Elleboro purgari pituitam quoq; lege 183. 20

Epilepſiæ ex utero 4. intra horas duas lege 211. 24

Formas unius ſpeciei non eſſe contrarias. 68. 40

Hiper ſarcoſis in humero muliebri lege 562. 20

Infantulus monochris recens natus. 572. 39. lege μονόρχης

Malobathrum Dioſ. hodie eſt ignotum lege 481. 11

Maſturbatores ſuæ poſteritatis hoſtes, lege 423. 23

Neker morbus lege 229 36

Omiſſum.

Occultas proprietates non eſſe formas rerum. 67. 4

Pſeudoacorus lege 569. 8. li. 9

Pullorum carnem purgatricem reddere lege 73. 23

Purgantia non eſſe ſimilia tractis humoribus lege 143. 45

Purgantia quædam propter virtutem latentem lege 145. 23

Quartana poſt ſingulos paroxyſmos &c. lege 534. 22

Roſa Ierichontina non eſt amomum

Pag. lin.

lege 492. 24

Schola Duacenſis lege 639. 5

Solanum ſomniferum lege 238. 28

Spartanorum in cælibes ſevera animadverſio lege 422. 39

Stercoratio agrorum varias fit ob cauſas & per res varias lege 669 23

Pro ſtimulo quæ purgent lege ſtimulando quæ purgent.

Temperamenta individuorum unius ſpeciei differunt lege 71. 22

Trallianus carpitur lege 40. 37

Errata in Numero paginarum.

A pagina 144. initio lib. 3. uſq; ad pag. 145. fol. K per quinq; paginas utrinque in numero earum erratum eſt Interea tamen in indice numerum impreſſum, licet erroneum, ubiq; ſecuti ſumus.

In fol. Z vii. pro 385. ſcribe. 365

In fol. Ee vij. verſo, pro 464. ſcribe 446.

In fol. Gg ij. & Gg iij. pro 568. & 569. ſcribe 468. & 469.

In fol. Gg iiij. verſo. & Gg v. pro 572. & 573. ſcribe 472. & 473.

In fol. Gg vi. verſo. pro 576. & ſequenti 577. & 580. ſcribe 476. 477. & 480.

In fol. ii j. pro 794. ſcribe 497.

In fol. Vu j. verſo & vu ij. pro 374. & 375. ſcribe 674. & 675.

In fol. Vu. iiij. verſo pro 480. ſcribe 680.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google